R. P. JOANNIS MICHAELIS
CAVALIERI
BERGOMATIS

ORD. EREMIT. SANCTI AUGUSTINI CONGR. OBSERV. LOMB.

SACRÆ THEOLOGIÆ LECTORIS EMERITI

OPERA OMNIA
L I T U R G I C A,
S E U
COMMENTARIA

In authentica Sacræ Rituum Congregationis Decreta ad Romanum præſertim Breviarium, Miſſale, & Rituale quomodolibet attinentia

QUINQUE TOMIS COMPREHENSA.

E D I T I O N O V I S S I M A

Ab Auctore curis poſthumis aucta, & emendata, atque integro Tomo ex manuſcriptis ejus ſchedis nunc primum collecto locupletata.

TOMUS SECUNDUS.
P A R S P R I M A.

B A S S A N I, MDCCLXXVIII.

S E D P R O S T A N T

VENETIIS APUD REMONDINI.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

AUCTORIS MONITUM

PRIMÆ BRIXIENSI EDITIONI PRÆFIXUM.

TANDEM in lucem prodeunt Commentaria hæc noſtra, in quibus abſolvuntur Decreta ad Romanum Breviarium ſpectantia. Equidem parumper ſuperſedendum eſſe credidimus, prudenter pavidi, ne ob ſuam exilitatem deſpectui exponerentur, non plauſui; at vix iiſdem æſtimationem aliquam mera Lectoris fecit benignitas, quod incunctanter typis ea tradere minime prætermiſimus, & prout licuit, moram quamlibet abigere numquam deſtitimus. Cum nos Bergomi Regularis detineret obſervantia, & editionis venia Brixiæ eorumdem cuſionem continuandam expoſceret, pluribus egregiis viris commendanda putavimus, nihilque præterivimus, & quo feſtina, & quo emendata prodirent. Verum quid nobis profuere tam ſollicitæ curæ? Typographus Mercenariorum more de commentariorum lucro ſecurus, lucris aliis inhians, ſolo otii tempore, eorumdem impreſſioni incumbebat, & quibus commiſſa fuerat emendatio, nimis de iis, quæ ſua ſunt, & de iis, quæ ceterorum, minus ſolliciti, in nonnulla folia tantam erratorum copiam, ſeu zizaniam parvipependerunt, & paſſi ſunt, quam, diceremus, vix inimicus ſuperſeminaret homo, niſi nobis apprime compertum foret, quam facilem graviora ſtudia, quibus erant diſtenti, mendorum irreptioni viam ſternant, & aperiant *. Hæc vix ad noſtras devenere aures, quod extemplo accucurrimus, quæ adhuc imprimenda erant, ut emendatiora, & properiora ederentur, pro viribus decertavimus, & ex jam impreſſis nonnulla recudenda curavimus, & ſi de ceteris ſimiliter non præſtitimus, a religioſa paupertate coerciti fuimus. Et o quam nos piget, & pudet adhuc ea publici juris facere! Verum quæ in noſtra abſentia perpetrata ſunt, facilis benevolus condonet Lector, in cujus gratiam er-

* *Omnia, de quibus hic Auctor loquitur, menda in noviſſima hac noſtra Editione ſumma diligentia emendata Lector reperiet. Exemplari enim uſi ſumus Auctoris ipſius manu ſedulo expurgato, quod ille antequam mortem obiret, ad novam Editionem paraverat.*

ratorum inveximus tabulam, ut præſto habeat, unde inſtituatur, ſi quandoque offendat aliqua, quæ vel ſenſum lædunt, vel minus efformant conſonum; a copia enim abſterriti, quæ aut obviæ, ſeu facilis ſunt correctionis, ejuſdem Lectoris judicio, & diſcretioni donanda cenſuimus. Quæ conſequentur, Commentaria præſtolare emendatiora.

In Operis præfatione Decretorum Indicem ex Merati Commentariis una cum ejuſdem annotationibus hic fideliter tranſcribere polliciti fuimus; at cum pleræque ex dictis annotationibus a nobis ratæ minime fuerint habitæ, quin rejectæ, has tanti non adjudicavimus eſſe pendendas, quæ nos recenſere facerent Merati Indicem, qui nullo ſervato ordine compactus noſcitur, ſed magis iiſdem neglectis Decreta tradere, prout a nobis per Capita diſtributa ſunt, & expoſita. Et præſertim cum hinc id eveniat commodi, ut Decreta omnia, quæ de eadem agunt materie, ſub oculos Lector habeat, & quæ de conſimili, facile reperiat, duobus reſecatis Indicibus, quos propterea dare compellebamur, Decretorum nempe, quæ relate ad reſpectiva Capita conſimile argumentum attingunt, & Decretorum alterum, quæ ultra ea Merati a nobis examini ſubjiciuntur. Quæ cum in Lectoris gratiam, commodum, & uberiorem præſtentur utilitatem, promiſſorum Indicum profecto impunis tranſit omiſſio, & condonandum eſt nobis, ſi Lector interdum aliquem offendet numerum, qui noſtro plene non correſpondet Indici. Vale.

ELEN-

ELENCHUS CAPITUM,

Et Argumentorum hujus Tomi.

PARS PRIMA.

Index Decretorum primæ, & ſecundæ partis a pag. vii *ad pag.* xix

CAPUT XIII.

De Diebus feſtivis in honorem Sanctorum. a pag. 1. ad pag. 17

CAPUT XIV.

De Diebus Dominicis. a pag. 18. ad pag. 28

CAPUT XV.

De Vigiliis. a pag. 28. ad pag. 38

CAPUT XVI.

De Solemnitate SS. Corporis Chriſti. a pag. 38. ad pag. 41

CAPUT XVII.

De Feſto SS. Trinitatis. a pag. 41. ad pag. 43

CAPUT XVIII.

De Octavis Feſtorum. a pag. 44. ad pag. 54

CAPUT XIX.

De Octavis in diebus inhibitis. a pag. 54. ad pag. 58

CAPUT XX.

De ſemiduplici transferibili infra octavam. a pag. 58. ad pag. 61

CAPUT XXI.

De duplici transferendo infra octavam. a pag. 61. ad pag. 63

CAPUT XXII.

De Feſtis Sanctorum ad libitum. a pag. 63. ad pag. 67

CAPUT XXIII.

De Feſtis de non præcepto. a pag. 67. ad pag. 69

CAPUT XXIV.

De Officiis votivis. a pag. 69. ad pag. 77

CAPUT XXV.

De Feſtis affixis diebus mobilibus. a pag. 77. ad pag. 84

CAPUT XXVI.

De Occurrentia, ſeu Translatione Feſtorum. a pag. 85. ad pag. 90

CAPUT XXVII.

De Repoſitione Feſtorum. a pag. 90. ad pag. 93

CAPUT XXVIII.

De Concurrentia Feſtorum. a pag. 93. ad pag. 96

CAPUT XXIX.

De Sanctis Angelis. a pag. 96. ad pag. 100

CAPUT XXX.

De Feſtis Deiparæ. a pag. 100. ad pag. 107

CAPUT XXXI.

De Sanctis veteris Teſtamenti. a pag. 107. ad pag. 110

CAPUT XXXII.

De Commemorationibus. a pag. 110. ad pag. 115

CAPUT XXXIII.

De Commemorationibus communibus, ſeu ſuffragiis Sanctorum. a pag. 115. ad pag. 118

PARS

PARS SECUNDA.

CAPUT XXXIV.

De Matutino, & partibus ejus. a pag. 121. ad pag. 132

CAPUT XXXV.

De Laudibus, earumdemque partibus. a pag. 132. ad pag. 134

CAPUT XXXVI.

De Prima, & partibus ejus. pag. 134.

CAPUT XXXVII.

De Officio Capituli. a pag. 134. ad pag. 137

CAPUT XXXVIII.

De Tertia Sexta, & Nona. a pag. 137. ad pag. 139

CAPUT XXXIX.

De Veſperis, earumque partibus. a pag. 139. ad pag. 141

CAPUT XL.

De Completorio, ejuſque partibus. a pag. 141. ad pag. 143

CAPUT XLI.

De Additione, mutatione, mixtione, & alteratione in Breviario Romano, vel divino officio fieri inhibita. a pag. 143. ad pag. 153

CAPUT XLII.

De Officiorum approbatione. a pag. 153. ad pag. 154

CAPUT XLIII.

De qualitate Officii, Breviarii, & Ritus. a pag. 154. ad pag. 164

CAPUT XLIV.

De Feſtis ex conſuetudine. a pag. 164. ad pag. 167

CAPUT XLV.

De Beatorum officio. a pag. 167. ad pag. 169

CAPUT XLVI.

De Officiis addititiis. a pag. 170. ad pag. 172

Index Rerum. pag. 173.

INDEX DECRETORUM

Servato ordine, quo a nobis per Capita diſtributa ſunt, & ſiunt expoſita, prout monuimus in Præfatione hujus Tomi.

Numerus Paginam notat.

TOMI SECUNDI PARS PRIMA.

101. IN Sanctorum Patronorum electione fieri non debent promiſſiones ſervandi diem feſtum Patroni electi tanquam de præcepto, etiamſi ab Eccleſia univerſali ſub tali ritu non colantur; nam has promiſſiones, & vota non admittit, nec approbat, ſed rejicit, & tantum ex devotione ſervari poſſe concedit Sacra Rit. Congregat. 15. Martii 1698. *in Theatina, & Pennen. pro Clero, & Populo nonnullorum Oppidorum*; ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 197. *Pag.* 2

102. Communitates, vel Univerſitates Civitatum, ſeu Locorum, non tenentur ex præcepto ſervare Feſta ex voto eorumdem indicta, cum ſub præcepto teneantur tantum Perſonæ voventes. S. R. C. 18. Aprilis 1643. *in Decreto de Feſtorum obſervatione*, ex Merato in Indice Decr. Miſſ. num. 284. 4

103. Feſtum principalioris, Patroni in quocumque Regno, ſive Provincia, & alterius pariter principalioris Patroni, in quacumque Civitate, aut Oppido, vel Pago, ubi hos Patronos haberi, & venerari contigerit, eſt præceptivum, cum obligatione audiendi Sacrum, & vacandi ab operibus ſervilibus. S. R. C. 13. Septembris 1642. ex Merato in Indice Decr. Miſſalis n. 283. *ibid.*

104. Quando occurrit feſtum aliquod in Diœceſi, quod ſit de præcepto quoad forum, Regulares de eo debent officium facere, niſi apud ipſos occurrat eadem die aliud feſtum, quod ſit ejuſdem claſſis, ritus, & majoris dignitatis. Sacr. Rit. Congr. 5. Maji 1736. *in Einſidlen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. nu. 290. 5

105. Petitum fuit, ſi feſtum feſtivetur a Populo, vel de præcepto, vel de devotione, ut Sanctus Ludovicus in Gallia, Sanctus Rocchus &c. utrum dici debeat tale officium duplex majus, & lectiones primi nocturni legi de communi, etiamſi in propria de ſcriptura aſſignentur, & reſponſum fuit; Feſtum Sancti Ludovici indultum de præcepto in Galliis eſſe ſub ritu duplici minori tantum, editis Decretis 15. Martii 1608., & 28. Novembris 1619. De Sancto Roccho, licet ejus feſtum ſervetur ex devotione, attamen de eo non poteſt recitari officium, & celebrari Miſſa, niſi in propriis Eccleſiis eidem Sancto dicatis, ex conceſſione S. C. die 4. Junii 1629. & clarius die 29. Novembris ejuſdem anni 1629., & tunc dicendum eſt officium ſub ritu duplici 2. claſſis. Sacr. Rit. Congregr. 10. Januarii *in una Galliarum*; ex Merato in Indice Decret. Brev. num. 183 7

106. Feſtum S. Franciſci eſt de præcepto ubique. S. R. C. 3. Januarii 1662. ex Merato in Indice Decretor. Brev. numer. 46. 8

107. Feſtum S. Annæ eſt de præcepto ubique. S. R. C. 24. Aprilis 1622. ex Merato in Indice Decretor. Brev. numer. 47. *ibid.*

108. Feſtum S. Joſeph eſt de præcepto ubique. S. R. C. 8. Maji 1621. ex Merato in Indice Decret. Brev. n. 45. 9

109. Si Feſtum Sancti Joſeph occurrat in feria v. majoris hebdomadæ, ejus officium transferendum erit ad aliam diem juxta Rubricas Breviarii Romani, & Decreta Sacræ Congregationis; cæterum præceptum audiendi Miſſam, & vacandi ab operibus ſervilibus non erit transferendum, ſed ſervandum in prædicta Feria V., adeoque per Ordinarios locorum, accurare providendum, ut eo die aliquæ quidem Miſſæ privatæ, ante celebrationem ſolitæ Miſſæ conventualis, celebrandæ pro præcepti adimplemento non deſint: Sed tamen propterea antiquus mos Communionis Cleri in Miſſa ſolemni illius diei, quo Eccleſia SS. Euchariſtiæ inſtitutionem, & memoriam recolit, ſumma religione hactenus retentus, nullatenus omittatur. S. R. C. 13. Septemb. 1692., & habetur in Bullario particulari Innocentii XII. *in Hiſpalen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 172., & per extenſum in Indice Decr. Miſſalis num. 501. *ibid.*

110. Quando Feſtum Annunciationis B. M. V. occurrit in Feria v. in Cœna Domini, ſervandum eſt Decretum Generale pro Feſto S. Joſeph editum die 13. Septembris 1692. S. R. C. 11. Januarii 1693. *in una Galliarum*; ex Merato in Indice Decr. Miſſalis num. 504. 10

111. Si Feſtum SS. Annuntiationis inciderit in feriam v. majoris hebdomadæ, præceptum audiendi Miſſam, & abſtinendi a ſervilibus non erit transferendum, ſed omnino ſervandum in prædicta feria v., prout in Cameriensi, & pro Eccleſiis Almæ Urbis mandatum fuit 20. Martii 1660., adeoque per Ordinarios locorum providendum, ut eo die pro Civitatum, & Pagorum qualitate, chriſtifidelium in iis degentium numero, plures Miſſæ privatæ ante celebrationem Miſſæ Conventualis, pro præcepti adimplemento, celebrandæ non deſint; ſed tamen propterea antiquus mos communionis Cleri in Miſſa ſolemni, quo Eccleſia SS. Euchariſtiæ Sacramenti inſtitutionem, & memoriam recolit, ſumma religione hactenus obſervatus, nullo modo omittatur. Sacr. Rit. Cong. 12. Septemb. 1716. approbante Clemente XI. 27. ejuſdem, *in ejus Bullario particulari part.* 3. ex Merato in Indice Decr. Miſſalis numer. 632. 11

112. Archidiacono, & Canonicis Eccleſiæ Cathedralis Cameriensis petentibus, an ipſis liceret plures Miſſas celebrare feria V. in Cœna Domini, in qua cadit feſtum SS. Annunciationis. S. R. C. reſpondit, licere, & juſſit, ut a Cardinali Vicario ſingularum Eccleſiarum Urbis Rectoribus idem notificaretur 20. Martii 1660. ex Merato in Indice Decret. Miſſalis n. 377. *ibid.*

113. In Paraſceve ſi incidat feſtum Annunciationis B. V., non tenentur Fideles ad Miſſam audiendam, ſeu intereſſe Officio, S. R. C. 19. Februarii 1622. *in una de feſto Annunciationis*; ex Merato in Indice Decret. Miſſalis n. 188. *ibid.*

114. Si Feſtum SS. Annunciationis B. M. V. occurrat in Feria vi. in Paraſceve, vel in Sabbato Sancto, transferatur una cum præcepto audiendi Miſſam, & vacandi ab operibus ſervilibus ad feriam ſecundam poſt Dominicam in Albis, etiam quocumque alio feſto impeditam, ita ut eadem feria, prædicto caſu eveniente, perpetuis futuris temporibus pro ſede propria, & fixa, memorato feſto Annunciationis aſſignata, & ſtabilita intelligatur., & in illa eo prorſus modo, & forma præfatum feſtum quoad officium, & Miſſam celebretur, quibus propria die vigeſimaquinta Martii in Kalendario Romano appoſitum celebraretur, protractis ad aliam diem non impeditam juxta Rubricas Breviarii Romani omnibus aliis feſtis in eadem feria occurrentibus, quæ non ſint altioris ritus. S. R. C. 11. Februarii, & 11. Martii 1690. *approbante etiam Alexandro* VII. ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 160. 12

115. Cum Feſtum S. Zenonis Martyris, quod in Civitate, & Diœceſi Veronenſi, uti illius Epiſcopi, & principalis Protectoris quotannis die 12. Aprilis de præcepto cum octava celebratur, aliquoties incidat in feriam ſextam Paraſceves, vel in Sabbatum Sanctum, Clerus Sæcularis, ac Regularis ejuſdem Civitatis, & Diœceſis Sacræ Rituum Congregationi humillime ſupplicavit, quatenus in caſu talis occurrentiæ in poſterum dictum feſtum S. Zenonis ad feriam 2. poſt Dominicam in Albis cum officio & octava transferre, necnon officium diei feſti Sancti Petri Martyris totius illius Diœceſis Protectoris minus principalis ad ritum duplicem ſecundæ Claſſis elevare dignaretur; Et Sacra eadem Congregatio audita prius informatione Epiſcopi, hujuſmodi inſtantiis juxta petita benigne annuit Die 15. Septembris 1742. *in Veronen.* Habetur apud nos in autentica forma. 14

116. Feſtum Sancti Benedicti, quod habet adnexum forum, incidens in aliquam diem majoris hebdomadæ, tranſfertur ad feriam 3. poſt Dominicam in Albis tamquam diem propriam, translato quocumque officio, etiam æqualis ritus, in ea occurrente. S. R. C. 6. Septembris 1727. *in Fulden.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 270. *ibid.*

117. Si Feſtum Sancti Joannis Baptiſtæ, ſive aliud ex ſolemnioribus venerit in die Corporis, Chriſti officium Sancti Joannis ſingulari privilegio transfertur in ſequentem diem a quocumque officio duodecim lectionum (nempe juxta ritum Monaſticum, & juxta Ritum Romanum novem lectionum) etiam impeditam cum commemoratione octavæ, ſed in ſecundis veſperis fit commemoratio tan-

tantum Sancti Joannis. Cætera vero Feſta ſolemniora occurrentia in dicta die Corporis Chriſti transferantur infra octavam in primam diem non impeditam. S. R. C. 23. Junii 1736. *in Einſidlen.* Ex Merato in Indice Decretor. Breviarii num. 327. 15

118. Translato Feſto, in cujus die conceditur indulgentia, non transfertur etiam indulgentia. S. R. C., 30. Decemb. 1639. *in una Capuccin.* Ex Merato in Indice Decretor. Breviar. num. 106. 16

119. Sub nomine Feſti novem lectionum venit etiam Dominica. S. R. C. 12. Martii 1618. *in Canthen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 41. 19

120. Cum ſupereſt una Dominica poſt Epiphaniam, nec poni poteſt poſt Pentecoſten, quæſitum fuit, utrum ſi tota hebdomada ante ſeptuageſimam præter feriam ſecundam, quæ ſimplex habet officium, impediatur officio novem lectionum, poni poſſit, & debeat in dicta feria ſecunda, vel legi debeat homilia in Sabbato ante ſeptuageſimam? Et reſponſum fuit: ſatis eſſe proviſum per Rubricam Breviarii Romani de Dominicis num. 6., & per aliam Rubricam poſitam ante Dominicam primam poſt octavam Epiphaniæ, nempe in caſu propoſito, officium de Dominica faciendum eſſe in primo Sabbato poſt Epiphaniam feſto duplici, vel ſemiduplici non impedito; alioqum ſcilicet ſi prædictum Sabbatum eſſet impeditum, faciendum in prima die poſt dictam octavam, quæ non reperitur impedita feſto duplici; feſtum vero ſemiduplex in ea occurrens transferendum in primam diem ſimiliter non impeditam. Sacr. Rit. Congr. 10. Januarii 1693. *in una Galliar.* ex Merato in Indice Decret. Breviar. num. 184. *ibid.*

121. Officia Sanctorum ad libitum ſive duplicia, ſive ſemiduplicia, occurrentia in die, quo fieri debet officium de Dominica anticipanda ante Septuageſimam, vel ante Dominicam 24. poſt Pentecoſten, non ſunt recitanda cum commemoratione dictæ Dominicæ, neque transferenda, ſed potius omittenda. S. R. C. 4. Aprilis 1705. *in Lycien.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 234. 26

122. Ubi Feſtum Sancti Thomæ Epiſcopi Cantuarienſis, & Martyris celebratur ſub ritu duplici, ſi occurrerit in Dominica, recitandum erit officium de ſancto cum commemoratione Dominicæ, & die 30. Decembris agendum de die infra octavam Nativitatis. Sacr. Rit. Congr. 1. Martii 1681. *in una Canon. Regul.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 120. *ibid.*

123. Si Vigilia Sancti Joannis Baptiſtæ incidat in ſolemnitate Corporis Chriſti, non eſt eo die jejunandum, nec abſtinendum a carnibus in feſto hujuſmodi, ſed anticipandum jejunium die antecedenti, nempe feria quarta. S. R. C. 24. Sept. 1630. *in Decreto Urbis, & Orbis.* Hoc Decretum Urbanus VIII. approbavit in ſua Conſtit., quæ incipit *Cum evenire* 13. Octobris 1638. ex Merato in Indice Decr. Miſſalis num. 281. 30

124. Occurrente Vigilia Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ in die feſto SS. Corporis Chriſti, anticipato jejunio vigiliæ prædictæ in diem 22. Junii ad formam Conſtitutionis Urbani VIII. emanatæ 27. Septemb. 1638. nihil fit in officio, & Miſſa de eadem vigilia. S. R. C. 18. Septemb. *approbante Clemente XI.* 2. Octob. 1706. ex Merato in Indice Decr. Breviar. num. 241. 31

125. In diebus infra octavam occurrentibus in Quadrageſima, debent Privilegiati dicere Miſſam Conventualem de feria currente cum commemoratione octavæ, quamvis recitaverint officium de die infra octavam. S. R. C. 24. Januarii 1682. *in Marſicana*, ex Merato in Indice Decr. Miſſalis numer. 460. 33

126. Quando occurrit vigilia, aut feria quatuor Temporum infra octavam Conceptionis B. M. V., debet recitari officium de die infra octavam, Miſſæ autem, ſive una cantetur, ſive legantur, ſint de feria quatuor Temporum cum ſecunda oratione de octava, & tertia de Spiritu Sancto, quæ ſemper dicitur infra octavas B. M. V. juxta Tit. 9. de orationibus num. 7. & 9., nam oratio, quæ ibi præſcribitur dicenda ſecundo loco, ponitur tertio loco.

At ſi feria quatuor Temporum occurrat in die octava Conceptionis, omnes Miſſæ privatæ dicentur de octava, cum commemoratione feriæ. Miſſa autem ſolemnis, quæ dicitur poſt Tertiam, erit de ipſa octava ſine commemoratione feriæ, cum de ea cantari debeat alia Miſſa poſt nonam ſine commemoratione Conceptionis. Dicendæ autem ſunt orationes aſſignatæ in ipſa feria, nempe *Deus, qui de Beatæ Mariæ Virginis utero*, & tertia *Eccleſiæ*, vel *pro Papa*, cum Præfatione communi.

Idem ſervandum eſt in miſſa, & officio alicujus Sancti, ex ſpeciali privilegio aliquibus in locis in Quadrageſima octavam habente, in qua miſſæ omnes dici debent de feria cum commemoratione octavæ, & tertia oratione *Concede*, non vero *A cunctis*.

Tempore autem Paſſionis, quando contingat fieri officium de infra octavam, unica pariter cantari debet miſſa de feria cum commemoratione diei infra octavam, & Præfatione de octava, ſi habeatur propria, ut dictum eſt de octava Conceptionis. Sacr. Rituum Congregat. 23. Junii 1736. *in Einſidlen.* Ex Merato in Indice Decretorum Miſſalis numer. 687. 34

127. Occurrente vigilia Sanctæ Matthiæ Apoſtoli in feria 2. poſt Dominicam Quinquageſimæ, obſervandum eſt jejunium, quod non poteſt anticipari ratione carniſprivii. S. R. C. 23. Jan. 1694. *in Ariminen.*, *& habetur in particulari Bullario Innocentii XI.* ex Merato in Indice Decretor. Breviar. num. 185. 36

128. In officio de die infra octavam Corporis Chriſti non legitur nona Lectio de Feſto ſimplici. S. R. C. 8. Junii 1669. *in una dubia Rubricar.* ex Merato in Indice Decret. Brev. num. 95. 38

129. Si Feſtum ſimplex occurrerit eo die, quo fit de Feſto duplici infra eamdem octavam Corporis Chriſti, tunc legitur nona Lectio de eodem Feſto ſimplici. S. R. C. 12. Septemb. 1671. *in Nuſcana*, ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 95. 39

130. Quæſitum fuit: Dum occurrit Feſtum duplex infra octavam Corporis Chriſti, utrum nona lectio de ſimplici ſit legenda? & reſponſum fuit, legendam eſſe nonam Lectionem de ſimplici in officio de Sancto duplici infra octavam Corporis Chriſti, ut *in Nuſcana* 12. *Septemb.* 1671. S. R. C. 10. Jan. 1693. *in una Galliar.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 182. *ibid.*

131. Infra octavam Corporis Chriſti occurrente feſto novem lectionum non debet omitti nona lectio feſti ſimplicis. In officio enim tantum de octava omitti debet dicta lectio. S. R. C. 2. Aprilis 1705. *in Lycien.* Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 235. 40

132. Occurrentibus eadem die duobus feſtis duplicibus infra octavam SS. Corporis Chriſti, non eſt de translato agendum die immediate ſequenti non impedita, ſed poſt prædictam octavam. Sacr. Rituum Congreg. 7. Decemb. 1680. *in una Canon. Regul. Lateran.* ex Merato in Indice Decret. Brev. num. 110. *ibid.*

133. Infra octavam SS. Corporis Chriſti poteſt recitari officium de duplici primæ, & ſecundæ claſſis, etiam translato, non autem in die octava, in qua nec etiam poteſt recitari de duplici ſecundæ claſſis occurrente. S. R. C. 30. Maji 1699. *in Ulyſſipon.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 198. *ibid.*

134. Diebus ſexta, & ſeptima infra octavam Feſti SS. Trinitatis, ubi eſt Titularis, faciendum eſt officium de die ſecunda, & tertia infra octavam Corporis Chriſti cum commemoratione SS. Trinitatis. Sacr. Rit. Congr. 8. Junii 1709. *in Bracharen.* ex Merato in Indice Decretor. Brev. numer. 248. 42

135. Diebus infra octavam SS. Trinitatis, ubi eſt Titulus Eccleſiæ, & in feſtis infra dictam octavam occurrentibus, non debet ad Primam dici Symbolum Sancti Athanaſii. Sacr. R. C. 8. Junii 1709. *in Bracharen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 247. 43

136. Ubi Feſtum SS. Trinitatis eſt Titulus Eccleſiæ, non eſt dicendum per totam octavam, ſive officium fiat de octava, ſive de alio Feſto occurrente, ſymbolum Sancti Athanaſii, ſed ſolum in ſolemni feſto Sanctiſſimæ Trinitatis, & in die octava ejuſdem. Sacr. Rituum Congreg. 5. Maji 1736. *in Einſidlen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 313. *ibid.*

137. In primis Veſperis communibus diei Octavæ, & Dominicæ privilegiatæ, Veſperæ debent recitari cum Pſalmis Sabbati, & a Capitulo de Dominica privilegiata, addendo in fine commemorationem diei octavæ. Sacr. Rit. Congreg. 9. Novembris 1622. ex Merato in Indice Decr. Brev. numer. 48. 45

138. Quando dies octava Dedicationis impeditur per feſtum majoris ritus, & in ea occurrat Dominica, vel concurrat in primis, aut ſecundis Veſperis ſemiduplex, commemoratio diei octavæ facienda eſt ante commemorationem Dominicæ, & ſemiduplicis cujuſcumque occurrentis. S. R. C. 5. Maji 1736. *in Einſidlen.* ex Merato in Indice Decretor. Breviarii num. 310. 47

139. Quæſitum fuit; Dies octava Sancti proprii cadit in Feſtum Conceptionis Beatiſſimæ Virginis Mariæ, & Dominica ſecunda Adventus die 7. Decembris, utrum in primis Veſperis B. Mariæ primo loco fieri debeat commemoratio de Dominica Adventus, & poſtea de die octava Sancti proprii? & reſponſum fuit, concurrente Dominica ſecunda Adventus die 7. Decembris cum Feſto Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis, & die octava Sancti proprii, debet fieri prius commemoratio de octava Sancti proprii, deinde de Dominica juxta diſpoſitionem Tabellæ ſecundæ de concurrentia Dominicæ majoris, ſive primæ, ſive ſecundæ claſſis cum die octava, ut ibi regula tertia, quemadmodum præciſe docet Rubrica Breviarii Romani *de commemorat. numer.* 11. Sacr. Rituum Congregat. 10. Januarii 1693. *in una Galliar.* Ex Merato in Indice Decretorum Breviarii numer. 180. 48

140. Dies octava cujuslibet feſti quia non transfertur, excludit, & transferri facit quodlibet feſtum duplex ſive majus, ſive minus, ſoliſque cedit feſtis ſolemnibus primæ, vel ſecundæ claſſis, niſi ſit octava privilegiata, qualis eſt octava Epiphaniæ, de qua in Rubricis generalibus; hinc apud Franciſcanos, ubi feſtum S. Eliſabeth Reginæ Hungariæ celebratur cum octava, feſtum B. Delphinæ occurrens in die octava, licet ſit duplex minus, transferri debet in primam diem non impeditam. S. R. C. 1. Martii 1681. ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 181. *ibid.*

141. Quæ-

Digitized by Google

141. Quæſitum fuit, quando dies octava Sancti proprii cadit in Feſtum Præſentationis B. Mariæ, utrum transferendum ſit officium B. Mariæ, vel ſolum fieri debeat commemoratio diei octavæ Sancti proprii, ut in ſimili caſu refert Gavantus fieri Regii de Sancto Proſpero, cujus dies octava eſt Feſtum Viſitationis B. Mariæ? Et reſponſum fuit, transferendum eſſe Feſtum Præſentationis juxta Rubricam X. *de Translat. feſt. num.* 2., & in Tabella de occurreutia, prout monet Gavantus *ſect.* 3. *cap.* 12. *numer.* 20., ibi enim aliter decrevit, & ſpecialiter indulſit Sacra Congregatio in gratiam feſti Viſitationis B. M. V., quod ibidem colitur de præcepto; unde cum privilegium ſit locale non poteſt extendi de loco ad locum, ex Decreto Sacræ Congregationis in principio Miſſalis Romani impreſſo. S. R. C. 10. Januarii 1693. *in una Galliar.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 181. 49

242. Occurrente die octava Dedicationis cum feſto Viſitationis B. M. V., faciendum eſt officium de octava, translato Officio Viſitationis. S. R. C. 21. Auguſti 1688. *in Aquilej.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 244. *ibid.*

143. Si in Dominica infra octavam B. M. V., in qua celebratur feſtum SS. Nominis ejuſdem B. M. V. ſub ritu duplici majori, occurrat alicubi dies octava, translato feſto SS. Nominis, agendum eſt de die octava in ipſa Dominica. S. R. C. 59. Junii 1700. *in Curien.* ex Merato in Indice Decretorum Brev. n. 216. 50

244. Si feſtum SS. Nominis B. M. V., quod ſub ritu duplici majori celebrari debet Dominica infra octavam Nativitatis ejuſdem, occurrerit in die octava dictæ Nativitatis, officium erit de dicto SS. Nomine, omiſſa in utriſque Veſperis, & Laudibus commemoratione de prædicta octava Nativitatis. S. R. C. 15. Novembris 1685. annuente Innoc. XI. 24. ejuſdem, *in una officii Nominis B. M. V.* ex Merato in Indice Decr. Brev. nu. 155. *ibid.*

145. Quando duæ octavæ ſimul occurrunt, quarum una ſit Patroni principalis ſub ritu duplici primæ claſſis, altera B. Mariæ Virginis ſub ritu duplici 2. claſſis, recitandum eſt officium de Patrono principali cum commemoratione Beatæ Mariæ Virginis. S. R. C. 19. Junii 1700. *in Curien.* ex Merato in Indice Decret. Brev. n. 215. *ibid.*

146. Secundæ Veſperæ de die octava non privilegiata concurrentes cum primis Veſperis feſti duplicis, debent dimidiari, & fieri a Capitulo de feſto ſequenti. S. R. C. 12. Julii 1664. *in una Ord. Minor. Obſerv.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 88. 51

147. Dies octavarum Aſſumptionis, Nativitatis, aliarumque Feſtivitatum B. M. V. octavam habentium, concurrentes cum officio duplici minori, habere debent integras Veſperas, ut diſponit Rubrica ultimo poſita in officio octavæ Conceptionis, ſi concurrat cum Sancta Lucia. S. R. C. 1. Martii 5681. *in una Canonic. Regul. ad* 3. *dubium*, ex Merato in Indice Decret. Brev. n. 117. 52

148. Quæcumque dies octava B. Mariæ Virginis debet habere integras utraſque Veſperas in concurrentia cum officio duplici minori. S. R. C. 11. Auguſti 1691. *in Romana dubior.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 167. 53

149. Ex parte Cleri Eccleſiæ Toletanæ quæſitum fuit, an occurrente feſto duplici ſecundæ claſſis octavam habente cum Dominica Septuageſimæ, ſi (ſequentibus feriis occupatis) transfertur ad ſequens Sabbatum, ſecundæ Veſperæ erunt ut in primis, aut ſecundis Veſperis feſti cum commemoratione Dominicæ in Sexageſima, vel erunt de Pſalterio a Capitulo Dominicæ cum commemoſatione diei octavæ? Et quid ſi dies octavus habeat orationem propriam? & S. R. C. Ponente Eminentiſs. Zondodari reſpondit, ſecundas Veſperas feſti fieri debere cum commemoratione Dominicæ in Sexageſima, & in die octavæ eſſe recitandam orationem propriam. Ita die 15. Sept. 1736. *in Toletana*, ex Merato in Indice Decret. Brev. n. 336. 54

250. Sanctæ Eulaliæ officium cum octava, etiamſi veniat in Quadrageſima, juxta antiquam, & immemorabilem conſuetudinem concedit S. R. C. 6. Decemb. 1608. *in Barchinonen.* ex Merato in Indice Decretorum Breviar. n. 35. 55

151. Qui habent privilegium celebrandi octavas in Quadrageſima, occurrente die infra octavam in Feria IV. Cinerum, nullam debent facere commemorationem de octava, neque in Laudibus, neque in Miſſa. Sacr. Rit. Congr. 24. Jan. 1682. *in Marſicanai*; ex Merato in Indice Decret. Brev. n. 123. 56

152. In officio Feriæ IV. Cinerum relinquendo commemorationem octavæ, debent Privilegiati dicere Preces, Pſalmos Graduales &c., & ſervare omnino Rubricas Feriæ 4. Cinerum. Sacr. R. C. 24. Jan. 1682. *in eadem Marſicana ad* 2. *dubium*; ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 124. *ibid.*

153. Octava Sanctæ Scolaſticæ (apud Benedictinos) quando de illa fiat officium, impedit Preces &c. Quod ſi occurrat in Feria quarta Cinerum, dicuntur Preces &c., ſed nihil fit de octava, quæ terminatur ad primas Veſperas feriæ 4. Cinerum excluſive. S. R. C. 23. Junii 1736. *in Einſidlen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 324. *ibid.*

154. Quæſitum fuit, an conformiter ad Decretum S. R. C. de commemoratione octavæ Sanctæ Scolaſticæ in die Cinerum omittenda, etiam in Dominica Paſſionis infra octavam Sancti Benedicti cadente, & ejuſdem Dominicæ in primis Veſperis ſit omittenda commemoratio octavæ? & reſponſum fuit, in primis Veſperis facienda eſt commemoratio de die infra octavam, quando octava celebratur poſt Dominicam Paſſionis, ſecus autem ſi dies octava incidat in eamdem Dominicam, quia propter Dominicam privilegiatam ceſſat octava. S. R. C. 23. Junii 1736. *in Einſidlen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 325. 57

255. Feſtum ſemiduplex incidens in Dominica infra octavam non privilegiatam, debet transferri immediate in Feriam ſecundam non impeditam, licet ſit reponendum quodcumque officium, etiam ex ſolemnioribus. S. R. C. 19. Junii 1700. *in Valentina*; ex Merato in Indice Decretor. Brev. numer. 226. 58

156. Si Dominica infra octavam Aſcenſionis occurrat in die 4. Maji, tunc in feria 2. ſequenti recitandum eſt officium de Sancta Monica, quod in dicta Dominica occurrebat ſub ritu ſemiduplici, non vero reponendum eſt feſtum SS. Apoſtolorum Philippi, & Jacobi, quod ſub ritu duplici 2. claſſis occurrebat die prima Maji. Sac. Rit. Cong. 16. Septembris 1702. *in una Ord. Cæleſtin.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 226. *ibid.*

157. Semiduplex occurrens in Dominica infra octavam, juxta Decretum 22. Decembris 1696. debet in ſequentem diem immediate transferri, non obſtante duplici prius translato. S. R. C. 1. Septembris 1703. *in Camarien.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 226. *ibid.*

158. Ex parte Reverendiſs. Archiepiſcopi, & Capituli Metropolitanæ Hiſpalenſis ſupplicatum fuit pro declaratione, utrum officia ſemiduplicia, quæ occurrunt in Dominica infra octavam non privilegiatam, die Lunæ ſequentis non impedito officio novem lectionum fieri debeant, in excluſionem alicujus duplicis præcedentis transferendi? Et S. R. C. reſpondit juxta votum Eminentiſs. Ponentis, nempe quod in excluſione duplicis præcedentis transferendi, in diem Lunæ immediate ſequentem non impeditam debeat fieri officium de ſemiduplici, quod aliquando occurrit in Dominica infra octavam non privilegiatam, quia in eo caſu talis dies eſt aſſignata pro dicto ſemiduplici. S. R. C. 21. Aprilis 1736. *in Hiſpalen.* ex Merato in Indice Decretor. Brev. n. 284. *ibid.*

259. Dum ſemiduplex incidit in feſtum habens octavam, vel in Dominicam infra octavam (non privilegiatam) & dies immediate ſequens non eſt impedita, ſed reſtat celebrandum duplex, v. gr. hoc anno 1736. feſtum Aſcenſionis Domini incidit in die 10. Maii, ſeu in feſto S. Antonini, & remanet celebrandum feſtum S. Petri Martyris, quod eſt duplex: Quæritur, an die 11. Maii, nempe immediate ſequenti, celebrari debeat feſtum ſemiduplex S. Antonini juxta Rubricam *de Transl. feſt. n.* 5., transferendo ulterius feſtum Sancti Petri Martyris? Et reſponſum fuit affirmative, & juſſum fuit dari Decreta emanata ſub diebus 30. Septembris 1679., & 16. Septembris 1702. S. R. C. 23. Junii 1736. *in Brugen.* ex Merato in Indice Decret. Breviar. num. 316. & idem confirmatum fuit die 16. Feb. 1737. *in Mechlinen.* ad 2. dub. 59

260. Feſtum ſemiduplex incidens in feſto duplici infra octavam non privilegiatam, transferendum eſt in diem immediate ſequentem feſto novem Lectionum non impeditam, ut fit de ſemiduplici occurrente in Dominica infra octavam non privilegiatam. S. R. C. 30. Septembris 1697. *in una Ord. Cappuccin.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 104. *ibid.*

161. In Eccleſiis, in quibus celebratur feſtum S. Bartholomæi Apoſtoli die 25. Auguſti cum octava, vel quia eſt Titulare earumdem Eccleſiarum, vel ex alia ratione, & ſic per neceſſe feſtum S. Ludovici ſub ritu ſemiduplici venit celebrandum die 26. dicti menſis Auguſti, ſecunda die infra octavam S. Bartholomæi, quæſitum fuit quando dies 26. ſit dies Dominica, quæ non admittit ſemiduplicia, an in tali caſu officium S. Ludovici ſit transferendum ad diem Lunæ immediate ſequentem, licet ſit impedita alio officio ſemiduplici, nempe die 3. infra octavam Santi Bartholomæi, vel potius veniat transferendum poſt octavam ejuſdem S. Bartholomæi: & reſponſum fuit: *Servetur Rubrica* 10. *n.* 5. *de Translat. Feſtorum*. S. R. C. 23. Martii 1709. *in Peruſina*. ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 246. *ibid.*

262. In feria VI. poſt octavam Aſcenſionis poteſt fieri de officio ſemiduplici translato. S. R. C. 11. Auguſti 1691. *in Romana dubior.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 169. 60

263. Feſtum duplex occurrens ante octavam non privilegiatam, ſi eſt tranſferendum, transferri debet in diem infra octavam. S. R. C. 30. Sept. 1679. *in una Capuccin.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 101. 62

164. Feſtus dies S. Caroli transferendus eſt juxta Rubricam de Transl. feſt. ob occurentiam cum octava Dedicationis Eccleſiæ ad diem ſequentem. S. R. C. 5. Martii 1695. *in Sabinen.* ex Merato in Indice Decr Brev. num. 188. *ibid.*

165. Feſtum duplex ante octavam non privilegiatam, vel infra eam occurrens, alio majori feſto duplici impeditum, eſt transferendum ad diem infra octavam proxime feſto duplici, vel ſemiduplici non impeditam. S. R. C. 22. Sept. 1703. *in Viennen. in Auſtria* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 225. *ibid.*

166. Quamvis S. R. C. die 18. Julii 1671. annuente Clemente X. die 16. Septembris ejuſdem anni, ad dubium, an de Sanctis ad libitum fieri poſſit translatio, ſicut fit de aliis Sanctis, qui non ſunt ad libitum, ſimiliter translatis, reſponderit affirmative; nihilominus eadem Sacra Congregatio habita 2. Decemb. currentis cenſuit, prædicto Decreto non obſtante, in futurum officia Sanctorum ad libitum non eſſe transferenda, quando dies eorum feſtivitatem ſunt impediti Dominico, aut alio die Feſtorum mobilium. S. R. C. 20. Decemb. 1673. *in una urbis, & Orbis*. ex Merato in Indice Decretorum Breviarii numer. 98. 63.

167. Cum alias S. R. C. decreverit, officia Sanctorum ad libitum non eſſe transferenda, quando dies eorum feſtivitatum ſunt impediti die Dominico, aut aliquo alio Feſtorum mobilium; quæſitum fuit declarari, quæ regula ſervanda ſit, quando occurrunt eadem die cum officiis Sanctorum Kalendarii proprii, vel translatis, vel demum ſemel per hebdomadam, vel per menſem recitari conceſſis? Et Sacra eadem Congregatio reſpondit, prædicta officia Sanctorum ad libitum, etiam duplicia, occurrentia in diebus Dominicis, Octavis, & Natalitiis Sanctorum alicujus Religionis, vel Diœceſis ex vi Kalendarii proprii a Sede Apoſtolica approbatis, quantumvis ſub ritu ſemiduplici celebrandis, non eſſe transferenda, ſed omitti debere. Si autem occurrant eodem die, in quo alias aliquod feſtum translatum poni deberet, tunc liberum fore declaravit, eadem officia ad libitum recitare, & officium translatum ulterius ad aliam diem non impeditam transferre prout etiam omiſſo officio, quod ſemel per hebdomadam, aut per menſem ex Apoſtolico indulto recitari conceſſum eſt, officium ad libitum eodem die occurrens recitari poſſe decrevit. Et ita ab omnibus, qui ad horas canonicas tenentur, ſervari mandavit. S. R. C. 24. Januarii 2682. *in Decreto generali*. ex Merato in Indice Decretorum Breviarii num. 122. *ibid.*

168. Circa dubium Decreti ſub die 24. Januarii anno 1628. emanati, in quo habetur, ut officia Sanctorum ad litum etiam ſub ritu duplici in diebus Dominicis, & octavis occurentia, non poſſint transferri, ſed omitti debeant, quæſitum fuit; An illa verba *in octavis* intelligi debeant de die proprio octavæ, vel de tota octava, & an de qualibet octava, vel ſaltem de octavis privilegiatis? S. R. C. reſpondit verba illa intelligenda eſſe de tota octava, & de quacumque octava. Ita 28. Novembris 1682. *in Faventina*, & idem confirmatum fuit die 30. Maii 1699. *in Uliſſipponen.* ex Merato in Indice Decretor. Brev. num. 132. 64.

169 In die infra octavam non poteſt fieri officium, licet occurrens, de Sancto ad libitum, S. R. C. 2. Dec. 168. *in una Canon. Regul. Lateran.* ex Merato in Indice Decret. Brev. n. 154. *ibid.*

170. Officia ad libitum occurrentia infra octavas non privilegiatas, etiam particulares, & propriæ Religionis omittenda ſunt. S. R. C. 11. Auguſti 1691. *in Romana dubior.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 168. *ibid.*

171. Feſta ad libitum, quæ ſemper cadunt infra octavas Sanctorum, celebrari non poſſunt, attento Decreto ſan. me. Innocentii XI. 24. Januarii 1681. emanato, prohibente talia feſta ad libitum celebrari infra octavas. S.R. C. 15. Martii 1698. *in Herbipolen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 196. 65

172. Ex prædictis Decretis non intelligitur, neque eſt revocata conceſſio, ut aſſeritur, Civitati Neapolitanæ particulariter facta, recitandi ſcilicet ad libitum officium S. Mariæ Ægyptiacæ die 1. Aprilis, quamvis occurrat in feſto natalitio S. Franciſci de Paula, quod ob hanc cauſam in aliam diem in proprio Kalendario translatum fuerat. Verum ſi præfatum Officium S. Mariæ Ægyptiacæ eo die aliquando juxta Rubricas recitari nequeat, tunc ex ea cauſa non eſſet transferendum, ſed omitti deberet. Sac. Rit. Cong. 28. Novembris 1682. *in Neapolitana*; ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 131. *ibid.*

173. Quæſitum fuit declarari, an per Decreta de non transferendis, ſed omittendis officiis Sanctorum ad libitum, quando dies eorum feſtivitatum ſunt impediti alio officio novem lectionum de præcepto, nempe diebus Dominicis, octavis, & natalitiis Sanctorum &c., comprehendantur, & revocentur conceſſiones officiorum ad libitum ab Apoſtolica Sede particulariter factæ, & fixæ diebus, qui ab eadem jam alteri feſto, & officio novem lectionum Kalendario Romano erant aſſignati, recitandi ſcilicet ad libitum officium S. Eliſabeth Reginæ Portugalliæ die 4. Julii officio octavæ SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli in Kalendario Romano jam impedito? Sac. Rit. Congreg. reſpondit, prout alias in Neapolitana die 28. Novembris 1682., non comprehendi. Verum ſi præditum officium eo die juxta Rubricas recitari nequeat, tunc eo caſu non eſſe transferendum, ſed omitti debere. Ita Sac. Rit. Cong. 20. Octobris 1683. *in dubior.* ex Merato in Indice Decr. Brev. nu. 143. *ibid.*

174. Conuevit Cœtus Sacri Ordinis Hieroſolymitani transferre in ſolam ſequentem diem, dummodo non impeditam, feſtum S. Laurentii Juſtiniani, aſſignatum pro Eccleſia univerſali die 5. Septembris ſub ritu ſemiduplici ad libitum, eo quia eadem die celebratur officium de die octava Decollationis S. Joannis Baptiſtæ, unde petit, ut poſſit ſolitum ſervare, quibuſcumque non obſtantibus. Ex reſponſum fuit juxta mentem, quæ eſt, quod ſupplicent pro aſſignatione diei fixæ, Sacr. Rit. Cong. 11. Septembris 1730. *in una Ord. Hieroſol., ſeu Meliten.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 274. 66

175. Cum in univerſo Ordine S. Benedicti officium ſemiduplex ad libitum S. Canuti Martyris die 19. Januarii ob occurrentiam alterius officii S. Agathonis Papæ, & Confeſſoris recitari minime valeat, ut idem officium die fixa in Ordine prædicto recitari poſſit, nempe die 20. Februarii, concedit; Sacr. Rit. Cong. 15. Martii 1721. *in una Ordin. S. Benedicti*; ex Merato in Indice Decretor. Brev. n. 261. *ibid.*

176. De Officiis, quæ ab Apoſtolica Sede conceſſa ſunt, vel concedentur recitanda ad libutum a toto Clero tam Sæculari, quam Regulari utriuſque ſexus in aliquo Regno, Provincia, Diœceſi, vel loco, in quibus dicti Religioſi morantur, poſſunt quidem ad libitum de ipſis recitare, ſed ſi aliquod ipſorum occurrat in die in eorum Kalendario impedita feſto novem lectionum, debent illud ad libitum omittere, & recitare de Sancto in eorum Kaleodario occurrente ad formam Decreti declarativi alterius Decreti de Sanctis ad libitum non transferendis, emanati die 24. Januarii 1682. S. R. C. 13. Junii 1682. *in una Ord. Minor. de Obſerv.* ex Merato in Indice Decr. Breviar. num. 125. *ibid.*

177. In occurſu non licet transferre officium proprium Ordinis, vel Diœceſis cauſa faciendi ad libitum aliud. S. R. C. Dec. 1684. *in una Canon. Regul. Lateran.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 173. *ibid.*

178. Si officium ad libitum non potuerit celebrari, & habuerit etiam ritum ſimplicem de præcepto, eo anno non omittatur, ſed celebretur ritu ſimplici: S. R. C. 13. Junii 1682. *in una Ord. Minor. de Obſerv.* ex Merato in Indice Decr. Bre. n. 126. *ibid.*

179. Quando in Indultis, & Decretis ſuper conceſſione officiorum leguntur verba illa *Recitari poſſe*, *Fieri poſſe*, ita intelligenda ſunt, ut nihil ſignificent præter officia ad libitum, quibus omnino competit Decretum die 24. Januar. 1682. pro Sanctis ad libitum emanatum. S. R. C. 20. Novemb. 1682. ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 146. 67

180. Clerus Sacri Ordinis Hieroſolymitani ſupplicat declarari, an ſub nomine Sanctorum ad libitum comprehendantur officia duplicia, & ſemiduplicia Sanctorum recitari conceſſa aliquibus Regnis, Provinciis, Civitatibus, & alicui particulari Ordini abſque expreſſa notola *Ad libitum*, ſed tantum cum ſequenti clauſula, nimirum *Recitari poſſint*, vel *Recitari poſſe cenſuit*? Aſſeritur enim emanatam fuiſſe quandam declarationem ab hac Sacra Congregatione tenoris ſequentis, videlicet: Ex voto S. R. C., ut conſtat ex reſponſo Illuſtriſs. & Reverendiſs. Archiepiſcopi Appameni ejuſdem S. C. Secretarii: *Sub nomine Sanctorum ad libitum non comprehenduntur officia duplicia Sanctorum aliquibus Regnis, & Provinciis recitari conceſſa, ideoque occurrentia in Dominicis, non debent omitti, uti etiam ſi cadant in diebus impeditis, juxta Rubricas transferantur*. Et S. R. C. dubio propoſito reſpondit *negative* die 16. Septembris 1730. *in una Ord. Hieroſolym.* ex Merato in Indice Decret. Brev. num. 278. *ibid.*

181. Frater Michael Angelus a Gallipoli Procurator Generalis Ord. Minor. Obſerv. Reformator. ſuppliciter exponit, quatenus recenter a S. R. C. conceſſa ſunt quædam officia Sanctorum, alia Urbis, & Orbis, alia aliquibus Regnis, Ditionibus, Statibuſque peculiaribus recitanda, tum a Sæcularibus, tum a Regularibus, qui ad horas canonicas tenentur, quæ conceſſiones exprimuntur his verbis: *Recitari poſſe*, *Fieri poſſe*: & cum ex Rubricis noſtri Breviarii approbatis a ſan. men. Innocentio Pp. XII. per Bullam, quæ incipit *Exponi nobis &c.*, ſtatuatur, ut quotieſcumque ſit hæc expreſſio *Recitari poſſe*, *Fieri poſſe*, nihil aliud intelligatur, niſi officia ad libitum; hinc humiliter petit ab EE. VV., ut dignentur declarare, an prædicta officia cum tali expreſſione expreſſa, ſi incurrant in die impedita ab aliis officiis de præcepto Breviarii prædicti, non obſtantibus Decretis S. R. C. de non transferendis officiis Sanctorum ad libitum, a nobis poſſint transferri ad alium diem, vel debeant omitti? Sacra autem Congregatio, audito prius voto Apoſtolicarum Cœremoniarum Magiſtri, declaravit, prædicta officia acceptata, ſi occurrant diebus impeditis, non reputari debere, tamquam mera officia ad libitum, ſed de præcepto, adeoque omnino transferenda. Die 6. Septembris 1739. *in una Ord. Min. Obſerv. Reformat.* Habetur apud nos in authentica forma exaratum. *ibid.*

182. Ubi habetur, quod prætermiſſo officio ſemel in hebdomada, vel in menſe ex Indulto Apoſtolico recitando, recitari poſſit officium ad libitum eadem die occurrens; quæſitum fuit, an illud verbum *Prætermiſſo* intelligi debeat de intermiſſione illius diei, quo occurrit, vel prætermittendum ſit omnino infra totum illum menſem? Et reſponſum fuit, conſideranda eſſe verba Indulti Apoſto-

lici,

ſici, eaque ſervanda prout ſonant. S. R. C. 28. Novemb. 1682. *in Faventina*; ex Merato in Indice Decr. Brev. numer. 133. 69

183. Cum ex privilegio Apoſtolico Religio Servorum B. M. V. poſſit, & valeat recitare officium Ss. Sacramenti qualibet feria quinta, & illud B. Virginis qualibet die Sabbati ſub ritu ſemiduplici, dummodo dicti dies non ſint impediti officio novem lectionum, & exceptis Adventu, Quadrageſima, & Vigiliis: & cum multoties eveniat, quod ſit remittendum officium alterius Sancti, aliis de cauſis translatum, ideo Rector, & Patres Montis Senarii in Etruria ejuſdem Ordinis ad tollenda multorum dubia ſupplicarunt Sacram Rituum Congregationem pro declaratione: An dictis diebus dicendum ſit officium translatum, vel potius SS. Sacramenti, & B. Virginis ex dicto privilegio, prout hactenus conſueverunt? Ex eadem S. R. C. reſpondit: *Translatum ulterius protrahi, & officium fieri juxta privilegium, ſtante præſertim laudabili conſuetudine*. Ita S. R. C. 22. Novemb. 1664. *in una Etruriæ*; ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 342. *ibid.*

184. Officium Commemorationis S. Auguſtini, quod ex privilegio fit a Congregatione Canonicorum Regularium Lateranenſium ſemel ſub ritu duplici in prima die menſis, in qua feſtum alicujus Sancti non occurrit, fieri non poteſt infra octavas non privilegiatas, etiamſi aliter fieri nequeat. S. R. C. 7. Decemb. 1680. *in una Canon. Regul. Later.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 111. 70

185. Idem officium Commemorationis S. Auguſtini fieri poteſt, quando habentur ſemiduplicia translata. S. R. C. 7. Dec. 1680. *in eadem Canon. Regular. Lateran.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 111. *ibid.*

186. Feſta duplicia, & ſemiduplicia translata præferenda ſunt officio S. Benedicti ſemel in hebdomada conceſſo ſub ritu ſemiduplici omnibus Congregationibus S. Benedicti. S. R. C. 7. Febr. 1699. *in Tarviſina*; ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 211. 72

187. Dies impeditus feſto duplici, vel ſemiduplici pro officiis ſemel in hebdomada, vel in menſe recitandis, intelligitur etiam dies, in quo ponendum eſt officium de feſto duplici, vel ſemiduplici translatum, necnon dies octava eſt dies impeditus reſpectu talium officiorum. S. R. C. 20. Martii 1706. *in Decreto generali*; ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 237. *ibid.*

188. Cum Sacrorum Rituum Congregationi demiſſe ſupplicatum fuerit ſequentia dubia declarare. Primum. An, cum multis Congregationibus, Religionibus, ſive Eccleſiis, vel Nationibus conceſſum ſit a Sancta Sede Apoſtolica, ut ſemel, vel pluries in ſingulis hebdomadis, vel menſibus celebrentur varia officia per annum, verb. gr. de SS. Sacramento, vel de Sanctis in diebus non impeditis aliquo feſto duplici, vel ſemiduplici, liceat ejuſmodi officia facere etiam in diebus ſanctæ Quadrageſimæ, Adventus, Vigiliarum, & Quatuor Temporum, etiamſi de his diebus nulla ſit facta ſpecialis mentio in aliquibus officiorum conceſſionibus. Secundum. An dies impeditus feſto duplici, vel ſemiduplici pro dictis officiis recitandis, intelligatur etiam dies, in quibus ponendum eſt officium de feſto duplici, vel ſemiduplici translato, quemadmodum dicitur reſponſum fuiſſe olim a Sacra Congregatione; quod ſcilicet feſtum duplex, vel ſemiduplex etiam translatum, necnon dies octavæ ſit dies impeditus reſpectu talium officiorum? Et Sacra Rituum Congregatio reſpondit, ad primum *negative, & hujuſmodi Indulta non habere locum in feriis Adventus, Quadrageſimæ, Quatuor Temporum, Vigiliarum, ſive cum jejunio, ſive abſque jejunio, nec in feria ſecunda Rogationum, nec in illa feria, in qua ſecundum Rubricas ſit reponendum officium Dominicæ*. Ad ſecundum vero *affirmative*. Ita die 20. Martii 1706. *in Decreto generali*. *ibid.*

189. Officia conceſſa ſemel in hebdomada, ut de Conceptione B. Mariæ in Sabbato, vel SS. Sacramenti in feria v., non ſunt celebranda in Adventu, Quadrageſima, iv. Temporibus, nec in Vigiliis. Sacr. Rit. Congr. 1. Martii 1681. *in una Canon. Regul. Later.* ex Merato in Indice Decretor. Brev. num. 119. 74

190. Officium ſemel in hebdomada conceſſum, non poteſt recitari in vigiliis ordinariis, & quatuor Temporibus juxta alia Decreta jam emanata. Sacr. Rit. Congr. 7. Februar. 1699. *in Tarviſina*; ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 212. *ibid.*

191. Officium ſemel in hebdomada conceſſum, recitari poteſt die Sabbati, ſi tota hebdomada ſit impedita, & in tali caſu omittendum eſt officium Beatæ Mariæ in Sabbato. Prima autem die menſis non impedita feſto duplici, vel ſemeduplici, & in qua occurrit recitari officium Defunctorum, poteſt recitari ſupradictum officium ſemel in hebdomada conceſſum, transferendo, vel etiam aliquando omittendo officium Defunctorum. Sacr. Rit. Congr. 27. April. 1667. *in Panormitana*; ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 192. *ibid.*

192. In officiis per annum ſemel in menſe recitandis de SS. Bonaventura, Antonio Patavino, & Clara non eſt attendendus ordo dignitatis. S. R. C. 27. Septembris 1698. *in una Cappuccin.* ex Merato in Indice Decret. Brev. numer. 209. 75

193. In officio SS. Sacramenti, quod recitatur ſingulis quintis feriis in Germania, & in officio Immaculatæ Conceptionis, quod ex indulto S. R. C. recitatur in Germania ſub ritu duplici in Sabbato, quoad commemorationes in his faciendas, ſervetur Rubrica de commemorationibus, & commemoratio S. Benedicti (a PP. Benedictinis) fiat in ſemiduplici, ſimplici, & feriis. Et quoad officia S. Benedicti, S. Scholaſticæ, SS. Sacramenti, & Immaculatæ Conceptionis, ſervetur Decretum diei 20. Martii 1706., quo prohibentur hujuſmodi officia celebrari intra Quadrageſimam, Adventum, quatuor Tempora, ferias Rogationum, & Vigilias omnes ſive cum jejunio, ſive ſine jejunio. Ita S. R. C. 23. Junii 1736. *in Hiſpalen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 333. *ibid.*

194. In officio S. Mariæ in Sabbato a Patribus Benedictinis facienda eſt commemoratio S. Benedicti, non vero S. Scholaſticæ. Rurſus in officio de S. Benedicto, quod iidem Monachi celebrare ſolent infra ſingulas hebdomadas, non eſt facienda commemoratio S. Scholaſticæ. Ita S. R. C. 23. Junii 1736. *in Einſidlen.* ex Merato in Indice Decret. Brev. num. 332. 76

195. Recitantes ex legitima conceſſione officium SS. Corporis Chriſti in qualibet feria quinta per annum non impedita feſto novem lectionum, illud perſolvere debent ut in die ejuſdem ſolemnitatis; Miſſam vero debent celebrare, quæ eſt votiva de Ss. Sacramento. S. R. C. 12. Julii 1664. *in una Ord. Minor. de Obſerv.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 87. *ibid.*

196. In officio Ss. Sacramenti conceſſo ex indulto Apoſtolico, extra tempus Paſchale non poteſt dici *Alleluja* in Reſponſoriis Matutini, & Laudum, Reſponſoriis brevibus Horarum, & Verſiculis ad Magnificat, ut recitatur in Feſto Ss. Sacramenti. S. R. C. 10. Decembris 1740. *in Saliſburgen.* ex Regeſtis ejuſdem. S. R. C. 77

197. Officium proprium Ss. Nominis Jeſu ab omnibus Chriſtifidelibus, qui ad Horas canonicas tenentur, ſub ritu duplici ſecundæ claſſis Dominica ſecunda poſt Epiphaniam recitari, & miſſam reſpective celebrari debere indulſit. S. R. C. 29. Novembris 1721. *annuente Innocentio XIII. 20. Decembris ejuſdem anni*; ex Merato in Indice Decretor. Breviar. num. 263. 78

198. Quando ob Feſtum Ss. Nominis Jeſu contingat transferri aliud officium duplex ſecundæ claſſis inferioris dignitatis, de eo debet fieri prima die non impedita. S. R. C. 23. Junii 1736. *in Einſidlen.* ex Merato in Indice Decretor. Brev. num. 330. *ibid.*

199. Feſtum Nominis B. M. V. celebrari Dominica infra octavam Nativitatis ejuſdem B. M. V. ſub ritu duplici majori quotannis in Eccleſia univerſali ab omnibus utriuſque ſexus Chriſtifidelibus tam Sæcularibus, quam Regularibus, qui ad Horas Canonicas tenentur, demandavit. S. R. C. 20. Novembris 1683. *approbante Innocentio XI. die 25. ejuſdem menſis, eodemque anno*; ſub die 5. Febr. 1684. approbavit eadem S. R. C. Miſſam propriam, necnon officium; ex Merato in Indice Decretorum Breviarii numer. 148. *ibid.*

200. Si Feſtum Exaltationis Ss. Crucis occurrat in Dominica infra octavam Nativitatis B. M. V., in qua celebrandum eſt Feſtum Ss. Nominis B. M. V., tunc officium Nominis B. Mariæ Virginis transferendum eſt ad primam diem feſto novem lectionum non impeditam. S. R. C. 20. Julii 1686. *in una dubiorum*; ex Merato in Indice Decret. Brev. num. 153. *ibid.*

201. Quotieſcumque occurrerit apud Franciſcanos dies octava S. Roſæ Viterbienſis in Dominica infra octavam Nativitatis B. M. V., fiat officium de dicta die octava, protracto ulterius feſto Ss. Nominis ejuſdem B. M. V. S. R. C. 22. Januarii 1706. *in una Jan.* ex Merato in Indice Decret. Brev. num. 244. 79

202. Feſtum, & officium Ss. Roſarii B. M. V. Clemens XI. extendit ad Eccleſiam univerſalem ſub ritu duplici majori de præcepto, quolibet anno recitandum in prima Dominica Octobris, ut videre eſt ejuſdem Pontificis Bulla, quæ incipit *Cum alias &c.* & habetur ſub num. 25. in Bullario particulari dicti Pontificis. Ita die 3. Octobris 1716. ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 258. *ibid.*

203. Quando aliqua ex officiis conceſſa, ſunt recitanda in diebus Dominicis, v. g. de B. M. V., de Mercede, de Ss. Roſario, Patrocinio B. M. V., & ſi quæ alia ſunt ſimilia, ſi aliqua ex dictis Dominicis impediantur aliquando ab alio officio majoris ritus, vel dignitatis, in tali caſu dictum officium ex ſupra conceſſis, non poteſt transferri ad aliam Dominicam, vel ad primam diem non impeditam, ſed debet omitti. S. R. C. 20. Martii 1683. *in una Ordin. Min. Obſ.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 139. *ibid.*

204. D. Bartolommeo Calmani Piovano della Chieſa Parrochiale, Collegiata, e Matrice di S. Maria Zebbenigo di Venezia, umilmente rappreſenta all' Eminenze Voſtre, come è ſtato conceſſo dalla Santa Sede alla Sereniſſima Repubblica di Venezia l' induito di celebrare la Meſſa, e recitare l' Officio del SS. Redentore ogni anno nella terza Domenica di Luglio, e perchè in detta Domenica è ſempre aſſegnato il giorno della Dedicazione della ſua Chieſa, eſſendo doppio di prima claſſe, e l'offizio ſud-

ſuddetto doppio ordinario, ſupplica, e domanda all' Eminenze Voſtre, *ſe deve traſferire il ſuddetto Officio del Redentore in altro giorno non impedito*. Et S. R. C. reſcribendum, cenſuit, *transferendum eſſe officium SS. Redemptoris juxta Rubricas*. Die 27. Februarii 1723. Hoc Decretum indicatur a Merato in Indice Decretor. Brev. numer. 256., & apud nos habetur in authentica forma, *ibid.*

205. Cum in tota Hiſpania ſit conceſſum, ut tertia Dominica poſt Paſcha celebretur Feſtum Patrocinii S. Joſeph ſub ritu duplici, ex parte Reverendiſs. Archiepiſcopi, & Capituli Eccleſiæ Metropolitanæ Hiſpalenſis quæſitum fuit, ſi cadat illa die Feſtum majoris ritus, an Feſtum Patrocinii ſit transferendum ad aliam diem? Et reſponſum fuit, transferri poſſe; ita tamen, ut pro dicto feſto Archiepiſcopus aſſignet certam aliam diem, quæ non ſit Dominica fixa. S. R. C. 26. Novem. 1735. *in Hiſpalen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 279. 80

206 Non poſſunt transferri officia illa affixa certis diebus, quæ ſunt conceſſa pro locis, & Eccleſiis particularibus ad eorum inſtantiam; at quando officia prædicta ſint de præcepto pro aliquo ſtatu, ſicuti ſunt officia plura B. M. V. conceſſa a s. m. Benedicto XIII. pro ſtatu Eccleſiaſtico affixa certis diebus, transferantur. S. R. C. 5. Maii 1736. *in Einſidlen*, ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 311. *ibid.*

207 Feſtum Lanceæ, quod eſt approbatum ex Indulto in Germania, & celebratur feria VI. poſt Dominicam in Albis, ſi ob occurrentiam alicujus feſti novem lectionum impediatur, transferri debet ad aliam feriam VI. intra tempus paſchale tantum, S. R. C. 5. Maii 1726. *in Einſidlen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 289. 81

208. Si Feſtum Dolorum B. M. V. occurrat in aliud feſtum altioris ritus, transfertur in Sabbatum ſequens, ſi vero concurrat cum feſto Annunciationis ejuſdem B. M. V., Veſperæ dicuntur de Annunciatione ſine commemoratione de ſeptem Doloribus, S. R. C. 3. Septemb. 1672. ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 97. 82

209 Si Feſtum de ſeptem Doloribus B. M. V., quod multis in locis celebratur feria ſexta poſt Dominicam Paſſionis, impediatur ab officio altioris ritus, vel majoris dignitatis, transferatur in Sabbatum ſequens non impeditum, & non ulterius. Sacr. Rit. Congreg. 26. Feb. 1693. ex Merato ſect. 6. cap. 12. n. 4. 83

210. Quando officium de ſeptem Doloribus B. M. V. in feria VI. poſt Dominicam Paſſionis occurrit cum alio officio majoris ritus, tunc eo anno debet omitti, niſi tamen alibi Sacr. Rit. Cong. aliter in conceſſione indulſerit. Ita Sacr. Rit. Cong. 20. Martii 1683. *in una Ord. Minor. Obſer.* ex Merato in Indice Decret. Brev. n. 140. *ibid.*

211. Si in Feria VI. poſt Dominicam Paſſionis, in qua celebratur ſub ritu dublici majori officium ſeptem Dolorum B. M. V., occurrat feſtum primæ, vel ſecundæ claſſis, dictum officium non eſt transferendum, ſed omittendum. S. R. C. 19. Junii 1700. *in Curien.* ex Merato in Indice Decret. Brev. n. 219. *ibid.*

212. Benedictus Papa XIII. benigne indulſit, ut officium B. M. V. ſeptem Dolorum pluribus Regnis, Dominiis, Civitatibus, ac Diœceſibus jam conceſſum, in poſterum feria VI. poſt Dominicam Paſſionis ab omnibus Chriſtifidelibus Sæcularibus, & Regularibus utriuſque ſexus, qui ad horas canonicas tenentur, ſub ritu duplici majori recitari, & Miſſa reſpective celebrari poſſit, & debeat, ſervatis in reliquis Rubricis Miſſalis, & Breviarii Romani; ac ita in Breviario, & Miſſali Romano apponi mandavit præfatus Pontifex die 22. Auguſti 1727. *in Decreto urbis, & orbis*, ex Merato in Indice Decretor. Breviar. numer. 26. *ibid.*

213. Cum officium B. M. V. ſeptem Dolorum Eccleſiæ univerſali jam pro feria ſexta poſt Dominicam Paſſionis aſſignatum, multoties in dicta feria ſexta ob occurrentiam officii ſecundæ claſſis recitari minime valeat, propterea Ss. D. N. Benedictus Papa XIII. ob ſpecialem devotionem erga B. M. V. ſeptem Dolorum, idem officium die Sabbati immediate ſequenti, non obſtante quod dicta die occurrat aliud officium alterius Sancti, dummodo non ſit altioris ritus, ab Eccleſia univerſali in poſterum celebrari, & feſtum Sancti occurrentis juxta Rubricas generales transferri mandavit die 25. Janu. 1729. *in Decreto urbis, & orbis*, ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 272. *ibid.*

214. Occurrentibus eodem die tribus officiis ejuſdem ritus, quorum unum eſt de Ordine, aliud de Kalendario Eccleſiæ univerſalis, & aliud de aliquo Sancto, cujus habetur Reliquia inſignis in propria Eccleſia, faciendum eſt officium de digniori, ſeu ſolemniori, quæ vero ſunt minoris dignitatis, ſeu ſolemnitatis, transferenda ſunt. S. R. C. 7. Decem. 1680. *in una Canon. Regul. Lateranen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 109.

215. Si eadem die occurrant duo officia, quorum unum ſit particulare Ordinis, alterum vero ſit deſcriptum in Kalendario Eccleſiæ univerſalis, & utrumque ſine ſolemnitate cum eodem ritu, transferendum eſt officium de Kalendario Eccleſiæ univerſalis, & recitandum eſt officium Sancti Proprii, dummodo ſit antiquior ex conceſſione S. R. C. 2. Martii 1681. *in una Canon. Regul. Lateran.* ex Merato in Indice Decret. Brev. n. 115. *ibid.*

216. In occurrentia aliquotum officiorum, quæ recitari debent in aliquibus Regnis, cum propriis Kalendarii Ordinis Regularis, ſervanda eſt Rubrica de Transl. feſtorum in diſpari ritu, vel dignitate. S. R. C. 20. Martii 1683. *in una Ord. Minor. Obſerv. ad 3. dubium* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 137. 87

217. Si officia, quæ recitari debent in aliquibus Regnis, ſint ejuſdem ritus, & dignitatis, an ſit præferendum officium loci officio in proprio Religionis Kalendario deſcripto: Reſolutum fuit, præferendum eſſe officium, quod cum majori ſolemnitate, & Populi concurſu celebratur, ad formam Rubricæ *de Transl. feſt. n. 6.* S. R. C. 20. Martii 1683. *in una Ord. Minor. Obſerv. ad 4. dub.* ex Merato in Indice Dec. Brev. n. 138. *ibid.*

218. Occurrente eadem die feſto novem lectionum Kalendarii particularis cum altero feſto Kalendarii univerſalis, quæ tamen ſint ejuſdem ritus, prius recitari debet de feſto Kalendarii particularis, & poſtea univerſalis. S. R. C. 22. Janu. 1689. *in Senogallien.* ex Merato in Indice Decr. Breviar. num. 159. *ibid.*

219. Si aliquod feſtum, ſive duplex, ſive ſemiduplex pro univerſali Eccleſia noviter a S. Sede Apoſtolica inſtitutum, vel inſtituendum, occurrat ſingulis annis eadem die cum feſto Diœceſano ejuſdem ritus, debet fieri officium de feſto inſtituto pro Eccleſia univerſali. S. R. C. 15. Martii 1698. *i Herbipolen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. numer. 194. *ibid.*

220. Si incidat in eandem diem duplex officium novem lectionum ritus æqualis, quorum unum ſit Eccleſiæ univerſalis, aliud vero Ordinis Minorum, & ambo transferantur, quodnam ex duobus debeat transferri? Quid vero dicendum, ſi ſint ritus inæqualis, ut contingit die 12. Novembris, in qua occurrunt feſtum S. Martini Martyris, & Pontificis, quod eſt ſemiduplex, & feſtum S. Didaci, quod eſt duplex ſecundæ claſſis? S. R. C. ad primam partem hujus dubii reſpondit, *officium, quod ab Eccleſia univerſali celebratur, prius eſſe perſolvendum*; ad ſecundam, *feſta particularia majoris ritus feſtis minoris ritus præferenda eſſe, etiamſi in Kalendario pro univerſali Eccleſia ſint deſcripta*. S. R. C. 27. Septembr. 1698. *in una Ordin. Cappuccin.* ex Merato in Indice Decret. Brev. n. 209. 88

221 In occurrentia feſti Kalendarii particularis, & feſti Kalendarii univerſalis cum paritate ritus, & ſine excellentia majoris dignitatis, faciendum eſt de primo, translato ſecundo. S. R. C. 12. Julii 1704. *in una urbis, & orbis*; ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 227. *ibid.*

222 Quæſitum fuit, an feſta Diœceſana occurrentia eadem die cum feſtis Romanis, præponenda ſint feſtis Romanis ejuſdem ritus, & ſolemnitatis, ex. gr. die 4. Decembris feſtum Diœceſanum S. Barbaræ occurrit cum feſto duplici Romano S. Petri Chryſologi, dubitatur, & quæritur, quale feſtum ſit prius celebrandum? & reſponſum fuit: Detur Decretum ſub die 12. Julii 1704. Ita S. R. C. 25. Junii 1736. *in Brugen.*, & idem confirmatum fuit die 16. Februarii 1737. *in Mechlinen.* ex Merato in Indice Decret. Brev. n. 315. 89

223. In occurrentia feſtorum ejuſdem ritus, & alias quomodocumque parium, primum locum habebit officium Eccleſiæ particularis, ſecundum Ordinis, ſeu Religionis, tertium Diœceſis, quartum Nationis, quintum Eccleſiæ univerſalis. S. R. C. 23. Junii 1736. *in Einſidlen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 322. *ibid.*

224. Die 3. Martii, qua in Germania occurrunt S. Anſelmus Abbas, & S. Cunegundis Virgo Imperatrix, faciendum eſt officium de S. Cunegunde, & aſſignanda fixa, & propria dies pro S. Anſelmo. Sacr. Rit. Cong. 5. Maii 1736. *in Einſidel*, ex Merato in Indice Decret. Brev. n. 287. *ibid.*

225. In repoſitione duorum, vel plurium feſtorum eundem ritum habentium, & diverſa die occurrentium, attendatur prioritas translationis, niſi attendenda ſit major dignitas, quæ attendi debet in illis tantum feſtis, quæ exprimuntur in Rubricis generalibus de Translatione feſtorum n. 7., & de concurrentia officiorum ſub n. 2. illis verbis: *Inter feſta æqualis ritus &c.* Ita S. R. C. 13. Junii 1682. *in una Ord. Min. de Obſ.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 127. 90

226. Propoſitum dubium pro parte Cathedralis Hiſpalenſis, nempe de quo feſto prius agendum ſit, an de Patrono Civitatis, qui eſt S. Iſidorus, an vero de Titulari, qui eſt B. Virgo? Reſolutum fuit, de digniori, nempe de B. M. V. Ita S. R. C. 27. Aug. 1633. *in Hiſpalen.* ex Merato in Indice Dec. Brev. n. 76. 91

227. Nulla diſparitas adeſt inter translationem feſtorum Apoſtolorum, & illam Evangeliſtarum, ſed occaſione dictæ translationis faciendum eſt officium, quod prius in Kalendario reperitur. Sacr. Rit. Congreg. 18. Septemb. 1666. *in Romana*; ex Merato in Indice Decretorum Breviar. numer. 92. *ibid.*

228. Si feſtum S. Marci Evangeliſtæ occurrat in feria ſecunda

poſt

poſt Dominicam Reſurrectionis, & ſimiliter feſtum SS. Apoſtolorum Philippi, & Jacobi in Dominica in albis; ac propterea juxta Rubricas utrumque ſit transferendum, prius transferri, & reponi debet officium Sancti Marci. Sacr. Rit. Cong. 17. Julii 1605. *in una urbis, & orbis*; ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 239. 92

229 Pro translatione feſtorum talis ratio habeatur, ut prius fiat officium de prius deſcripto in Kalendario, nullo habito reſpectu, quod officium translatum ſit Eccleſiæ particularis, Ordinis, ſeu Religionis, Diœceſis, Nationis, & Eccleſiæ univerſalis. Sac. Rit. C. 5. Maii 1737. *in Einſidlen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 290. *ibid.*

230 De feſto translato faciendum eſt officium die immediate ſequenti, etiamſi adſit aliud ejuſdem dignitatis feſtum prius translatum. Sac. Rit. Cong. 30. Sept. 1679. *in una Cappuccin.* ex Merato in Indice Decretor. Brev. n. 105. *ibid.*

231. Deciſum jam fuit (nempe die 30. Sept. *1679.*) quod de feſto translato faciendum ſit officium die immediate ſequenti non impedita, etiamſi adſit aliud ejuſdem dignitatis feſtum prius translatum, non tamen idem intelligendum eſt, ſi adſit aliud feſtum ſeu officium majoris ritus prius translatum. Sacr. Rit. Cong. 1. Martii 1681. *in una Canon. Regul. Later.* ex Merato in Indice Decr. Brev. numer. 118. *ibid.*

232. Cum nonullorum non rite ſenſum generalis Rubricæ Breviarii Romani *tit. 10. num. 7. de Translat. feſtorum* percipientium obrepſerit opinio, quod de feſto transferendo, quod poteſt in ſequentem diem immediate transferri, ſit recitandum officium ante alia æqualis ritus prius translata. Sac. Rit. Cong. ad relationem Eminent., & Rev. D. Card. Petrucci ſupradictam generalem Rubricam omnino ſervandam, & quocumque alio Decreto in contrarium non obſtance in caſu propoſito (ſervato ſemper ordine Kalendarii) officium de primo translato prius recitandum eſſe declaravit. Ita tamen, ut per hanc declarationem nihil penitus circa ſemiduplicia in Dominicis infra octavas occurrentia veniat immutandum, pro quibus prædictam generalem Rubricam *tit. 10. num.* 5. pariter omnino ſervandam eſſe cenſuit, & ita ſervari mandavit. S. R. C. 22. Decemb. *1696. in Decreto generali*; ex Merato in Indice Decretor. Brev. num. 191. 93

233. Quæſitum fuit, an de feſto translato faciendum ſit officium die immediate ſequenti non impedita, etiamſi adſit aliud ejuſdem dignitatis feſtum prius translatum. Ad quod reſponſum fuit affirmative, & juſſum fuit dari Decretum 30. Septem. *1679.* Ita S. R. C. 23. Junii *1736. in Brugen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. nu. *316.*, ubi aſſerit idem omnino confirmatum fuiſſe per eamdem Sacram Congregationem die *16.* Februarii *1737. in Mechlinen. ibid.*

234. Officia translata, quæ tamen ſint ejuſdem ritus, & dignitatis, reponuntur juxta ordinem translationis, ut ſcilicet prius celebretur officium ab ante translatum, deinde fiat de alio ſecundo loco translato, & ſic ſucceſſive. Ab hac tamen regula excipitur ſemidulex occurrens in feſto habente octavam, vel in Dominica infra octavam, vel in feſto duplici infra octavam; quod ſemiduplex in præfatis tribus caſibus transfertur in diem immediate ſequentem (in qua alias agendum eſſet officium de die infra octavam) protrahendo ad aliam diem non impeditam aliud quodcumque duplex, etiam 1. claſſis, prius translatum. Sac. Rit. Cong. 2. Sept. 1741. ex Regeſtis ejuſdem Cong. *ibid.*

235. In concurrentia plurium officiorum æqualis ritus, ſive Martyrum, vel Confeſſorum, aut Virginum, vel Viduarum, minime attenditur dignitas eorum, ſed præferenda ſunt feſta poſteriorum, ſi celebrentur pompa ſolenniori, aut ſint ex illis feſtis, quæ celebrantur in propriis locis, & Eccleſiis, & hoc juxta verba Rubricæ de concurr. officii tit. *11.* n. 2. *Inter feſta æqualis ritus &c.* S. R. C. 20. Julii 1686. *in Tridentina* ex Merato in Indice Decretor. Brev. num. 157. 94

236. SS. Martyres in concurrentia officii duplicis cum Sancto Confeſſore, non debent habere integras Veſperas propter majorem dignitatem, & nobilitatem, quam habet Martyr præ Confeſſore. Neque hæc major dignitas, & nobilitas tribuenda eſt Confeſſori concurrenti cum Virgine; ſicque in concurrentiis officiorum æqualis ritus, quæ poſſunt accidere, Sanctus Confeſſor non habet integras Veſperas, aliter enim fit in prædictis caſibus, quam fiat in cuncurrentia feſtorum Domini, B. M. V., Angelorum, & Apoſtolorum, unde in antedictis primis concurrentiis ſtandum eſt præſcriptioni Rubricæ Breviarii Romani *de concurr. officii num.* 2., quæ dicit: *Regulariter fit a Capitulo de ſequenti*. S. R. C. 14. Decembris 1709. *in una Ord. Cappuccin.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 250. 95

237 In concurrentia feſtorum Sancti Antonii Patavini Confeſſoris, & Sancti Baſilii Epiſcopi, & Confeſſoris, quæ Panormi ex Indulto Apoſtolico ſub ritu duplici majori celebrantur, Veſperæ dimidiandæ ſunt, & faciendum a Capitulo de ſequenti cum commemoratione præcedentis. S. R. C. 17. Junii 1664. *in Panormitana*; es Merato in Indice Decr. Brev. num. 149. *ibid.*

238. Concurrente Sancto antiquiori Patrono Civitatis cum alio Sancto recentiori pariter Patrono, nulla habenda eſt ratio de poſterioritate Patronatus, unde veſperæ dimidiandæ ſunt. S. R. C. 17. Junii *1684. in Panormitana*, ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 170. *ibid.*

239. Feſta duplicia, quæ coluntur a Populo de præcepto, retinent eundem ritum, quem alias haberent ſecluſa qualitate præcepti, nec ſunt idcirco duplicia majora; unde qualitas feſtivitatis non eſt ratio, quod Veſperæ dicantur integræ de tali feſto, niſi hoc feſtum fruatur ſimul qualitate vel majoris dignitatis, vel altioris ritus. S. R. C. 2. Sept. 1741. ex Regeſtis ejuſdem S. R. C. 96

240. Feſtum Angelorum Cuſtodum eſt duplex minus. S. R. C. 2. Oct. 1627. *in una Urbis*; ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 56. 98

241. Cum in omnibus Dominiis Imperio ſubjectis recitetur ex indulto Apoſtolico officium proprium SS. Angelorum Cuſtodum cum octava menſe Septembri, non eſt de eis recitandum etiam ſecunda die Octobris. S. R. C. 30. Sept. *1679.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. *103.* *ibid.*

242. Officium Angelorum Cuſtodum concurrens cum alio duplici minori, debet habere integras Veſperas. S. R. C. 1. Martii 168*1. in una Canon. Regul. Lateran.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. *116.* 99

243. Veſperas SS. Angelorum Cuſtodum eſſe dimidiandas cum ſequenti duplici minori ſtatuit S. R. C. 27. Sep. *1698. in una Ord. Cappuccin.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 208. *ibid.*

244. In ſecundis Veſperis de SS. Angelis Cuſtodibus fieri debet rantummodo commemoratio, non vero a Capitulo de Translatione S. Claræ apud Fanciſcanos. S. R. C. 14. Maii 1707. *in Bononien.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 245. *ibid.*

245. In Regno Galliæ in ſecundis Veſperis S. Remigii debere fieri totum de Sanctis Angelis, & ſolam commemorationem S. Remigii declaravit S. R. C. 20. Auguſti 1712. *in una Galliar.* apud Meratum in Indice Decr. Brev. numer. 245. *ibid.*

246. Declarari poſtulat, an feſtum SS. Angelorum, & Archangelorum debeat habere utraſque Veſperas integras in concurſu alterius duplcis minoris, ad tenorem novi Decreti emanati, ut aſſeritur, *14.* Maii 1707., & S. R. C. reſpondit, ſervandum eſſe Decretum. Ita die *16.* Septembris *1730. in una Ord. Hieroſol., ſeu Meliten.* ex Merato in Indice Decret. Breviar. num. 277. 100

247. Benedictus XIII. conceſſit, ut in toto Eccleſiaſtico Statu ab omnibus, qui ad Horas canonicas tenentur, ſequentia B. M. V. officia in ejus reſpective feſtivitatibus recitari, & miſſæ reſpective celebrari debeant. Videlicet die 23. Januari Deſponſationis B. M. V. cum Sancto Joſeph; feria ſexta poſt Dominicam Paſſionis de ſeptem Doloribus B. V. die 16. Julii B. M. V. de Monte Carmelo; Dominica ſecunda Novembris Patrocinii B. M. V., die 10. Decembris Translationis Sacræ Domus Lauretanæ, die 18. Decembris Expectationis Partus B. V., & ita decrevit, & ſervari mandavit die 23. Auguſti 1725. *in Decreto totius Status Eccleſiaſtici*; ex Merato in Indice Decr. Breviar. n. 265. *ibid.*

248. Officia B. M. V. nempe Deſponſationis, Patrocinii, Translationis Almæ Domus, & Expectationis Partus a ſan. mem. Benedicto XIII. die 25. Auguſti 1725. pro toto Statu Eccleſiaſtico conceſſa, ſub ritu duplici majori celebrari debent. Ita declaravit, & ſervari mandavit S. R. C. 15. Sept. 1736. *in una dubior.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 338. *ibid.*

249. Regularium Superiores non veniunt ſub nomine Ordinariorum, & conſequenter non poſſunt aſſinare aliquam ex Dominicis Novembris pro recitatione officii de Patrocinio B. M. V. quod multis in locis permittitur celebrandum in aliquo die Dominico præfati menſis a locorum Ordinariis eligendo. S. R. C. 22. Janu. 1701. *in una Camaldulen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 222. *ibid.*

250. Si Dominica Novembris ab Ordinario loci aſſignata pro recitatione officii de Patrocinio B. M. V., occurrat feſtum altioris ritus, tranferatur officium Patrocinii juxta Rubricas in primam diem non impeditam. S. R. C. 1. Octobris 1740. ex Regeſtis ejuſdem Congregat. 101

251. Omnibus Fratribus, & Monialibus, Ordinis Minorum Sancti Franciſci indulgetur, atque conceditur, ut in recitatione officii Deſponſationis B. M. V. cum Sancto Joſeph fiat ab ipſis commemoratio ejuſdem Sanctis Joſephi, tum in utriſque veſperis, tum in laudibus, & reſpetive etiam in miſſa cum Antiphonis, & oratione a S. R. C. approbatis. Ita S. R. C. 1. Julii *1713. in una Ord. Minor. Obſer.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 255. *ibid.*

252. In Deſponſatione B. M. V. non eſt facienda commemoratio S. Joſephi, niſi conſtet de ſpeciali conceſſione. S. R. C. 5. Maii 1736. *in Einſidlen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. nu. 285. *ibid.*

253. Quæſitum fuit, an die 22. Januarii in feſto Deſponſationis B. M. V. ſit facienda commemoratio Sponſi S. Joſephi tam in officio, quam in miſſa? Et reſponſum fuit: ſervetur Rubrica, quæ habetur in officio Deſponſationis. S. R. C. 23. Junii 1736. *in Burgen.* Quod & omnino confirmavit die 16. Februarii 1737. *in Mechlinen. ad 3. dubium*, ut refert Meratus in Indice Decretor. Brev. n. 317 *ibid.*

254. Quæſitum fuit, an officium Expectationis Partus B. M. V. conceſſum ſit omnibus Regnis Hiſpano Monarcæ

ſubjectis, an ſolum aliquibus? Reſponſum fuit: Indultum Gregorii XIII. eſſe tantum pro ſola Hiſpania. Ita S. R. C. 4. Apr. 1705. *in Lycien.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 233. *ibid.*

255. In feſto Expectationis Partus B. M. V. hymni ſunt concludendi cum verſibus, *Virtus, honor, laus, gloria, &c.*, & breve Reſponſorium ad Primam debet eſſe, *Qui venturus es in mundum*. S. R. C. 26. Nov. 1725. *in Hiſpalen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 281. 102

256. Quæſitum fuit, an die 18. Decembris in feſto Expectationis Partus B. M. V. ſit finis hymnorum *Jeſu tibi ſit gloria &c.*, ſicut in aliis feſtis B. M. V., an non? Et reſponſum fuit, ſervetur Rubrica. S. R. C. 23. Junii 1726. *in Burgen.* & idem confirmavit die 16. Februarii 1737. *in Mechlinien.* ex Merato in Indice Dec. Brev. n. 321. *ibid.*

257. Clerici Regulares Congregationis Theatinorum poſſunt quotannis die 2. Februarii officium de Purificatione B. M. V. recitare cum octava. Clemens X. in Conſt. data 30. Aug. 1671., quæ extat *in Bullario recentiſſ. editionis Rom. tom. 7. numer.* 75. ex Merato in Indice Decr. Brev. numer. 96. *ibid.*

258. Feſtum Purificationis Beatæ Mariæ Virginis, quando occurrit in Dominicis privilegiatis, niſi ſit Titulus Eccleſiæ, quoad officium, & Miſſam in ſequentem diem transferendum eſſe declaravit. Sacr. Rit. Congr. 9. Auguſti 1681. *in Bergomen.* ex Regeſtis ejuſdem S. R. Congr. *ibid.*

259. Dies tertia Februarii non poteſt aſſignari alicui Sancto duplici, vel ſemiduplici ſemper tranſlato, pro ejus certa, & perpetua ſede. Sac. Rit. Congreg. 9. Auguſti 1681. *in Bergomen.* ex Regeſtis ejuſdem Sac. Rit. Congr. 103

260. Aſſignatio alterius diei officio in perpetuum impedito, fieri poteſt inconſulta Sacra Rituum Congregatione. S. R. C. 22. Aprilis 1741. ex Regeſtis ejuſdem Congr. *ibid.*

261. Ad confovendum, imo ad ſemper augendum cultum B. M. V., Benedictus XIII. officium pro ſolemnitate B. Mariæ de Monte Carmelo, prout jacet Romæ impreſſum typis Rev. Cam. Apoſtol., approbavit, ac ab omnibus Chriſtifidelibus utriuſque ſexus, qui ad horas canonicas tenentur, in poſterum ſub ritu duplici majuri pro die 16. Julii quotannis recitari mandavit die 24. Sept. 1726. *in Decr. urbis, & orbis*, ex Merato in Indice Decretor. Breviar. nu. 267. *ibid.*

262. In feſto B. M. V. de Monte Carmelo, quod etiam a Regularibus ſervari debet die 16. Julii, quamvis officium recitetur juxta conceſſionem Benedicti XIII. prout in feſto S. Mariæ ad Nives, tota tamen miſſa, & non tantum Evangelium, dicatur illa, quæ a Sede Apoſtolica approbata eſt, & quæ incipit *Gaudeamus omnes &c.* S. R. C. 5. Maji 1736. *in Einſidlen.* ex Merato in Indice Decretor. Breviar. num. 304. *ibid.*

263. Officium ſemel in hebdomada conceſſum, recitari debet in Sabbato, quando fieri deberet de S. Maria in Sabbato. S. R. C. 7. Febr. 1699. *in Tarviſina*; ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 213. 104

268. Occurrentibus in Dominica infra octavam Nativitatis B. M. V. officiis Ss. Nominis B. M. V., & octavæ S. Roſæ Viterbienſis, Ordinis Minorum, transferatur primum in aliam diem, & in ea Dominica fiat de ſecundo, nempe de die octavæ. S. R. C. 22. Januar. 1707. *in una Ord. Minor.* ex Merato in Indice Decretor. Breviar. num. 253. *ibid.*

265. Quando transfertur officium Patriarchæ S. Joſephi, & Annunciationis B. M. V., ambo 2. claſſis, quocumque in contrarium non obſtante, prius debet transferri, & recitari officium de Annunciatione, & poſtea de S. Joſeph. S. R. C. 28. Novembris 1682. *in Faventina*; & deinde idem confirmavit die 30. Junii 1689. *in Vigilien.*, & deinde in Decreto generali 14. Julii 1692. ex Merato in Indice Decret. Breviar. n. 134. *ibid.*

266. Etſi ſecundum Rubricas Breviarii Romani, cum plura feſta æqualis ritus transferenda ſunt, unum ante aliud transferri debeat eo ordine, quo erant celebranda propriis diebus; attamen quia eo anno, ſcilicet 1690. 11. Februarii, & 11. Martii ſpecialis prærogativa conceſſa fuit tranſlationi feſti Annunciationis B. M. V. Matris Dei incidentis in feriam ſextam Paraſceve, vel Sabbatum Sanctum: idcirco ob ſpecialem reverentiam Dominicæ Incarnationis hoc ſpeciali privilegio decoratur idem feſtum Annunciationis, nimirum ut quotieſcumque contingit feſtum prædictum, etiam quoad ſolum officium, poſt octavam Paſchæ transferri, idem ceteris ſemper feſtis æqualis ritus præponatur, licet temporis ordine ſit in Kalendario poſterius illis. S. R. C. 14. Junii 1691. *in Decreto generali*: ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 171. *ibid.*

267. Quando feſtum Annunciationis, B. M. V. transfertur ſimul cum præcepto audiendi Sacrum (ut evenit, ſi occurrat feria ſexta in Paraſceve, vel Sabbato Sancto) ad feriam 2. poſt Dominicam in Albis, præfertur cuicumque duplici, etiam 1. claſſis, eo die occurrenti. Si vero transfertur abſque præcepto audiendi Sacrum, præfertur cuicumque feſto translato, licet 1. claſſis, non autem feſtis eo die occurrentibus. S. R. C. 2. Septembris 1741. ex Regeſtis ejuſdem Congreg. 105

268. Obligatio audiendi Sacrum non reddit ſolemnitatem majorem, ſed relinquit officium in ſuo ritu. Quare ponendum prius erit officium altioris ritus præ alio minoris, quamvis iſtud haberet adnexum præceptum audiendi Sacrum. Cum ſit peculiaris tantummodo prærogativa feſti Annunciationis B. M. V., & S. Joſeph ex Decretis tum Alexandri VIII., tum Clementis XI., quod iſta feſta ſic translata quibuſcumque aliis feſtis tam translatis, quam occurrentibus præferantur, quando cum illorum officio transfertur ſimul obligatio audiendi Sacrum, ex Regeſtis ejuſdem Sac. Rit. Congreg. *ibid.*

269. Feſta octavam habentia, quibus in aliquibus locis ob perpetuum impedimentum alius dies eſt aſſignatus, ſunt ſemper celebranda ſine octava, ſi de ea nihil poſt aſſignatam diem remaneat, vel cum reſiduo octavæ, ſi aliqui dies ſuperſint, cum quibus pariter feſtis, in alium diem perpetuo translatis, non transfertur indulgentia eiſdem conceſſa. S. R. C. 16. Septemb. 1741. Ex Regeſtis ejuſdem Congr. *ibid.*

270. Cum enixe, ac ſæpius Sacra Cæſarea Majeſtas inſtiterit, ut feſtum Sancti Joachim perinde ac Sanctæ Annæ conjugis, eſſet in Eccleſia univerſali de præcepto: S. R. C. re mature, nec ſemel diſcuſſa, ita denique cenſuit annuendum, ut ne feſta de præcepto multiplicentur, debitus tamen honor Genitori Matris Dei non denegetur, ſed feſtum ejuſdem Sancti Joachim a die 20. Martii ad Dominicam poſt Aſſumptionem B. Virginis ejus Filiæ transferatur, in eaque ſub ritu duplici majori, ut & feſtum Sanctæ Annæ conjugis ſub eodem ritu deinceps celebretur. Die 20. Septembris 1738. *in una urbis, & orbis* approbante Sanctiſſimo die 3. Oct. 108

271. Officium Sancti Joſephi Sponſi B. M. V. cum novis Antiphonis, verſibus, lectionibus 1. nocturni, reſponſoriis, & capitulis approbavit, & ab omnibus Chriſtifidelibus tam Sæcularibus, quam Regularibus, qui ad horas canonicas tenentur, die 19. Martii in feſto S. Joſeph in poſterum recitari, & in Breviario apponi mandavit; S. R. C. 3. Febr. 1714. *annuente Clem. XI. die 4. ejuſdem menſis, & anni*; ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 256. *ibid.*

272. Relatis in S. R. C. ab Eminentiſſ. D. Card. Belluga die 26. Novembris anni proximi præteriti, Rever. Archiepiſcopi, & Capituli Metropolitanæ Hiſpalenſis enixis precibus, quibus ſupplicatum fuit pro elevatione officii Sancti Joſephi ad ritum duplicem 1. claſſis? Sacra eadem Congregatio tunc reſpondit *Dilata*. Repropoſitis iterum hujuſmodi inſtantiis per dictum Eminent. Ponentem, eadem S. C. reſcripſit: *Pro gratia elevationis abſque octava*. Ita die 21. Aprilis 1736. *in Hiſpalen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 284. 109

273. Si Dominica tertia poſt Paſcha, cui pro aliquibus locis eſt affixum officium Patrocinii S. Joſephi, occurrat feſtum S. Marci Evangeliſtæ, vel SS. Apoſtolorum Philippi, & Jacobi, officium Patrocinii transferatur juxta Rubricas ad primam diem non impeditam. S. R. C. 22. Aprilis 1741. ex Regeſtis ejuſdem S. R. C. *ibid.*

274. An de Patrocinio Sancti Joſeph ſit recitandum officium in Dominica tertia poſt Paſcha, quando in ea occurrunt feſta D. Marci Evangeliſtæ, vel Ss. Apoſtolorum Philippi, & Jacobi? R. affirmative in locis, in quibus feſtum Patrocinii S. Joſeph eſt duplex 2. claſſis, S. R. C. 11. Maji 1743. ex Regeſtis ejuſdem S. R. C. 110

275. An de Patrocinio S. Joſeph concurrente cum dictis feſtis, ſint de eo integræ recitandæ Veſperæ? R. affirmative; ex Regeſtis ejuſdem S. R. C. *ibid.*

276. An in oratione *A cunctis*, & in ſuffragiis ſit præponendus S. Joſeph Apoſtolis Petro, & Paulo? R. affirmative; ex Regeſtis ejuſdem S. R. C. *ib.*

277. An dictum Patrocinium poſſit transferri ad aliam diem, quando non habet locum in dicta Dominica tertia? R. negative, ſed omittendum; ex Regeſtis ejuſdem S. R. Cong. *ibid.*

278. An ſolemnitates Nativ. S. Jo. Baptiſtæ, & Ss. Apoſtolorum Petri, & Pauli excludant omnia feſta in ipſis occurrentia, ſalva ſemper ſolemnitate Corporis Chriſti; R. affirmative, ſalva ſemper ſolemnitate Corporis Chriſti. Sacr. Rit. Congr. 11. Maji 1743. ex Regeſtis ejuſdem Cong. *ibid.*

279. In feſto Ss. Nominis B. M. V. non eſt facienda commemoratio de ejuſdem Nativitate, & in ſecundis veſperis de Nativitate cadentibus in Sabbato non eſt facienda commemoratio de prædicto Ss. Nomine. Ita S. R. C. 23. Sept. 1684. *in Decreto generali*; ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 152. *ibid.*

280. Feſtum Ss. Nominis Mariæ celebrandum eſt Dominica infra octavam Nativitatis ejuſdem, & quando dies octava Nativitatis incidit in Dominica, nulla fit commemoratio octavæ. S. R. C. 23. Junii 1736. *in Einſidl.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 331. *ibid.*

281. In ſecundis Veſperis S. Æmiliani Abbatis (quod eſt duplex majus apud Benedictinos) quæ coincidunt cum primis Veſperis de feſto omnium Ss. Monachorum ejuſdem Ordinis, eſt facienda commemoratio de S. Æmiliano, ſi ritus id permittat, nulla habita ratione, quod ſit etiam ipſe unus ex iiſdem Sanctis Monachis, quorum feſtus dies celebrari incipit in dictis Veſperis. S. R. C. 23. Junii 1736. *in Einſidlen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 329. *ibid.*

282. Ubi

282. Ubi feſtum S. Petri ad Vincula, vel Converſionis S. Pauli eſt Titulus Eccleſiæ, ſemper per octavam facienda eſt commemoratio diſtincta alterius, prout in die feſti, non autem unica utrique communis per Antiphonam *Petrus Apoſtolus &c.* S. R. C. 2. Sept. 1741. ex Regeſtis ejuſdem S. R. C. *ibid.*

283. Commemoratio de S. Dominico ex conceſſione Clementis Pp. X. a Franciſcanis facienda, quando fit officium de S. Franciſco, fieri debet tantum in officio S. Franciſci, quod ſemel in menſe ab iiſdem recitatur, poſt alias commemorationes. S. R. C. 27. Sept. 1698. *in una Ord. Cappucc.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 209. *ibid.*

284. Quæſitum fuit, ſi uno die occurrant plures martyres, quorum officium unum ſit ſemiduplex, & aliud ſimplex, utrum in Veſperis pro commemoratione ſimplicis dicenda ſit Antiphona *Gaudent in Cælis* de ſecundis Veſperis, ut exemplum eſt 16. Septemb., & utrum detur ibi regula, vel exceptio regulæ Rubricæ de commem. num. 8.? Et reſponſum fuit ſervandam eſſe Rubricam IX. de commem. num. 8., niſi aliter aſſignetur in propriis locis, ut ibi docet eadem Rubrica. S. R. C. 10. Januar. 1693. *in una Galliar.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 177. 112

285. In feſto Ss. Cornelii, & Cypriani die 16. Sept. pro commemoratione Ss. Euphemiæ, & Sociorum, dicatur in primis Veſperis Antiphona *Gaudent in Cælis &c.*; & in laudibus *Iſtorum &c.*, prædictæ tamen Antiphonæ dicendæ non ſunt, quando officium Ss. Cornelii, & Cypriani transfertur, ex quo occurrat in Dominica; tunc enim in primis Veſperis Dominicæ dicenda erit Antiphona pro dicta commemoratione *Iſtorum &c.* & in laudibus antiphona *Veſtri capilli &c.* S. R. C. d. 14. Dec. 1709. *in Farv.* ex Mer. in Indice Dec. Br. n. 255. *ibid.*

286. In feſto S. Caroli Borromæi 4. Nov. in primis Veſperis pro commemoratione Ss. Vitalis, & Agricolæ mm. Antiphona erit *Iſtorum eſt enim* &c. cum verſu *Lætamini in Domino &c.* & ad laudes ſubſtituetur verſus *Exultent juſti &c.* poſt Antiphonam *Veſtri capilli &c.* S. R. C. 5. Maji 1736. *in Einſidlen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 294. *ibid.*

287. Quando Antiphonæ, & verſus in Veſperis variandi ſunt pro commemoratione alicujus ſimplicis facienda, *tunc ad Veſperas* Primo accipienda eſt Antiphona cum verſu laudum. Si vero plures ſint commemorationes ſimplicium, tunc ſecunda commemoratio ſumetur ex 2. veſperis cum verſu 2. nocturni; tertia vero commemoratio fiet deſumendo Antiphonam primam ex tertio nocturno cum verſu ejuſdem nocturni. *Ad laudes*: Prima commemoratio cum verſu erit propria ex primis veſperis. Secunda commemoratio fiet cum Antiphona tertii nocturni, & verſu aſſignatis jam in primis veſperis. Tertia autem commemoratio fiet deſumendo Antiphonam, & verſum dictos ſecundo loco in primis veſperis, nempe Antiphonam ſecundarum veſperarum, & verſum ſecundi nocturni. S. R. C. 5. Maji 1736. *in Einſidlen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 295. 113

288. Si occurrat officium novem lectionum de pluribus Sanctis Virginibus, & Martyribus eo die, quo cadit feſtum ſimplex ejuſdem qualitatis, ſervanda eſt pro commemoratione ſimplicis antiphona *Iſtarum eſt Regnum Cælorum &c.* ut in feſto Ss. Perpetuæ, & Felicitatis VV. & MM. S. R. C. 7. Dec. 1680. *in una Can. Reg.* ex Mer. in Indice Decr. Br. num. 113. 114

289. Commemoratio de Cruce ordinaria ſufficit in Eccleſiis dicatis in honorem S. Crucis pro commemoratione Tituli Eccleſiæ. S. R. C. 30. Martii 1625. *in una dubior.* ex Merato in Indice Decret. Brev. n. 44. 115

290. Commemoratio ordinaria de Cruce non ſufficit in Eccleſiis dicatis in honorem Ss. Salvatoris pro commemoratione Tituli Eccleſiæ. S. R. C. 23. Aug. 1704. *in una Camalduen.* ex Merato ſect. 5. cap. 18. n. 5. *ibid.*

291. Commemoratio S. Mariæ in ſuffragiis Sanctorum debet fieri in Eccleſiis eidem dicatis, etiamſi ejus officium parvum in choro recitatum fuerit. S. R. C. 10. Jan. 1604. *in Bononien.* & 13. Junii 1682. *in una Ord. S. Franc.* necnon 10. Junii 1690. *in una Ordin. Min. Obſerv. S. Franc.* ex Merato in Indice Decret. Brev. n. 15. 116

292. In Eccleſiis Titularibus B. M. V. inter Sanctorum ſuffragia facienda eſt commemoratio de B. M. V. non obſtante quod in Choro recitetur ejuſdem officium parvum. S. R. C. 17. Junii 1684. *in una urbis*, & 14. Aug. 1691. *in Romana dubior.* apud Meratum in Indice Decr. Brev. n. 151. *ibid.*

293. In Eccleſiis B. M. V. ſub quocumque titulo dicatis, in feriali officio debet fieri commemoratio de eadem S. Maria tamquam de Titulari, etiamſi ejuſdem officium parvum in choro fuerit recitatum. S. R. C. 23. April. 1695. *in Foſſanen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 189. *ibid.*

294. Pro ſuffragio B. M. in Eccleſiis eidem dicatis ſub quocumque titulo, ſive Aſſumptionis, ſive Conceptionis &c. ſufficit conſueta antiphona *S. Maria ſuccurre miſeris &c.* S. R. C. 23. Apr. 1695. *in Foſſan.* ex Merato in Indice Decr. Br. n. 190. *ibid.*

295. Si contingat fieri officium de feſto ſemiduplici in vigilia omnium SS. non obſtante commemoratione vigiliæ debent in laudibus fieri ſuffragia communia. In Miſſa tamen non debet dici oratio *A cunctis*. S. R. C. 21. Junii 1710. *in una Cappucc. Provinciæ Lugd.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 344. 117

296. In Commemorationibus communibus, ſeu ſuffragiis Sanctorum per annum, dum fit de aliquo Sancto, cujus antiphona habet in fine *Alleluja*, debet hæc recitari cum *Alleluja*, ſi contineat verba, quibus exprimatur gaudium, victoria, & ſimilia; alioquin *Alleluja* omittatur. S. R. C. 29. Nov. 1738. ex Regeſtis ejuſdem S. R. C. *ibid.*

INDEX SECUNDI TOMI

PARS SECUNDA.

297. UBI adeſt conſuetudo recitandi matutinum media nocte, a Clero Sæculari poteſt dimitti, & mutari, ut recitetur albeſcente die ex juſta cauſa. S. R. C. 21. Julii 1607. *in Oſcen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 28. 121

298. Nomine Epiſcopi Ruremundæ quæſitum fuit a S. R. C. declarari, an Invitatorium *Hodie ſi vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda veſtra*, tempore Paſſionis in Quadrageſima debeat cantari, ſicut alia Invitatoria extra tempus Paſſionis, ſcilicet ſexies integre, & ter imperfecte, hoc modo poſt verſum *quadraginta annis proximus fui &c. Hodie ſi vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda veſtra*, & omiſſo *Gloria Patri &c. Nolite obdurare corda veſtra*, & iterum repetatur integre *Hodie ſi vocem Domini audieritis, nolite obdurare &c.* Et S. R. C. reſpondit omiſſis *Gloria Patri &c.* & *Nolite obdurare corda veſtra*, repeti debere integre Invitatorium *Hodie ſi vocem Domini &c.* Ita S. R. C. 4. Julii 1683. *in Ruremunden.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 143. 123

299. Quando feſtum S. Raphaelis celebratur Dominica 3. poſt Paſcha, antiphona primi nocturni erit *Multa magnalia*, & in ſecundo nocturno *Archangele Raphael*; in tertio autem *Angelus Archangelus &c.* S. R. C. 5. Maji 1736. *in Einſidlen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 292. *ibid.*

300. Quando feſtum Ss. Philippi, & Jacobi celebratur extra tempus Paſchale, omitti debent omnia *Alleluja*; Aſteriſci vero non tolluntur. S. R. C. 5. Maji 1736. *in Einſidlen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 293. 124

301. In officiis Sanctorum conceſſis Regularibus infra annum, puta Conceptionis B. M. V. Ordini S. Franciſci, ſicut etiam in Officiis Translationum &c. octava Benedictio erit: *Cujus feſtum colimus &c.* S. R. C. 13. Februarii 1666. ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 91. *ibid.*

302. Pro XI. benedictione in officio menſili S. Scolaſticæ, item in officio qualibet hebdomada de S. Benedicto, & in officio de B. M. V. Conceptione in Sabbatis, non eſt dicendum *cujus commemorationem &c.* ſed ſemper dicatur *cujus feſtum colimus &c.* S. R. C. 5. Maji 1736. *in Einſidlen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 91. 125

303. Ubi celebratur feſtum SS. Gabrielis, vel Raphaelis Archangeli, ad octavam benedictionem dicatur, *Cujus feſtum colimus*, non vero *Quorum feſtum &c.* S. R. C. 13. Sept. 1692. *in Hiſpalen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 173. *ib.*

304. Lectiones primi nocturni in officio de feſto duplici majori ſumendæ ſunt ex ejus communi, ſi ex conceſſione non habentur propriæ. S. R. C. 12. Julii 1664. *in una Ord. Min. de Obſerv.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 89. *ib.*

305. In feſto S. Jo. Chryſoſtomi, quoad lectiones in primo nocturno legendas, ſervetur Rubrica Breviarii Romani, unde extra Quadrageſimam dicantur lectiones de Scriptura occurrente. Intra Quadrageſimam vero recitentur lectiones de communi Doctorum. Pro S. Jo. de Matha idem ſervandum, & in Quadrageſima dicantur lectiones de communi, ſcilicet *Beatus vir &c.* S. R. C. 5. Maji 1736. *in Einſidlen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 296. 126

306. Quando October habet tantum quatuor Dominicas, ſervetur omnino diſpoſitio Breviarii Romani, & in feria V., VI., & Sabbato hebdomadæ IV. legantur lectiones de Dominica V. continentes hiſtoriam martyrii Ss. Machabæorum. S. R. C. 5. Maji 1736. *in Einſidlen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 298. *ibid.*

307. Lectiones primi nocturni de Exodo, quæ leguntur in Dominica quarta Quadrageſimæ, quoties iſta ſit impedita aliquo feſto primæ claſſis, reſumendæ ſunt intra illam hebdomadam in feſto occurrente, carente lectionibus propriis primi nocturni, quæ deſumerentur de Scriptura occurrente, ſi feſtum illud extra Quadrageſimam incidiſſet. S. R. C. 26. Nov. 1735. *in Hiſpal.* ex Merato in Indice Decr. Brev. nu. 283. 127

308. Si in Dominica quarta poſt Paſcha legantur lectiones initii Epiſtolæ B. Jacobi Apoſtoli, in feſto Ss. Apoſtolorum Philippi, & Jacobi legendæ erunt lectiones ejuſdem Epiſtolæ, quæ occurrent dicendæ in illa feria. S. R. C. 5. Maji 1736. *in Einſid.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 309. *ibid.*

309. Quando in menſ. Nov. ſunt eadem die ponenda plura initia Prophetarum, dicenda eſt tantum unica lectio. S. R. C. 5. Jul. 1698. *in Collen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 202. *ibid.*

310. Non poſſunt poni plura tribus initiis Prophetarum unica die. S. R. C. 5. Julii 1698. *in Collen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 203. 128

311. Ubi ſunt plura officia habentia primas lectiones proprias, poſſunt omitti aliqua ex dictis initiis Prophetarum, occurrente legitima cauſa. S. R. C. 5. Julii 1608. *in Collen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 204. *ibid.*

312. Quando in feſto aliquo lectiones aſſignantur legendæ, ſive propriæ, ſive de communi, omittitur etiam initium Scripturæ, quod reponendum eſt infra hebdomadam in officio ritus inferioris, minoris dignitatis, & ſolemnitatis, etiamſi tale feſtum habeat lectiones proprias, aut ſint de Scriptura. S. R. C. 5. Maii 1736. *in Einſidlen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 297. *ibid.*

313. Quæſitum fuit: an ſi per Dedicationem Eccleſiæ, vel aliud feſtum cadens in Dominica, impediatur initium Scripturæ talis Dominicæ, & per octavam non ſit locus pro ea, eo quod omnes dies ſint dies infra octavam præter unam forte, quæ tamen habeat lectiones de communi aſſignatas, tunc tale initium ſit omittendum, vel potius reponendum in illo feſto, omiſſis lectionibus aſſignatis, & quid ſi illud ſit duplex majus? Et reſponſum fuit. Initium Scripturæ aut transferendum eſt ad diem liberam, etiamſi poſt octavam hoc eveniat, aut anticipate legendum, ſed in officio, pro quo aſſignatæ ſunt lectiones de communi, illæ ſunt legendæ. Quod faciendum eſt etiam in duplici majori, juxta Rubricam Breviarii de lectionibus. S. R. C. 5. Maii 1736. *in Einſidlen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 307. 129

314. In feſto S. Margaritæ Scotorum Reginæ ab aliquibus Breviariis expungi debent ultima verba lectionis: *Cujus feſtum ab eodem Pontifice conceſſum, Innocentius XI. ab octavo Idus Julii transferri juſſit.* S. R. C. 5. Maii 1736. *in Einſidlen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 299. *ibid.*

315. In tertio nocturno pro feſto S. Joannis Nepomuceni, tam intra, quam extra tempus paſchale ſemper dicatur Evangelium, *Nihil eſt opertum &c.* cum ſua homilia. S. R. C. 5. Maii 1736. *in Einſidlen.* Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 300. *ibid.*

316. Dominica tertia poſt Paſcha, ubi celebratum eſt feſtum S. Raphaelis Archangeli, in tertio nocturno recitetur homilia S. Joannis Chryſoſtomi, nempe *Cum vellet Deus &c.* S. R. C. 5. Maji 1736. *in Einſidlen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 302. 130

317. Cum ſæpe contingat, ut in Diœceſi celebretur unum, & idem feſtum, & alii in tertio nocturno unum aſſignent Evangelium, alii vero aliud, Religioſi ſequi debent ordinem proprii Breviarii. S. R. C. 5. Maji 1736. *in Einſidlen.* ex Merato in Indice Decret. Brev. n. 301. *ibid.*

318. In Dominica in Albis poteſt legi nona lectio de ſimplici feſto occurrente, ut accidit anno 1735. de Sancto Aniceto. S. R. C. 5. Maji 1736. *in Einſidlen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 302. *ibid.*

319. Quæſitum fuit, an in feſto S. Luciæ 13. Decembris in officio poſſit legi nona lectio propria alicujus Sancti ſimplicis, ut de S. Judoco ſolet legi in hac Diœceſi, de quo illa die fit commemoratio? Et S. R. C. reſpondit affirmative die 23. Junii 1736. *in Brugen.* Idem omnino confirmavit die 16. Februarii 1737. *in Mechlinen. ad 6. dubium*; ex Merato in Indice Decret. Brev. num. 230. *ibid.*

320. Quæſitum fuit, utrum in officio ſimplici Martyris, qui ſanguinem non fudit, ſemper pro ſecundo reſponſorio dicendum ſit, *Domine, prævenisti*, quacumque occurrat feria, vel tantum, dum occurrit feria IV.? & reſponſum fuit, dicendum eſſe reſponſorium *Domine, prævenisti* in quocumque officio martyrum, qui perierunt non effuſo ſanguine. S. R. C. 10. Jan. 1693. *in una Galliarum*; ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 178. 131

321. Quando feſtum SS. Philippi, & Jacobi cadit in Dominicam, tunc ultimum reſponſorium, quia eſt proprium, dicatur loco penultimi, quod eſt de Dominica. Ita S. R. C. 23. Junii 1736. *in Einſidlen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 251. *ibid.*

322. Antiphonæ feriales ad laudes ante Nativitatem omitti poſſunt in feſto ſolemniter celebrato, ut contingit in feſto S. Thomæ; ſed antiphonæ majores ante Nativitatem etiam in feſtis ſolemnibus dicendæ ſunt ad Magnificat. S. R. C. 7. Novemb. 1607. *in Brugen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 30. 132

323. A die 17. Decembris incluſive uſque ad Vigiliam Nativitatis Domini excluſive, fieri poteſt quodcumque officium duplex, vel ſemiduplex, occurrens, vel translatum, ſed in utriſque veſperis pro commemoratione feriæ dicantur Antiphonæ majores tunc occurrentes. Sacr. Rit. Congr. 17. Maji 1692. *in Florentina.* Idem ſtatutum fuerat 17. Martii 1644. *in Neapolitana*; ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 170. 133

324. Ubi feſtum SS. Angelorum Cuſtodum habet octavam, non poſſunt in feſto, & per octavam terminari hymni ejuſdem metri, ſicut terminatur eorum hymnus in laudibus per ſtropham: *Deo Patri ſit gloria, qui quos redemit Filius, & Sanctus unxit Spiritus, per Angelos cuſtodiat.* S. R. C. 19. Junii 1700. *in Curien.* ex Merato in Indice Decret. Breviar. n. 217. 134

325. Moniales in *Confiteor* ad Primam, & Completorium, ne dicant

dicant *Tibi*, *mater*, nec *Vobis ſorores*, ſed ut in Breviario. S. R. C. 18. Auguſti 1629. *in una Breviarii Romani*; ex Merato in Indice Decret. Brev. n. 68. *ibid.*

326. Regulares abſque ſpeciali privilegio, ſed ſola communicatione privilegiorum aliarum Religionum, non poſſunt addere nomen Sancti Fundatoris in Litaniis, & Confiteor S. R. C. 20. Martii 1706. *in Decreto generali*; ex Merato in Indice Decr. Brev. nu. 238. *ibid.*

327. Poſtquam S. Canutus pro Ordine Benedictino fixe eſt repoſitus ad 20. Februarii, poteſt pridie hoc elogium dici: *S. Canuti Regis*, *& Martyris 7. idus Januarii*, non variata tamen diſpoſitione Martyrologii Romani. S. R. C. 5. Maji 1736. *in Einſidlen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 306. 135

328. Feſta illa, quæ a die obitus aliquorum Sanctorum translata, ſortita ſunt alium diem fixum, annuncianda ſunt iiſdem diebus, & verbis in Martyrologio Romano deſcriptis. Quod ſi eorum transferantur officia, pridie quam celebrentur, poteſt nunciari feſtum illius Sancti, de quo ſequenti die agetur ſolemnis memoria. S. R. C. 5. Maji 1736. *in Einſidlen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 314. *ibid.*

329. Feſta perpetuo in aliam diem translata, ſunt pronuncianda ex Martyrologio eo ipſo die, quo celebrantur. Sac. Rit. Congreg. 2. Septembris 1741. ex Regeſtis ejuſdem Congreg. 137

330. Regulares Ordinis Minimorum, cum in orationibus S. Franciſcum præfati Ordinis Fundatorem nominant, non debent adjungere *de Paula*. S. R. C. 23. Dec. 1624., ſeu melius 1629. *in una urbis pro PP. Minimis*; ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 50. 138

331. In orationibus expungantur omnino cognomina, & Patriæ Sanctorum. S. R. C. 23. Junii 1736. *in Einſidlen.* ex Merato in Indice Decretor. Brev. n. 323. *ibid.*

332. In officio pro Sanctis Confeſſoribus, quoties eiſdem fixa dies eſt aſſignata, quæ non eſt dies obitus eorum, recitari non debet ad hymnum *Iſte Confeſſor &c. Meruit beatas ſcandere*, & eadem regula ſervanda eſt, ſi transferatur feſtum Sancti Confeſſoris ad diem, quæ non ſit ſui obitus. S. R. C. 11. Junii 1701. *in una Tertii Ord. S. Franc.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 223. 139

333. Quando contingit transferri feſtum alicujus Sancti Confeſſoris a die ſui obitus in diem proxime ſequentem, ſi fiat a capitulo de ipſo, tunc in primis ſuis veſperis dicitur in hymno, *Meruit beatas ſcandere ſedes*, & in reliquo officio diei ſequentis debet continuari idem verſus. Sacr. R. C. 13. Januar. 1682. ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 128. 140

334. In hymno *Iſte Confeſſor* pro Sanctis Confeſſoribus juxta Decretum 11. Junii 1701. mutatur tertius verſus, quoties eorum officium recitatur extra diem obitus ipſorum. Verum prædicta mutatio non fiet, quando officium feſtivum Sancti Confeſſoris habentis octavam, non ultra octavam ipſam transfertur, quia tota octava nil aliud eſt, quam extenſio ipſius feſti, & ideo verſus idem per reliquos octavæ dies, qui forte ſuperſunt, retinebitur. S. R. C. 2. Sept. 1741. ex Regeſtis ejuſdem Cong. *ib.*

335. Quando in primis veſperis S. Hermenegildi martyris hymnus proprius non fuerit recitatus, ponendus eſt in matutino, & hymnus matutini ſubſtituendus eſt in laudibus. S. R. C. 5. Maji 1736. *in Einſidlen*; ex Merato in Indice Decret. Breviarii n. 291. 141

336. Chorus univerſus ad Primam, & Completorium debet replicare *Miſereatur*, & *Confiteor*. S. R. C. 19. Maji 1607. *in Placentina*; ex Merato in Indice Decret. Breviar. numer. 26. *ibid.*

337. In fine Completorii Purificationis B. M. dicitur Antiphona *Ave Regina Calorum*. Sacr. Rit. Congreg. 27. Julii 1624. *in una urbis*; ex Merato in Indice Decretor. Brev. nu. 49. 142

338. Occurrente feſto Purificationis B. M. V. in Dominicis Septuageſimæ, vel ſimilibus aliis privilegiatis, ita ut illius officium ex hoc contingat transferri, non eſt ob id protrahenda etiam recitatio Antiphonæ *Alma Redemptoris*, ſed die 2. Febr. poſt completorium, illa dimiſſa, ſumenda eſt Antiphona *Ave Regina Calorum*, ſublato quolibet aſſerto difformi quarumcumque Eccleſiarum uſu, ſive conſuetudine, & ita ab omnibus, qui Romano Breviario utuntur, pariformiter ſervari mandavit. S. R. C. 11. Januar. 1681. *in una Urbis*, *& Orbis*; ex Merato in Indice Decr. Breviarii nu. 114. *ibid.*

339. Quæſitum fuit, utrum antiphona B. M. V. *Ave Regina &c.* ſemper dici debeat die 2. Februarii, etiamſi feſtum Purificationis transferatur, vel habeat octavam? Et ad utrumque reſponſum fuit affirmative juxta Decretum Sacr. Cong. emanatum die 11. Januarii 1681. Ita Sacr. Rit. Cong. 10. Januar. 1693. *in una Galliar.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 179. *ibid.*

340. Ex parte Magiſtri Cœremoniarum Eccleſiæ Cathedralis Lycienſis quæſitum fuit, an ſi feſtum Purificationis B. M. V. eſt transferendum, vel ratione octavæ diutius perſeveret, eo uſque perſeverare debeat antiphona *Alma Redemptoris Mater*; an vero in hoc caſu die 2. Februarii ad Completorium dicenda ſit antiphona *Ave Regina Calorum*? Et reſponſum fuit, quod ſervetur Decretum S. C. emanatum ſub die 11 Jan. 1681. Ita S. R. C. 4. Apr. 1705. *in Lycien.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 232. *ibid.*

341. Non potuerunt poſt Bullam Pii V. de Breviario Romano, neque poſſunt Locorum Ordinarii, tam Sæculares, quam Regulares, addere Kalendariis, etiam propriis, Sanctorum officia, niſi ea dumtaxat, quæ Breviarii Romani Rubricis, vel Sacræ Rituum Congregationis, ſeu Sedis Apoſtolicæ licentia conceduntur: neque propria auctoritate quovis prætextu mutare ritum, qui habetur in Kalendario Romano, ſeu Rubricis Breviarii, in altiorem ritum; neque extendere conceſſa officia de loco ad locum. S. R. C. 8. April. 1628. *approbante Urbano VIII.* Ex Merato in Indice Decr. Brev. numer. 58. 144

342. Non poteſt Epiſcopus extendere ad ſuam Diœceſim officium illud, quod fieri ſolet in Civitate. S. R. C. 16. Jan. 1607. *in Bojanen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 24. 145

343. De Sanctis Epiſcopis locorum, martyribus, civibus, & aliis feſtis, de quibus in Kalendario Romano, ſeu Rubricis Breviarii nihil habetur, uti etiam de Beatis nondum canonizatis, nihil propria auctoritate ſtatuatur, ſed omnino conſulatur Sacra Rituum Congregatio. S. R. C. 8. April. 1628. *approbante Urbano VIII.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 61. *ibid.*

344. Feſta Sanctorum celebranda ſunt eo die, quo cadunt. Verum ſi incidant in diem impeditam, transferenda ſunt in alteram diem non impeditam juxta Rubricas Breviarii Romani, neque immutari poſſunt de licentia Ordinariorum, ut pluries decrevit Sacr. Rit. Congr., & ſignanter 14. Novembris 1620. *in Alban.* 22. Novembris 1631. *in Toletana*. 3. Decembris 1630. *in Syracuſana*. 2. Septembris 1690. *in Panormitana*; ex Merato in Indice Decret. Brev. n. 164. 146

345. Cum officia non ſunt ejuſdem ritus, Epiſcopus in ſua Diœceſi non poteſt minus digno fixum diem aſſignare. S. R. C. 15. Martii 1690. *in Herbipolen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 195. *ibid.*

346. Non eſt relinquendum officium Breviarii pro officio devotionis. S. R. C. 29. Nov. 1603. *in Salamantina*; ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 14. *ib.*

347. Dum aliqua legata relinquuntur cum onere celebrandi officium alicujus Sancti ſub altiori ritu, quam qui a Sede Apoſtolica ei præſcribitur, licitum erit hujuſmodi officia ſolemnius celebrare quoad pompam extrinſecam, non autem quoad ritum Eccleſiaſticum. S. R. C. 14. Maji 1644. ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 75. 148

348. Exponit Clerus Sacri Ordinis Hieroſolymitani, qualiter de anno 1659. fuerit facta quædam fundatio ab N. pro decantandis in Pontificali primis Veſperis, & Miſſa votivis de S. Franciſco Xaverio, aſſignata pro adimplemento ſuæ diſpoſitionis die 10. Decembris cujuſlibet anni, ne impediatur, ut creditur, feſtum ejuſdem Sancti, quod magna cum pompa, & Populi concurſu die 3. ejuſdem menſis celebratur in Eccleſia PP. Societatis Jeſu Civitatis Vallettæ; unde prædictus clerus ad tenorem dictæ piæ diſpoſitionis conſuevit uſque adhuc poſt ſolutam penſam officii currentis decantare primas veſperas, & miſſam, in quibus intervenit Eminentiſſimus Magnus Magiſter, & Venerabil. Conſil., ideoque interpellat, ut poſſit ſolitum ſervari, quibuſcumque non obſtantibus. Quoad veſperas Sacr. Rit. Cong. reſcribendum cenſuit negative, & trasferatur feſtum S. Franciſci Xaverii in perpetuum ad diem 10. Decembris. Ita prædicta Sacr. Rit. Congr. 16. Septemb. 1730. *in una Ord. Hieroſolym. ſeu Melit.* ex Merato in Indice Decret. Brev. n. 275. 149

349. An Feſtum Nominis B. M. V. in Diœceſibus Imperatori ſubjectis ſit duplex majus, prout in Breviario ponitur, an vero duplex 2. claſſis ob indulgentias plenarias ab Innocentio XIII. conceſſas anno 1722., prout in Diœceſi Viennenſi? & reſponſum fuit affirmative ad primam partem, negative ad ſecundam. Ita S. R. C. 13. Junii 1736. *in Brugen.*, & idem omnino confirmavit die 16. Februar. 1737. *in Mechlinen. ad 5. dubium*; ex Merato in Indice Decret. Brev. n. 319. 150

350. Quæſitum fuit, an in Diœceſibus, in quibus in Dominicis Septuageſimæ, Sexageſimæ, vel Quinquageſimæ ſit officium B. M. V. illis Dominicis occurrentis, debeant, vel poſſint Patres Cappuccini iis diebus recitare idem officium cum ſola commemoratione, & nona lectione Dominicæ in gratiam Populorum ad ſuas Eccleſias accedentium; Et reſponſum fuit negative. Sac. Rit. Congr. 14. Februar. 1705. *in una Ord. Cappuccin. Galliæ*; ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 230. *ibid.*

351. Quæſitum fuit, an translato officio Annunciationis B. M., de quo poteſt fieri die 5. Aprilis, omiſſo officio ad libitum Sancti Vincentii Ferrerii hac die occurrentis, ſatius ſit celebrare officium Annunciationis vel hac die, vel die ſequenti, ut non omittatur officium S. Vincentii? Et ſi hoc ultimum ſatius judicetur, an in Diœceſibus, in quibus celebratur 5. die Aprilis officium translatum Annunciationis B. V. cum feriatione diei, in qua transfertur, ſatius ſit PP. Cappuccinis illud celebrare hac die, omiſſo officio ad libitum Sancti Vincentii Ferrerii in gratiam Populorum, qui ad ſuas Eccleſias accedunt, audituri Miſſam, & officium de myſterio Annunciationis? Et inde etiam,

iam, an tranſlato officio Annunciationis juxta Romanas Rubricas in 4. diem Aprilis, debeant tamen, vel poſſint illud differre in ſequentem diem 5. Aprilis in Diœceſibus, in quibus tunc transfertur in hanc diem ob feſtum S. Ambroſii, quod celebratur 4. Aprilis propria ipſius obitus die? Et reſponſum fuit, quod quando transfertur ſolum officium, & non ſolemnitas, tunc poteſt fieri de Sancto ad libitum occurrente. S. R. C. 14. Februar. 1705. *in una Ord. Cappuc. Galliæ*; ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 229. 151

352. Non licet aliquid ex devotione, ſeu ex auctoritate privata miſcere, mutare, vel apponere inter ea, quæ integrant officia cujuſvis diei, quia in officiis Sanctorum nihil eſt addendum, vel immutandum, niſi a S. Sede Apoſtolica conceſſum fuerit. S. R. C. 10. Junii 1690. *in una Ordin. S. Benedicti*; ex Merato in Indice Decret. Brev. n. 163. *ibid.*

353. Inſtante Fratre Bartholomæo de Camerino Ordinis Cappuccinorum pro declaratione, an verſiculo conſueto de Beata Virgine, *Benedicta tu in mulieribus*, cum reſponſorio, *& benedictus fructus ventris tui*, liceat addere *Jeſus*, & dicere, *& benedictus fructus ventris tui Jeſus*? S. R. C. non licere quidquam addere cenſuit. Die 20. Junii 1654. ex Benedicto Papa XIV. de Canoniz. lib. 4. par. 2. cap. 19. n. 4. 152

354. In officio votivo Immaculatæ Conceptionis, in antiphona, quæ dicit, *Poſt partum virgo inviolata permanſiſti*, dici non poteſt *Immaculata*. S. R. C. 23. Junii 1736. *in Einſidlen.* ex Merato in Indice Decretor. Breviar. num. 334. *ibid.*

355. Sanctorum officia, conceſſiones, lectiones, orationes, antiphonæ, & reſponſoria, aliaque hujuſmodi, in poſterum a Typographo Camerali dumtaxat imprimantur; & inhibetur omnibus Impreſſoribus, ſeu Typographis, tam in Urbe, quam extra ubivis locorum, dicta officia imprimere, niſi facultate in ſcriptis accepta ab Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis, ſi inibi fuerint, ſin minus, a locorum Ordinariis, qui quidem facultatem huiuſmodi non prius concedant, quam originale ſumptum Sacræ Congregationis, vel exemplar Typographi Cameralis authenticum manu Secretarii ipſius S. Congregationis, & ſigillo obſignatum ipſis exhibeatur, quod exemplar in nihilo prorſus immutatum, nihilque in eo additum, ſive detractum in eo imprimi debeat. S. R. C. 11. Aug. 1691. *approbante Innoc. XII. ſub die 19. Octobris ejuſdem anni*; ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 166. 153

356. Breviarium Romanum denuo emendatur; in eo hymni (paucis exceptis) qui non metro, ſed ſoluta oratione, aut etiam Rhythmo conſtant, vel emendatioribus codicibus adhibitis, vel aliqua facta mutatione ad carminis, & latinitatis leges, ubi fieri potuit, revocati; ubi vero non potuit, de integro conditi ſunt, eadem tamen, quoad licuit, ſervata ſententia &c., prout videre eſt in Conſtitutione Urbani VIII., quæ incipit: *Divinam pſalmodiam*, edita die 20. Januarii 1631., & quæ legitur initio cujuſcumque Breviarii Romani; ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 72. *ibid.*

357. Officia non approbata damnantur. Sacr. Rit. C. 8. Aprilis 1628. ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 62. *ibid.*

358. Lectiones ſecundi nocturni propriæ S. Conradi approbantur pro Diœceſi Placentina. Sacr. Rit. Cong. 24. Octob. 1609. Extenduntur pro Diœceſi Syracuſana, & in Diſtrictu, & Civitate Netina. S. R. C. 19. Maji 1614. *in Netina*. Rurſus conceditur idem officium etiam Ordini Minorum S. Franciſci, & Patribus Cappuccinis. S. R. C. 2. Aug. 1625. ex Merato in Indice Decr. Brev. numer. 38. 154

359. Qui ſunt de gremio alicujus Eccleſiæ, debent recitare officium, quod in choro dicitur, licet morentur alibi. S. R. C. 30. Aug. 1602. *in Salernitana*; ex Merato in Indice Decretor. Breviar. num. 2. *ibid.*

360. Clerici licet adſcripti alicui Eccleſiæ, non tamen obligati choro, non tenentur recitare officia, quæ in choro proprio dicuntur eadem die. S. R. C. 30. Aug. 1602. *in Salernitana*, ex Merato in Indice Decretorum Breviar. num. 3. 155

361. Tertiarii S. Franciſci degentes in ſæculo, qui fuerint de gremio alicujus Eccleſiæ, & illius choro obligati, debent recitare officia particularia illius Eccleſiæ, ſecus autem ſi ſint de gremio, & nullatenus choro intervenire debuerint. S. R. C. 28. Sept. 1602. *in una Ord. Minor. Obſerv.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 4. *ibid.*

362. Epiſcopus Regularis debet recitare officium juxta ritum ſuæ Diœceſis, non vero ſui Ordinis. Sacr. R. C. 11. Junii 1605. *in una pro Regulari promoto ad Epiſcopatum*; ex Merato in Indice Decret. Brev. n. 18. 157

363. Cappellani Epiſcopi, qui cum eo recitant officium, debent ſe illi conformare. S. R. C. 11. Junii 1605. *in una pro Regulari promoto ad Epiſcopatum*; ex Merato in Indice Decretor. Breviar. num. 19. 158

364. Tertiarii S. Franciſci degentes in ſæculo poſſunt uti Breviario Ordinis Minorum, & illius Kalendario conformari. S. R. C. 7. Aug. 1694. *in una Ord. Minor.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 186. *ibid.*

365. Cum ex parte Parochorum, Rectorum, & Sacerdotum Locorum, & Terrarum, nempe *di Caneto, Carzagetto, Fontanella, Caſtiglione, Medole, Solferino, Oſtiano, e Volſongo*, Diœceſis Brixienſis, quæ ſunt ſitæ extra limites Status Veneti, Sacræ Rituum Congregationi humillime ſupplicatum fuerit, quatenus ipſis ad ſervandam uniformitatem in recitatione officiorum Diœceſis Brixienſis, benigne impertiri dignaretur, ut officia Sanctorum univerſo Dominio Sereniſſimæ Reipublicæ Venetiarum conceſſa, ac in poſterum concedenda, etiam in præfatis locis, & Terris recitari valeant; & Sacra eadem Congregatio, audita prius relatione Eminentiſſimi Epiſcopi, reſcribendum cenſuit: *Non indigere alia facultate*. Die 7. Decembris 1673. *in Brixien.* Habetur apud nos in authentica forma. 159

366. Uſus Miſſalis, & Breviarii Romani ſemel introductus in Eccleſia, quæ habebat particulare Miſſale, & Breviarium, confirmandus eſt, nec licet redire ad uſum antiqui Miſſalis, & Breviarii. S. R. C. 15. Martii 1608. *in Tullen., ſeu Nullius*, ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 31. *ibid.*

367. Canonici debent cantare alta voce, & poteſt Epiſcopus eos hortari ad id faciendum. S. R. C. 23. Novembris 1602. *in Egitan.* ex Merato in Indice Decretorum Breviarii n. 5. 160

368. Regularibus non convenit continuo officium, & Horas Canonicas cum Canonicis, & Clericis Sæcularibus in choro decantare. Sacr. Rit. Congr. 29. Novembr. 1603. *in Illerden.* ex Merato in Indice Decretorum Brev. num. 13. 161

369. Quando pro aliquo feſto, vel officio conceſſus reperiatur ritus duplex abſque expreſſione majoris, vel minoris, conceſſio intelligenda eſt de duplici minori, etiamſi ad honorem Deiparæ facta fuerit. S. R. C. 2. Octob. 1683. *in Valentina*; & 20. Novemb. ejuſdem anni *in Landen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 144. *ibid.*

370. Officium Stigmatum S. Franciſci pro Clero eſt ſemiduplex. S. R. C. 2. Octob. 1627. *in una urbis*; ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 55. 162

371. Feſtum S. Caroli in Provincia Mediolanenſi celebrari poteſt ritu duplici. S. R. C. 20. Nov. 1610. ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 36. *ibid.*

372. Ad removenda aliqua dubia quæſitum fuit, ſub quo ritu in Hiſpaniæ Regnis (excepta Civitate Gerundæ) ſit celebrandum officium Sancti Narciſſi, & ſub quo ritu cenſeri debeat indultum officium per extenſionem in ceteris caſibus, quando a Sacra Congregatione non exprimatur; & examinatis Decretis reſponſum fuit; Officium Sancti Narciſſi recitandum eſſe in Civitate, & Diœceſi Gerundæ die 29. Octobris ſub ritu duplici 1. claſſis cum octava, die vero 18. Martii de eo fiat commemoratio tantum, ſicut Quadrageſimali tempore fit de ſimplicibus. In ceteris Regnis autem Hiſpaniarum recitandum eſſe ſub ritu duplici minori dicta die 29. Octobris. Sacr. Rit. Congreg. 3. Aug. 1697. *in Hiſpalen.* ex Merato in Indice Decretorum Brev. num. 193. 163

373. Officium S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, alias ſub ritu ſemiduplici pro Eccleſia univerſali die 25. Maji recitari conceſſum, in poſterum ab omnibus utriuſque ſexus Chriſtifidelibus exiſtentibus in tota Italia, & Inſulis adjacentibus, qui ad horas canonicas tenentur, ſub ritu duplici recitari poſſe, & debere conceſſit Benedictus Papa XIII. die 28. Januar. 1728. ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 271. *ibid.*

374. Miſſam, & officium Sanctæ Julianæ de Falconeriis Fundatricis tertii Ordinis Servorum B. M. V. cum oratione, hymno, & lectionibus ſecundi nocturni ſub die 20. Martii 1728. præfatæ Servorum B. M. Religioni, & Civitati Florentiæ conceſſum, in poſterum, prout jacent, ab omnibus Chriſtifidelibus utriuſque ſexus tam Sæcularibus, quam Regularibus, qui ad horas canonicas tenentur, die 19. Junii ſub ritu ſemiduplici recitari, & reſpective celebrari debere indulſit; & ita in Miſſali, & Breviario Romano apponi mandavit S. R. Congreg. die 8. Martii 1738. approbante Clemente Papa XII. die 15. ejuſdem menſis, & eodem anno, *in una urbis, & orbis*; ex Merato in Indice Decretor. Brev. n. 340. *ibid.*

375. Decreta de officiis approbatis de præcepto SS. Bibianæ. Caſimiri, Joachim, Catharinæ Senenſis, Norberti, Hyacinthi, Ludovici, Euſtachii, & Sociorum, Brunonis, & Birgittæ; ſimiliter Decreta recentiora aliorum Sanctorum uſque ad Clementem XII. vide in ſectione VII. ſuis locis propriis. Decreta de officiis Sanctorum ad libitum vide ibidem; ex Merato in Indice Decretorum Brev. n. 57. *ibid.*

376. Adveniente notitia alicujus officii recitandi, a S. R. C. recenter conceſſi, ſi talis notitia ita opportune perveniat, ut prædicti officii recitatio evenire poſſit tempore congruo, ſcilicet vel die a Sacra eadem Congregatione pro tali recitatione præſcripto, vel diebus poſt illum vacantibus, quibus juxta Rubricarum regulas hujuſmodi officium recitari poſſit, recitetur quidem; ſi autem talis notitia non ita opportune pervenerit, ut prædictis diebus impleri potuerit officii recitatio, pro præſenti anno omittatur. S. R. C. 11. Julii 1739. ex Regeſtis ejuſdem Cong. *ibid.*

377. Regulares, quamvis ex conſuetudine utantur Kalendario Diœce-

Diœceſano, non ideo tenentur ad recitationem officii de octava Patroni loci, vel Titularis principalis. Sacra Rituum Congregatio 16. Septembr. 1741. ex Regeſtis ejuſdem Cong. 164

378. Decreta, quæ ſtatuunt non eſſe transferendos ad annum ſequentem Sanctos illos, qui in fine anni ſuperſunt, intelligendi ſunt non ſolum de ſemiduplicibus, ſed etiam de duplicibus; & locum habent, ſive ab accidentali, ſive a perpetuo occurente impedimento, eorum celebratio fuerit impedita. S. R. C. 16. Septembris 1741. ex Regeſtis ejuſdem Cong. *ibid.*

379. Ubi adeſt indultum recitandi qualibet feria quinta per annum officium SS. Sacramenti, occurrente in eadem feria quinta quocumque officio 9. lectionum, etiam translato, omiſſa recitatione SS. Sacramenti faciendum eſt officium ea die occurrens, etiamſi eſſet de die infra octavam. Sacr. Rit. Congr. 1. Octobris 1740. ex Regeſtis ejuſdem Congr. *ibid.*

380. Officium Translationis S. Januarii, quod in Regno Neapolitano ex indulto S. R. C. celebratur Dominica 1. Maji ſub ritu duplici majori cum octava, occurrens cum feſto altioris ritus, vel majoris dignitatis, transferendum eſt ab ipſa Dominica in primam diem non impeditam, quoad octavam vero ſervetur Rubrica 10. Brev. de Transl. nu. 1. ab illis verbis. *Quod ſi feſtum*. S. R. C. 11. Julii 1739. ex Regeſtis ejuſdem Congreg. *ibid.*

381. Ubi viget conſuetudo immemorabilis, poteſt recitari officium de communi pro Sanctis, etiam non canonizatis. S. R. C. 11. Junii 1605. *in Viſen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 20. *ibid.*

382. Solemniter conſueviſſe fieri officium, de quo Rubrica Breviarii Romani ſub tit. 1., ſignificat feſtum Populi, aut Cleri cum pompa exteriori, apparatu, concurſu &c. S. R. C. 28. Octob. 1628. Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 65. 165

383. Officia de Epiſcopis Sanctis locorum poſſunt continuari de communi, ſi conſtaret illos fuiſſe canonizatos, vel per tempus immemorabile celebratum fuiſſe de illis officium, & Miſſam. S. R. C. 28. Octobris 1628., *& reperitur in Rubricis Breviarii Minor. Obſerv. num. 62.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. *66.* 166

384. Si feſtum S. Honuphrii ante Bullam Pii V. celebratur cum officio, & Miſſa, poteſt continuari, ſi vero introductum eſt poſt Bullam, nullo modo permittendum eſt. S. R. C. 17. Novembris 1632. *in Converſana*, ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 78. *ibid.*

385. Quamvis Patres Cappuccini Conventus Leodien. ex conſuetudine pluſquam centum annorum ſoleant facere officium duplex majus de S. Servatio Epiſcopo 13. Maii, quia eſt Patronus principalis Parochiæ, in qua morantur, & eſt feſtum devotionis in Populo, nihilominus declaratum, & deciſum fuit, non licere prædictis PP. Cappuccinis continuare recitationem dicti officii, nec in alium diem transferre, quando ab alio majori feſto contingit eſſe impeditum. Sacra Rituum Congregatio 28. Auguſt. 1706. *in una PP. Cappucc. Provinciæ Leodien.* ex Merato in Indice Decretorum Brev. numer. 240. 167

386. De Sancto canonizato non poteſt fieri officium extra propriam Eccleſiam ſine novo Decreto. S. R. C. 9. Decemb. 1628. *in Gennen.* ex Merato in Indice Decretor. Breviar. numer. *67.* *ibid.*

387. Nullatenus in Anniverſario Beatificationis, ſeu Canonizationis debet celebrari feſtum cum officio, niſi in illa tantum die Canonizationis, vel Beatificationis, & eo modo, quo conceſſerit Sacra Congregatio. S. R. C. 8. April. 1628. ex Merato ſect. 2. cap. 2. num. 9. 168

388. Recitatio officii de Beatis non canonizatis non eſt ſatisfactoria præcepti, niſi quoad illos, quibus Sedes Apoſtolica de hoc indulſit; nec talium Beatorum nomina poni poſſunt in Kalendario, niſi illius tantum loci, earumque perſonarum, in quo & a quibus cultus Beati cum Officio, & Miſſa celebratur. S. R. C. 27. Septemb. 1659. *in Decreto generali approbante Alexandro VII.* ex Merato in Indice Decr. Brev. numer. 79. *ibid.*

389. In locis, ubi Beatos ab omnibus coli permiſſum eſt, non inde publica officii recitatio permiſſa cenſeatur, ſed tantummodo privata, nec ſatisfactoria præcepti recitationis, niſi quoad illos, quibus Sedes Apoſtolica de hoc indulſerit. S. R. C. 27. Sept. 1659. ex Merato in Indice Decret. Miſſal. n. 365. *ibid.*

390. Beatorum nomina in Kalendariis non apponantur, niſi illius tantum loci, earumque perſonarum, in quo, & a quibus cultus Beati cum officio, & miſſa celebratur. S. R. C. 27. Sept. 1659. ex Merato in Indice Decr. Miſſal. n. 368. *ibid.*

391. Si conceſſa fuerit per Sedem Apoſtolicam Altarium erectio, non tamen ob id miſſam, & officium de Beatis celebrandi, vel recitandi facultas tradita præſumatur; etenim ſpecifica, & expreſſa conceſſio ſuper his præcedere debet. Sacr. Rit. Congregatio coram Alexand. VII. 27. Septembr. 1659. ex Merato in Indice Decretor. Miſſal. n. 363. 169

392. Epiſcopi Regulares, qui ex indulto Sedis Apoſtolicæ gaudent privilegiis ſuæ Religionis, de quibus ſunt capaces pro eorum conditione, non poſſunt de Beatis ſuæ Religionis recitare officium, & in propriis Cathedralibus miſſam celebrare, & Altare Beatis erigere. Sacr. Rit. Congregatio 17. Apr. 1660. ex Merato in Indice Decret. Miſſ. num. 382. *ibid.*

393. Beati in Patronos non eligantur, nec eorum natalitia cum octavis celebrentur. S. R. C. coram Alex. VII. 27. Septemb. 1659. ex Merato in Indice Decretorum Miſſal. num. 373. *ibid.*

394. Indulta recitandi officium cum octava, vel ſine octava, & celebrandi miſſam de Beatis, non fuerunt revocata per Decretum emanatum anno 1659. 27. Septembr. S. R. C. 17. Aug. 1660. ex Merato in Indice Decr. Miſſal. n. 380. *ibid.*

395. Abſque Pontificio indulto non licet aſſumere in Titulum Eccleſiæ Beatum nondum canonizatum; Titulus autem ſic aſſumptus debet ſupprimi, & alius pro eo de Sancto canonizato ſubſtitui. S. R. C. 23. Jan. 1740. ex Regeſtis ejuſdem Cong. *ibid.*

396. Dies feſti in Beatorum memoriam non celebrentur, niſi ſpeciali indulto Apoſtolico proviſum fuerit. S. R. C. coram Alex. VII. 27. Sept. 1659. ex Merato in Indice Decr. Miſſ. n. 367. *ibid.*

397. Dies feſti in Beatorum honorem non celebrandi, non extenduntur ad feſta devotionis. Sacra Rituum Congregatio 17. Septembris 1660. ex Merato in Indice Decret. Miſſ. 379. *ibid.*

398. Servanda eſt antiqua, & laudabilis conſuetudo, ubi recitatur in choro officium parvum B. M. etiam in ſemiduplicibus, & Dominicis, non obſtante Rubrica Breviarii. S. R. C. 1. Sep. 1607. *in Trojana* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 27. 170

399. Eccleſiæ quæ mutato proprio Breviario, ad Romanum convolarunt, tenentur ad officium parvum B. Virginis juxta veteris conſuetudinis obſervantiam. Sacr. Rit. C. 2. Jan. 1627. approbante Urbano VIII. ex Regeſtis ejuſdem Cong. *ibid.*

400. Ad invitatorium, antiphonas, reſponſoria, & verſiculos in officio parvo B. M. V. tempore paſchali non additur *Alleluja*. S. R. C. 28. Martii 1626. *in Ternacen.* ex Merato in Indice Decret. Brev. n. 52. *ibid.*

401. Perſolventes divinum officium extra chorum, non tenentur ad pſalmos graduales, nec pœnitentiales, neque ad officium parvum B. M. V., nec Defunctorum, quæ quidem officia, & pſalmi ſunt onera tantummodo ex præcepto implenda in choro, S. R. C. 2. Sept. 1741. ex Regeſtis ejuſdem Sacr. R. Cong. *ibid.*

402. Pſalmi Graduales, & Pœnitentiales dicuntur licite, ubi eſt conſuetudo eos dicendi, pridie veſperi feriæ IV., & VI. poſt Completorium. Sacra Rituum Congregatio 2. Aug. 1603. *in Lauden.* ex Merato in Indice Decretorum Brev. numer. 10. 171

403. I. Quæſitum fuit a S. R. C. declarari: Si officium duplex Romanum de præcepto cadat in die, quo fit officium de Sancto proprio alicujus Diœceſis, vel Religionis, & tale officium proprium habeat octavam, utrum Romanum transferendum ſit poſt octavam officii proprii, vel de eo fieri infra octavam, & ei aſſignari dies fixus? Sacra Congregatio reſpondit: In occurrentia duplicis Kalendarii Romani cum officio proprio habente octavam, de eo (ſcilicet de duplici Romano) fieri debere infra octavam prima die alio feſto duplici, vel ſemiduplici non impedita, juxta Rubricam 7. Breviarii Romani de octavis num. 3., & 10. de Transl. feſt. n. 3. 62

II. Si Romanum ſit ſemiduplex, utrum debeat idem ſervari? *Et reſpondit*: De officio ſemiduplici fieri debere die immediate ſequenti, ſcilicet 2. die infra eandem octavam, quæ ſi fuerit alio feſto duplici, vel ſemiduplici impedita, prædictum officium transferendum eſſe poſt octavam juxta Rubricam 10. de Transl. num. 5. Neutrum tamen transferri debere in diem fixum, niſi aliter indultum fuerit a Sede Apoſtolica. *ibid.*

III. Si Romanum ſit ſemiduplex ad libitum, utrum transferri poſt octavam, vel locus fixus infra octavam ei aſſignari poſſit? *Et reſpondit*; Officia ad libitum, ſive ſub ritu ſemiduplici, ſive duplici infra dictam octavam occurrentia, non poſſe transferri, ſed debere omitti ex Decreto generali de officiis Sanctorum ad libitum non transferendis edito ſub die 24. Jan. 1682. 63

IV. Si Romanum, & proprium ſint ejuſdem claſſis, & neutrum habeat octavam, de quo fieri debeat officium, de Romano, vel proprio, ſi occurrant eodem die? *Et reſpondit*: Si officium Romanum, & proprium ſint ejuſdem ritus, ſervari debere Rubricam de Transl. feſt. numer. 6. ex Merato in Indice Decretorum Brev. numer. 174. *ibid.*

404. Dum SS. Sacramentum eſt patenter expoſitum, in omnibus Miſſis facienda eſt commemoratio de eodem poſt omnes alias commemorationes de præcepto; in Miſſis tamen ſolemnibus feſtorum primæ, & ſecundæ claſſis fit ſub unica concluſione. Sacr. Rituum Congregatio 16. Februar. 1737.

405. Quan-

405. Quando in choro cantantur aliqua verba genufleᶜtionem requirentia, ſi mora præſcriptæ genuflexionis eſt brevis, hæc fiat, etiam a cantantibus ad ambonem, ſeu a regentibus chorum, dum ipſa verba cantantur, quæ genuflexionem requiruntur; quando autem mora genuflexionis eſt longa, ut ad verba pſalmi Invitatorii *Venite adoremus, & procidamus ante Deum*, ad verba ſymboli *Et incarnatus &c.*, & ad alia ſimilia, ne plurium vocum uniſona modulatio infleᶜtatur, genuflexio peragatur ſub finem verborum, Sacr. R. C. 8. Martii 1738.

406. In veſperis, & laudibus ferialibus non ſunt canendæ feriales preces alta voce, & per depreſſionem vocis in fine uniuſcujuſque verſiculi a *Fa* ad *Re*, ſed utendum tono, ac voce uniformi per ſimplicem *Fa*, non obſtante contraria conſuetudine, Sacr. Rit. Congreg. 9. Maji 1739.

407. In Miſſis Defunctorum, quæ in Paramentis nigris celebrantur, non miniſtretur Euchariſtia per modum Sacramenti, ſcilicet cum particulis præconſecratis, extrahendo pyxidem a cuſtodia; poteſt tamen miniſtrari per modum ſacrificii, prout eſt, quando fidelibus præbetur communio cum particulis intra eamdem Miſſam conſecratis, S. R. C. 2. Septembris 1741. Ex Regeſtis ejuſdem S. R. C. *Quæ Decreta in ſubſequenti Tomo expoſitionem expectent*.

F I N I S.

CAPUT XIII.

De Diebus Feſtivis in honorem Sanctorum.

I. FAllimur profecto, ſi dum de diebus feſtivis incipimus agere, deſit, qui nos criminetur, quaſi aliena ab inſtituto pertractare ſumamus. Nolumus hac de re diutius diſputemus, fatemurque, ſi vis, quod in hiſce noſtris Commentariis quandoque offendes nonnulla, quæ ab ſcopo parumper videntur deflectere. Vide, quam comes ſimus. Dicimus vero, ſi diligentius, & ſeverius res inſpiciatur, adeo belle cuncta metam attingere, ut nec minimum ab ea declinent. Et o quam plurima nobis ſuppeterent, ſi poſitivis argumentis id ſtuderemus evincere! Quam facile a nobis abigeremus notam quamlibet, ſi vel minimam hujus ſuſpicionem arbitraremur locum apud cordatos habere poſſe homines, aut ſi neceſſitas ulla apologeticam orationem expoſceret! Satis perſpicue demonſtratum credimus effutiri crimen illud, ſi Lectorem trahimus ad ea, quæ Libri frons gerit, necnon quæ in operis præfatione eumdem monendum eſſe duximus. Nonne dictiones illæ *Præſertim*, & *Quomodolibet*, etſi deſtitutæ forent ſequentibus iis verbis *Doctrinæ varietate contextum*, quæ omnia operis tenet inſcriptio, a cenſura nos illico faciie vindicarent, crimenque, quod nobis caſſo vulnere inuritur, non caſſo retortum, in ipſum recidere facerent criminatorem? Quid vero, ſi adderemus, quæ in operis præfatione egimus, diſertiorem nempe rerum elucidationem, aptam privilegiorum, quæ Rubricarum vi, Decretorumve competunt, diſtributionem, quæ hinc in reſpectiva derivant argumenta, ac utilitatem uberem, & neceſſitatem plurimam, quæ ad id agendum Commentatorem non ſemel adigunt, atque compellunt? Quomodo enim puta præferentiam, quam hujuſce rationis feſtivis officiis Decreta faciunt, iiſdem tu rite concederes, ſi de dierum feſtivorum plenam notionem non teneas? Hæc, aliaque id genus perpendas, enixe rogamus, & deinde judicium facias, dum nos ad examen propoſiti gradimur argumenti.

II. Si antiquitatem ſpectas ad prima Eccleſiæ tempora feſtivitates SS. refert Damaſcenus *orat. 1. adverſus Sacr. Imag. oppugnat.* hæc elocutus: *Celebritates Sanctorum tolli non poſſunt, cum Sanctus Apoſtolorum, & divinorum Patrum Chorus eas fieri jubeat*. A diebus feſtis forenſia jurgia, & ſervilia opera nedum Eccleſia, ſed Hebræi ipſi, ac veteres Gentiles reperiuntur amoviſſe, unde Cicero, *lib. 2. de leg. cap. 12. alias* 29. habet: *Feriarum, feſtorumque dierum in liberis requietem habet litium, & jurgiorum, in ſervis operum, & laborum*. Libri 1. Machab. cap. 10. v. 35. de diebus ſolemnibus, Sabbatis, Neomeniis, & diebus decretis dicitur: *& nemo habebit poteſtatem agere aliquid, & movere negotia adverſus aliquem illorum in omni cauſa*. Et ad Chriſtianos quod attinet, ne pluribus incaſſum utamur, en quod Regia ſimul, & Eccleſiaſtica auctoritas eandem tulere legem, dum Concilio II. Matiſconenſi anno 585. coacto Regis Gutramni Decretum additum eſt, in quo inter alia extant: *Decernimus, ut in omnibus diebus Dominicis, vel quibuſcumque reliquis ſolemnitatibus, præter victum, quem præparari convenit, ab omni corporali opere ſuſpendantur, nec ulla cauſarum præcipue jurgia moveantur*.

III. Quoniam tamen primis Eccleſiæ temporibus dominabantur Principes Chriſtiano infenſi nomini, adminiſtrabantque tribunalia, & fora, etſi a forenſibus, & laborioſis operibus caverint Chriſtifideles eo, quo poterant modo, eamdemque a ſuis feſtivitatibus arcere quammaxime ſolliciti fuerint, nonnumquam nedum forenſibus concertationibus intereſſe adacti venere, quin & ad ſervilia opera fuerunt compulſi vel a Principibus ipſis, vel a Gentilibus, quibus inſerviebant, aut ne ex otio detegerentur Chriſtiani, & ad tribunalia puniendi deducerentur. Ubi vero a Principibus Chriſtianis obtentum imperium eſt, fora continuo in Chriſtianorum feſtivitatibus ſiluerunt, & a ſervilibus operibus ſumma religione abſtinere ſtuduere fideles, ac vetiti ſunt, niſi inopia, aut neceſſitas, quibus omnes parent leges, diſpenſationi locum eſſe ſuaderent. Hinc Conſtantinus Magnus in ea lege, quæ extat lib. 3. Codicis tit. 12. de feriis leg. 3. in ſimili eventu ruraria opera permiſit: *Quoniam frequenter evenit, ut non aptius alio die frumenta ſulcis, aut vineæ ſcrobibus mandentur, ne occaſione momenti pereat commoditas cæleſti proviſione conceſſa &c.* Quæ & modo permittere in uſum habet Eccleſia, quum vereri jure poteſt, eripi poſſe ſegetes, ſi die feſto colligi negligantur.

IV. Sine Sacrificio non fuiſſe celebratas Sanctorum feſtivitates, luculenter eruitur ex Cypriano Epiſt. 34. *Sacrificia pro eis ſemper, ut meminiſtis, offerimus, quoties martyrum paſſiones, & dies Anniverſaria commemoratione celebramus*. Cui Sacrificio ſumma cum Religione fideles intereſſent, hinc originem traxit præceptum diebus feſtivis intereſſendi Sacroſancto Miſſæ Sacrificio, quod licet fortaſſe alicui non innitatur Canoni, qui fideles omnes ſub gravi habeat vim obligandi, dubium non eſt, quod criminis lethalis rei fierent fideles ii omnes, qui illud ſervare contemnerent, ſive poſtea hoc referas in perpetuam, conſtantemque Eccleſiæ circa rem hanc voluntatem, ejuſdem plurimis edictis, & creberrime repetitis in Synodis, Pontificum reſponſis, & legibus manifeſtatam, ſive in communem populorum in ritum hunc obſervandum conſpirationem, antiquiſſimamque conſuetudinem animo ſe obligandi inductam.

V. Communem vero feſtivitatibus omnibus, & peculiarem finem habent Sanctorum feſtivitates. Communem deſignant Conſtitutiones Apoſtolicæ *lib. 7. cap. 37.* dum inſtitutas eſſe aſſerunt ad recolendam memoriam divinorum beneficiorum, ad cultum Deo præſtandum, ac ad noſtrum ſolatium. Aliud addit emolumentum Iſidorus *lib. 1. de offic. cap. 35.*, ad quod reſpexit Eccleſia, dum Dominicæ diei alias Sanctorum feſtivitates adjunxit: *omnes autem feſtivitates pro varietate religionum, diverſaque in honorem martyrum tempora ideo a viris prudentibus inſtituta ſunt, ne forte rara congregatio populi fidem minueret in Chriſto. Propterea ergo dies aliqui conſtituti ſunt, ut in unum omnes pariter convenirent, ut e conſpectu mutuo, & fides creſcat, & lætitia major oriatur*. In finem autem particularem ſunt inſtitutæ, ut Deo gloria detur, tum ob victoriam de tyrannis, de Dæmone, & de vitiis, Chriſti gratia relatam, tum ob Sanctiſſima exempla, quæ admiramur in Sancto illo, cujus feſtivitatem agimus: 2. ut ejuſdem Sancti memoriam honoremus, laudes celebremus, cultum promoveamus, vicemque rependamus, ut ait Durandus *cap. 1. lib. 7. Divin. offic.* eo quod Sancti celebrant feſtum de nobis, dum a peccatis ad Deum convertimur, quoniam gaudium eſt in cælo Angelis Dei, & animabus juſtis ſuper uno peccatore pœnitentiam agente: 3. ut nos Sancti interventu ſuo protegant, foveantque: 4. ut per Sanctorum exempla, & virtutes, quas recolimus, ad eorum imitationem accendamur; unde D. P. Auguſtinus lib. 20. contra Fauſtum cap. 21. *Populus Chriſtianus memorias Martyrum Religioſa ſolemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum conſocietur, atque orationibus adjuvetur &c.*

VI. Sanctorum feſtivitates in duo capita diſtribuuntur, quorum unum feſta integra, ſeu ſolemnia complectitur, alterum ea, quæ minora, alii dimidia feſta appellant. Prioris generis ſunt, in quibus omnino ſilent fora, & ſervilia opera exercere non licet. Poſterioris, in quibus mane interdicuntur forenſes concertationes, & laborioſa opera, ut Miſſæ Sacrificio præſentes eſſe poſſimus, reliquam vero diei partem & fori jurgiis, & laborioſis operibus licet tranſigere. Feſtum hujuſce rationis exempla plurima in Eccleſia Græca extitiſſe diſerte eruitur ex lege Manuelis Comneni, & in Latina ex Concilio Oxonienſi cap. 8. Trevirenſi 11. cap. 10.: quorum primum habet: *Hæc ſunt feſta, in quibus poſt Miſſam opera ruſticana concedimus, ſed antequam, non. Octava Epiphaniæ &c.* Secundum vero recenſitis nonnullis feſtis ſubdit: *Uſque in meridiem feriari volumus, ita ut facto Sacro, cuique ad labores, aut negotia*

ſua redire liceat. At quomodocumque hæc olim fuerit, noſtris certe temporibus nulla dimidia feſta habent Latini.

VII. Carpet fortaſſe quis denique inſcriptionem ipſam quam præſenti dedimus Capiti, dum de diebus feſtivis *in honorem Sanctorum* inſtitutis in eodem agere ſumpſimus; dies enim feſti, præcipue quia Sacrificium involvunt, cultum latriæ important, qui uni Deo debetur, & tribui valet. Verum ultro nos damus feſta quælibet in Dei honorem eſſe inſtituta, & celebrari, uti & Sacrificium, quo nullum caret feſtum, uni Deo offerri, non Sanctis; quia tamen in feſtis Sancti laudantur, proponuntur relicta nobis ab iiſdem præclara virtutum exempla, nos eorum patrocinio concredimus, & ex eorundem victoriis Dei gratia relatis Eccleſia occaſionem deſumir præfata inſtituendi feſta, hæc *in honorem Sanctorum* dicuntur inſtituta, ſicuti hac, ſimilive de cauſa *in honorem*, *& memoriam Sanctorum* nonnullæ Miſſæ celebrari dicuntur, etſi Sacrificium ſoli Deo offeratur, qui illos coronavit, ut nos aperte monet Tridentinum *ſeſſ.* 22. *cap.* 3., & prius ipſo D. P. Auguſtinus *lib.* 20. *contra Fauſtum cap.* 21. necnon Iſidorus *lib.* 1. *officior. cap.* 15. Hinc habes diſcrimen feſtivitatum Sanctorum ab iis Domini, cujus rationis præſertim exiſtunt dies Dominicæ, de quibus in ſequenti agemus Capite; nunc enim de feſtivitatibus Sanctorum ſumimus agere, non quia iis Domini præſtent, ſed ut expediamus tractatum de Patronis locorum, quorum dies juxta Urbanam Conſtitutionem in prima parte hujuſce Tomi non ſemel diximus eſſe feſtivos, cæterum cum feſta quælibet primario Deum reſpiciant, in ejuſque honorem referantur, certe diſcrimen plurimum inter ea non eſt reperire, licet illa Sanctorum ex denominatione, quam ſubeunt, minoritatem præſeferant.

DECRETUM I. CAPITIS, IN ORDINE CI.

In Sanctorum Patronorum electione fieri non debent promiſſiones ſervandi diem feſtum Patroni electi tamquam de præcepto, etiamſi ab Eccleſia univerſali ſub tali ritu non colantur; nam has promiſſiones, & vota non admittit, nec approbat, ſed rejicit, & tantum ex devotione ſervari poſſe concedit S. R. C. 15. Martii 1698. *In Theatina*, *& Pennen. pro Clero*, *& Populo nonnullorum oppidorum*. Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 197.

I. CONſuetudinem promiſſa, ſeu vota Sanctis nuncupandi antiquitatis, & utilitatis laude, ac probitatis honore haudquaquam deſtitui, non eſt, quod conemur oſtendere; teſte enim Ambroſio *Orat. de exceſſu Satyri num.* 17. Satyrus frater ſuus voto facto S. Laurentio ex remotiſſimis regionibus rediit incolumis; & *lib. exhort. virginit. c.* 3. *alias num.* 5. Juliana, quod ex ſe naſceretur filius, quem propterea Laurentium appellarunt, impetravit. Gregorius Turonicus *lib.* 2. *hiſt. Francor. cap.* 37. meminit voti, quod milites Regis Clodovei B. Martino nuncupaverunt ad impetrandam victoriam, *qua patrata Rex Turonas regreſſus eſt*, *multa Sanctæ baſilicæ B. Martini munera offerens*, & apud D. Patrem Auguſtinum *Serm.* 286. *de diverſis olim* 39. *n.* 4. Cæcus quidem *in Baſilica Sanctorum Martyrum Gervaſii*, *& Protaſii*, *ubi ſunt eorum corpora*, *totam vitam ſerviturum ſe eſſe devovit*. S. Paulinus ſingulis annis votivum carmen in honorem S. Felicis elaborabat, unde in hujus Natali ſexto:

Lex mihi jure pio poſita hunc celebrare quotannis
Eloquio famulante diem, ſolemne repoſcit
Munus ab ore meo, Felicem dicere curſu,
Lætitiamque meam modulari carmine voto.

Et V. 47.

. . . . Ego munere linguæ
Nudus opum famulor de me mea debita ſolvens.

II. Hæc licet ita ſint, non deerunt nonnulli, quibus diſpliceat, hanc vocem *votum* ad ſignificandas promiſſiones Sanctis factas a Congregatione uſurpari, cum pro promiſſione Deo facta ab Eccleſiaſticis communiter accipiatur Auctoribus. At dicta vox plures utique habet in lexicis ſignificationes, & ſi paulo latius ſumatur, non eſt, quod prohibeat, eamdem adhiberi ad deſignandas promiſſiones Sanctis factas, præſertim cum præeant tot illuſtrium virorum, & Sanctorum exempla, ex quibus aliquorum ſuperius meminimus. Ceterum & ſtricte ſumpta, apprime bene adhuc iiſdem valet convenire, cum omnes hujuſmodi promiſſiones ad Deum denique collineent, & principaliter reducantur, ut aſſerit D. Thomas *in* 4. *diſt.* 38. *qu.* 1. quia quæcumque a Sanctis petimus, nonniſi ut ab impetratoribus, & mediatoribus petimus; auctor quippe beneficiorum eſt Deus, ad quem propterea referuntur eadem vota, preces, & oratio.

III. Hora eſt, propius accedamus ad Decreti explanationem; nedum autem in Sanctorum Patronorum electione ejuſmodi promiſſiones, & vota ab Univerſitatibus fieri contingit, ſed etiam frequenter ad perpetuam memoriam ſimul, & in gratiarum actionem accepti olim beneficii, aut patrati divinitus mirandi alicujus operis, aut ob ſpem obtinendæ alicujus gratiæ, ſive temporalis, ſive ſpiritualis, præſtatas, vel ſimiles promiſſiones, aut vota fieri, & factas eſſe, nonnulla exempla ex antiquitate deprompta nos docent; hinc pluribus in locis videre eſt ex voto feſtivum haberi diem, quo ſingulari alicujus Sancti præſidio Civitas ab obſidione, vel excidio liberata fuit, & alicubi v. g. S. Sebaſtianum, & Rocchum cum publica feriatione coli, vel ad depulſæ aliquando eorum patrocinio peſtilentiæ conſervandam memoriam, ſive in gratiarum actionem, vel ad perennis adverſus eam præſidii ſpem firmandam &c.

IV. Hujuſmodi promiſſiones, & vota partiri queunt in perſonalia, realia, & mixta. Perſonalia, quæ ſcilicet reſpiciunt actiones perſonales, ut ſunt tamquam feſtivum colere diem aliquem, jejunare in vigilia alicujus Sancti, viſitare ejuſdem Eccleſiam &c. Realia, ut promiſſio alicujus rei dandæ, tot cereos accendendi, Eccleſiæ fundandæ &c. Mixta, quæ ſcilicet ex utriuſque participant, ut ſi promiſſio fiat nedum de re aliqua, ſed etiam de officio, & functione perſonæ, veluti propriis manibus templum ædificandi, propriis ſumptibus militandi adverſus fidei hoſtes &c.

V. Certiſſimum eſt apud omnes, obligationem voti, ſive perſonale ſit, vel reale, aut mixtum, ſolum tangere perſonam, quæ illud emiſit, ipſamque adſtringere, non vero alios, quoniam votum illum dumtaxat obligare poteſt, qui ſe voluit libere obligare, ipſe enim legem impoſuit, quam ſolus obſervare tenetur; hinc in Pſalmo 65. *Reddam tibi vota mea*, *quæ diſtinxerunt labia mea*. Ex quo fit, vota emiſſa a Communitatibus in vi voti non obligare poſteros; votum enim ſicut non poteſt concipi, ſic nec ſtare, atque adeo obligare in præjudicium poteſtatis alienæ, teſte D. Thoma 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 8.

VI. Quemadmodum vero certum eſt, obligationem cujuſcumque voti perſonam voventem non pertranſire, ita apud Auctores incontroverſum eſt, vota realia tranſire ad hæredem Defuncti, qui votum ſuum non implevit, ita ut hæres teneatur ad ſolvenda vota realia Defuncti, non quidem ex virtute Religionis, quippe quæ, ut dicebamus, ſolum voventem adſtringit, ſed ex virtute juſtitiæ, ratione acceptatæ hæreditatis. Ita ſonitur *ex cap. parte de cenſibus*. *Cap.* 1. *de ſolutionib. cap. ſi heres de teſtam. l.* 2. *ff. de pollicitationib.*, ubi habetur. *Si forte qui decimam bonorum vovit, deceſſerit &c.*, *heres ipſius hæreditario nomine decimæ obſtrictus eſt*; *voti enim obligationem ad hæredem tranſire conſtat*. Et ratio eſt, quia Defunctus obligatus fuit ſuis bonis votum reale exequi, ergo ſicut hæres in bonis, juribus, & actionibus Defuncti ſuccedit, debet in oneribus, obligationibus ipſis bonis adnexis ſuccedere; inter hujuſmodi autem obligationes ſicuti ſunt alia debita Defuncti, ita & ejuſdem vota realia.

VII. Vota itaque realia a Communitatibus emiſſa, ad ſucceſſores tranſeunt, non quidem ita ut hi obligentur vi voti, aut Religionis, ſed virtute juſtitiæ ad ea ſervanda, quatenus ſuccedunt in bonis ejuſdem talibus votis realibus, aut oneribus affectis. Quod ſi nulla bona Communitatis voventis ad ſucceſſores tranſirent, aut hi hæreditatem reſpuerent, ad ſolvenda dicta vota non tenerentur, quia ſolum ratione hæreditatis, cui eſt adnexum tale onus, obligantur. Immo ſi vires hæreditatis ad votorum debita non ſufficerent, non tenerentur ſupra vires hæreditatis ea ſolvere, quia naſcitur hæc obligatio ex accepta hæreditate; ergo quando hæc eſt inſufficiens, non tenebitur hæres ultra vires illius debita perſolvere. Et hoc, ſive faciat inventarium, ſive non, quia lex præcipiens hæredi ſolvere debita Defuncti, etiamſi ſint ſupra vires hæreditatis, cum inventarium non fecit, fundatur in præſumptione fraudis, quam credit committere inventarium non conficientes; ergo ſi revera hæreditas non ſufficit abſque fraude hæredis, non obligabit illa lex in foro conſcientiæ ad ſolvenda ulla debita ultra vires hæreditatis.

VIII. Obſervet hic igitur Lector, quod promiſſiones, & vota, quæ Sacra Congregatio non admittit, nec approbat, ſed rejicit, & tantum ex devotione ſervari poſſe concedit, non ſunt vota realia, ſed perſonalia, nimirum *vota ſervandi diem feſtum Patroni electi tamquam de præcepto*, *etiamſi ab Eccleſia univerſali ſub tali ritu non colatur*; quibus addi debent quæcumque alia vota perſonalia facta a Communitatibus, ut jejunandi in vigilia alicujus Sancti, viſitandi ejuſdem Eccleſiam &c., hæc enim vota non obligant Populum, ſed tantum perſonas, quæ talia vota emiſerunt; quapropter fatetur Monacelli *in form. leg. pract. par.* 2. *tit.* 13. *num.* 15. plures ſupplices libellos hanc ſuper rem Sacræ Congregationi porrectas pro confirmatione hujuſmodi promiſſionum, & votorum, fuiſſe rejectos, & præcipue *in Urbevetana* 6. Octobr. 1696.; *in Meſſanen. loci Milazzi* 25. Janu., & *in Aleſſana Terra Corſani* 6. Septemb. 1698.

IX. Quod ſi *tantum ex devotione* hujuſmodi promiſſiones, & vota ſervari Congregatio concedit, ad ea ſervenda non adſtringuntur ſucceſſores, nec quia ſint eadem Communitas continuata, idemque Populus, ut tenent Navarrus *cap.* 21. *n.* 79. *verſu* 13. Rodriquez *to.* 2. *cap.* 99. *num.* 13., Ludovicus Lopez 1. *par. inſtruct. cap.* 50. *col.* 3. *verſu neque ad vota*, quoniam id ſolummodo verum eſt quoad repræſentationem, & poteſtatem, non autem quoad realitatem, cum revera interveniat perſonarum diſtinctio; quare cum obligatio voti ſit omnino perſonalis, nequit ſucceſſores adſtringere.

X. Neque in vi contractus, & promiſſionis, quæ in ſucceſſorem univerſalem pertranſit, *l.* 1. *&* 2. *de hæredit. accepiand.*, uti allegati quoque docent Auctores, quandoquidem in votis emiſſis nullus videtur initi contractus, & ſi bene res perpendatur, admodum conſtat, hoc ſolummodo procedere in votis realibus, ad quæ adimplenda hæres, ſucceſſor univerſalis tenetur, non autem in votis perſonalibus, quæ alienæ præjudicium inferre non poſſunt poteſtati; quapropter videre eſt, quod in Sacra Scriptura, ubicumque ſermo eſt de adimpletione votorum, ſemper ad ea dirigitur, quæ per propriam voluntatem emiſſa extiterunt; hinc Deuter. 23. 21. *Cum votum voveris Domino Deo tuo*, *non tardabis reddere*, *quia requiret illud Dominus Deus tuus*, *& ſi moratus fueris*, *reputabitur tibi in peccatum*. Et verſu 23. *Quod ſemel egreſſum eſt de labiis tuis*,

obſer-

obſervabis, & facies, ſicut promiſiſti Domino Deo tuo, & propria voluntate, & ore tuo locutus es &c.

XI. Nec vi conſuetudinis longævæ ſufficientis ad vim legis introducendam quemadmodum volunt Azorius *lib.* 11. *inſtit. mor. cap.* 8. *quæſt.* 5., Baſſæus *tom.* 2. *vot.* 2. *num.* 15., Medina 1. 2. *quæſt.* 90. *art.* 3. *col.* 3., Ledeſma 2. *to. ſummæ tract.* 10. *cap.* 3. *dub. ult.* ſuſtinentes, quod cum ea conſuetudo obſervandi illa vota vim legis habeat, tenebuntur ſucceſſores ad eam, ſicuti ad cæteras leges. Tum quia hinc ſequeretur, ſucceſſores non teneri his votis, dum non ſunt longævo uſu approbata, cum tamen Doctores univerſim cenſeant ſucceſſores Communitatum votis ligari. Tum quia juxta hanc ſententiam nihil prorſus refert, ſive Populus id voverit, ſive non, ac proinde nil his votis Populi tribuit, quippe etſi ea emiſſa non forent, illa conſuetudo legitime præſcripta vim legis obligantis obtineret. Verum ex ſtatim tradendis adhuc magis repelletur hujuſmodi ſententia.

XII. Neque vigore fidelitatis, ex qua obligantur ſucceſſores, ut ſicut bonorum Civitatis participes ſunt, ita etiam ſint onerum, uti habent D. Thomas 2. 2. *qu.* 98. *art.* 2. *ad* 4. Sylveſter *verbo Juramentum* 4. *qu.* 2. *dicto* 1. Tabiena *verbo Jurare qu.* 34. *nu.* 35. *&c.* Tum quia omnes fatentur obligationem ſervandi vota Communitatum in ſucceſſoribus eſſe ſub mortali, & virtus fidelitatis, quoties perfidia non eſt primo pernicioſa, obligat ſub ſolo veniali, ut teſtatur Cajetanus communiter receptus *in ſumma verbo Perfidia*. Tum etiam quia obligatio hujus virtutis eſt perſonalis, ut de ſe conſtat, quare ſolum dantem fidem obligat, niſi forte ſermo ſit de promiſſionibus realibus, quarum obligatio ex ſupra dictis tranſire poteſt ad hæredem.

XIII. Neque ratione cujuſdam legis a Populo prædeceſſore ſtatutæ, vel alicujus pacti, cujus obligatio tranſit ad ſucceſſores, qualiter tuentur nonnulli alii; quoniam hujuſmodi vota de rebus ſpiritualibus ſunt, ac proinde non poteſt de iis lex a Populo indici, nec pactum ſucceſſores obligans, ut ſcriptum eſt *cap. tua* 1. *de decim.* ab Innoc. III. *Laicis nulla eſt de ſpiritualibus concedendi, vel diſponendi tributa facultas.* Hinc Innoc. X. in ſua Bulla *cum nuper* reprehendit Senatum Mediolanenſem, quod *præceperit, ut populi, & ſubditi illius Senatus abſtineant in feſtivitate S. Dominici ab operibus ſervilibus, & artifices tabernas & apothecas clauſas teneant prout ſervatur diebus feſtis ex præcepto.* Et rationem hujuſmodi reprehenſionis afferens ſubdit: *Conſiderantes, quam pernicioſum auctoritati Eccleſiaſticæ id eſſe poſſit, cum Principes laici, quos in rebus Eccleſiæ obſequendi potius manet neceſſitas, quam auctoritas imperandi, non habeant facultatem indicendi dies feſtos in honorem Sanctorum.* Et ſi igitur Principes Seculares, Magiſtratus, Populi præcipere poſſint vacationem a foro, & etiam ab opere ſervili, aliiſque actionibus publicis, in memoriam alicujus inſignis victoriæ, in gratiarum actionem ob Urbem lue liberatam, aliudve ſimile, & punire etiam contravenientes, ex tali tamen præcepto, quod mere politicum eſt, nulla oritur obligatio in conſcientia, ſaltem quoad culpam. Videantur Fagnanus *in cap. conqueſtus n.* 58., *& ſeqq. de feriis*, Anacletus *ad tit. Decretal. de feriis tit.* 2. §. 1. *n.* 3. Thomaſſin. *de feſtis lib.* 1. *cap.* 17. *num.* 16., & noviſſime Eminentiſs. Lambertini, nunc Pontifex Maximus *de Canoniz. lib.* 4. *par.* 2. *cap.* 15. *num.* 9.

XIV. Putarunt denique Suarez 3. *to. in* 3. *part. quæſt.* 8. *art.* 3. *diſp.* 88. *ſect.* 5. Vaſquez 1. 2. *quæſt.* 96. *art.* 5. *diſp.* 167. *num.* 34., *& quæſt.* 97. *art.* 3. *diſp.* 177. *num.* 22., aliique, ut hæc vota ſucceſſores, qui non voverunt, obligent, deſiderari conſenſum Epiſcopi. Verum in præſentis diſpoſitione Decreti comprehendi etiam videntur vota a Communitatibus facta cum conſenſu Epiſcopi, ſermo quippe eſt de votis factis in electione Patronorum; electio autem Patronorum nulla eſt ipſo jure, niſi accedat conſenſus Epiſcopi, ut de Mandato Urbani VIII. decrevit Congregatio 23. Martii 1630. & nos late tradidimus in Decreto primo Capitis tertii. Ceterum hanc quoad partem, videlicet an feſta per votum Laicorum inducta, & per Epiſcopos approbata, vim adhuc habeant, nec per præſens Decretum rejecta cenſeantur, ea, quæ in expoſitione quarti Decreti trademus, in apertum facient. Modo dumtaxat advertere ducimus, quod cum aliud ſit Patronorum factæ electioni conſenſum præbere, & conſentire voto a Communitate efformato celebrandi feſtum Patronorum electorum tamquam de præcepto; per conſenſum ſuper electione Patronorum ab Epiſcopis præſtitum, non argui conſenſum eorumdem ſuper votiva feſtivatione, adeoque validam eſſe poſſe electionem Patronorum ſic approbatam, abſque eoquod per hujuſmodi approbationem ab Epiſcopis tale feſtum cenſeatur indictum. Si dictum votum Epiſcopis, quibus communicari neceſſe non eſt ad validitatem electionis, non innoteſcat, id dubium non eſt, quippe conſentire non valent, nec cenſentur in incognitum; ſi vero innoteſcat, etſi electione conſenſum præbeant, & facto voto non contradicant, adhuc ad hoc eorumdem conſenſus non reputatur præſtitus, niſi expreſſe conſentiant, ſed ad ſummum ex eorumdem tolerantia, & non præſtita contradictione, quam ponere, cum non ſunt requiſiti ſuper conſenſu, haud obligantur, argui poteſt, quod diſpoſitioni juris communis ea fuerint relicta, ac conſequenter, quod ſolum voventes adſtringant, non autem ſucceſſores, niſi forte ex devotione. Ad id autem aſſerendum ducimur, quia per Urbanum VIII. locorum Ordinarii in Domino moniti ſunt, ut a novorum feſtorum indictione ſtudeant abſtinere; quare cum dividuæ res ſint electio Patronorum, & præfatum votum, per hoc quod præbeant conſenſum in electionem, jure cenſeri non poſſunt monitum Urbani VIII. infringere per conſenſum in votum, ſeu per feſti indictionem. Quod ſi Epiſcopi in votum quoque conſentiant, & ſic feſtum indicant, forſitan votum etiam ſucceſſores adſtringeret, & ad ſervandum feſtum hi tenerentur, non quidem vi voti, quod voventes non pertranſit, ſed vi indictionis ab Epiſcopis factæ, quam ſua vi præſens forte non exuit Sanctio.

XV. Omnia itaque vota perſonalia, quæ a Communitatibus concipiuntur, poſteros haud ligant in conſcientia, & ab illis abſque ulla culpa infringuntur, cum non ſint admiſſa, nec approbata, ſed pluries a S. Congregatione rejecta, & *tantum ex devotione ſervari poſſe conceſſa*; dictio autem *tantum* taxativa eſt, includens expreſſum, & reliqua excludens, quinimmo impediens extenſionem ad non expreſſa, ut pluribus legibus, & Auctoribus allegatis docet Barboſa *dict.* 402. Diximus hujuſmodi vota *pluries fuiſſe rejecta*, & de hoc in ſequenti Decreto loqui reſervamus, in quo & patens fiet, præfata feſta per votum inducta, jam per Urbanam Conſtitutionem adempta, & expuncta extitiſſe, ad horumque obſervationem perſonas voventes dumtaxat teneri.

XVI. Hinc inferes primo, quod Decretum, cujus expoſitioni incumbimus, non liberat a voto perſonas, quæ illud concepere; harum enim cum ſint vota ſua, Congregatio in Sanctione ſtatim explananda ad eadem reddenda teneri ſancivit juxta illud Pſalmi 75. 12. *Vovete, & reddite.* Succeſſores vero eorum, qui talia vota emiſerunt, vel etiam illi de Populo, qui eadem vota tunc temporis non ediderunt, vel in ea non conſenſerunt, nec ad ea ex præcepto ſervanda, ſed ſolum ex devotione adſtringi, & in eorumdem inobſervantia nullam culpam incurrere.

XVII. Inferes 2. quod ſi Populus ſucceſſor, vel ii, qui tunc temporis vota non emiſerunt, dicta vota libere, & voluntarie acceptarent, vel in eadem poſtmodum conſentirent, tunc ad ea utique tenerentur. Populus tamen ille, qui ea ſic acceptaret, vel in ea conſentiret, non tamen ſucceſſores ejus, niſi & hi talia vota acceptarent, & tunc non obligantur ex vi voti aliena voluntate concepti, ſed propria; quia libere, & voluntarie talia vota acceptando perinde eſt, ac ſi ipſimet talia vota emitterent. Dixi *libere, & voluntarie*, quia ſi talia vota acceptarent, putantes adſtringi ad ea acceptanda, & ſervanda, ad ea tunc minime tenerentur, nam acceptatio facta ex ignorantia nullam obligationem inducere valet, quemadmodum concorditer tradunt Auctores.

XVIII. Inferes 3. ſi hæredem non neceſſarium inſtituat quis teſtator ea conditione, ut adimpleat vota ſua perſonalia, tunc hæres quidem, ſi hæreditatem acceptet, tenebitur ad implenda præfata vota, acceptando ſiquidem hæreditatem acceptat quoque onus, quo a teſtatore eſt affecta, & ſic de ſucceſſore in ſucceſſorem in infinitum, vel quoad uſque expirat tempus ab eodem teſtatore ſtatutum. Secus autem eſt de hærede neceſſario, qui a teſtatore gravari non poteſt in his, quæ hæreditati conjuncta non ſunt.

XIX. Inferes 4. quod ubi in Decreto inhibetur ſervari feſtum Patroni electi tamquam de præcepto, ſermo eſt de Patronis minus principalibus, quoniam ex conſtitutione *Univerſa* Urbani VIII. unius ex Patronis principalibus in quocumque Regno, vel Provincia, & alterius pariter in quacumque Civitate, Oppido, aut Pago, ubi hos haberi, & venerari contingit, feſtum eſt fortaſſe præceptivum, ad quod tamen ſucceſſores adhuc in caſu non tenerentur vi voti, ſed ſolum vi memoratæ Conſtitutionis, aut alias, ſicuti dicemus in expoſitione Decreti tertii hujus Capitis. Idipſum foret, ſi ubi ex ligitima conſuetudine plures habentur Patroni principales, votum in eorumdem electione, vel poſtmodum a Communitate factum eſſet omnes colendi feſtivos; ad unius enim dumtaxat, & principalioris eorumdem diem feſtum ſucceſſores conſtringerentur agere, & numquam vi voti.

XX. Supereſt, agamus de votis mixtis, & ad hæc tenentur ſucceſſores, ſive hæredes, ſi id, quod in illis reale eſt per ſe, & independenter a perſonali obligatione Defunctus promittere intenderit; id vero in dubio, & niſi ex rei promiſſæ natura, vel aliunde conjectura erui poſſit, præſumi non debet; quare ſi Communitas non ſuſcepiſſet peregrinationem ad ædem aliquam voverat, non adſtringuntur hæredes ad expenſas, & ſumptus, quos Communitas in ea peregrinatione feciſſet; tale enim votum principaliter perſonale eſt, quatenus principaliter promittitur actio perſonalis adimplenda per ipſum voventem, & acceſſorie tantummodo eſt reale, quatenus peregrinatio ſine expenſis ſuſcipi non poteſt. Si autem voviſſet ire ſaltem in parte ad militandum contra Catholicæ fidei hoſtes in ſubſidium belli, & præſumi poſſet, intentionem principalem Communitatis voventis fuiſſe, ſubſidium bello contra hoſtes ſubmittere, tunc ſucceſſores, ſeu hæredes tenerentur alios milites, vel ſumptus tranſmittere, quia, id, quod in tali voto principale eſt, reale eſt, licet poſtea iidem minime obligentur ad illud exequendum in propria perſona, uti tenebantur voventes. Quod ſi votum eſſet æque principaliter reale, & perſonale, ut eſt votum viſitandi Eccleſiam aliquam, & eidem faciendi eleemoſynam; hæredes tenerentur adimplere votum quoad partem realem, videlicet ad erogandum eleemoſynam promiſſam, non autem quoad partem perſonalem, nimirum ad viſitandam Eccleſiam. Verum fas eſt, hic revocet Lector, quæ ſuperius tradidimus de votis realibus relate ad ſucceſſores, ſeu hæredes; æque enim procedunt de iiſdem relate ad vota mixta, ad quorum obſervantiam quantum ad partem realem modo dicebamus adſtringi.

DECRETUM II. CAPITIS, IN ORDINE CII.

Communitates, vel Univerſitates Civitatum, ſeu Locorum, non tenentur ex præcepto ſervare Feſta ex voto eorumdem indicta, cum ſub præcepto teneantur tantum Perſonæ voventes. S. R. C. 18. Aprilis 1643. *In Decreto de Feſtorum obſervatione*. Ex Merato in Indice Decr. Miſſalis num. 284.

I. EDiderat Urbanus VIII. ſub idibus Decembris 1642. conſtitutionem quamdam, incipit *Univerſa*, ſuper reformatione feſtorum, nimiam quorum copia clamorem excitaverat pauperum, & querimoniam, qui quotidiani victus laboribus ſuis comparandi tenentur neceſſitate, pietatis teporem in iiſdem feſtis excolendis in reſides, & incurios fideles invexerat, quin & frequentem abuſum ad otia, vanitates, & vitia. Recenſet in ea dies quoslibet, quos pro feſtis intendit haberi, & ad reliquorum omnium obſervantiam Chriſtifideles non teneri declarat; at inter ea, quæ abolet, ſaltem expreſſe non meminit feſtorum ex voto, quare in ſuo integro hæc permanere robore dubitarunt nonnulli, forſitan arguentes a generali indulto propter feſti excellentiam veſcendi carnibus in feria ſexta incidente in Nativitatem Dominicam ſecundum conſuetudinem Eccleſiæ generalis, quod ex declaratione Innocentii III. *de obſerv. jejun. cap. 3.* adſtrictis voto non eſt favorabile. Hujuſmodi dubium pro declaratione in Sacram Rituum Congregationem inductum fuit, a qua ſequens prodiit reſponſum ab eodem Urbano VIII. approbatum.

Die 18. Aprilis 1643. De Feſtorum obſervatione.

II. *Quæſitum fuit a multis Epiſcopis, an Conſtitutio ſuper obſervatione Feſtorum comprehendat Feſta ex voto alicujus Perſonæ, vel Communitatis introducta: Et interrogatis prius Conſultoribus Sacræ Congregationis, qui poſt latum ſuffragium receſſerunt, Frater Lucas dixit, Conſtitutionem tollere feſta de voto; P. Alcianus, feſta de voto eſſe ſublata, quia votum non obligat ſucceſſores, ſed habendam rationem dictorum feſtorum; Abbas Hilarius, ſucceſſores non teneri ex voto, ſed ex directione Communitatis, accedente auctoritate Epiſcopi, ideoque Conſtitutionem tollere feſta de voto pro iis, qui non voverunt, ſecus pro illis, qui voverunt; R. P. D. de Rubeis, feſta de voto remanere in diſpoſitione Juris Communis; R. P. D. Sacriſta, tolli ex vi clauſularum derogatoriarum in fine Bullæ, quæ tollunt omnia ſtatuta, etiam juramento firmata; Eminentiſſimus Cardinalis Sacchettus, ſucceſſores non obligari, voventes obligari; Pamphilius in eodem, & in derogatoriis tolli ſtatuta juramento firmata; Rocchius in eodem; Palottus, teneri ad feſta de voto, qui voverunt, & non eſſe edendum Decretum Generale, ſed reſpondendum ad particularia; Franciottus, teneri, qui voverunt, uti particulares, & reſponſiones dandas tantummodo petentibus, vel dicta feſta ponenda ſub feſtis de devotione; Brogadinus in eodem: Cæſarinus in eodem. Ideoque S. Congregatio unanimi conſenſu Decretum deſuper conceſſit tenoris ſequentis.*

III. *Propoſito dubio ad inſtantiam quamplurium Reverendiſſimorum Epiſcoporum, an ſtante Conſtitutione SS. D. N. Urbani Papæ VIII. ſuper obſervatione feſtorum, quæ incipit univerſa, idibus Septembris 1642. promulgata, Univerſitates, ſeu Communitates Civitatum, ſeu Locorum teneantur ex præcepto ſervare feſta ex voto eorumdem inducta. Die 19. Aprilis 1643. Sacra Rituum Congregatio, referente Emin., & Reverendiſs. Domino Cardinali Sacchetto, cenſuit, ex diſpoſitione Conſtitutionis prædictæ Perſonas voventes tantum teneri. Quam Sacræ Congregationis Sententiam ſibi relatam Sanctiſſimus Dominus Noſter laudavit, & approbavit, dixitque, intentionem ſuam fuiſſe, per eam Conſtitutionem tollere feſta de voto quoad vim præcepti, & reducere illa ad inſtar feſtorum de devotione, reſervata obligatione ratione perſonalis contractus ex vi voti provenientis ipſiſmet Perſonis tantum, quæ voverunt.*

IV. Ex hac Sacræ Congregationis reſolutione præſens compactum fuit Decretum, ad quod confirmandum ex memorata Conſtitutione utique nobis plurima non deſiderarentur momenta; at cum hac in re Legislator ipſe ſuam expreſſerit intentionem, ab ulteriori onere nos liberat, Lectorem, qui plura cupit, amandantes ad ſuperius tradita in præcedenti Decreto, quæ etiam pro præſenti apprime deſerviunt.

V. A votis expediti brevem ſermonem convertimus ad monumenta, quibus a Deo accepta Sanctorum interventu beneficia, teſtata facere in uſum habet Eccleſia. Veſtigia plurima in veteri non deſunt uſque Teſtamento, unde 1. *Reg. ar. 9.* legitur, Davidem ſuſpendiſſe in Templo enſem illum, quo mortu dederat Gigantem Philiſthæum, ut receptæ per Deum victoriæ perenne eſſet poſteris argumentum. Hoc exprimere item ſoluere fideles, aut verſibus, aut proſa oratione, aut libellis, relictis apud tumulum Sancti, aut ædem Sacram, vel Templi Præſidem, ſeu loci Epiſcopum, ut videre eſt apud Paulinum *Natali 3. Sancti Felicis v. 45.*, & Auguſtinum *ſerm. 29. 30. 31. & 32. de diverſis*. Vel per tabellas depictas, *ut in libro miraculor. S. Stephani in appendice tom. 7. operum Aug.*, aut per vinctorum compedes, atque catenas, aut infirmorum inſtrumenta, quibus fulciebantur, reſque alias id genus, appenſas, vel apud ædem Sacram relictas, ſicuti edocet Gregorius Turonicus *lib. 4. hiſt. Francor. cap. 19.*, ſive quemadmodum Theodoretus *orat. 8.* per hæc verba nobis inſinuat: *Pie vero, fideliterque precatos ea maxime conſequi, quæ deſiderant, teſtantur illa, quæ votorum rei dona perſolvunt, manifeſta nimirum adepta ſanitatis indicia. Nam alii quidem oculorum, alii vero pedum: alii porro manuum ſimulacra ſuſpendunt ex argento, auroque confecta.* Quæ omnia cum teſtatam faciant Dei beneficentiam erga nos, noſtram gratitudinem erga Deum beneficiorum auctorem, ſanctoſque eorumdem interceſſores, ac ceteros excitent ad preces, aliaque proba opera, dubium non eſt, quod ſunt laudabilia, proba, & utilia.

VI. Licet autem antiquitatis fortaſſe careat laude, eadem argumenta oſtendunt, admodum commendabilem, probum, ac utilem eſſe morem illum, quo nonnulli in teſtimonium recepti beneficii ope Sancti alicujus, veſtibus ejuſdem coloris, & figuræ, quibus hic in vivis indutus incedebat, ſe ſe contegunt.

DECRETUM III. CAPITIS IN ORDINE CIII.

Feſtum principalioris Patroni in quocumque Regno, ſive Provincia, & alterius pariter principalioris Patroni, in quacumque Civitate, aut oppido, vel Pago, ubi hos Patronos haberi, & venerari contigerit, eſt præceptivum, cum obligatione audiendi Sacrum, & vacandi ab operibus ſervilibus. S. R. C. 13. Septembris 1642. Ex Merato in Indice Decr. Miſſalis num. 283.

I. QUam Rituum Congregationi Meratus, Conſtitutioni Urbanæ ſanctionem hanc adſcribit Pittonus *de ſacr. ritib. n. 660.*, quarum utraque ſub iiſdem idibus Septembris 1642. noſcitur emanata. Cuinam deferenda ſit ratio, ſi a nobis expoſcas, utrique reponimus. Pittono quidem, quia ipſiſſimis verbis eadem die id ſtatuit Urbanus VIII. in ſua Conſtit. *Univerſa*, quare itaque ab hoc tamquam editam non potuit eamdem producere? Quod hoc itidem a Congregatione non potuerit eſſe deciſum, Urbana conſtitutio minime facit, quin magis ex illis ſanctionibus eam oſtendit, quæ Pontificiis Conſtitutionibus ſolent præmitti. Inter has itaque numeranda ea venit, & ab Urbano VIII. noniſi confirmationem accepit, quemadmodum ibi tradit Meratus.

II. Prænotanda plurima utique forent, at quoniam vel jam Lector novit, vel facile ea recolere poteſt in Capite tertio fuſe tradita, ad Decreti ſtatim properamus expoſitionem. Ex Patronis alii ſunt univerſales, & ſunt, qui Regno alicui, Provinciæ, vel Ditioni protectionis ſuæ opitulationem præſtant, & univerſales dicuntur, quia eorum patrocinium intra limites particularis loci alicuius eſt minime reſtrictum, ſed ad omnes Civitates, Oppida, & loca Regni, Provinciæ vel Ditionis extenditur. Particulares ſunt alii, & ſunt, qui particularis alicujus Civitatis, Diœceſis, Oppidi, aut Pagi gerunt patrocinium, & particulares nuncupantur, eo quod particularis dumtaxat loci protectionem aſſequuntur, nec ad plura loca eorumdem extenditur patrocinium. *Univerſales* dum diximus, nolumus id intelligas preſſe, & ſtricte, quo pacto Patronos catholicæ deſignaret Eccleſiæ, ſed late, & ample, quali vocabulo denotantur Patroni plurium ſimul locorum ad diſtinctionem illorum, qui unius, vel alterius loci Patroni ſolummodo ſunt. Ampla de *Univerſalis* voce plura dedimus in Decreto V. Capitis de occurrentia feſtorum, quæ ad memoriam, opus eſt, revoces, & in hac ſignificatione etiam Patroni particulares, puta Civitatis, dici queunt univerſales relate ad Patronos Oppidi, vel Pagi, quatenus horum patrocinium ad pauciora arctatum eſt loca, illorum ad plura protenditur; & hac de cauſa ex univerſalibus etiam dici poſſent particulares nonnulli. Pro univerſalibus itaque modo Patroni Regni, Provinciæ, aut Ditionis, & pro particularibus Patroni Civitatis, Oppidi, aut Pagi, non defraudabimus tamen ſua ponderatione etiam Patronos in ampliori illa ſignificatione univerſales, vel particulares.

III. Primo itaque Decretum univerſalis principalioris Patroni feſtum præceptivum declarat, & itidem principalioris Patroni particularis; æquum enim eſt, & conveniens, ut qui tamquam peculiarior apud Deum interceſſor, & ſuffragator eſt aſſumptus, peculiari etiam cultu honoretur, & obſervetur. An hoc itidem dicendum ſit de feſtis aliorum Patronorum, Decretum vere non negat; at dum ex pluribus principalioris dumtaxat ſeligit feſtum, de ceteris profecto negare cenſetur. Hac in re diſertior eſt diſpoſitio Conſtitutionis Urbanæ, quæ in præcepto ſolum conſtituit feſtum *unius ex principalioribus Patronis in quocumque Regno, ſive Provincia, & alterius pariter principalioris in quacumque Civitate, Oppido, vel Pago*, & a quorumcumque aliorum dierum obſervantia, præter eos Eccleſiæ univerſalis, Chriſtifideles liberat.

IV. *Unius ex principalioribus*. Ergo feſto Patronorum minus principalium, ſive univerſales, ſive particulares hi ſint, in præcepto non erunt. Verum cum unius dumtaxat haberi queat ex Patronis principalibus, univerſalibus, vel paticularibus, dubium inſurgit, cur magis *Principalioris* Patroni, & non Patroni *Principalis* Decretum, & Conſtitutio meminerint? Factum id extitit, quia etſi jure novo per ipſum Urbanum facto nonniſi unus principalis ex dictis Patronis haberi valeat, jure tamen antiquo plures haberi poterant, & ubi habentur, in valido perſtant ſtatu, ut dicebamus explanantes Decreta primum, & ſecundum Capitis tertii. Inter hos itaque, etſi omnes principales ſint, & cum ritu, & ſolemnitate Patronorum principalium exculti, principalior ſecerni debet, & hujus dies dumtaxat erit feſtiva; quod bene per *principaliorem* Patronum fuit, & non ſatis per *principalem* Patronum fuiſſet expreſſum.

V. Tres ex hujuſmodi principalibus Patronis particularibus

Cre-

Digitized by Google

Cremonenſis veneratur Eccleſia, SS. Petrum, & Marcellinum die 2. Junii, S. Himerium die 19. Octobris, & S. Homobonum die 13. Novembris; duos Placentina, ſcilicet S. Antoninum, & S. Juſtinam; & licet utraque de iiſdem quoad officium tamquam de Patronis principalibus agat, de uno tamen eorumdem diem dumtaxat ducit feſtivam. Idipſum præſtant aliæ quamplures, omneique bene inſtructæ præſtare tenentur, & ſi quæ ſecus faciunt, ex peculiari Indulto id attentare præſumuntur. Paravina Eccleſia quatuor Sanctos diviſim in principales Patronos particulares agnoſcit, & de omnibus ſub ritu duplici primæ Claſſis officium cum octava inſtituit, & duos dumtaxat cum feriatione honorat, S. Juſtinam die 7. Octobris, & S. Proſdocimum die 7. Novembris, non vero S. Danielem, nec S. Antonium. Nobis credere lubet, quod particulari id agat nixa Indulto; ſi ſecus eſt, temperet a feriatione unius, ſolumque principaliorem de præcepto veneretur. Recolat quæ diximus in Decreto XI. Capitis tertii ſuper Patronatibus SS. Dominici, & Januarii in Regno Neapolitano, Firmini, & Franciſci Xaverii in Regno Navaetæ, & ſi valet, rationem deneget nobis. Ibi etiam late oſtenſum fecimus, quinam principalior cenſeri debeat, ubi plures principales univerſales, vel particulares habentur; quare non eſt, cur ulterius hac in re immoremur, cum ex ibi dictis, necnon in Decretis ſexto, & ſeptimo, aliiſque ejuſdem Capitis ſatis, ſuperque Lector remanere queat inſtructus.

VI. *Ubi hos Patronos haberi*. Plura ſunt loca, quæ univerſalibus Patronis minime gaudent, quæ particulares non habeant, nulla reperi. Non vult itaque Sanctio, quod quæ non habent, eligant, ut colant, ſed ſolum colant, ſi habent.

VII. *Et venerari contigerit*. Nedum expoſcit Sanctio, quod præfati Patroni habeantur, ut eorumdem dies agatur feſtiva, ſed inſuper quod venerentur: *Et venerari contigerit*. Cum Urbana Conſtitutio, a qua nec minimum diſſonat Congregationis deciſio, non gravamen, ſed levamen inducere intenderit, admodum probabile eſſe videbimus in Decreto ſeptimo hujus Capitis, feſta illa, quæ alicubi ante præfatam Bullam non ſervabantur, neque poſt eamdem Bullam ibi eſſe in præcepto, etſi inter feſta de præcepto ab eadem annumerentur, & expreſſe recenſeantur. A fortiori, & ſine dubitatione id dicimus de Patronis, qui cum alicubi haberentur, ſolemne tamen non erat, inibi eoſdem in præcepto obſervari, nedum quia Urbanus VIII. nova feſta haud intendit inducere, ſed magis antiqua tollere, & reformare, verum etiam quia agens de Patronorum feſtis, diſerte copulative expoſtulat, ut eorumdem feſta de præcepto cenſeantur, quod Patroni haberentur, & *venerarentur*; ubi itaque habebantur quidem, ſed minime venerabantur tamquam feſtivi, neque poſt dictam Conſtitutionem feſtivi erunt reputandi. *Tamquam feſtivi* a nobis gratis adjungi fortaſſe quis dicet, cum Sanctio ſolummodo de iiſdem ad effectum exquirat, quod *venerari contigerit*, quod cultum quidem importat, ſed non determinate feſtivum. Verum admodum irrationabiliter hac in re carpi nos credimus. Tum quia, ut dicebamus, conſtitutio haud nova invehere, ſed antiqua tollere feſta intendit, & moderari. Tum quia dum præcedentem cultum expoſtulat, nonniſi de cultu ſecundum ſubjectam materiam, & quem ipſa firmat, intelligi poteſt. Tum quia tunc temporis diſciplina ferebat, fere quoſlibet, etiam minus principales Patronos feſtivos agere. Tum denique quia per ly *venerari* Sanctio quid expoſcit ſuper *haberi*, dum ad effectum vult *Patronos haberi*, & *venerari*; ubi autem Patroni nullum obtinent cultum, Patroni jam non habentur, quia cum Patronis ex ſe debitus ſit clientum cultus, & ex Rubricis ipſis præſcriptus, quantum ad Clerum attinet, idem eſt Patronos haberi, & coli, & non habentur, ubi non coluntur, quando etiam in Patronos fuiſſent electi, vel aſſumpti, quoniam per non cultum hoc ipſo decidunt a Patronatu, & eorumdem patrocinio irrenunciatum, quemadmodum olim per cultum media conſuetudine inducebantur, & etiam nunc media electione invehuntur; hinc in Decreto ſecundo Capitis tertii vidimus, Patronum loci definiri eſſe eum, qui ſive perpetuo uſu, ac traditione a majoribus accepta, ſive legitima facta electione, uti peculiaris apud Deum interceſſor, propriuſque ſuffragator ab univerſo loci illius Clero, & Populo *colitur*, & *obſervatur*. Patens eſt itaque, quod Sanctio per ly *venerari* expoſcit præcedentem cultum non quemcumque, ſed feſtivum in præcepto.

VIII. Patronis principalibus, ſive media electione juxta jus novum ab Urbano VIII. ſtatutum, ſive media electione, aut alias ſecundum antiquiorem Eccleſiæ diſciplinam invectis, officium duplex primæ Claſſis, & octavam abſque alia conceſſione deberi, pluribus allegatis Decretis, & Apoſtolicis Conſtitutionibus, atque Rubricis invicte demonſtravimus in Decreto XI. Capitis tertii; hinc dubitandum venit, num id item procedat, quando præfatum officii cultum per longam conſuetudinem non habuere, vel numquam ſunt aſſecuti. Hanc dubitationem nobis exporrigit Feſtum S. Marci, quod licet in Dominio Veneto in præcepto obſervetur tamquam feſtum Patroni principalis prædicti Dominii, in hoc tamen ritum duplicem primæ Claſſis, & octavam numquam obtinuit, ſed ſemper, ut in Breviario Romano ſignatum habetur, extitit obſervatum. Dubitavimus olim ſuper ejuſdem recta electione, & feſtivationem a particulari Indulto forſitan originem trahere, ut præfatam conſuetudinem quæ ſecundum regulas nobis minime videbatur, aliquomodo tueremur, & quia hæc tuto aſſerere non poteramus, validum ſuæ conſuetudinis eidem non deeſſe argumentum undecumque poſtea peteretur, dicere voluimus, ne ab officii legibus præfatum Dominium recedere, cogeremur aſſerere. Antiquitatis monumenta ſuper hac re non deſiſtimus perſcrutari, & quantum nobis licuit invenire, S. Marcus eſt ex Patronis, qui media conſuetudine ſecundum veterem Eccleſiæ diſciplinam ſunt legitime invecti, & cum ſuper ejuſdem feſtivatione particularis indulti memoria nobis non ſuppetat, credere lubet, quod vel ſolæ præcedenti conſuetudini, vel Urbanæ Conſtitutioni unice reperiatur innixa. Quomodocumque tamen hæc ſint de S. Marco, pro hoc, vel ſimili caſu præſens dubitatio a nobis fuit propoſita.

IX. Ad quam negative reſpondendum videtur; ut enim dicebamus, per non cultum Patroni a patronatu decidunt, eorumque patrocinio it renunciatum. Deinde Patroni, qui non celebrantur feſtivi nec poſt Bullam ſunt tales habendi, ergo & qui cultum non habuerunt officii, hunc cultum poſtmodum non poterunt adipiſci. Verum nos indubie arbitramur, iiſdem officii cultum denegari non poſſe; ſatis enim diſpar eſt ratio, quoniam hic agitur de Patronis, qui ſemper tamquam Patroni fuerunt habiti, & exculti, licet propter ignorantiam Decretorum, & Rubricarum officii cultu fuerint exſpoliati, adeoque de Patronis, qui numquam a Patronatu excidere, nec eorumdem patrocinio unquam fuit renunciatum; quare ablata ignorantia præfata, videre non eſt, quomodo iiſdem ulterius denegari valeat, quod iiſdem & ratione Decretorum, ac Rubricarum debitum reperitur. Equidem in Veneto Dominio S. Marcus (idem dicito de quocumque alio ſimili caſu) ſemper ut Protector habitus fuit, & honoratus, cum feſtivatione vi conſuetudinis fortaſſe excultus, vel ſaltem per Urbanam Conſtitutionem vi patronatus, quo jure creditus eſt gaudere, communiter cenſitus fuit inter feſta de præcepto referri, vel confirmari; & ſi officio competenti caruit, unice factum extitit, quia ad id ſpecialis conceſſio neceſſaria reputabatur. Falſam hujuſmodi opinionem vix Meratus indicavit, & nos late proſecuti fuimus, quod Veronenſis Eccleſia ritu duplici primæ Claſſis, & cum octava illum colere, & idipſum præſtare etiam Bergomenſis cœpit Eccleſia; & nec dubitamus, quod ceteræ cunctæ Sereniſſimi Dominii Diœceſes ſint id brevi facturæ.

X. Nec producta de feſtivatione in oppoſitum evincit paritas; quoniam, ut dicebamus, Urbana Conſtitutio non intendit nova invehere feſta, & expreſſe expoſtulat, quod feſtive præcedenter excultum fuerit feſtum Patroni, quod ipſa in præcepto conſtituit; quare feſtum Patroni, quod præcedenter feſtivum non erat, utique nec ſubſequenter in præcepto cenſetur poſitum, maxime quia feſtivatio nullo jure eidem erat debita, & quando etiam fuiſſet debita, per dictam Conſtitutionem præcedenti cuilibet juri derogatur. Non ſic autem eſt de officio, quo per ignorantiam ſolum fuerat exſpoliatum, eidemque debitum erat, & eſt vi Rubricarum, & Decretorum, nec ullum reperire eſt Decretum, aut Conſtitutio, quod ad faciendum officium ut ſupra de Patrono Principali, præcedentem uſum expoſtulet, aut Rubricarum, & Decretorum legibus hac in parte deroget, quinimmo Conſtitutiones omnes, & Decreta id fieri aperte præcipiunt, aut faciendum eſſe ſupponunt. Ex his tamen fit, quod hujuſmodi Patronorum feſtum minime in præcepto cenſeatur poſitum, ubi præcedenter ad memoratam Bullam idem in uſum non erat obſervari; & quidem licet poſt dictam Bullam ſervatum fuerit, & cenſitum poſitum fuiſſe in præcepto, quoniam obſervantia, quæ ex ignorantia provenit, nullam obligationem inducit.

DECRETUM IV. CAPITIS, IN ORDINE CIV.

Quando occurrit feſtum aliquod in Diœceſi, quod ſit de præcepto quoad forum, Regulares de eo debent officium facere, niſi apud ipſos occurrat eadem die aliud, quod feſtum ſit ejuſdem Claſſis, ritus, & majoris dignitatis. S. R. C. 5. Maii 1736. *in Einſidlen*. Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 290.

I. DUpliciter feſtum aliquod dicitur de præcepto quoad forum. Primo quoad feriationem forenſem, quatenus præceptum eſt, in eodem ceſſandum eſſe a ſtrepitu forenſi, jus non dicitur, cauſæ civiles non agitantur, nec juridicus actus ullus valide exercetur. Hujus indictio, quatenus favore hominum introducitur, ut ſunt feriæ, quæ ſtatuuntur meſſium, vel vindemiarum gratia, vel ob palmam a Principe obtentam, vel ejuſdem natale, aliudve ſimile, Judicum ſæcularium non ſubterfugit auctoritatem, ſpectatque ad Principem laicum, quatenus vero fit ob honorem Dei, & Sanctorum, ſpiritualis eſt, & Sacra, & ex cap. *conqueſtus* ad ſolam attinet Eccleſiam, ac a primis uſque Eccleſiæ temporibus feſtis de præcepto ſemper, ſaltem quantum licuit, fuit conjuncta. 2. quoad feriationem ab operibus ſervilibus, in qua una cum obligatione audiendæ Miſſæ, & præfata feriatione forenſi, quatenus in honorem Dei, & Sanctorum indicta, conſiſtit proprie ſantificatio feſtorum in cultum Dei, & Sanctorum honorem inſtitutorum. Certum eſt, in Decreto ſermonem non eſſe de feſto ex præcepto quoad feriationem forenſem, cujus indictio a Principe laico fit: quæque impertinenter omnimode ſe habet ad rationem officii: quapropter videre eſt, multa adeſſe hujuſmodi feſta, quæ nullum ſibi vindicant Eccleſiaſticum officium, ſed de feſto de præcepto quoad ſecundam feriationem, quæ licet abſolute, & ſimpliciter ſpoliata eſſe poſſit Eccleſiaſtico officio, ab eodem tamen regulariter numquam manet ſejuncta.

II. Feſtum autem aliquod in Diœceſibus iſto modo de præcepto eſſe quoad forum multipliciter evenire valet. Primo, de

mandato univerſali Summi Pontificis, qualiter ex Conſtitutione Urbana *Univerſa* eſt de præcepto feſtum principalioris Patroni Civitatis, Diœceſis, oppidi, vel Pagi, uti & aliud item principalioris Patroni Regni, vel Provinciæ, ubi hos Patronos haberi, vel venerari contingit.

III. Secundo, ex particulari Pontificio indulto, ſicuti in Galliis eſſe de præcepto aſſeritur feſtum S. Ludovici. De his autem duobus, quod de præcepto vere ſint, etiam apud Regulares, dubium eſſe non poteſt, cum tale præceptum emanatum exiſtat ab habente ſuper omnes poteſtatem.

IV. Tertio, ex indictione ſolius Populi, aut Principis Sæcularis; quomodo a Senatu Mediolanenſi olim indictum extitit feſtum S. Dominici, qui tamen cum reprehenſus fuerit ab Innocentio X. in ſua Conſtit. *Cum nuper 6.* Octobris 1653., & in ea declaratum fuerit, in meſſem Eccleſiæ miſiſſe manum, & Principibus laicis non competere facultatem imperandi dies feſtos in honorem Sanctorum, ſed ſoli Eccleſiæ, utique claret, quod ſubditi nullatenus in conſcientia tenentur ad dicta feſta ſervanda, & quod ea vere feſta non ſunt. Etſi tamen laicis nulla competat poteſtas circa ſpiritualia, ac ea, quæ ad cultum Religionis ordinantur, inficiari haud poſſumus, quod præcipere queunt vacationem a foro, & etiam ab opere ſervili, aliiſque actionibus publicis in memoriam inſignis alicujus victoriæ, ob Natale Principis, aliudve ſimile, & punire etiam contravenientes, licet hi contraveniendo, ſaltem per ſe, minime peccent.

V. Quarto, ex voto Civitatis, vel Communitatis, circa quod diſſeruimus in Decretis primo, & ſecundo, in eiſque vidimus talia feſta a Sacra Congregatione non approbari, ſed rejici, & tantum ex devotione a non voventibus ſervari poſſe.

VI. Quinto, ex conſuetudine; hujuſmodi autem feſta ut valida ſint, ac legitima, neceſſe eſt, ut introducta ſint, non ex mera devotione, ſed animo ſe obligandi, & ulterius, quod eiſdem accedat Eccleſiæ conſenſus tacitus, vel expreſſus; quoniam, ut docetur de legibus, non habet vim obligandi conſuetudo, niſi dicto animo noſcatur inducta, & niſi intercedat conſenſus ejus, qui poteſt talem legem ferre. Ceterum hujuſmodi feſta, ſi Bulla Urbana ſunt antiquiora, per eam ſublata extitere, ſi poſteriora, eorumdem ſubſiſtentia pendet, an, necne per memoratam Bullam Epiſcopis adempta fuerit facultas nova feſta indicendi, & adhuc, an eorumdem in caſu ſufficiat tacitus conſenſus, ſeu non contradictio, quod in primi expoſitione Decreti nos negaſſe facile videbimur.

VII. Sexto, ex votis Communitatum, præfata conſuetudine, aut Principum Sæcularium edictis, quibus acceſſit Epiſcopi approbatio; & tunc cum Epiſcopi approbatio eumdem præſtet effectum, ac immediata ejuſdem indictio, utique patens eſt, quod ea feſta ſunt vere de præcepto ſervanda, cum poteſtatem, quam eidem antiqui tribuebant Canones, nova feſta indicendi Epiſcopo adhuc competere nos arbitremur.

VIII. Septimo ex indictione Ordinariorum locorum, ſeu Epiſcoporum, quibus jus commune, & præcipue *can. Pronunciandum, & cap. conqueſtus*, poteſtatem fac[it] in propriis Diœceſibus feſta de præcepto inſtituendi, quæ per Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 25. *cap.* 12. fuit iiſdem per hæc verba confirmata: *Dies etiam feſti, quos in Diœceſi ſua ſervandos Epiſcopi præceperint, ab exemptis omnibus, etiam Regularibus, ſerventur.*

IX. An autem, ut Epiſcopus feſta aliqua legitime invehat, neceſſe ſit, interveniat conſenſus Populi, & Cleri? Quæſtio hæc eſt, cui reſpondet Communis Doctorum opinio, vi Juris requiri. Nam *can. Pronunciandum* diſerte habetur: *Feſtivitates, quas ſinguli Epiſcopi in ſuis Epiſcopatibus, cum Populo collaudaverint.* Collaudatio autem denotat conſenſum, & approbationem. *Et cap. conqueſtus* habetur, *quas ſinguli Epiſcopi in ſuis Diœceſibus, cum Clero, & Populo duxerint ſolemniter venerandas.* Ubi particula copulativa & tam Populi, quam Cleri conſenſum expoſcit. Cujus limitationis haud deeſt æquitatis ratio, videlicet, ne, ut ait Layman *de feſtis cap.* 1. *n.* 3. populus multitudine feſtorum gravetur, & in neceſſariis laboribus impediatur. *Quod enim omnes tangit, debet ab omnibus approbari*, ex regula 29. Juris in 6.

X. Sunt tamen, qui conſenſum Cleri, & Populi modo neceſſarium minime putant, eo quod Tridentinum in allegatis verbis, *Dies etiam feſti, quos in Diœceſi ſua ſervandos Epiſcopi præceperint &c.* nullam habet mentionem conſenſus Cleri, & Populi. Verum ibi Tridentinum circa dictam Epiſcoporum facultatem haud novam ponit diſpoſitionem, & ideo ejuſdem textus præfatum conſenſum nequaquam excludit, ſed illum, etſi ipſe ejuſdem non meminerit, bene ſecum compatitur, quinimmo ex vi juris communis tamquam debitum ſupponit. Magis contraria conſuetudine, ſi, & ubi introducta ea eſt, præfatæ juris communis diſpoſitioni derogatum dicerem, ut bene Azorius *lib.* 1. *cap.* 26. *qu.* 2. Ceterum Fagundez *lib.* 1. *cap.* 3. *n.* 11. cleri quidem conſilium aſſerit adhiberi, non autem Suffragium exigi ſolere; quæ conſuetudo, ubi introducta eſt, ſervari debebit; univerſaliter tamen ea inducta non eſt, quinimmo in Actis Synodi Neapolitanæ anni 1565. ſub Cardinali Caraffa expreſſe eruitur, intromiſſos fuiſſe laicos, & aliquos de populo, ut hujuſmodi feſtorum indictioni, ſi quid forſan ſua intereſſe putarent, adeſſent. Reſtringit itidem idem Auctor jus commune ad feſta in perpetuum inſtituenda, non autem pro una, vel altera vice, puta ſi Epiſcopus Sancti recens canonizati feſtum ſemel obſervandum præcipiat, in eo ſiquidem caſu non ita populus gravatur, ut ejus conſenſus debeat expectari. An autem hoc recte, judicent alii.

XI. Cenſetur autem Clerus Populuſque conſentiens, quando Epiſcopo proponente nemo contradicit, aut contradicentibus aliquibus major pars conſentit. Præſtito ſemel conſenſu, & ſtabilito præcepto, non eſt amplius Populo, Clerove liberum contradicere, & illud abrogare, niſi Epiſcopus conſentiat. Poteſt tamen Epiſcopus ſolus feſta cum conſenſu Cleri, & Populi indicta tollere, quia ejus poteſtas quoad hoc nullo eſt jure limitata; & aliunde par non eſt ratio feſti inſtituendi, & abrogandi, in primo ſiquidem caſu gravatur Populus, & ideo forte requiritur ejus conſenſus, in ſecundo autem nedum gravatur, ut etiam ab onere ſublevetur.

XII. An autem modo adhuc uti valeant Epiſcopi facultate ſibi præſtita ab antiquis Canonibus circa nova feſta indicenda, an vero eadem iis adempta fuerit per Conſtitutionem Urbanam? Quæſtio hæc eſt, cui nonnulli reſpondent, prædicta facultate ſpoliatos eoſdem extitiſſe, quia Pontifex inibi *Epiſcopos in Domino monet, ut ad Eccleſiaſticam ubique ſervandam æqualitatem, de cetero ab indictione novorum feſtorum ſtudeant abſtinere*; patet autem, quod feſtorum immultiplicationi, & æqualitati non ſatis fuiſſet proviſum, ſi Epiſcopis adhuc libera foret feſtorum indictio; quare dicendum videtur, quod etſi Pontificia verba rigoroſe accepta dictam poteſtatem non adimant, bene tamen ſtante intentione legiſlatoris, quæ potius ſequenda eſt, quam ejuſdem verba, *L.* 27. *de legib.* & eo maxime quod verbum *ſtudeant* imperativum ſonat modum, & licet in una ſui ſignificatione ſtet loco *di procurare*, in altera tamen non minus concinne ſtat *per aver cura, o impegno*, & in hoc ſenſu idem reddit; ac *Abſtineant*; verbum autem *Abſtineant* in ore Summi Pontificis, qui præfata facultate Epiſcopos ſpoliare valet, ſi hos, licet leniori verbo, ea minime exuit, ad minus ſaltem eamdem illis ſuſpendit. Idipſum oſtendunt cauſæ prædictæ Conſtitutionis faciendæ, quoniam alias incommodis iiſdem in integrum locus pateret.

XIII. In contrarium tamen ſtant tum Doctores omnes, etiam qui poſt memoratam Conſtitutionem ſcripſerunt; tum verba ipſiuſmet Conſtitutionis, quæ mitiora, atque leniora eſſe videntur, quam ut in eo rigore accipiantur; in ea enim proculdubio nulla habentur verba præceptum ſonantia, ſed tantum illud *monemus in Domino*, quod Doctores communiter aſſerunt, gravem obligationem non præſeferre, ſed uſurpari magis ad permovendos animos, ut præſtent, quod ex præcedenti obligatione, vel alia congruentia præſtare convenit. Verbum autem *ſtudeant*, licet imperativum modum teneat, in ſuo tamen ſignificato non involvit, niſi affectum, & conatum inferioris ad efficiendum id, quod ſuperior ſuadet, & hortatur. Unde ſi quid occurrit, quod executionem difficilem, turbiſque implicatam, aut minus proficuam reddat, nedum ullum ſuperioris præceptum urgere tunc præſumitur, ut ab eo recedere omnino ſecurius ſit, ac plerumque opportunius. Talem autem eſſe Pontificis mentem in re, de qua agimus, leniori illo verbo *ſtudeant* ſatis indicatur, & naturalis textus intelligentia demonſtrat.

XIV. Quidquid tamen ſit hac in re, quæ noſtro extranea eſt inſtituto, indubium eſt, quod ſi per Conſtitutionem dicta facultas Epiſcopis adempta non fuit, apud ipſos ſaltem in ſolo actu primo remanſit, ad actum ſecundum non facile demandanda, quoniam verbum illud *ſtudeant abſtinere* in ore Summi Pontificis, poſtquam ipſe retulit varia incommoda, quæ ex feſtorum numeroſitate ſequuntur, plurima ablegavit feſta, horum æqualitatem ubique ſervandam commendavit, ſi non præceptum Epiſcopis facit non utendi præfata facultate, præcepto quaſi æquivalet; & hac de cauſa in primo Decreto diximus numquam cenſeri Epiſcopos, per hoc quod non contradicant, ſuum conſenſum præſtare feſtis, quæ vel per vota, vel per conſuetudinem Populorum invehuntur. Non dubitaremus tamen, quod ſi executioni ea facultas demandaretur, inſtituta feſta forent legitima, utpote inducta ab habente poteſtatem, quam iiſdem non credimus fuiſſe ſublatam.

XV. Quemadmodum vero certum eſt, Regulares, licet ab Epiſcoporum juriſdictione immunes, teneri ad obſervantiam feſtorum ab Epiſcopis in Diœceſi ſua de præcepto indictorum, id diſerte mandante Tridentino *ſeſſ.* 25. *cap.* 12., ita certius redditur ad eorumdem obſervantiam obligari feſtorum, quæ a Papali, cui ſunt plene ſubjecti, juriſdictione promanant; & non illorum, quæ a Populo, aut quacumque alia laica poteſtate, vel conſuetudine, ſeu voto, quibus non acceſſit legitima approbatio, nequaquam adſtringi; hæc enim non eſſe feſta legitime inducta, nec obligare, jam ſuperius dicta ſatis oſtendunt.

XVI. Pellizarius *tract.* 5. *cap.* 4. *num.* 10. Vi Concilii Tridentini non teneri aſſerit Regulares ad feſta, quæ Populus vovit, & Epiſcopus approbavit, niſi & ipſi voverint, aut in votum Populi conſenſerint, immo *nu.* 14. nec ad feſta ex conſuetudine licet ut ſupra approbata; & ejuſdem ratio eſt, quia hujuſmodi feſta non cenſentur vere promanare ex præcepto Epiſcopali, ſed primordialem naturam obligationis vel ex voto, aut conſuetudine exortam ſervare. Inſuper quia Concilium dicit *In Diœceſi ſua ſervandos præceperit*, eoſdem deobligat ab obſervantia feſtorum ex præcepto Ordinarii indictorum, non pro tota Diœceſi, ſed pro aliqua tantum Parœcia ejuſdem Diœceſis, licet in ea ſitum ſit Monaſterium eorumdem Regularium.

XVII. Attamen hæc nobis non admodum arrident, ſiquidem cum Decretum Tridentini latum ſit ad ſcandalum vitandum, & ad uniformitatem inducendam, quam utique decet haberi in omnibus loci incolis, præſertim in præcipuis, & feſtivis diebus, ad Diœceſana dumtaxat feſta, quæ toti Diœceſi communia ſunt, limitari non debet, ſed extendi ad ea, quæ ſunt propria alicujus Parœciæ, quæ item Diœceſana eſſe non deſinunt; & etiam ulterius ad quæcumque alia vel ex voto, aut conſuetudine, ſeu

alias

Digitized by Google

alias inducta, quæ fuerint ab Epiſcopis vere approbata; totam enim hæc obligandi vim ab Epiſcopali approbatione depromunt, atque adeo perinde ſe habent, ac ſi ab Epiſcopis ipſis immediate fuiſſent inſtituta.

XVIII. Dum itaque in Decreto dicitur. *Quando occurrit feſtum aliquod in Diœceſi, quod ſit de præcepto quoad forum*, in tota ſua latitudine eſt intelligendum, ita ut comprehendat feſta quæcumque legitime inducta, quæque ad ſui obſervantiam ut ſupra Regulares adſtringunt, ſolumque excluſa manent feſta ea, quæ a laicali poteſtate, conſuetudine, aut voto, quibus legitima non acceſſit approbatio, originem agnoſcunt.

XIX. *Regulares* quicumque, & cujuſcumque ſexus exiſtant; uti enim hi omnes ad obſervantiam feſtorum, quæ de præcepto ſunt in Diœceſi ratione uniformitatis tenentur, ita ad officium decebat eoſdem adſtringi, ut communibus votis cum difformitate haud deſiderarentur ea Regularium, ut magis inferius dicetur.

XX. *De eo*, videlicet de ſancto, de quo feſtivitas in præcepto recolitur. Aſt quid ſi de dicto ſancto feſtivitas quidem, ſed non officium per Apoſtolicam Sedem, aut Rubricas foret indultum? Tenerentur ne adhuc Regulares de eo officium agere? Nequaquam; procedit quippe Decretum ſupponendo quod jam officium conceſſum ſit vel per Romanas Rubricas, vel per Sedem Apoſtolicam, non autem indulgendo, etiamſi conceſſum officium non ſit. Feſtum aliquod per hoc quod de præcepto ſit quoad forum, non continuo fert ſecum officium, quemadmodum dicemus in ſequenti Decreto, vix tamen reperire eſt feſtum aliquod vere de præcepto, quod etiam officium non habeat. Diximus *vere de præcepto* ad excludenda feſta illa, quæ ex devotione, voto, aut conſuetudine alicubi tamquam de præcepto obſervantur, quibus multoties divinum non correſpondet officium. Nec ad effectum ſuffragari valet Epiſcoporum auctoritas, quibus ſi adhuc integrum forſan eſt feſta de præcepto demandare, certe tamen non eorumdem officia, ut dicitur in capite de additione Breviario fieri inhibita.

XXI. *Debent officium facere*. Verbum *Debent* non poteſtatem facit, ſed obligationem importat, & licet de debito congruentiæ exponi fortaſſe poſſet, de rigoroſo debito nobis illud liceat intelligere; in nulla enim Diœceſi feſta aliqua de præcepto, niſi ob communem utilitatem, ac univerſale beneficium, induci noſcuntur; quapropter cum Regulares ſint cives, & membra illius Diœceſis, aut loci, participentque illius bona, proculdubio non minus ac ceteri teneri debuerunt, nedum ad obſervantiam diei de præcepto, ſed etiam ad recitationem officii; quorum utrumque communi de cauſa, eoſdem quoque tangente, jure credi poteſt, fuiſſe introductum. At quid, ſi cum octava hujuſmodi feſta recolerentur? Ad octavam nequaquam teneri nos credimus propter earumdem rationum momenta, ob quæ a Diœceſanatum octavarum eoſdem alibi immunes fecimus; quod tamen limita, niſi & Regulares ipſi in Indulto octavæ expreſſe comprehenſi exiſtant.

XXII. In oppoſitum ex Quarantia Rodericus *to. 4. cap. 24. num. 47.* Gobat *Theol. exper. tract. 3. cap. 20. num. 695.*, Barboſa *in Concil. Trident. ſeſſ. 25. cap. 12.*, aliique adducunt Congregationem Concilii, quæ cenſuit, *Decretum Tridentini ſeſſ. 25. cap. 12.* Dies etiam feſti &c. *ita eſſe intelligendum, ut Regularium ritus illis feſtis ſemper maneat quoad miſſas celebrandas, & cetera divina officia tam publice, quam privatim ab ipſis Regularibus in earum Eccleſiis perſolvenda, nec circa hæc ab Epiſcopis quoquo modo quidquam in contrarium eiſdem Regularibus præcipi poſſe. Verum quoad conciones, & lectiones, quas iidem Regulares ad populum habuerint, debere ſe conformare Evangeliis, & Epiſtolis, quibus Clerus ſæcularis utitur illis diebus feſtis.* Nec difficultatem adimit, quod Joannes Gallemart apud Gobat *num. 696.* legat, *ut Regularium ritus illis diebus ſemper intactus manere poſſit*, quoniam ſi ad officium tenentur, jam amplius eorumdem ritus intactus manere non poteſt.

XXIII. R. Congregationis ſcopum eſſe, Regulares vi Tridentini ad feſtivationem, non ad officium teneri, & circa hoc ab Epiſcopis quidquam in contrarium iiſdem præcipi non poſſe; ſtat autem optime ſine ulla dictæ declarationis læſione poſtmodum Regulares adſtringi adhuc potuiſſe ad officium, ſicuti etiam tenentur ad officium aliorum feſtorum præcipuorum, ut Patroni loci &c.

XXIV. *Niſi apud ipſos occurrat eadem die aliud feſtum, quod ſit ejuſdem claſſis, ritus, & majoris dignitatis.* A fortiori ſi elevatioris hoc exiſtat ritus, qui dignitati prævalet, quinimmo dignitas ipſa præferentiam non præſtat; niſi quatenus quodammodo altiori æquivalet ritui; non enim hic ſermo procedit de dignitate accidentali, qualis eſt, quæ eſt martyrem inter & Confeſſorem, ſed veluti eſſentiali, & inſigni, quæ nempe reperitur in feſtis, quæ a Rubrica *Inter feſta* recenſentur, quæque potis eſt nedum in occurſu, ſed etiam in concurſu præferentiam invehere, de qua late agetur præſertim in capitibus de concurrentia, & repoſitione. Cui dignitati cum æquipolleat ſolemnitas, qua feſta in propriis locis, & eccleſiis celebrantur, aut quæ ſita eſt in pompa exteriori, idipſum dicendum venit, ſi hujus rationis ſit feſtum, quod apud Regulares ſimul occurrit.

XXV. Infertes ex his, feſtum de præcepto quoad forum in occurſu præferentiam ſortiri ſupra feſtum ejuſdem ritus, licet hoc ſit particulare, & dignius dignitate accidentali; præſens enim ſanctio, ut feſto de præcepto præferat feſtum proprium Kalendarii Regularium expoſtulat, quod hoc ſit majoris dignitatis, quare cum ex dicendis in capite de occurrentia major dignitas accidentalis cedat majoritati petitæ ex particularitate feſti, idcirco certum eſt, quod feſtum, quod ratione dignitatis præferendum eſt feſto de præcepto, debet eſſe majoris dignitatis eſſentialis, aut inſignis, quippe ſi particularitas feſti valida non eſt illud præferri, multo minus dignitas accidentalis, quæ cedit particularitati præfatæ. Id etiam præſtat praxis Lateranenſis, Vaticanæ, & Liberianæ Urbis Baſilicatum, quæ cum die 26. Maii celebrarent feſtum S. Eleutherii Pontificis, & Martyris cum translatione Sancti Philippi Nerii, hoc prætulerunt, ſtatim ac redditum fuit de præcepto quoad forum, licet illud ſit officium particulare earumdem Baſilicatum, quinimmo & præſtet in dignitate accidentali. Conſonat quoque Rublicæ *de de Transl. num. 6.*, quæ feſta ſolemniora in occurſu edocet eſſe præferenda, quod & firmant quamplurima Decreta in capitibus 22. 23. & 25. inficias autem iri non poteſt, quod feſtum de præcepto quoad forum ſolemnius eſſe non ſoleat.

DECRETUM V. CAPITIS, IN ORDINE CV.

Petitum fuit, ſi feſtum feſtivetur a Populo, vel de præcepto, vel de devotione, ut S. Ludovicus in Gallia, S. Rocchus &c. utrum dici debeat tale officium duplex majus, & lectiones primi nocturni legi de communi, etiamſi in proprio de ſcriptura aſſignentur, & reſponſum fuit; Feſtum S. Ludovici indultum de præcepto in Galliis eſſe ſub ritu duplici minori tantum, editis Decretis 15. Martii 1608., & 28. Novembris 1619. De S. Roccho, licet ejus feſtum ſervetur ex devotione, attamen de eo non poteſt recitari officium, & celebrari Miſſa, niſi in propriis Eccleſiis eidem Sancto dicatis, ex conceſſione S. C. die 4. Junii 1629., & clarius die 29. Novembris ejuſdem anni 1629., & tunc dicendum eſt officium ſub ritu duplici primæ claſſis. S. R. C. 10. Januarii 1693. *in una Galliarum*. Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 183.

I. PLurimæ hinc eruuntur generales regulæ, & primo, quod feſtum de præcepto quoad forum, ex feſtivatione ad elevatiorem non evehitur ritum, quippe feſtum S. Ludovici de præcepto in Galliis, ritus duplicis minoris declaratur, ut primitus conceſſum extiterat, non duplicis majoris, ut ratione feſtivationis in petitione contendebatur.

II. Teſte Guyeo *lib. 2. cap. 11. quæſt. 3.* conceſſere nonnulli feſtis de præcepto jus duplicium majorum, ac præferentiam in concurſu, taliſque eſt uſus Eccleſiarum Rothomagenſis, & Andegavenſis. At Decretum Romano innititur Breviario, in quo feſtum S. Annæ, de præcepto in foro, duplex dumtaxat minus ſemper ſignatum extitit, ad ritum duplicem minorem anno 1738. noviſſime evectum; quinimmo adhuc feſtum S. Silveſtri nonniſi ritum duplicem minorem aſſequitur; quod & præſtatur Romæ in feſto S. Philippi Nerii, licet inibi de præcepto quoad forum. Quod ſi ita eſt in feſtis de præcepto, a fortiori idipſum erit in feſtis ex devotione.

III. Secundo feſtum de præcepto, aut de devotione integris non gaudere Veſperis in concurſu cum altero ejuſdem ritus etſi hoc minime feſtivetur; hac enim præcipue de cauſa quærebatur de feſto S. Ludovici, an ritu duplici majori gauderet; hinc S. Anna cum ſequenti duplici minori ſemper ſecavit veſperas, & idipſum Romæ obſervatur in feſto præfati S. Philippi. Hæc eſt ſententia Guyeti *loc. cit. & lib. 4. cap. 13. quæſt. 6.* nec ex Rubricis eſt, quæ id privilegii feſtis de præcepto faciat, quinimmo cum Tabella duplicium majorum haud meminerit feſtorum de præcepto, utique in eorum ſerie deſignat minime comprehendi.

IV. Opponi poſſet ſolemnitas, quam feſtum de præcepto præ illo de non præcepto gaudet; at hujuſmodi ſolemnitas admodum exigua eſt, ut præferentiam in concurſu valeat præbere, licet bene in occurſu, in quo cum locum non habeat officii diviſio, uti in concurſu diviſio veſperarum quælibet vel minima ſolemnitas relevat. Falleret hoc tamen ſi feſtum de præcepto, aut ex devotione pompa ſolemniori coleretur; tunc tamen non vi feſtivationis, ſed ſolemnitatis præferentia donaretur, & non minus feſtum de non præcepto eadem gauderet, ſi alicubi dicta ſolemnitate veniret excultum.

V. Tertio ex titulo feſtivationis feſto duplici minori non continuo deberi lectiones primi nocturni de communi, unde poſtquam Decretum firmavit, feſtum S. Ludovici eſſe dumtaxat ritus duplicis minoris, ſtatim, ac veluti neceſſarium conſequens ſubdidit, *propterea non eſſe dubitandum, quin recitari debeant lectiones, quæ aſſignantur de ſcriptura*. Rubrica 26. *de lect. in 9.* tres aſſignat caſus, in quibus deſumuntur lectiones de communi, & ſunt, *cum aſſignantur in proprio ſanctorum quando deficiunt lectiones de ſcriptura, aut feſtum ſolemniter in propria Eccleſia celebratur*. In his itaque caſibus etiam in feſtis de præcepto dictæ legentur lectiones, ſecus in aliis; quare Breviarium Romanum, & Urbs Roma ex ſcriptura occurrente legunt in feſtis S. Silveſtri, & S. Philippi Nerii.

VI. Quarto ex eo quod feſtum aliquod ſit de præcepto feſtivum, aut ex devotione, non protinus de eodem officium fieri poſſe, ſed ad id expoſci ſpecialem facultatem, quare ſanctio, prout ad officium S. Ludovici ſpectat, ſe refert ad Decreta ejuſdem conceſſiva, & de S. Roccho in Eccleſiis dumtaxat eidem dicatis officium concedit juxta alias ſtatuta. Equidem pro S. Roccho ſpecialis adeſt ratio, de qua egimus in Decreto primo capitis ſecundi, attamen non deſunt ſanctiones aliæ, quæ noſtram roborant illationem, & præcipue edita ſub die 8. Aprilis 1628., in qua locorum ordinariis interdicitur nova invehi officia; ſi enim feſtum de præcepto ſecum veheret officium, cum epiſcopis integrum adhuc ſit, feſta de præcepto indi-

indicere, etiam poſſent nova officia inducere, quinimmo & ſæculares ipſi, cum feſta devotionis valeant introducere, obſtare poſſe videtur præcedens Decretum, quod Regulares obligat ad officium de feſtis, quæ in Diœceſi ſunt de præcepto; at ipſum procedit ſupponendo conceſſionem officii, cum vix ſit reperire feſtum aliquod de præcepto, quod ex legitimo titulo aliquo non ſibi vindicet officium, ut ſcite advertunt Gavantus *ſect.* 2. *cap.* 2. *num.* 26., & Gujetus *lib.* 1. *cap.* 2. *quæſt.* 5.

VII. Supereſſet exponere, quod habet Decretum de S. Roccho, at id jam uberem ſolutionem accepit in Decretis primo, & ultimo cap. 2.

DECRETUM VI. CAPITIS, IN ORDINE CVI.

Feſtum S. Franciſci eſt de præcepto ubique. S. R. C. 3. Januarii 1622. Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 46.

I. SIſtus IV. de Ruvere, magiſter Franciſcus Savonenſis antea dictus ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci profeſſor, Presbyter Cardinalis tituli S. Petri ad vincula, ad Apoſtolicam Cathedram quinto idus Auguſti 1471. evectus, ſua in mente non ſemel evolvens præclara merita tum ipſiuſmet S. Franciſci, tum Familiæ in agro dominico ab eodem plantatæ, necnon ſumma beneficia ejuſdem ſancti patrocinio recepta, in grati animi oſtenſionem Feſtum ejuſdem duplex a cunctis chriſtianis celebrari, ab omnique opere ſervili in eo abſtineri, & ſub obſervantia, & præcepto comprehendi voluit conſtitutione ſua *Præclara ſanctorum merita* data anno 1472. nonas Octobris. Hanc Siſti IV. conſtitutionem, ait Silveſter *verb. Dominica num.* 3. §. 6., non fuiſſe moribus utentium approbatam; hinc curſus idem feſtum S. Franciſci ſub præcepto ubique ſervari debere Sacra Congregatio annuente ſanctiſſimo in præſentiarum ſancivit, ut aſſerit Gavantus *ſect.* 7. *cap.* 12. *num.* 4., cujus Decretum Joannes Petrus Maſſarius publicari Romæ curavit, & apponi in Tabella de conſenſu Majorum edita anno 1631. feſtorum ubique obſervandorum ex præcepto Romanæ Eccleſiæ. Quod adhuc Decretum nullibi, ſaltem ſuis in partibus, uſu receptum fuiſſe nos monet Guyetus *lib.* 2. *cap.* 18. *qu.* 5.

II. Verum quidquid ſit de hujuſmodi receptione, indubitum eſt, non amplius prædictum feſtum eſſe de præcepto quoad forum, & adductum Decretum, ſi alicubi uſum obtinuit, jam eſſe ab Urbano VIII. anno 1642. in ſæpe allegata conſtitutione *Univerſa* revocatum, cum in ea recenſeat omnia feſta de præcepto ubique ſervanda, nedum de eodem nullam mentionem habendo, ſed inſuper diſerte ſtabiliendo, *ad reliquorum dierum obſervantiam, quos hactenus, ſive in univerſa Eccleſia, in quavis natione, aut regno, provincia, Diœceſi, aut loco quomodocumque, ſive ex præcepto ſive ex conſuetudine chriſtifideles tamquam feſtivos celebrarunt, nequaquam ex præcepto ipſos teneri.*

III. Non levis exurgit dubitatio, num feſtum S. Franciſci adhuc ſit in præcepto, ubi præſens Decretum acceptatum, & ad praxim fuit deductum, & aliunde Urbana conſtitutio ab epiſcopis admiſſa non fuit, nec publicata, nec in praxim inducta, qualiter pluribus in Germaniæ locis id eveniſſe aſſerit Gobat infra citandus *num.* 96., ita ut qui illud minime ſervaret, lethalis culpæ reus foret?

IV. ℞. Nequaquam, modo, qui tale feſtum, vel alia ſimilia non ſervant, emanationem præfatæ Bullæ, quæ eos a præcepti rigore liberos facit, probe ſciant, & ſcandalum vitent. Ita Guyetus *lib.* 2. *cap.* 18. *quæſt.* 10., & Gobat *Theol. jur. mor. tract.* 5. *cap.* 45. *num.* 122. Ratio eſt, quia ſummus Pontifex expreſſe, & quidem ex plenitudine poteſtatis fideles omnes liberat obligatione ea feſta ſervandi, & conſtitutiones Pontificiæ neceſſe non habent alibi, quam Romæ publicari, ut valeant, ex communi opinione canoniſtarum, quos refert Azorius *lib.* 5. *cap.* 3. *quæſt.* 3.

V. Adde, quod conſtitutio illa non tam lex eſt, quam legis derogatio, quippe non tam imprimit onus, quam ſolvit, unde & rationem privilegii habet magis, quam legis; privilegia autem ſuam vim, ac auctoritatem habere incipiunt, cum primum conceduntur a Principe, aut ſaltem cum nota fuerint ei, cui conceduntur, id aſſerente eodem Azorio *quæſt.* 5.

DECRETUM VII. CAPITIS, IN ORDINE CVII.

Feſtum S. Annæ eſt de præcepto ubique. S. R. C. 24. Aprilis 1622. Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 47.

I. CUm coronet Parentes gloria Liberorum, ſanctæ Dei Genitricis partus dono a Domino dignatam matrem, tamquam honoris, & gloriæ cæleſtis abundantia ſimiliter decoratam, ab univerſa Eccleſia præcipuo cultu, & religione proſequendam duxit Gregorius XV., qui propterea in ſua conſtitutione *Honor laudis* S. Annæ feſtum inter feſta de præcepto ubique ſervanda connumeravit. Quæ Conſtitutio, etſi a Gavanto *ſect.* 7. *cap.* 9. *num.* 26. tamquam edita die 24. Aprilis 1622. afferatur, die tamen 23. ejuſdem menſis, & anni emanaſſe nos edocent Bullarium Romanum, & Guyetus *lib.* 2. *cap.* 18. *quæſt.* 5., quapropter nec dubitamus, quod die eadem 23. præſens emanatum fuerit Decretum, niſi adhuc antiquius idem mavis eſſe, quoniam hujuſmodi Decreta ſemper præmitti aſſolent ad Apoſtolicas conſtitutiones, ut digerant, & examinent, quæ per eaſdem debent ſanciri. Hac igitur in parte audiendi non ſunt Gavantus, & Meratus, qui illud referunt ſub die 24. emanatum.

II. Equidem S. Annæ feſtum non eſt ex expreſſis in duobus illis præcipuis textibus Juris Canonici, ex quibus feſtorum de præcepto ſeries depromitur, ſcilicet *Can. Pronunciandum, & cap. conqueſtus*, inter eadem tamen, ut dicebamus, a Gregorio XV. fuit recenſitum, & licet hujus conſtitutionem pluribus in locis receptam non fuiſſe nos moneat Guyetus *lib.* 2. *cap.* 18. *quæſt.* 8., quia tamen ab Urbano VIII. in ſuperius laudata Bulla *Univerſa* anno 1642. iterum fuit indictum, indubium redditur, ab ejuſdem obſervantia non poſſe ſe ſe diſpenſare fideles.

III. Nunc dubium emergit, num feſtum S. Annæ poſt Urbanam Conſtitutionem ſit de præcepto ubique ſervandum, adhuc nempe iis in locis in quibus præcedenter ad eamdem Bullam minime ſervabatur? Quod dubium æque procedit de aliis ſanctorum feſtis, quæ ante præfatam Bullam alicubi non ſervabantur, & poſtmodum iterum in eadem deſcripta venerunt. Sunt autem hujuſmodi feſta, Inventio S. Crucis, Dedicatio S. Michaelis Archangeli, feſta SS. Innocentium, S. Silveſtri, S. Joſeph, & S. Annæ. In Meldenſi item Diœceſi feſta S. Mathiæ, S. Bartholomæi, & S. Thomæ Apoſtolorum, & alibi alia.

IV. Affirmabit ſane quiſquis ea conſtitutionis verba, *Decernimus, & declaramus infraſcriptos*, inter quos ſunt præfata feſta explicite expreſſa, *dumtaxat dies pro feſtis ex præcepto colendos eſſe*, prout ſonant, accipienda judicaverit; & eo maxime, quod ſummus Pontifex ſe declarat velle *ſanctificationis feſtorum certum deinceps firmare præceptum*, quinimmo *ad æqualitatem Eccleſiaſticam ubique ſervandam* epiſcopos monet, ut a novorum feſtorum indictione de cætero ſtudeant abſtinere.

V. Salvis tamen adhuc præfatæ conſtitutionis verbis, proteſtatur Guyetus *lib.* 2. *cap.* 18. *quæſt.* 8. neganti ſe magis aſſentiri, duobus his ductus argumentis. Primum. Quod non intendat Pontifex feſta ulla de novo præcipere, immo potius tollere, & abrogare aliqua, ut patet ex cauſis conſtitutionis faciendæ, quas ipſemet adducit, videlicet quia *ob nimiam feſtorum numeroſitatem pietatis fervor in iiſdem excolendis teteſceret; Clamor pauperum eamdem multitudinem ob quotidiani victus laboribus ſuis comparandi neceſſitatem ſibi valde damnoſam conquereretur; & quod ipſa multitudine, non ad ædificationem, & ad laudandum in Eccleſiis Deum populi uterentur, ſed ad otia, vanitates, & vitia frequenter abuti non reformidarent*; ergo ſi eorum aliqua non erant in præcepto alicubi, non eſt veriſimile, velle ipſum iis onus imponere, quod ab aliis, quibus adſtrictum erat, ipſamet conſtitutione removet.

VI. Secundum. Quod eorum feſtorum omnium, quæ recenſet, ſupponat vigere præceptum, decernit ſiquidem, & declarat, *eos dumtaxat dies pro feſtis ex præcepto colendos, quos vel ab initio veneranda ſacravit antiquitas, vel univerſalis Eccleſiæ probavit conſuetudo, vel omnium gentium unanimis pietas veneratur*; ergo ſi qui ſunt dies alicubi ab initio, aut ex conſuetudine minime ſervati, eos haud decernit Pontifex pro feſtis eſſe retinendos. Retineri enim pro feſtis non poſſunt, niſi ante feſti erant, ſed tales ante feſti non erant. Nec obſtat, quod alibi eſſent, ſemper enim infertur ex eo, quod non eſſent in tali, & tali loco, non fuiſſe ex eorum numero, *quos vel ab initio veneranda ſacravit antiquitas, vel univerſalis Eccleſiæ probavit conſuetudo &c.* Item non obſtat, quod extaret in Jure, ſeu ex conſuetudine Pontificium latum de iis præceptum; vel enim præceptum hujuſmodi nunquam ibi uſu receptum fuit, ut conſtat de feſtis S. Silveſtri, S. Joſeph, & S. Annæ: vel certe contraria conſuetudine legitime præſcripta fuit abrogatum, uti contigit in præceptis de Inventione S. Crucis, Dedicationis S. Michaelis, Feſto SS. Innocentium, & aliis. Quocumque vero id modo factum fuerit, certum eſt, nullum vigere præceptum, ergo non retinetur a Pontifice in conſtitutione prædicta. Ita arguit Guyetus loco laudato, & quidem admodum probabiliter.

VII. Hinc ſequitur, quod ſi quis in Feſtis Inventionis S. Crucis, Dedicationis S. Michaelis, SS. Innocentium, S. Silveſtri ſervilibus operibus incumberet, ex diſpenſatione, ſeu relaxatione per ſummum Pontificem conceſſa, lethalis culpæ reus non foret: refert enim Navarrus *in Enchir. cap.* 13. *num.* 15. Eugenium IV. ut habetur in compendio Privilegiorum *fol.* 69. conſtituiſſe, ut laici, qui operarentur in feſtis ſanctæ Crucis Maii, S. Michaelis Septembris, SS. Innocentium, & S. Silveſtri, non peccent mortaliter, niſi hujuſmodi dies Dominici fuerint. Illationis autem hujuſmodi ratio in promptu eſt, quia ſi Urbanus VIII. ſua illa conſtitutione non gravamen aliquod, ſed potius levamen inducere intendit, præfata diſpenſatio, ſeu relaxatio ab Eugenio IV. conceſſa, adhuc in integro ſuo robore perdurabit.

VIII. Quæres, num feriis judicialibus addenda ſint feſta SS. Annæ, & Joſeph, Inventionis S. Crucis, & Corporis Chriſti, & duorum principalium Patronorum, unius ſcilicet pro Regno, alterius pro Civitate? Ratio dubitandi eſt, quia Urbanus VIII. hæc quidem feſta inter feſta ubique ſervanda recenſet, ſed in ſua conſtitutione paulo poſt hanc adiicit clauſulam: *Non intendimus tamen per hanc noſtram conſtitutionem dies feriatos circa judicialia in aliquo immutare, quos ad hunc effectum relinquimus in eiſdem ſtatu, & terminis, in quibus erant ante ejuſdem promulgationem*. Cum itaque antea non fuerint dies feriati, utpote quorum nulla mentio habetur in cap. *conqueſtus* de feriis, ideo inter dies feriatos non videntur dicta feſta recenſenda.

IX. ℞. Præfata feſta feriis judicialibus eſſe adjungenda; cum enim iſti dies ſint hodie in præcepto, abſque dubio ſunt etiam feriati quoad judicialia, cum ratio formalis ſanctificationis feſti conſiſtat in vacando rebus divinis, & in ceſſatione operum, ut declarat D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 122. *art.* 4. *ad* 3., inter quæ opera recenſentur etiam ſtrepitus, & actus judiciales, qui im-

pediunt

pediunt applicationem hominum ad divina. Præſervatio autem Urbani VIII. importat ſolum, ut dies, qui erant feriati quoad judicialia ante ſuæ conſtitutionis promulgationem, ſimiliter remaneant feriati, non autem, ut dies, qui firmantur eſſe in præcepto, non debeant eſſe feriati etiam quoad judicialia. Recolat Lector ea, quæ in præliminaribus capitis tradidimus circa actus judiciales a primis uſque Eccleſiæ temporibus in diebus feſtis exercere inhibitos.

A P P E N D I X.

A D C A P U T XIII.

De Diebus Feſtivis.

D E C R E T U M I. Cap. in Ord. 433.

SI feſtum ſit Sancti, tamquam Patroni loci, electi a clero, populo &c. illius loci cum approbatione Epiſcopi, vigore Conſtitutionis Urbani VIII. juxta Decreta S. R. C. tunc feſtum prædicti Sancti erit de præcepto obſervandum, & celebrandum ab incolis totius loci, etiam a Suburbanis, alias negative. S. R. C. 15. Sept. 1742. *in Tridentina*.

FOrma ſimul cum Decretis, quæ neceſſario ſervari debent in electione Patronorum, tom. 1. cap. 3. Decr. 1. late a nobis examinata fuit, & quatenus ea non fuerit ſervata (niſi ſint ex Patronis electis juxta antiquiorem diſciplinam, & antequam prædicta Decreta prodirent) electio ipſa nulla eſt, quinimmo nec eorum feſtivitas eſſe poteſt de præcepto obſervanda, cum Conſtitutio Urbana diſponat de feſtis Patronorum rite, non nulliter electorum. Eorum feſta, qui rite electi ſunt, nunc abſolute declarantur quidem de præcepto, ſed id intelligi volumus juxta limitationem, quam tradidimus cap. 13. Decr. 3. & 7. ubi quæ dedimus, recolenda omnino ſunt.

D E C R E T U M II. Cap. in Ord. 434.

AN ſit validum votum demiſſum anno 1726. in Civitate Thermitana ob liberationem a ruinis terræmotus, primo celebrandi tria feſta de præcepto, ſcilicet diem primam, ſecundam, & tertiam Septembris: ſecundo jejunandi die præcedente prædicta feſta: tertio nunquam admittendi mulieres in ſcenis hiſtrionum, & theatris. Reſponſum fuit: votum ſuſtineri quoad perſonas tantum, quæ illud emiſerunt. Sacr. Rit. Congreg. 1. Februarii 1744. *in Panormitana*. Vide a nobis tradita cap. 13. Decr. 2.

D E C R E T U M III. Cap. in Ord. 435.

Tranſlato feſto unice quoad officium, non transfertur indulgentia tali feſto conceſſa. S. R. C. 16. Sept. 1741. *in una Ord. Min. obſerv. Reform.*

HOC Decretum, quod jam edimus, hic adhuc dandum eſſe credidimus ob verba illa *unice quoad officium*, quæ Decretum tenere, poſtmodum novimus; ea enim aperte deſignant, quod transferuntur etiam indulgentiæ, quoties feſta transferuntur etiam quoad forum. Operæ pretium erit itaque recolere a nobis data cap. 13. Decr. 17. & cap. 30. Decr. 23.

DECRETUM VIII. CAPITIS, IN ORDINE CVIII.

Feſtum S. Joſeph eſt de præcepto ubique. S. R. C. 8. Maji 1621. Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 45.

I. ADEO multa ſunt, quæ in laudem S. Joſeph ab Auctoribus producuntur, ut per eorumdem, quæ ceteroquin probabilia tantummodo ſunt, narrationem Lectorem obruendum non eſſe putemus, ſuper quibus ſi inſtrui exoptat, Auctores recolat, & præſertim Franciſcum Suarez, qui *3. par. tom. 2. diſp.* 8. ad longum admodum hoc argumentum pertractat; nos enim ſiſtimus in his, quæ certa ſunt, & quæ ex ipſo evangelii fonte hauriuntur. Sunt autem, quod S. Joſeph fuit intemeratus B. V. ſponſus. *Matthæi* 21. Appellatus, & creditus fuit Pater Chriſti Domini. *Lucæ* 2. *&* 3. *Matthæi* 13. & quod Chriſtus ipſe dignatus eſt eidem ſe ſubditum facere; unde Lucæ 2. *Et deſcendit cum eis, & venit Nazareth, & erat ſubditus illis*. Gratiæ hæ, ſpirituales iſtæ prærogativæ adeo magnæ ſunt, excelſæ ſunt, propriæ ſunt, nec alteri ſancto communicatæ, ut unuſquiſque ſibi facile ſuadere poſſit, quam congrue dies natalitia S. Joſeph fuerit feſtivatione donata.

II. Quoniam vero hoc feſtum S. Joſeph eſt ex illis, quæ in duobus Juris Pontificii textibus *Can. Pronunciandum, & cap. conqueſtus* ſunt minime comprehenſa, a Gregorio XV. cum ſuperadducto Congregationis Decreto inter dies de præcepto colendos relatum, ſed pluribus in locis non-adhuc uſu receptum, & denuo per Urbanum VIII. de præcepto indictum, jam in omnibus, & per omnia feſto S. Annæ ſimile noſcitur, & æquale, quapropter ægre ne ferat Lector, ſi ad videnda, quæ in præcedenti Decreto de feſto S. Annæ tradita ſunt, a nobis remittitur, par ſiquidem caſus parem exigit expoſitionem.

DECRETUM IX. CAPITIS, IN ORDINE CIX.

Si Feſtum S. Joſeph occurrat in Feria V. majoris hebdomadæ, ejus officium transferendum erit ad aliam diem juxta Rubricas Breviarii Romani, & Decreta S. C.; ceterum præceptum audiendi Miſſam, & vacandi ab operibus ſervilibus non erit transferendum, ſed ſervandum in prædicta Feria V., adeoque per Ordinarias locorum accurate providendum, ut eo die aliquæ quidem Miſſæ privatæ, ante celebrationem ſolitæ Miſſæ conventualis, celebrandæ pro præcepti adimplemento non deſint; Sed tamen propterea antiquus mos Communionis Cleri in Miſſa ſolemni illius diei, quod Eccleſia SS. Euchariſtiæ inſtitutionem, & memoriam recolit, ſumma religione hactenus retentus, nullatenus omittatur. S. R. C. 13. Sept. 1692., & habetur in Bullario particulari Innocentii XII. *in Hiſpalen.* Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 172., & per extenſum in Indice Decr. Miſſalis num. 501.

I. OCcurrit feſtum S. Joſeph in feria V. majoris hebdomadæ, quoties Paſcha in die 22. Martii evenit celebrari, & in præcedentibus etiam ejuſdem hebdomadæ diebus occurrere valet, non in ſequentibus, cum Paſchatis celebratio anticipari non poſſit, ſed poſthaberi ſolummodo. Eſt autem tota hebdomada major memoriæ Paſſionis Chriſti recolendæ ab Eccleſia adeo ſpecialiter addicta, ut ne aliquod ejuſdem officium impediri contingat, quodcumque feſtum, licet primæ claſſis, & alicubi ſolemne, excludat, ita expreſſe mandante Rubrica X. *de Transl. n.* 1., quare dubium non eſt, quod feſtum S. Joſeph in feria V. memoratæ hebdomadæ occurrens, transferri debet.

II. Verum non *feſtum*, quod memorat, dum de ejuſdem occurſu loquitur, ſed *officium* transferendum eſſe jubet Decretum. Admodum quidem provide; feſtum enim ſtat, prout ad ritus eccleſiaſticos attinet, & pro feſto fori, & pro feſto chori, & dantur feſta, quæ ſolius ſunt fori, & quæ ſolius ſunt chori, & quæ ſimul ſunt fori, & chori. Pro feſto fori venit feſtivatio, pro feſto chori officium, & pro feſto fori, & chori feſtivatio ſimul, & officium. Feſtum fori, & chori eſt feſtum S. Joſeph, & ideo ne æquivoca *Feſti* uſurpatio dubitandi locum faceret, quod in præfato occurſu feſtum una chori, & fori transferendum eſſet, non *feſtum*, ſed *officium* transferendum eſſe conſulto congregatio ſignavit.

III. At in quam diem erit rejiciendum? *Ad aliam diem*, habet Decretum. Verum cur *ad aliam diem*, & non magis *ad primam diem non impeditam*, ad quam translata Rubricæ ſemper amandant, transferri debere diſponitur? Cautum, fas eſt, miretis in ſuis Decretis, quem S. C. tenet, procedendi modum, dum *ad aliam diem*, & non *ad primam non impeditam* dictum officium transferendum eſſe ſancivit. Cum Feſtum S. Joſeph occurrit in feria V. præfata, Feſtum Annunciationis B. M. ob incidentiam ejuſdem in ferias Paſchatis, ſemper quoque contingit eſſe translatum, & quia prima dies non impedita debetur repoſitioni Annunciationis prædictæ, ideo non *ad primam diem*, ſed *ad aliam diem* officium S. Joſeph transferendum eſſe decrevit.

IV. Qui in Rubricarum cortice unice ſiſtunt, earumque medullam minime libant, a priore translatione ſe rapi ſinunt, ut ſentiant, priorem in caſu repoſitionem deberi feſto S. Joſeph. Hac ſuper re non putamus morari Lectorem cum Rubricarum ſenſum in capita de repoſitione jam fuſe fuerimus perſcrutati, quare ſolum monemus, Congregationem aſſerere, id eſſe *juxta Rubricas Breviarii Romani, & Decreta Sacræ Congregationis*, quæ itidem in eodem præſertim capite noſtræ ſubjecta veniunt ponderationi.

V. *Ceterum præceptum audiendi miſſam, & vacandi ab operibus ſervilibus non erit transferendum*. Præceptum recitandi officium, & præceptum audiendi Miſſam & vacandi ab operibus ſervilibus ſunt duo præcepta diviſibilia, unum ſpectat ad chorum, aliud ad forum, primum duntaxat afficit clerum, ſecundum & clerum, & laicum adſtringit. Primum in dicta feria ſervari non poteſt de mandato Rubricæ *de Transl. num.* 1., ſecundi celebrationi non eſt invenire, quod obſtet, & ideo illius translatio non debuit ſecum vehere hujus translationem; fert enim communis Eccleſiæ conſuetudo, cui omnes canoniſtæ ſubſcribunt, cuique obniti nefas cuique foret, translato feſto quoad officium, non una feriationem ipſam transferri, cum etenim feriatio ad laicos indiſcriminatim ſpectet, & clericos, legibus Breviarii, quæ a clero vix docto probe ſciuntur, regi non decuit, præſertim quia alias nimis incerta, & vaga foret feriandi ratio, & transgreſſionis periculo admodum obnoxia, & non ſemel eveniret enormi cum difformitate in eadem civitate, & loco diverſis diebus de eodem feſto feſtivationem haberi, cum non in omnibus Eccleſiis ejuſdem loci una die translati feſti officium reponeretur; & præcipue apud Regulares, quorum Kalendario multis Sanctorum indigenarum feſtis eſt occupatum. Quid autem abſurdius? Apprime itaque bene translato feſto quoad officium, non una transfertur feriatio ad diem, in qua officium reponitur, ſed hæc retinetur eodem ipſo die, cui affixa eſt, perinde ac ſi officium minime transferretur.

VI. *Sed ſervandum in prædicta feria V.* Sunt, qui contendunt lætitiam, quam ſecum afferunt feſtivitates ſanctorum, non bene congruere cum prædicta feria quinta, quæ cum infra hebdomadam majorem recurrat, & proxima inſuper ſit diei mortis Dominicæ, ſeu Chriſti, ad recolendam paſſionem cenſetur præcipue deſtinata, unde & luctuoſiora officia in ea peragi incipiunt.

Digitized by Google

cipiunt. At tantum abeſt, quod abſtinentia ab operibus ſervilibus, & lætitia, quam ſecum afferunt feſtivitates ſanctorum, diſſonum quid teneant, cum præfata feria quinta, quin potius eidem admodum congruant; ſic enim a ſervilibus operibus expeditis nobis liberius fas eſt in meditationem Dominicæ Paſſionis aſſurgere, & occupari, & una in gratiarum actionem ob inſtitutionem ſacramenti ſacramentorum, quam tamquam ea die peractam recolit Eccleſia; qua utique etiam de cauſa ſemper in uſum habuit ea die parare Altare majus, ejuſque miniſtros pretioſioribus paramentis albis in oſtenſionem gaudii ob memoratam inſtitutionem SS. Euchariſtiæ. Et quidem inter dies feſtivos a cap. *conqueſtus* recenſentur omnes ſeptem dies Paſſionis, ſeu tota hebdomada major, & licet id poſtea fuerit generali conſuetudine abrogatum, adhuc tamen tota illa hebdomada retinetur feriatio a ſtrepitu forenſi *juxta l. ut die*, *& l. omnes dies Cod. de feriis*, quinimmo & aliquibus in locis in ipſa feria VI. in Paraſceve mane uſque ad oſculum crucis feſtivationem adhuc retentam fuiſſe, ait Silveſter *verb. Dominica quaſt.* 1. §. 7., ſeu uſque ad meridiem; alicubi etiam quoad feriam V. in cœna Domini, matutinis horis ſimiliter, teſte Guyeto *lib.* 2. *cap.* 18. *quaſt.* 1. Quod ſi poſtea hujuſmodi feſtivatio per laudatam conſtitutionem Urbanam ſublata extitit, non utique ex capite incongruitatis hoc præſtitum fuit, ſed aliis de cauſis, quas ſuperius recenſuimus.

VII. Quod poſſet obſtare, eſt unicitas Miſſæ, quæ ea die ſolemniter celebratur, omnes ſiquidem Miſſæ privatæ dici inhibetur pluribus Congregationis Decretis, & potiſſimum per editum ſub die 15. Martii 1712., dicta enim Miſſæ unicitas proculdubio difficile, & valde incommodum, ne dicam quaſi impoſſibile, fidelibus reddit adimplementum præcepti audiendi ſacrum. Verum huic difficultati obviam jam ivit eadem Congregatio, dum hocce in Decreto ſancivit, *per ordinarios locorum accurate providendum, ut eo die aliquæ quidem Miſſæ privatæ ante celebrationem ſolitæ Miſſæ Conventualis celebrandæ pro præcepti adimpletione non deſint.*

VIII. Erit igitur *per Ordinarios locorum*, credirem reſpective ad Eccleſias ſibi ſubditas, & per Prælatos Regulares relate ad ſuas reſpective Eccleſias, *accurate*, per prudentem ſcilicet attentionem, *providendum*, *ut eo die aliquæ quidem Miſſæ*, non omnes, aut multæ, ſed aliquæ habito reſpectu ad fideles, & ad Sacerdotes, ita ut Miſſarum proviſio nec exuperet indigentiam audientium, nec valde imminuat Sacerdotum in Miſſa ſolemni communicandorum numerum; *privatæ celebrandæ*, nedum in Eccleſiis, in quibus aſſervatur SS. Sacramentum, ſed etiam ad majorem fidelium commoditatem in iis, in quibus prædictum SS. Sacramentum minime cuſtoditur, *pro præcepti adimpletione non deſint.*

IX. *Ante celebrationem ſolitæ Miſſæ conventualis*; hinc poſt hanc Miſſam ſolemnem conventualem ne quidem occurrente feſto S. Joſeph poterit celebrari aliqua alia Miſſa ſine gravi culpa, ut tenent Barboſa, Gobat, Caſtropalaus, & alii apud Biſſum *lit. F. num.* 44. §. 1., & quidem eum ſtatim poſt Miſſam de Mandato Rubricæ denudari debeant Altaria, apta haud ſunt, ut in iiſdem ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium peragatur; & minus proculdubio conveniens foret impediri luctuoſas, ac myſterioſas conſuetas functiones præſcriptas cauſa celebrandi Miſſas aliquas ad indulgendum luxurioſæ nonnullorum commoditati.

X. *Sed tamen propterea antiquus mos communionis Cleri in Miſſa ſolemni illius diei, ſumma religione hactenus retentus, nullatenus omittatur.* Juxta antiquiorem Eccleſiæ diſciplinam in Miſſa præfatæ feriæ quintæ etiam Populus Euchariſtiam ſumebat, ut ex Sacramentario S. Gregorii aperte eruitur: *& communicet omnis Populus ordine ſuo*; & hoc ſolius non vi devotionis, ſed Eccleſiaſtici vigore præcepti, quemadmodum inſinuat Can. *In cœna Domini, de conſecr. diſt.* 2. Hujuſmodi autem diſciplina poſtmodum redacta fuit ad ſolum Clerum Eccleſiarum Cathedralium, Collegiatarum, & Conventualium, ita tamen ut ejuſdem communicatio ſub rigoroſo non cenſeatur præcepto. Talis mos communionis Cleri in prædicta Miſſa fuit ſemper ſumma religione retentus, ac cuſtoditus, & ab Eccleſia præſcriptus; hinc in Ordine Romano de cœna Domini habetur: *Fractis autem oblatis, communicent Presbyteri primo, poſtea Diaconi, & ceteri omnes, & ita perficiatur*; & Cæremoniale Epiſcoporum a ſummis Pontificibus Clemente VIII., Innocentio X., & Benedicto XIII. approbatum, *lib.* 2. *cap.* 23. ita quoque diſponit; *Deinde antequam ſe purificet* (nempe Epiſcopus) *communicat primum Diaconum, & Subdiaconum, deinde omnes Canonicos paratos, & alios Sacerdotes de Eccleſia, qui Stolam a collo pendentem ſupra coctam habere debent, & deinde omnes de Clero.* Ne igitur hæc tam ſancta conſuetudo intermiſſa veniret, & inſimul commodiori adimpletioni præcepti conſuleretur, per aliquos Sacerdotes dumtaxat ea die ſacrificari decernitur, ut ceteri de more poſſint de manu Sacerdoris SS. Euchariſtiam accipere.

XI. *Illius diei, quo Eccleſia SS. Euchariſtiæ inſtitutionem, & memoriam recolit.* Per hæc verba deſignatur origo prædictæ conſuetudinis; Chriſtus enim in hac die SS. Euchariſtiam in ultima cœna inſtituit, eamque convivis ſuis Apoſtolis diſpenſavit. In hujus itaque memoriam, ac repræſentationem jam facile quiſpiam vider, quam juſte dicta conſuetudo fuerit inducta, inoleverit, & ſancte ſemper retenta extiterit, & adhuc in memorato eventu cuſtodiri præſcripta.

XII. Nonnulla quidem dubia, quæ contingere poſſunt, diſſolvenda ſuperſunt, ſed in ſequenti Decreto reſervantur examinanda.

DECRETUM X. CAPITIS, IN ORDINE CX.

Quando Feſtum Annunciationis B. M. V. occurrit in Feria V. in Cœna Domini, ſervandum eſt Decretum Generale pro Feſto S. Joſeph editum die 13. Septembris 1692. S. R. C. 11. Januarii 1693. *in una Galliarum*. Ex Merato in Indice Decretor. Miſſalis num. 504.

I. PAR caſus parem exigit diſpoſitionem, & ideo bene Congregatio pro Feſto SS. Annunciationis ſervandum eſſe ſtabilit Decretum præcedens, pro Feſto S. Joſeph in ſimili occurrentia editum. Uti autem S. C. propoſitum dubium reſolvit per Decretum alias pro ſimili caſu emanatum, ita præſentis ſanctionis expoſitionem per ejuſdem Decreti, quod ſervari mandatur, explanationem liceat nobis cenſere abſolutam. Addimus ſolummodo, quod licet in præſentiarum ſervari præcipiatur, quod pro feſto S. Ioſeph Decretum extiterat, attamen id ipſum jam prius in quadam Camerienſi, & pro Eccleſiis Almæ Urbis de feſto Annunciationis expreſſe præſcriptum fuerat, ut apparebit in ſequenti Decreto, quod etſi die 12. Septembris 1716. noſcatur editum, memorat tamen Decretum in Camerienſi, & pro Urbe Roma de die 20. Martii 1660.

II. Quæres 1. Quid faciendum veniat, ſi ob Sacerdotum exiguitatem, dum ſufficiens ſit privatarum Miſſarum proviſio, vel nullus, vel fere nullus de Clero remaneat, qui in Miſſa ſolemni communionem valeat aſſumere? Eritne eo in caſu magis conſulendum præfatæ Cleri communioni, quod *nullatenus omittendam* aſſerit Decretum, aut fidelium commodo per dictarum Miſſarum privatarum nihilominus proviſionem?

III. ℞. Prædictam Cleri communionem, quantum fieri poteſt, eſſe retinendam, tametſi unius dumtaxat, vel alter ſupereſſet, qui de manu Sacerdotis Euchariſtiam poſſet deſumere, & ſi Sacerdotes omnes Miſſæ ſacrificium peregiſſent, cæteros de Clero, ſi qui ſunt, debere communionem percipere, & forſan ad hanc ſanctam conſuetudinem retinendam, & ſervandam aliquid de majori commodo Populi demi poſſe, pauciores, dummodo abſolute, & reſpective alias ſufficientes, privatas Miſſas deſignando. Quod ſi fidelium commodum omnes Miſſas expoſceret, nec alii forent de Clero, qui communionem ſumere poſſent, eo in caſu poſthabita Cleri communione ſufficiens fieri debebit Miſſarum privatarum proviſio, ut Chriſtifideles præceptum auditionis Miſſæ, quod alias vel abſolute non poſſent, vel ſaltem nimis ægre ſervare, valeant adimplere. Cum enim duo ſimul urgent præcepta, quorum utriuſque obſervatio haberi non poteſt, quod magis urgens eſt, proculdubio debet ſervari; in præſenti autem caſu, in quo alias maxima fidelium copia dictum præceptum infringeret, quis unquam non reputabit magis urgens præceptum providendi de congruo numero Miſſarum privatarum, quam communionis unius, vel alterius de Clero, quæ dumtaxat in memoriam communionis Apoſtolorum hac die per Chriſti manum actæ inducta eſt, ſub rigoroſo non cenſetur præſcripta præcepto, quamque omittere iis in locis, in quibus Cleri copia non adeſt, jam Eccleſia ipſa habet in uſum? Dictio autem *nullatenus*, & clauſula *nullo modo* in præcedenti, & ſequenti Decretis poſitæ, etſi univerſales negativæ ſint, & prohibitivæ, excludentes omnem caſum, & diſpenſationem juxta communem intellectum Canoniſtarum, a morali utique impoſſibilitate limitationem recipere queunt.

IV. Quæres 2. num tempore Miſſæ ſolemnis dici queant Miſſæ privatæ, ſi ita ferat Populorum commodum?

V. ℞. utique. Utrum dictio *Ante*, ubi tempori, vel actui adjungitur, ſignificet illud perfectum, vel ante principium ejuſdem, non bene conſtat inter Doctores, qui in contraria finduntur placita; regulariter tamen, & de ſui propria natura ſignificare videtur tempus ante principium temporis, vel actus deſignari. Verum quando præfata dictio refertur ad actum, qui habet tractum ſucceſſivum determinatum, & concurrit favor, puta ſi dicatur: Promitto tibi ſolvere ante unum annum, vel ante Kalendas Auguſti: tunc expoſcere finem actus, & intelligi ante annum finitum, & ante Kalendas finitas, nec debitorem poſſe conveniri in ipſo die Kalendarum, ſed ſolum in altero ſequenti, eruitur *ex l. qui ante Kalendas*, *ff. de verbor. oblig. l. eum qui ita* 56. 8. *qui ita ſtipulatur ante ff. eod. tit.* ubi Gloſs. *verb. ante Kalend.* Alex. *in d. l.* 2. 8. *creditum n.* 2. Vulpe *de præpoſ.*, *& adverb. ſignific. ſub hac dict. num.* 2. Cum itaque dictio *Ante* in præſenti Decreto referatur ad actum, qui habet tractum ſucceſſivum, ſcilicet *celebrationem Miſſæ ſolemnis, vel Conventualis*, & concurrat favor, nempe Populorum commodum, cujus unica de cauſa Miſſæ privatæ dici conceſſæ ſunt, dubium non eſſe videtur, quod utile tempus pro celebratione Miſſarum privatarum non cenſetur expirarum, donec præfata Miſſa eſt abſoluta, & perfecta, & nullatenus ante hujus principium. Statuit Tridentinum, ne quis ante 22. annum ad ſubdiaconatus Ordinem promoveatur, & quia annus habet tractum ſucceſſivum, & concurrit favor, ſufficere dictum annum eſſe inceptum, tradunt Auctores; cum itaque & celebratio Miſſæ ſolemnis tractum habeat ſucceſſivum, & concurrat favor, cur ly *ante celebrationem Miſſæ ſolemnis, aut conventualis* intelligi e contra non poterit, immo debebit de celebratione ejuſdem Miſſæ perfecta, & conſummata? Doctrinam hanc ſolido niti fundamento nos arbitramur, & ideo ad praxim nedum eamdem deduci poſſe putamus iis in locis, ſeu Eccleſiis, quæ multum, & valde diſſitum populum habent, qui totus ſimul, ne familiaria negotia cum gravi, im-

immo

mn quandoque graviſſimo incommodo negligat, ad Eccleſiam convenire non poteſt, ſed etiam iis in locis, in quibus hujuſmodi incommoda locum non habent, ad indulgendum duntaxat voluptuoſo fidelium commodo, licet fortaſſe in hujuſmodi caſu vel ægre, vel ſaltem parce ab Eccleſia conceſſo privilegio ſit utendum.

VI. Quia tamen perfecta Miſſa ſolemni indubium eſt expirare tempus utile Miſſarum privatarum, & aliunde celebratio tractum itidem ſucceſſivum habet, credimus, Miſſas privatas haud incipi poſſe eo tempore Miſſæ ſolemnis, quo veroſimile apparet, eaſdem ante completam celebrationem Miſſæ ſolemnis non poſſe eſſe perfectas. Equidem cum ſimus in favorabilibus, totum tempus Miſſæ ſolemnis utile videtur ad Miſſas privatas inchoandas, & ratione poſſeſſionis extra utile etiam tempus proſequendas; verum quidquid ſit de hujuſmodi doctrina, de qua alibi fortaſſe ſermo redibit, haud videtur præſenti caſui poſſe adaptari, in quo cum finita Miſſa ſolemni, ex præſcripto Rubricæ Altaria debeant denudari, impedita veniret hujuſmodi functio, aut ſaltem cum exceptione Altarium, in quibus Miſſæ privatæ celebrarentur, cum difformitate, & incongruitate deberet haberi.

VII. Hinc inferre quis poſſet extra Eccleſias, in quibus hujuſmodi ſolemniter non agitur functio, privatarum celebrationem Miſſarum ultra dictum tempus protrahi poſſe, reſervata denudatione Altarium poſt celebrationem earumdem Miſſarum. Verum cum iſte agendi modus difformitatem maximam ingerat cum primariis loci Eccleſiis, populumque avertat ab aſſiſtentia Miſſæ ſolemnis, aliiſque Myſterioſis functionibus, prorſus eliminandus venit, quinimmo hac de cauſa in præfatis Eccleſiis ante inchoationem Miſſæ ſolemnis Miſſas privatas crederemus debere eſſe abſolutas; hoc enim & exigit reverentia, quam præfatæ Eccleſiæ debent loci primariis.

VIII. Ad conſulendum tamen Populorum commodo, & obſervatu facilius reddendum præceptum de Miſſæ auditione, aliquantiſper ultra ſolitum differendam eſſe putamus Miſſæ ſolemnis celebrationem, quoties prædicta feria quinta incidit in feſtum aliquod de præcepto. Quod autem in una Eccleſia paulo citius, vel ſerius inchoetur Miſſa ſolemnis, & conſequenter etiam acceleretur, vel protrahatur celebratio Miſſarum privatarum, dummodo per notabile ſpatium id non eveniat, parum refert; non enim iſta metienda ſunt arithmetice, ſed geometrice.

IV. Quæres 3. an hujuſmodi Decreta in uſum tantummodo eſſe queant, occurrentibus in præfata feria quinta feſtis S. Joſeph, & SS. Annunciationis, pro quibus lata ſunt, an vero etiam occurrente quocumque alio feſto, quod alicubi poſſet eſſe in præcepto?

X. ℟. In uſum univerſalem poſſe deſervire. Ita edocet Halden *par.* 1. *tit.* 20. §. 1. *de Feria V. in cœna Domini*, cujus opinionem approbat Meratus *par.* 4. *tit.* 8. *num.* 8. Talis itidem videtur eſſe Congregationis ſenſus, quoniam id prius in Camerienſi, & pro Eccleſiis Urbis ſub die 20. Martii 1660. faciendum eſſe præſcripſit pro caſu feſti Annunciationis, 13. Septemb. 1692. pro feſto S. Joſeph, per præſens Decretum 11. Jan. 1693., & per ſequens 12. Septemb. 1716. iterum pro eodem feſto Annunciationis; quare cum conſtans in hoc eluceat Congregationis mens, nulla ſpecialis pro memoratis feſtis militet ratio, quæ æque non curat & pro ceteris, nec illis fieri ſpeciale privilegium aliquod in Decretorum verbis appareat, videre non eſt, cur dicta Decreta pro aliis ſimilibus caſibus deſervire non valeant. Simile autem non eſt Decretum 14. hujus Capitis, quod in univerſalem uſum pro ſimilibus caſibus eſſe non poteſt, dum feſto SS. Annunciationis incidenti in feriam VI. Paraſceves, vel in Sabbatum ſanctum aſſignat feriam ſecundam poſt Dominicam in Albis pro ejuſdem officio, & feriatione, quoniam expreſſe ſe declarat, *ſpeciale privilegium* eidem facere *ob ſpecialem reverentiam Dominicæ Incarnationis*.

XI. Quæres 4. num incidente feſto aliquo de præcepto in prædicta feria quinta, dici valeant Miſſæ in Oratoriis privatis?

XII. ℟. Primo, quod ſi feſtum, quod ut ſupra incidit, eſt feſtum Annunciationis, dici non valent juxta Decretum S. R. C. 27. Novemb. 1607, quod profecto in exceptis ponit præfatum feſtum. Quoniam vero hoc idem Decretum, prout refertur a Merato in ſuo Indice Miſſalis num. 74., non minus exceptionem facit feriæ V. in cœna Domini, quæ revera eſt ex feſtis anni ſolemnioribus, idcirco quomodocumque Gavantus dictum legat Decretum, nos dicimus ſecundo, in præfata feria V. Miſſas diei inhibitas eſſe in Oratoriis privatis.

XIII. Pro coronide ex hocce Decreto, & ſimilibus nobis ad abundantiam liceat inferre, in præfata feria V. non poſſe dici Miſſas privatas, quando non occurrit feſtum aliquod de præcepto; fruſtra enim per dicta Decreta indulgerentur præfatæ Miſſæ in caſu occurrentis alicujus feſti de præcepto, ſi jam id jure communi concederetur. Diximus *ad abundantiam*, quia hoc apertis declarationibus extitit determinatum, de quibus ſuo loco.

DECRETUM XI. CAPITIS, IN ORDINE CXI.

Si Feſtum SS. Annunciationis inciderit in feriam V. majoris hebdomadæ, præceptum audiendi Miſſam, & abſtinendi a Servilibus, non erit transferendum, ſed omnino ſervandum in prædicta feria V., prout in Camerienſi, & pro Eccleſiis Almæ Urbis mandatum fuit 20. Martii 1660. adeoque per Ordinarios locorum providendum, ut eo die pro civitatum, & Pagorum qualitate, Chriſtifidelium in iis degentium numero, plures Miſſæ privatæ ante celebrationem Miſſæ Conventualis, pro præcepti adimplemento, celebrandæ non deſint, ſed tamen propterea antiquus mos communionis Cleri in Miſſa ſolemni ejus diei quo Eccleſia SS. Euchariſtiæ Sacramenti inſtitutionem, & memoriam recolit, ſumma religione hactenus obſervatus, nullo modo omittatur. S. R. C. 12. Septembris 1716. approbante Clemente XI. 27. ejuſdem, *in ejus Bullario particulari part.* 3. Ex Merato in Indice Decr. Miſſalis num. 632.

I. NON crederem a quopiam inficias iri poſſe, nonniſi in præſentiarum innovari, ac confirmari, quod in præcedentibus Decretis firmatum olim extitit, & primum in quadam Camerienſi, & pro Eccleſiis Almæ Urbis mandatum fuit, quapropter non eſt, cur hanc ſuper rem Lectorem ulterius moremur. Quod autem addit de proviſione Miſſarum privatarum habenda *pro Civitatum, & Pagorum qualitate, ac Chriſtifidelium in iis degentium numero*, deſignat nobis, pro omnibus indiſcriminatim locis eumdem Miſſarum numerum non apte deſervire, ſed fieri debere ſecundum locorum qualitatem, ac Chriſtifidelium in iiſdem degentium copiam, quemadmodum in expoſitione præcedentium Decretorum obſervavimus, licet nihil hujuſmodi ipſa teneant expreſſe.

DECRETUM XII. CAPITIS, IN ORDINE CXII.

Archidiacono, & Canonicis Eccleſiæ Cathedralis Camerienſis petentibus, an ipſis liceret plures Miſſas celebrare feria V. in cœna Domini, in qua cadit feſtum SS. Annunciationis, S. R. C. reſpondit licere, & juſſit, ut a Cardinali Vicario ſingularum Eccleſiarum Urbis Rectoribus idem notificaretur 20. Martii 1660. ex Merato in Indice Decr. Miſſalis n. 377.

I. EN Decretum in Camerienſi editum, & Almæ Urbis Eccleſiis pro executione notificatum, in quo primum ſancitum extitit, incidente feſto SS. Annunciationis in feriam V. in Cœna Domini plures Miſſas celebrandas eſſe pro adimplemento præcepti: quod cum prius tempore ſit quibuſcumque aliis, etiam pro feſto S. Joſeph, emanatis, nec dubitamus, quod hæc ab eodem fuerint exemplata. *Plures* licere Miſſas facere edicit ſanctio, quæ intelligenda prorſus venit juxta ſuperius late tradita.

DECRETUM XIII. CAPITIS, IN ORDINE CXIII.

In Paraſceve ſi incidat Feſtum Annunciationis B. V., non tenentur Fideles ad Miſſam audiendam, ſeu intereſſe Officio. S. R. C. 19. Februarii 1622. *in una de feſto Annunciationis*. Ex Merato in Indice Decr. Miſſalis num. 188.

I. P*Araſceve* græca vox eſt, ceteroqui a Judæis ipſis uſurpari conſueta, D. P. Auguſtino teſte, qui *in Jo. tract.* 117. ait; *Iſto verbo græco libenter utuntur Judæi in hujuſmodi obſervationibus, etiam qui magis latine, quam græce loquuntur.* Significat ſextam diem hebdomadis, quam Judæi etiam ſextam ſabbati, Gentiles diem Veneris, Chriſtiani Græci Paraſceven, Latini ſextam feriam dicere conſuevere. Deducitur a verbo quodam græco, quod latine reddit *præparo*, eo quod in ea die Hebræi comeſtibilia, aliaque neceſſaria pro ſequenti feſtivo Sabbati die præparare ſolerent. A Chriſtianis Græcis in Eccleſiam fuit invecta, ſed in hac non ſignat quamcumque feriam ſextam, ſed ſolum feriam ſextam majoris hebdomadæ Redemptoris morti conſecratam, quam *Paraſceven* Evangeliſtæ unanimes nuncupant. In hoc ſenſu uſitatur in Decreto, & non pro quacumque alia feria ſexta, in quam ſi incidat Annunciationis feſtum, indubium eſt, Fideles teneri ad Miſſam audiendam.

II. Eſt antiquiſſima Eccleſiæ traditio minime celebrandi in hac die, unde Concilium Toletanum XVI. de anno 693., quod quotidie pro Regis Salute celebrandum ſtatuit, excipit Paſſionis Dominicæ diem, in qua *Can.* 10. nulli celebrare licere ſtabilit. Hujus rationem reddit D. Thomas 3. *par. quæſt.* 83. *art.* 2. *ad* 2., videlicet, quia dicta die *Paſſio Domini recolitur, prout realiter geſta*, & ſubdit Gavantus *par.* 4. *tit.* 19. *lit.* a, quod *celebrare non convenit, cum hac die ſeipſum obtulerit Chriſtus*. Attamen quædam celebratur Miſſa, quæ, cum in ea non conſecretur Corpus Chriſti, ſed jam conſecratum, & a die præcedenti reſervatum, a Sacerdote ſumatur, vera Miſſa non eſt, ſed Miſſa Præſanctificatorum, unde Menardus *in notis ad Sacrament. S. Gregorii pag.* 75. ſcribit: *In Paraſceve majoris hebdomadis non conſecratur Corpus Chriſti, ſed Sacerdos in Miſſa utitur Præſanctificatis, idest Hoſtiis antea conſecratis*. Miſſam ſiccam nonnulli hanc nuncupant, ſed falluntur, Miſſa enim ſicca caret non ſolum conſecratione, ſed etiam ſumptione Corporis Chriſti pluribuſque aliis, & videri poteſt apud Durandum *in Ration. lib.* 4. *cap.* 1., quæ locum

ha-

habeat in Miſſa hujus diei, & licet in hac Sacerdos minime conſecret, communicat ſe tamen, uti fiebat in Præſanctificatorum Miſſa.

III. Hinc ortum eſt dubium, num incidente ut ſupra Annunciationis feſto, pro adimplemento præcepti de auditione Miſſæ teneantur fideles ad præfatam Miſſam audiendam, ſeu intereſſe Officio, ſive Sacræ functioni, vel cæremoniis ea die fieri ſolitis? Ad quod Congregatio reſpondit negative; præceptum enim auditionis Miſſæ, quod fideles ligat diebus feſtivis, eſt de vera Miſſa, atque perfecta, in qua perfectum conficitur ſacrificium, nempe in qua Sacerdos conſecrat, & ſumit Corpus, & Sanguinem Chriſti; talis autem non eſt, ut dicebamus, Miſſa hujus diei, quæ propterea per ea verba Decreti *ſeu intereſſe officio* confunditur cum officio, ſeu ſacra functione, quæ ea die peragitur; dictio enim illa *ſeu* inibi ſtat declarative, & expoſitive, ut conſideranti patebit.

IV. Verum advertat, opus eſt, Lector, quod hæc de Annunciationis feſto ſtabilita ſunt tempore, quo nondum immutationis privilegio præfatum feſtum donatum extiterat; nunc enim, cum anno 1690. in memorata incidentia transferendum indicatur una cum præcepto audiendi Miſſam, & vacandi ab operibus ſervilibus ad feriam ſecundam poſt Dominicam in Albis, tamquam in ſedem propriam, & fixam, dubitare quis poſſet, quod fideles in Paraſceve ad Miſſam audiendam poſſent teneri? Hæc itaque, etſi optime regant etiam relate ad tempus præſens, in quo officium, & feſtivatio ad aliam diem transferuntur, revera tamen ſtatuta ſunt fieri pro tempore, quo ſolum Annunciationis officium transferebatur, & feſtivatio retinebatur; quare eſto in legitimo ſenſu Decreti non amplius procedant de Annunciationis feſto, procedunt tamen pro quocumque alio ſimili caſu, ſeu pro quolibet alio die feſtivo, puta Patroni loci, quod alicubi in Paraſceven poſſet incidere; quod enim Annunciationis feſtum una cum feſtivatione in aliam diem transferatur, ſeu immutetur, ſpeciale privilegium eſt, ſpecialique de cauſa eidem factum, ut infra dicemus in Decreto ſequenti, adeoque non ſequitur, quod cuicumque alteri feſto ſit continuo adaptandum, ſed magis quod tale feſtum communibus legum diſpoſitionibus, ac Eccleſiæ conſuetudini ſit deferendum; ferunt hæ autem quod feſta de præcepto quoad forum, ſi incidant in dies impeditas, vel privilegiatas, transferantur quantum ad officium ad primam diem non impeditam, & feſtivatio in propria die retineatur.

V. In caſu itaque incidentiæ feſti alicujus de præcepto in Paraſceven, ſervari utique deberet abſtinentia ab operibus ſervilibus, cujus obſervatio nec habet, unde pugnet, nec unde ſit minus conveniens, quinimmo eſt admodum apta tali diei, & antiquitus etiam fuit uſitata, facitque nos liberius aſſurgere in doloroſam Mortis Chriſti recordationem, cujus nos cauſa fuimus. Ceſſaret vero præceptum audiendi Miſſam, quoniam, cum nulla celebretur, obſervatu redditur impoſſibile, nec loco Miſſæ perfectæ, ad quam audiendam fideles diebus feſtivis tenentur, neceſſe foret intereſſe Miſſæ, ſeu officio, quod ea die peragitur, ut bene declarat Decretum, quandoquidem ea vera Miſſa non eſt, ſed functio ſolummodo quædam Eccleſiaſtica, & Miſſæ adumbratio.

DECRETUM XIV. CAPITIS, IN ORDINE CXIV.

Si Feſtum SS. Annunciationis B. M. V. occurrat in feria VI. in Paraſceve, vel Sabbato Sancto, transferatur una cum præcepto audiendi Miſſam, & vacandi ab operibus ſervilibus ad feriam ſecundam poſt Dominicam in Albis, etiam quocumque alio feſto impeditam, ita ut eadem feria, prædicto caſu eveniente, perpetuis futuris temporibus pro ſede propria, & fixa, memorato feſto Annunciationis aſſignata, & ſtabilita intelligatur, & in illa eo prorſus modo, & forma præfatum feſtum quoad officium, & Miſſam celebretur, quibus propria die vigeſima quinta Martii in Kalendario Romano appoſitum celebraretur, protractis ad aliam diem non impeditam juxta Rubricas Breviarii Romani omnibus aliis feſtis in eadem feria occurrentibus, quæ non ſit altioris ritus: S. R. C. 21. Febr., & 11. Martii 1690. *approbante etiam Alexandro* VII. Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 160.

I. Myſterium, quod in Annunciationis feſto recolitur, *Lucæ* 7. eſt ſatis expreſſum, quando videlicet Maria ab Angelo ſalutata, de Spiritu Sancto divinum concepit Filium. Nonnulli Catholicam carpunt Eccleſiam, quod in honorem dumtaxat Mariæ præfatam inſtituerit feſtivitatem, cum ea potiſſimis ſit, quæ ad Chriſti attinent humanitatem; verum ex Suarez alibi hujus rei jam uberem rationem dedimus. *Annunciationis* vocabulo ſolemnitas communiter reperitur inſcripta, a Græcis tamen a Salutatione Angelica *Cheritiſmus*, & ab Armenis *Evangeliſmus* dicitur. In Menologiis, Martyrologiis, Breviariis, Miſſalibus, & Sacramentariis diei 25. Martii habetur tradita, eo quod, ut aſſerit D. P. Auguſtinus *lib. 4. de Trinit. cap. 5.*, ea die Chriſtus credatur conceptus: *Sicut a Majoribus traditum ſuſcipiens Eccleſia cuſtodit auctoritas, octavo Kalendas Aprilis conceptus creditur Chriſtus, quo & paſſus.* Thomaſſinus tamen *lib.* 2. *cap.* 52. *num.* 2., aliique autumant, octavo Kalendas Aprilis eamdem conſignatam dumtaxat extitiſſe ob vulgatam opinionem, novem menſes utero geſtare Matres, antequam foetus in lucem prodeant, cum tamen aliquanto prius, vel poſterius nonnumquam edatur, adeoque tempus Conceptionis Divini Verbi minime perfectum eſſe.

II. Natalitia Sanctorum in quadrageſima peragi cum vetuiſſet Concilium Laodicenum *circa annum 360. can. 51.*, nonnulli uſus Annunciationis feſtum alio tranſtulerunt; hinc quinto menſis Januarii veſpere apud Armenos celebratum fuiſſe tradit Macrus *in Hierolexicon verb. Evangeliſmus*, & a Concilio Toletano anno 654. diei 18. Decembris fuit conſignatum, quem morem univerſa diu obſervavit Hiſpania. Plures alias Eccleſias id pridem egiſſe, ex eodem Concilio noſcimus, & ſi fides habenda eſt Bollando, Eccleſiæ quædam canonicas precationes Annunciationis adhibent feria quarta quatuor Temporum Adventus, in qua a Romana Eccleſia Evangelium S. Lucæ enarrans Angeli, & Deiparæ colloquium legitur; quinimmo non deſunt, qui aſſerunt, hocce Evangelium veſtigium quoddam eſſe præfati feſti eadem feria in Eccleſia ipſa Romana olim celebrati. Quod diſpoſitio Toletanæ Synodi forſitan etiam Gallos complexa fuerit, cenſet Thomaſſinus, qui & addit ante Natalem Domini in Mediolanenſi Eccleſia dictum feſtum celebrari. Glaber *lib. 3. cap. 3.* circa annum 100. complura Concilia Epiſcoporum Galliæ, & Italiæ coacta fuiſſe aſſerit, in quibus cum ad examen vocatum eſſet, celebrandane foret Annunciatio die 18. Decembris Hiſpanorum more, *ferebatur a quibuſdam more Hiſpanorum quintodecimo Kalendarum Januariarum die irreprehenſibiliter poſſe celebrari.* Idem ſcribit Auctor, quod cum apud Cluniacenſes degeret ſacro Adventus tempore, eo venere Hiſpani quidam Monachi, poſtularuntque ab Odilone Cœnobii præfecto, ut eos ſineret patriis legibus uſos, privata Annunciationis ſolemnia peragere. Non ægre id tulit Odilo, ſed Cluniacenſes Monachi ritum illum minime probarunt. *Quid plura? Apud nos antiqua conſuetudo, uti decebat, prævaluit.* Erat itaque in Gallicana Eccleſia vetuſtiſſimus uſus celebrandi die 25. Martii Annunciationis feſtum, quod nulla ratione ad aliud tempus traduci potuit.

III. Hac eadem die a Græcis ſemper celebratum extitit, unde in Trullana Synodo Conſtantinopoli anno 692. coacta, in quadrageſima legitur excultum, dum ſacrum Miſſæ perfectum quadrageſimali tempore vetans fieri, ſolemnia ſalutatæ ab Angelo Deiparæ in exceptis ponit: *Præterquam Sabbata, & Dominica, & ſancto Annunciationis die.* Idipſum ſemper in Eccleſia Romana præſtitum fuiſſe, communior fert opinio, & nuper edocuit Benedictus Papa XIV. *in annot. tom. 1. part. 2. num. 44.* nixus auctoritati Micrologi, qui *cap. 48.* relata diſpoſitione Laodicenæ Synodi vetantis in quadrageſima Natalitia Sanctorum, & illa Synodi Toletanæ Annunciationem ad diem 18. Decembris transferentis, ſtatim ſubdit: *Sed nos magis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ morem gerentes, infra quadrageſimam illam*, Annunciationem ſcilicet, *celebramus, ſicut & aliorum quorumdam Sanctorum.* Radulphus in oppoſitum ſentit, quoniam *prop.* 10. de ritu Romano loquens teſtatur, quod nullum fiebat olim feſtum in quadrageſima, quod Annunciatio celebrabatur ante Natale, feſtum S. Gregorii Papæ 3. Septembris, die ordinationis ejus, & feſtum S. Benedicti die translationis ejuſdem menſe Julio; ſed poſtquam Annunciatio Romæ translata eſt in menſem Martium, reliqua feſta eidem menſi reſtituta ſunt, præter S. Ambroſium, qui Mediolani, & Romæ menſe Decembri remanſit, licet obierit 4. Aprilis; attamen & feſta alia prædictam ob cauſam mutationem paſſa, ſuæ diei haud reſtituta fuere, quæ inter ſunt feſta S. Jacobi Majoris Apoſtoli, Decollationis S. Joannis Baptiſtæ, SS. Cyriaci, & Sociorum, ac S. Adriani Martyris, quæ aliis diebus in Kalendario celebrari obſervamus, licet duo primi Kalendis Aprilis, & circa feſtum Paſchæ fuerint decollati, & aliorum paſſio diebus 16., & 4. Martii adſcripta habeatur.

IV. Si tamen ſolemnem hunc diem Romana loco movit Eccleſia, ſtatim ad propriam ſedem revocavit, & Romanæ acceſſere reliquæ Eccleſiæ, etiam Hiſpaniarum ipſæ, ita ut Annunciationis feſtum nunc ſuum ſolum ubique teneat, & octavo Kalendas Aprilis recolatur; hinc teſte Grancola *Commentar. hiſt. part. 2. cap. 41.*, quamvis apud Cluniacenſes in novo Breviario reſtitutus ſit antiquus uſus de nullo agendo feſto in quadrageſima, præveniendi feſta occurrentia in Februario, & transferendi poſt Paſcha occurrentia in Martio, aut Aprili, Annunciationis feſto maximam ob ſui dignitatem parcendum eſſe exiſtimarunt.

V. Equidem plurimi ſemper facta extitit hujuſmodi ſolemnitas, multiſque præ cæteris condecorata privilegiis. Ut vidimus, Trullana Synodus ea die perfectum permiſit Miſſæ Sacrum, quod quadrageſimali tempore dumtaxat fieri licebat diebus Sabbati, & Dominicæ; & in Synopſi Canonum Harmenopuli *tit. 6. jur. orient. p. 26.* ineſt Patriarchæ Nicephori ſanctio, in qua aliquid de ſummo jure conceditur in jejuniis, ſeu Xerophagiis ſanctiorum feriarum, ut idem feſtum læti quique agitarent: *Si dies Annunciationis in magnam illam quintam feriam, vel magnam Paraſceven inciderit, non peccamus, ſi tunc vino, & piſcibus utamur.* Petrus Damianus a jejunio abſolvit Monachos ſuos in Annunciationis feſto, quod ſine jejunio propter magnæ lætitiam ſolemnitatis vel celebrandum eſſe, vel poſt Paſcha transferendum laudata cenſuit Toletana Synodus, quinimmo octavo die ante Servatoris ortum illud juſſit peragi, ut iſtos octo dies celebraretur, nec Nativitati Incarnatio concederet: *Ut ante octavum diem, quo natus eſt Dominus, Genitricis quoque ejus dies habeatur celeberrimus, & præclarus. Ex pari enim honore conſtat, ut ſicut Nativitatem Filii ſequen-*

tium

Digitized by Google

tium dierum inſequitur dignitas, ita Feſtivitatem Matris tot dierum ſequatur ſacra ſolemnitas. Non quod Virginis Annunciationem cum nati Servatoris ſolemniis exæquaret, ſed Filii Dei Incarnationem, quæ in ea recolitur; *Nam quod feſtum eſt Matris, niſi Incarnatio Verbi? Cujus utique ita debet eſſe feſtum ſolemne, ſicut eſt ejuſdem Nativitas Verbi.*

VI. Guyero teſte *lib.* 4. *cap.* 8. *quæſt.* 2. uſus Eccleſiarum Pariſienſis, Carnutenſis, Andegavenſis, & aliarum id honoris eidem feſto adhibebat, ut etiam in occurſu cum feriis 2. 3. & 4. majoris hebdomadæ, illud non dimitterent, ſed una cum officio celebrarent. Romanus tamen a ſui Breviarii legibus melius inſtructus, feſtivationem quidem, quam ſervari nihil inhibet, in prædicto retinet occurſu, ſed dimittit officium, quod pugnat cum ſingulari privilegio conceſſo illis diebus ad fidelium dignam præparationem, & ad doloroſam Chriſti mortis recordationem unice deſtinatis; hoc tamen adhuc officium more ceterorum communibus officii legibus deſerendum eſſe, haud decens Congregatio arbitrata, illud ſingulari præferentiæ privilegio in ſui repoſitione decoravit, de quo in cap. de *Feſt. Deiparæ.* In caſu itidem incidentiæ in feriam v. in Cœna Domini, ut digne celebrari poſſet, indulſit ſuper celebratione privatarum Miſſarum, quæ ceteroquin manent vetitæ; & impræſentiarum, ne ob occurſum in Paraſceven, vel Sabbatum Sanctum tam lætiſſimæ ſplendor feſtivitatis hebeſceret ob ingruentem memoriam Chriſti Jeſu mortis, & ſepulturæ, & ut integre, & rite ejuſdem feſtivatio ſervari poſſet, una cum officio, & feſtivatione transferendum edicitur ad ſtatam diem, in qua, prædicto eveniente caſu, perpetuis futuris temporibus, eodem prorſus modo, & forma, ac in propria die, celebretur, ſingulari quidem privilegio, quod hic exponere ſumimus.

VII. *Si Feſtum SS. Annunciationis B. M. V.*, & nullum quodlibet aliud, eſt hoc enim ſpeciale privilegium ob ſpecialem rationem Annunciationi conceſſum, ſcilicet in reverentiam Dominicæ Incarnationis in ea peractæ, atque excultæ, unde in Decreto 14. Junii 1691. cujus nuper meminimus, *ſpecialis prærogativæ* nomenclatura ſignatur, & *ob ſpecialem reverentiam Dominicæ Incarnationis* factum fuiſſe, non obſcure indicatur. Pro ſimilibus itaque caſibus in exemplum trahi non poteſt, ſecluſo ſimili privilegio, quod alteri feſto alicubi poſſet eſſe indultum. Quid autem faciendum ſit occurrente feſto alio de præcepto in Sabbatum Sanctum, vel Paraſceven, alibi dicitur.

VIII. *Occurrat in feriam VI. in Paraſceve.* Luctuoſa nimis eſt iſta dies, quæ nobis recordationem ingerit peractæ in ea Dominicæ crucifixionis, & quod nos tanto Domino mortis cauſa fuimus. In ea itidem plurimis validis de cauſis, in præcedenti Decreto jam recenſitis, & ſtatim adducendis nullum Miſſæ Sacrificium agi permittitur, & ideo haud apta jure adjudicata fuit, ut in ea recolatur præfatum Myſterium, quod, cum beneficiorum maximum in eo operatus ſit nobis Dominus, lætiſſima eſſe debet, & in Eccleſia ſemper fuit ſolemnitatis, & cum Miſſæ auditione obſervari congruebat.

IX. *Vel in Sabbato Sancto.* Luctuoſa itidem eſt iſta dies ob adhuc ſuperſtitem doloroſam recordationem Jeſu Chriſti mortis, ejuſdemque ſepulturæ, in qua Corpus Chriſti jacere figuratur, ad ipſorum Apoſtolorum exemplum, qui percuſſo paſtore diſperſi ſunt, & uſque ad diem Paſchatis in triſtitia jejunaverunt, *de conſ.* 3. *d.* 3. *ſub.* Hujuſmodi tempus luctus Eccleſia ipſa ubertim deſignat, dum coopertas adhuc tenet imagines, & Altaria ſpoliata, & abſtinet ab organorum & campanarum ſono. Eſto autem perfectum agatur Miſſæ ſacrificium, inhibitæ tamen manent Miſſæ privatæ, ſuper quibus diſpenſare cum fractione myſterioſarum Cæremoniarum, quæ tunc peraguntur, minus conveniens erat, nec ad effectum forſan ſatis commodum, & Miſſæ ſolemni cunctam fidelium turbam, variis curis diſtentam, ſimul intereſſe poſſe, quaſi impoſſibile reddebatur.

X. Verum hæc, ajes, procedere pro tempore præcedenti Miſſam ſolemnem, non ſubſequente, vel concomitante; Altaria enim ſuis feſtivis tunc ornamentis parantur, Imagines diſcooperiuntur, & omnia lugubria amoventur, & Miſſa ipſa, depoſito luctu, in paramentis albis more feſtivo, & ſolemni cum organorum, & campanarum ſtrepitu, verſu *Alleluja*, aliiſque lætitiæ ſignis celebratur; hinc plurimi ex Auctoribus tunc licitas cenſuere Miſſas privatas; & quando etiam ſint inhibitæ, cur permitti non potuere, uti fit in occurſu Annunciationis in feria v. Cœnæ Domini?

XI. At congruæ admodum non deſunt rationes, cur diſpenſatum non fuit; & prima eſt, quod antecedenter ad Miſſam ſolemnem Eccleſia in ſummo luctu, & officiis triſtitia plenis manet occupata, ac myſterioſis de cauſis Altaria tenet ſpoliata, adeoque inepta pro Miſſæ ſacrificio; Miſſam autem ſolemnem ratione longæ præſcriptæ functionis, ac Veſperarum ſequentis diei, quas claudit, tardius differri neceſſe eſt, quare adhuc admodum incommodum, oneroſum, & obſervatu difficile fidelibus fuiſſet ad dictas Miſſas ſolemnem, vel privatas audiendas teneri. Rationem alteram nobis deſignat Hugo de S. Victore, qui *lib.* 3. *de ſpecialib. Miſſæ obſerv. cap.* 20. quærit, cur hoc biduo Miſſa non celebretur, & reſpondet: *Ex Decreto Innocentii Papæ Miſſam hoc biduo non celebrari, ut in paſtoribus Eccleſiæ ſtatus temporis illius apud Apoſtolos oſtendatur, qui, ſicut propheta prædixerat, percuſſo Paſtore diſperſi erant &c.*, etenim ut ſuperius diximus, toto hoc biduo, Paraſceve ſcilicet, & Sabbato Sancto, in mœrore ſummo fuere, ſe occuluere, & jejunavere.

XII. Par autem non eſt ratio de feria v. in Cœna Domini, quæ etſi ſit dies luctus ob imminentem Chriſti crucifixionem, nondum tamen hæc cenſetur peracta, & officia lugubria in Veſperis ſolum reſumuntur, Altaria denudantur, aliaque doloris peraguntur argumenta; præcedenter vero Eccleſia lætitiæ ſigna præſtat ob inſtitutionem Dominicæ Cœnæ, hocque gaudio Chriſti paſſionis triſtitiam temperat, & ſi quæ ſigna, vel Cæremonias mœſtitiæ tunc adhibet, vel permixtas præſtat, hoc unice facit in argumentum memoriæ, quam inter gaudia Dominicæ Cœnæ ſimul ſervat de paſſione Chriſti. Nihil itaque eſt inveniie, quod eo tempore impedire valeat celebrationem Divinæ Incarnationis, ſicuti celebratur inſtitutio Sacramentorum maximi, aut celebrationem Miſſarum privatarum pro adimpletione præcepti. Quod ſi hæ inhibitæ ſunt, hoc præſtitum extitit, ut Sacerdotes quilibet e manu Celebrantis poſſent ſacram ſumere Euchariſtiam, ad exemplum Chriſti, qui hac die ſuos communicavit Apoſtolos. Cum itaque per diſpenſationem aliquarum dumtaxat Miſſarum privatarum adhuc mos Communionis Cleri integer perſeveret, privatæ ut ſupra permiſſæ Miſſæ ſatis commodum fidelibus faciant locum, ac tempus adimplendi præceptum, Eccleſia non ſit in ſummo luctu occupata, & abſorta, nec infringatur ſtatus ille Apoſtolorum, non eſt, cur per præfatam diſpenſationem magis, quam translationem, non debuerit Annunciationis feſtum ea feria condigne celebrari.

XIII. *Transfertur una cum præcepto audiendi Miſſam, & vacandi ab operibus ſervilibus.* Quod ſi ita transfertur, jam non amplius urgebit in Paraſceve, aut Sabbato Sancto prædictum præceptum, perinde ac ſi dictis diebus Annunciatio minime recurreret: *Ad feriam ſecundam poſt Dominicam in Albis.* Prima dies hæc eſt, in qua cum officio, & feſtivatione reponi poterat, cum Paſchatis octava officium quodlibet juxta Rubricas depellat.

XIV. *Etiam quocumque alio feſto impeditam.* Limita, *dummodo non ſit altioris ritus, vel dignitatis*, quæ ritui æquipollet, feſtum, quod eam feriam impedit; hanc enim limitationem ſuggerunt verba illa Decreti, *Protractis aliis feſtis, quæ non ſint altioris ritus*, de quibus infra. Et quidem Annunciationis feſtum in ea feria plus inſpici non poteſt, quam occurrens; cum autem nonniſi ritu duplici ſecundæ claſſis gaudeat, cuicumque primæ claſſis, quod ea feria occurrere valeat, utique cedit, ſicuti cederet, ſi præfatum duplex primæ claſſis in propria die 25. Martii occurreret. Quia tamen adhuc ea feria Annunciatio cenſetur occurrens, feſtivatio in ea ſervabitur, translato dumtaxat officio, inſtar feſtorum de præcepto, quorum feſtivatio numquam transfertur, etſi eorum officium ad aliam diem amandetur. At cur ad eam feriam, licet impeditam transferenda edicitur, cum Rubricæ feſta quælibet ita ſlata ad primam diem non impeditam rejiciant? Agebatur de reponendo feſto univerſalis Eccleſiæ, quod ſecum vehebat feſtivationem, quam numquam transferre in uſu habet Eccleſia, quare ſtata debuit determinari dies, in qua cuncta, ut apprime congruit, convenire poſſet Eccleſia in eamdem celebrationem, alioquin cauſa feſtorum, quæ in particularibus Kalendariis occurrunt, cum difformitate maxima celebrari contigiſſet, ſi in primam diem vage impeditam rejectum extitiſſet.

XV. *Ita ut eadem feria, prædicto caſu eveniente*, ac conſequenter minime, ſi alia de cauſa transferri contingat, *perpetuis futuris temporibus*, & ideo omni anno, in quo dictus occurſus eveniet, *pro ſede propria, & fixa memorato feſto Annunciationis aſſignata, & ſtabilita intelligatur*, in qua propterea abdicata penitus propria die, accidentariam ſubit immutationem.

XVI. *Et in illa eo prorſus modo, ac forma præfatum feſtum quoad Officium, & Miſſam celebretur, quibus propria die* 25. *Martii in Kalendario Romano appoſitum celebraretur.* Dictio *Prorſus* advertente Barboſa *dict.* 294. idem denotat, ac *penitus, omnino, ex toto, & in totum*; & eſt adeo præciſæ naturæ, ut nullam recipiat modificationem, ſeu limitationem, quare Annunciatio fert ſecum prærogativas omnes, ac quæcumque privilegia, quæ eidem ex qualibet ratione deberentur, ſi in die 25. Martii celebraretur.

XVII. Hinc erues primo inhibitas eſſet Miſſas in Oratoriis privatis juxta Decretum S. R. C. 17. Novemb. 1607. Secundo in Miſſa ſolemni genuflectendum eſſe ad ea verba ſymboli *& incarnatus eſt* a Celebrante, & Miniſtris juxta præſcriptum Cæremonialis Epiſcoporum *lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 53. & quidem tametſi ob feſtum altioris ritus occurrens, officium minime fieret de Annunciatione; dicta enim genuflexio fit in reverentiam Dominicæ Incarnationis, quæ in eo caſu in illa feria conſideratur peracta. 3. Pridie annunciandum eſſe in Martyrologio prædictum feſtum, prout univerſim de feſtis cunctis, quæ diem aliam tamquam propriam ſortiuntur, faciendum eſſe, cenſuit Congregatio 5. Maji 1736. Quarto celebrandum eſſe cum octava, ubi eſt Titularis, vel Patrona, incipiendo a dicta feria ſecunda; juxta Rubricas quippe Titularis, & Patronus principalis octavam ſibi vindicat, qua ſi deſtituitur Annunciatio, cum in propria die recolitur, unice eſt ratione temporis quadrageſimalis, in quod ſemper incidit; tempus autem Paſchale octavas non reſpuit. Ita etiam tenet Meratus *ſect.* 3. *cap.* 8. *num.* 16., & prius ipſo docuerat Fagiolus *Kalend. ration. ad Menſem Martii, num.* 2.

XVIII. Quoad octavam in oppoſitum cenſet Pittonus *de Sacr. ritib. num.* 1026. cujus opinio his niti poteſt argumentis. 1. Quia octava numquam transfertur, etſi feſtum transferatur. 2. Nam Octavarium Romanum alias exarare debuiſſet lectiones tertii nocturni, uti illas habet pro aliis cunctis feſtis B. M. de Kalendario Romano. 3. Si celebraretur cum octava, unde, quæſo, lectiones deſumi poſſent? 4. Nativitas S. Joan-

Joannis Baptiſtæ, quoties in ſequenti die immutatur, octavam non amover, ſed adhuc hæc die prima Julii expirat.

XIX. Ad 1. dicito id verum eſſe de caſu translationis feſti, non immutationis, & immutationis per Decretum habitæ, atque totalis, quoad officium ſcilicet, & forum, uti evenit in caſu, tunc enim octava non celebratur extra proprios dies, ſed intra, quia proprii dies non incipiunt a die, in quo recurrit feſtum aliis annis, ſed a die, in quo eo anno eſt immutatum.

XX. Ad 2. Octavarium Romanum editum fuiſſe tempore, quo Annunciatio immutationis privilegio minime gaudebat, & ideo prædictas non tenere lectiones. Ceterum ex defectu lectionum prorſus inepte arguitur ad impoſſibilitatem octavæ, quoniam Annunciatio etiam extra caſum immutationis transferri valet ad diem 30., aut 31. Martii, & tunc quis ei denegaret reliquos dies octavæ, quæ non expirat, niſi die prima Aprilis? Nonne Rubricæ diſponunt, quod translato feſto infra octavam, celebrari debeat cum reliquis diebus octavæ? Cur autem nihilominus Octavarium Romanum prædictas lectiones non habeat, & unde pro omni caſu ſint deſumendæ, quæ diximus in Decreto ultimo cap. noni, ubertim oſtendunt; & per hoc patet ad tertium, quod opponebatur. Ad 4. autem reponimus, id evenire in Nativitate, quia hæc totaliter proprium non deſerit diem, nempe tam quoad Chorum, quam quoad forum, ſed ſolum quoad Chorum, ut ibidem dicebamus, & dicemus infra exponentes Decretum 17.

XXI. *Protractis ad aliam diem*, proſequitur Decretum, *non impeditam juxta Rubricas Breviarii Romani omnibus aliis feſtis in eadem feria occurrentibus, quæ non ſint altioris ritus.* In ea feria Annunciatio cenſetur occurrens, quare abigit feſta illa, quæ ſunt inferioris, vel æqualis ritus, & cedit iis ritus altioris; quinimmo quia major dignitas æquivalet ritui eminentiori, cederet etiam feſtis Domini, quæ ejuſdem ritus alicubi occurrere poſſent. Ceterum etſi in hoc caſu transferatur Annunciatio, transferenda tamen eſt quoad ſolum officium, & retinenda quoad forum, inſtar feſtorum de præcepto quoad forum, quoties ab officio altioris ritus e proprio die abiguntur. Anno 1741. die 2. Septembris prodiit Decretum, quod in prædicta feria ſecunda SS. Annunciationem, ſuper feſtis, etiam primæ claſſis, præferentiæ privilegio decorare videtur; verum de eo in Decreto 20. cap. 30.

DECRETUM XV CAPITIS, IN ORDINE CXV.

Cum Feſtum S. Zenonis Martyris, quod in Civitate, & Diœceſi Veronenſi, uti illius Epiſcopi, & principalis Protectoris quotannis die 12. Aprilis de præcepto cum octava celebratur, aliquoties incidat in feriam ſextam Paraſceves, vel in Sabbatum Sanctum, Clerus Sæcularis, ac Regularis ejuſdem Civitatis, & Diœceſis S. R. C. humillime ſupplicavit, quatenus in caſu talis occurrentiæ us poſterum dictum feſtum S. Zenonis ad feriam ſecundam poſt Dominicam in Albis cum officio, & octava transferre, necnon officium diei feſti S. Petri Martyris totius illius Diœceſis Protectoris minus principalis ad ritum duplicem ſecundæ Claſſis elevare dignaretur; Et S. eadem C., audita prius informatione Epiſcopi, hujuſmodi inſtantiis juxta petita benigne annuit die 15. Septembris 1742. *in Veronen.* Habetur apud nos in authentica forma.

I. ZENO ex præclaris Chriſti Martyribus in Veronenſi Eccleſia Epiſcopalem tenuit Cathedram, & principalem ejuſdem gerit protectionem, & minus principalem S. Petrus ex inclyto Prædicatorum Ordine, qui Veronam ortu, & Novocomum glorioſo illuſtravit occubitu. Nunc videamus, quid ſuper his Sanctis petitum fuerit, ut reſponſionis vim aſſequamur.

II. Exponitur feſtum S. Zenonis quotannis *de præcepta cum octava* celebrari, & additur ratio *uti Veronenſis Eccleſiæ Epiſcopi, & principalis Protectoris.* Poſtrema hæc ratio ad effectum utique potiſſima eſt, cum feſtum principalioris Patroni ex Urbana Conſtitutione, feſtivationem, & ex Rubricis officium, & octavam habeat. Prima autem eſt prorſus invalida, quoniam de Epiſcopis loci ſine ſpeciali conceſſione officium fieri non valet, & multo minus octava, nec Epiſcoporum feſtum eſt præceptivum.

III. Supplicatur pro translatione *diei feſti cum officio, & octava*, ubi *feſtum* ſtat pro feſtivatione; & hoc pro caſu incidentiæ in feriam ſextam Paraſceves, vel Sabbatum Sanctum, quare extra hanc incidentiam, feſtivatio retinebitur, officium rejicietur in primam diem non impeditam, & octava non transferetur. Hinc ubertim elucet error ejuſdem Eccleſiæ, dum quodam anno feſtum S. Zenonis incidens in Dominicam in Albis, in ſequenti feria repoſuit, ab hac amoto occurrenti feſto S. Hermenegildi, cum tamen in primam diem non impeditam fuerit rejiciendum.

IV. Poſtulatur pro repoſitione in feriam 2. poſt Dominicam in Albis, nec dicitur, *licet impeditam*; tu tamen id intellige, quia in ea inimpedita jam ex ſe utile ſuæ repoſitionis haberet ſpatium. Tum etiam quia prædicta feria 2. eſſe non poteſt, niſi dies 21., aut 22. Aprilis, quæ ſunt occurrentibus feſtis S. Anſelmi, & SS. Soteris, & Caii ſemper occupatæ recurrit quippe martyrium S. Zenonis die 12. Aprilis; quapropter indubium eſt, quod pro dicta feria, licet impedita, petitio proceſſit, cui cum annuat reſponſio, utique etiam facultas conceditur.

V. Translatio itidem octavæ petitur, & indulgetur, & id obeſſe videtur iis, quæ ſuperius dedimus de translatione octavæ ad immutationem totalem feſtorum. Verum ad tollendos ſcrupulos, ac evertenda nonnullorum dubia, nonnumquam petitur, & conceditur, etiam quod jure communi jam reperitur conceſſum. Uterque Clerus Sæcularis, & Regularis ſupplicat, & de Regulari dubium inſurgit, num octavæ ut ſupra translatæ incumbere queat? Refragantur Decreta in Capite tertio expoſita, quæ octavas Patronorum Regularibus in univerſum inhibent, nec præſens opitulatur Decretum, quoniam etſi petitio etiam ex parte Regularium proceſſerit, neceſſe non eſt, quod translatio octavæ acta ſit beneficio illius, qui ſupplicavit, quinimmo & ſupplicatio, & facultas jure intelligontur eſſe in favorem illius, qui ab octavæ celebratione nequaquam repellitur; non enim in petitione exprimitur Clerus, cujus beneficio ſit ſupplicatio exhibita. Hæc nobis magis arridens, ex interpretativa tamen intentione haud abnuimus benigniorem adoptari poſſe opinionem.

VI. Specialis conceſſio eſt præſens Decretum, adeoque pro ſimili caſu in exemplum minime trahendum. At quid faciendum erit, ſi feſtum aliud de præcepto in feriam ſextam Paraſceves, vel in Sabbatum Sanctum incidat? Quæ dedimus ſuperius exponentes Decretum 13., caſui incidentiæ in Paraſceven abunde conſulunt, & facile trahi valent ad caſum incidentiæ in Sabbatum Sanctum, in quo cum unica Miſſa Conventualis dici permiſſa ſit, nimis oneroſum foret, & contra benignum Eccleſiæ morem, ad eam audiendam cenſeri adſtrictam omnem fidelium turbam, quæ cum variis diſtenta ſit curis, alias propria teneretur cum gravi incommodo negligere negotia. Eos tamen ex iiſdem, qui Miſſæ prædictæ facile intereſſe poſſent, licet hac in re ſcrupuloſe nimis procedendum non eſſe putemus, nos excuſare non poſſumus; quæ enim eo die dicitur, vera Miſſa eſt, non præſanctificatorum, quare cum præceptum obſervatu impoſſibile minime ſit, per ſolum reſpectivum grave incommodum ejuſdem obligatio poteſt diſſolvi.

VII. Non minus ſpecialis eſt conceſſio, quatenus feſtum S. Petri Martyris ad ritum duplicem 2. claſſis elevat, cum Patroni minus principales nonniſi ritu duplici majori gaudeant juxta Rubricas, atque Decreta. An autem ritus ille etiam a Regularibus uſurpari queat, quæ ſuperius dicebamus de octava, quæſtionem dirimant.

DECRETUM XVI. CAPITIS, IN ORDINE CXVI.

Feſtum S. Benedicti, quod habet adnexum forum, incidens in aliquam diem majoris hebdomadæ, transfertur ad feriam tertiam poſt Dominicam in Albis tamquam diem propriam, translato quocumque officio, etiam æqualis ritus, in ea occurrente. S. R. C. 6. Septembris 1727. *in Fulden.* Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 270.

I. BEnedictus XIII. die 23. Januarii 1727. Ordini S. Benedicti conceſſit, ut ſequitur; *Cum aliquoties contingat, feſtum S. Benedicti Abbatis quod fit die 21. Martii, incidere in aliquam diem majoris hebdomadæ, ac proinde juxta Rubricam ad aliam poſt Dominicam in Albis transferri debere, SS. D. N. Benedictus XIII. ad humillimas preces P. D. Seraphini Tranſii Abbatis, & Procuratoris Generalis Congregationis Caſſinenſis, ut in celebratione feſti, & officii Sancti Patriarchæ omnes Monachi, & Moniales ejuſdem Regulam profitentes uniformiter conveniant, benigne indulſit, atque conceſſit, ut quoties idem feſtum ob eam cauſam transferri debeat, tunc feria tertia poſt Dominicam in Albis eidem celebrando aſſignetur, ita ut memorata feria tertia, eo caſu intelligatur dies propria prædicti feſti, adeoque in ea officium S. Benedicti a dictis Monachis, & Monialibus non obſtante occurrentia alterius, ſive ejuſdem, ſive inferioris ritus, etiamſi dies eſſet propria alicujus Sancti, perpetuo celebretur.*

II. An feſta Inſtitutorum Religionum inter feſta de præcepto ſint computanda apud Regulares reſpective Familias, quarum ſunt auctores? Quæſtio eſt, cui affirmative reponendum eſſe videtur ex iis verbis producti Decreti, *ut ſimul convenire queant in celebratione feſti, & officii*, nam cum feſtum, & officium diſtinctim ponantur, videntur importare diverſa, adeoque feſtivationem per *feſtum*, & horas canonicas per *officium*. Talem itidem facit Decreti ſenſum Meratus, cum in Indice Decr. Brev. num. 346. hæc notat verba: Feſtum S. Benedicti, quoties incidit in aliquam diem majoris hebdomadæ ab omnibus utriuſque ſexus ſub Regula S. Benedicti militantibus transferendum eſt tam quoad forum, quam quoad Chorum, ut dictum eſt in allegato Decreto ſupra in Indice, emanato die 23. Januarii 1727., ubi reipſa idipſum ibi firmat, ſcilicet in eodem Indice num. 270. In eamdem opinionem inclinat Guyetus *lib. 1. cap. 14. quæſt. 2. 3. & 4.*, *& lib. 2. cap. 19. quæſt. 3.*, ubi aſſerit, feſta propria Regularium ita ſe habere ad ipſorum Eccleſias, ſeu loca, quorum propria ſunt, ſicut feſta propria aliarum, & locorum, atque adeo pari ratione aliqua illorum debere eſſe in præcepto, puta Feſtum Fundatoris, qui inſtar Patroni principalis habetur; qua de cauſa non officere putat Conſtitutionem Urbanam, utpote quæ feſtum Patroni

Digitized by Google

troni principalis in præcepto approbat obſervari. Idipſum putat de feſtis inſigniorum Ordinis Profeſſorum, quæ ſtatuere Superiorum vult eſſe, non quidem omnium, ſed majorum, qui hac in parte, ut in aliis gaudent juriſdictione quaſi Epiſcopali. Quod Prælati Regulares feſta de præcepto pro ſuis reſpective ſubditis indicere poſſint, uti Epiſcopi valent pro ſuis, nec dubitamus immo proculdubio magis illi, utpote qui ab Urbano VIII. Moniti minime fuere, ut a novorum feſtorum indictione abſtineant, nec ut ea inducant, neceſſe habent ſuorum ſubditorum conſenſum expectare, nec pro Regularibus ſubditis militant eæ rationes, & cauſæ, ob quas Urbanus feſta moderavit, & nova non invehi monuit. Regulariter tamen minima reperiuntur indicta, unde tota difficultas devolvitur ad feſtum Inſtitutoris, pro quo militat ratio, illa ex principali Ordinis patrocinio petita. Verum cum Inſtitutores Ordinum etſi Patroni principales cenſeantur, reipſa tamen non ſint, cum in eorum electione regulariter non ſervetur forma præſcripta per Decretum 23. Martii 1630., haud credimus Urbanam Conſtitutionem iiſdem ſuffragari, immo refragari magis, utpote quæ unius duntaxat ex principalioribus Patronis feſtum vult eſſe feſtivum; Regulares autem ad feſtivationem Patroni principalis loci cenſentur adſtricti. Reputamus nos itaque *feſtum* feriationem non importare, ſed ſolemnitatem.

III. Fuldenſis Civitas, in qua ineſt celebris Abbatia totius Europæ, nedum Germaniæ, in qua ſita eſt, quæ & paret Abbati, qui eſt Imperii Princeps, cuique ſubjacet tractus adjacens ſatis extenſus, ſpeciali devotione affecta erga eumdem S. Benedictum, cujus & protectione gaudet, ejuſdemque feſtum in præcepto excolit, pro eadem translatione una cum feriatione ſupplicavit, & obtinuit prout in producto Decreto, quod favorabile eſſe nedum Fuldenſi Eccleſiæ, ad cujus inſtantiam emanavit, ſed omnibus univerſim Eccleſiis, in quibus feſtum S. Benedicti adnexum habet forum, ſeu eſt in præcepto, apprime oſtendit univerſalis dicendi modus, quem ſervat Decretum.

IV. Privilegium eſt illud admodum amplius, & extenſius privilegio Annunciationi facto, nam hoc reſtrictum manet ad caſum incidentiæ in Paraſceven, vel Sabbatum Sanctum, ubi feſtum S. Benedicti immutationem prædictam ſubit, in quamcumque incidat diem majoris hebdomadæ, videlicet a Dominica Palmarum uſque ad Sabbatum Sanctum incluſive. Hujuſce immutationis quatenus Monachis ut ſupra conceſſæ rationes Decretum allegat, nempe, *ut in celebratione feſti, & officii Sancti Patriarchæ omnes Monachi, & Moniales ejuſdem Regulam profitentes uniformiter convenirent*; ſæpe enim eveniebat, feſtum hocce in Ordine ſolemniſſimum, diverſis diebus per Eccleſias Ordinis, etiam intra eamdem Diœceſim ſitas, cum difformitate celebrari propter particularia occurrentia officia apud unam ex dictis Eccleſiis, & non apud alteram. Sic autem in præcipuo feſto intra Ordinem ponitur uniformitas indiviſibiliter inhæret officio, nec a luctuoſis hebdomadæ majoris officiis minuitur lætitia, qua dictum decet feſtum celebrari. Hinc facile applicare poteris, quæ de Ordine dicebamus, ad loca, ubi S. Benedictus adnexum habet forum, ſic quippe etiam feſtivatio numquam ſejungitur a ſolemnitate, & officio.

V. Quæres 1. cur id privilegii factum eidem non ſit, cum infra octavam Paſchæ recurrit?

VI. ℟. Factum id eſſe, quia licet officium transferendum ſit, nihil tamen eſt, quod iis diebus ſolemnitatem, & feſtivationem lætanter agitari vetet, perinde ac ſit aliis anni diebus.

VII. Quæres 2. cur pro repoſitione S. Benedicti delecta fuerit feria tertia poſt Dominicam in Albis, & non magis ſecunda, quæ eſt prima, quæ Sanctorum officia patitur?

VIII. ℟. in gratiam Feſti SS. Annunciationis, quoniam non ſemel accidit hoc incidere in Paraſceven, aut Sabbatum Sanctum, adeoque transferendum eſſe quoad chorum, & forum, quando feſtum S. Benedicti immutandum eſt ob ejuſdem incidentiam in hebdomadam majorem; cum enim in eo caſu Annunciationi feria ſecunda aſſignata ſit, haud decebat itidem aſſignari S. Benedicto, ne hæc feſta ſe mutuo impedirent, & ut ab omnibus in celebratione feſti univerſalis, & Eccleſiæ præcipui, cujuſmodi eſt Divina Incarnatio, quæ in feſto Annunciationis excolitur, uniformitas ſervaretur. Dices, cur igitur dicta feria ſecunda conceſſa exitit immutationi S. Zenonis? Hoc ideo, quia in caſu S. Zenonis numquam contingit Annunciationis feſtum quoad Chorum, & forum eſſe translatum.

IX. Quæres 3. num hoc privilegium competat S. Benedicto, ubi adnexum habet forum, ſed loci Protector principalis non eſt? Ratio dubitandi eſt, quia privilegium emanavit ad inſtantiam Civitatis, cujus S. Benedictus principale gerit patrocinium, quare de hujuſmodi caſu videtur ſolummodo fuiſſe excogitatum.

X. ℟. utique, quia Decretum generaliter loquitur de feſto S. Benedicti, quod habet adnexum forum, nihilque tenet de principali patrocinio, quidni igitur & illimitate erit intelligendum? Verba ſunt argumenta intentionis, quare ſi hæc modificationem non habent, haud dicere nos poſſumus, limitare fuiſſe excogitatum, præſertim quia ſumus in favorabilibus, & in iis, quæ cedunt in majorem S. Benedicti honorem.

XI. Quæres 4. an idem ſentiendum ſit, ubi feſtum S. Benedicti foret ſemifeſtum, ſeu feſtum dimidiæ diei?

XII. ℟. affirmative; ibi enim vere adnexum habet forum, licet illud non habeat per totam diem, quod Decreti verba nequaquam expoſcunt.

XIII. Quæres 5. de locis, ubi S. Benedictus feſtivatur ex voto, aut devotione, vel adnexum habet forum quoad ſolam vacationem a ſtrepitu forenſi?

XIV. ℟. nequaquam, quoniam dum S. C. nomen *fori* uſurpat, illud ſemper ſtricte accipit, prout nempe importat feſtum vere de præcepto in ſenſu Eccleſiæ cum obligatione audiendi Miſſam, & vacandi ab operibus ſervilibus, cujuſmodi non eſt feſtum S. Benedicti in præfatis locis. Fallit hoc forſitan, ſi votum eſſet recens emiſſum, utpote quod voventes ad feſtivationem adſtringit. Verum de his abunde actum eſt in primis quatuor Decretis capitis.

XV. Quæres 6. utrum dicti privilegii uſus eſſe queat apud Eccleſias, quarum S. Benedictus eſt Titularis?

XVI. Ratio dubitandi eſſe poteſt, quod in Can. *Pronunciandum* inter feſta obſervanda proponitur Dedicatio cujuſque Oratorii, qui Canon a nonnullis extenditur etiam ad Titulum ejuſdem, quia hujus feſtum æquale eſt, niſi præſtet feſto Dedicationis. Putant autem per Conſtitutionem Urbanam nihil detrahi feſtis particularibus cujuslibet Eccleſiæ particularis, ſed adhuc ea remanere in priori obſervantia, quæ ipſis a jure communi tribuitur, & ſolummodo abrogari feſta generalia, ſeu quæ ad omnes univerſim Eccleſias Regni, Provinciæ, Diœceſis, vel Civitatis alicujus ſpectant. Quam intelligentiam non reprobat Guyetus *lib. 2. cap. 19. quæſt. 17.*, approbatque fidelium uſus feſtivandi Titulum propriæ Eccleſiæ.

XVII. Verum ſalvis Conſtitutionis verbis, haud conſiſtunt hujuſmodi particularia feſta, quoniam ex particularibus feſtis duo ſolum permittit, ſcilicet Patroni principalioris Regni, vel Provinciæ, & alterius pariter principalioris Patroni Civitatis, Oppidi, aut Pagi, & continuo ſubdit: *Ad reliquorum vero dierum obſervantiam, quos hactenus ſive in univerſa Eccleſia, in quavis Natione, aut Regno, Provincia, Diœceſi, aut loco quomodocumque, ſive ex præcepto, ſive ex conſuetudine, ſive ex devotione Chriſtifideles tamquam feſtivos celebrarunt, nequaquam ex præcepto ipſos teneri*. Volo, ut notes to *Aut loco*, quod in ſinu ſuo etiam dicta particularia claudit feſta, præſertim quia adſunt loca, quæ per unam duntaxat Parochialem reguntur Eccleſiam, & ulterius diſerte ſe exprimit Pontifex, intendere *Sanctificationis feſtorum certum firmare præceptum* & velle *Eccleſiaſticam eorumdem ubique æqualitatem*. Talis utique eſt communis Chriſtifidelium ſenſus, qui propterea Dedicationem Eccleſiæ, etſi in Jure expreſſam, minime feſtivant; unde autem, quæſo, argui poteſt, quod feſtivationem Tituli, qui in jure expreſſus non eſt, & a ſimili de præſcripto circa Dedicationem ſolummodo eruitur, ex præcepto ſervent, & ad eam teneri arbitrentur, & non magis ex devotione? Quod ſi Titulus adnexum non habet forum, non eſt, quod probemus, Decretum Eccleſiis habentibus pro Titulo S. Benedictum eſſe favorabile.

XVIII. *Translato*, ſubdit Decretum, *quocumque alio feſto etiam æqualis ritus in ea occurrente*. Etſi dictio *Quicumque* omnia includat, & nihil excludat, to eam limita, ſi occurrens feſtum ſit *majoris dignitatis* in paritate ritus; major enim dignitas altiori æquivalet ritui, dummodo ſit ex recenſitis per Rubricam *Inter feſta*, & dictio *Quicumque* non includit privilegiata in materia, de qua agitur, cujuſmodi ſunt feſta digniora juxta allegatam Rubricam; Vide, quæ dedimus exponentes Decretum 16. cap. primi, necnon agentes de Annunciationis feſto; particulare non minus enim eſt hoc Decretum, & in exemplum pro ſimilibus minime trahendum, feſtum pridie annunciandum in Martyrologio, & cum octava celebrandum, & cum reddatur feſtum veluti Mobile, evulgandum Populis erit inter feſta Mobilia in Epiphania Domini, vel ſaltem a Paroco inter Miſſarum ſolemnia in proximioribus præcedentibus diebus feſtivis, vel Dominicis notificanda fidelibus, prout de feſto Annunciationis fieri juſſit Clemens XI. ſub die 15. Martii 1712. Idipſum dicito de feſto S. Zenonis, aliiſque, quæ, & quoties transferuntur quoad forum.

DECRETUM XVII. CAPITIS, IN ORDINE CXVII.

Si Feſtum Sancti Joannis Baptiſtæ, ſive aliud ex ſolemnioribus venerit in die Corporis Chriſti, officium Sancti Joannis ſingulari privilegio transfertur in ſequentem diem a quocumque officio duodecim lectionum (nempe juxta ritum Monaſticum, & juxta Ritum Romanum novem lectionum) etiam impeditam cum commemoratione octavæ, ſed in ſecundis Veſperis ſit commemoratio tantum Sancti Joannis. Cætera vero Feſta ſolemniora occurrentia in dicta die Corporis Chriſti transferantur infra octavam in primam diem non impeditam. S. R. C. 23. Junii 1736. *in Einſidlen*. Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 327.

I. Dubium non eſt, quod feſtum S. Joannis Baptiſtæ, uti & quodcumque aliud ex ſolemnioribus, occurrens in die Corporis Chriſti, transferri debet, cum id diſerte ſtatuant Rubricæ *de Translat. num. 1., & ſub Tabella occurr. num. 1.*, exigatque dignitatis ratio, & Myſterii dignitas. Officium autem S. Joannis ſingulari privilegio transferendum indicitur in ſequentem diem a quocumque officio etiam impeditam. *Singulari* utique *privilegio*, quod non conceditur cæteris ſolemnioribus feſtis, quæ in primam diem non impeditam rejiciuntur, & ſimile conceſſum non legitur, niſi Annunciationi Deiparæ, & nonnullis aliis, quando quoad Chorum, & forum transferuntur, & particulari de cauſa etiam feſto Dolorum B. M., de quo ſuo loco agetur, quodque eſt aperte contra Rubricas ipſas, quæ feſta translata ad primam diem non impeditam ſemper emandant.

II. Hu-

II. Hujus privilegii quatuor affert congruentias Meratus in memorato Indice num. 327., quarum prima eſt, quod in feſto Sancti Joannis Baptiſtæ Presbyteri ter Miſſam facere ſolerent, prout in die Nativitatis Domini etiamnunc agitur. Secunda ex cauſa, & conſideratione peractæ vigiliæ, quæ cum ſit præventio feſti, requirebat, quantum fieri poteſt, proximiorem ipſi feſto proprii officii recitationem. Tertia, quod per præſens Decretum eidem præferentia conceditur in concurſu cum Dedicatione Eccleſiæ. Quarta, quod Rubrica *de Transl. num.* 1. habet: *Si Feſtum Nativitatis Sancti Joannis Baptiſta venerit in die Corporis Chriſti, transfertur in diem ſequentem cum commemoratione octavæ*. Quæ Rubricæ Verba abſolute, & ſimpliciter prolata, aſſerit interpretata fuiſſe; aſſerit, ut in ſequenti die accidentariam ſubeat immutationem, & in ea ſit collocandum, tametſi ſit impedita.

III. Verum futiles ſunt rationes iſtæ. Secunda quidem, nam quænam feſta, quæ cum vigilia præveniuntur, in ſequenti die impedita reponuntur, quando transferri contingunt? Nonne ad primam diem non impeditam amandantur, nulla habita conſideratione ad vigiliam jam peractam? Ad quartam jam ſatis conſtat ex dictis in Decretis ſecundo, & tertio Capitis decimi, ubi diſtinximus inter Rubricas diſponentes de repoſitione feſtorum generatim, & ſpeciatim, & rationibus, & exemplis oſtendimus, feſta ea particularia, quæ ſpeciales Rubricæ in ſequentem diem transferenda edicunt, in ea non eſſe reponenda, ſi alicubi ſit impedita. Prima denique, & tertia ex productis rationibus tantum abeſt, quod ſint congrua cauſa dicti privilegii, quin magis ſui ipſius ea cauſa ſit, a qua idem privilegium agnoſcit originem. Cæterum plurima alia feſta non deſunt, in quibus pluries celebrabatur olim, & tamen dicto privilegio decorata non ſunt, feſtumque Sancti Joannis vi ſuæ dignitatis, & Rubricarum in Decreto 16. Capitis primi jam fuſe tradidimus præſtare Dedicationis feſto quod perperam feſtum Domini appellatur.

IV. Non alia igitur erit hujuſmodi privilegiorum cauſa, & origo, quam ipſiuſmet S. Joannis Baptiſtæ dignitas, in cujus laudibus D. P. Auguſtinus *Serm. 21. de Sanctis* hæc pronunciaſſe reperitur: *Magnus igitur Joannes, cujus magnitudini etiam Salvator teſtimonium perhibet dicens: Non ſurrexit inter natos mulierum major Joanne Baptiſta. Præcellit cæteros, eminet univerſis, antecellit Prophetas, ſupergreditur Patriarchas, & quiſquis de muliere natus eſt, inferior eſt Joanne.* Et quidem finis non foret, ſi in ejuſdem laudibus nos vellemus effundere, enarrantes ex Evangelio, ac Sanctis Patribus privilegia plurima, quibus præ cæteris illum Deo placuit illuſtrare; hinc ex eodem Auguſtino *Serm. 20. de Sanctis* contenti erimus aſſerere, quod ex Sanctis illius ſolummodo nativitas in Eccleſia colitur, ut inde eruamus, quam convenienter etiam ſuper ceteros immutationis privilegio in ſequentem diem etiam impeditam fuerit decorata, ſeu ut ſua die ſaltem commemoratione gauderet, ſicut excellentioris ſeu dignitatis immobilitatis privilegio donata fuere Chriſti feſta plurima, & Deiparæ primarium, ſcilicet Aſſumptionis, quinimmo & feſtum omnium Sanctorum.

V. In ſequenti igitur die Nativitas S. Joannis cenſenda erit ut occurrens, adeoque transferri faciet feſtum quodlibet, licet Dedicationis, aut Titularis, vel Patroni, quod alicubi occurreret, cum omnibus iſtis intrinſece vi dignitatis præſtet juxta ea, quæ dedimus exponentes Decretum 16. Cap. primi. Id tamen limita, ſi feſtum occurrens ejuſdem foret ritus, ſed majoris dignitatis, ſcilicet feſtum Domini, aut Deiparæ. Fiet autem in ea licet duplex primæ Claſſis ſit, commemoratio octavæ Corporis Chriſti, & in ſecundis veſperis Corporis Chriſti ſola commemoratio Nativitatis, ut firmat Decretum, atque diſerte diſponunt Rubricæ *de Transl. num.* 1., *& ſub Tabellis occurr., & concurr. num. 3., & 6.*

VI. At quid, ſi Nativitas transferri contingeret, non ob incidentiam in diem Corporis Chriſti, ſed in feſtum aliud majoris dignitatis? Gauderetne privilegio?

VII. ℞. Utique, origo enim, & cauſa dicti privilegii eſt dignitas feſti, & ideo haudquaquam deperditur privilegium, a quocumque feſto Nativitas a proprio die depellatur.

VIII. Quæres 1. num una cum officio transferenda ſit feſtivitas fori?

IX. ℞. Negative; conſulto enim Decretum non *feſtum*, ſed *Officium* aſſerit eſſe transferendum. Et quidem officium ſolum impeditur, non feſtivitas, quæ optime haberi poteſt, ac ſervari in feſto Corporis Chriſti, inſtar aliorum feſtorum incidentium in Dominicas privilegiatas, aut feſtum aliud de præcepto, quæ quoad ſolum chorum, non forum transferuntur. Eccleſia admodum refugit dies feſtivos multiplicare in gravamen populi; & hac de cauſa eoſdem libens non ſemel moderata fuit, ſolumque Annunciationis feſtum pro caſu incidentiæ in feriam ſextam Paraſceves, aut Sabbatum Sanctum, in quo feſtivitas integre ſervari non poteſt, quoad feſtivationem in uſum habet transferre, & inſuper indulſit ſuper feſto S. Benedicti incidente in feriam majorem, ceterum hinc nullum populo gravamen inſurgit, cum his in caſibus feriatio in proprio die cenſet urgere.

X. Quæres 2. An tranſlato ut ſupra feſto S. Joannis in ſequentem diem, una quoque transferri debeat ejuſdem octava?

XI. ℞. Nequaquam, & ita diſerte ſtatuit Rubrica *de Transl. num.* 1. Nec officiunt, quæ ſuperius dedimus de feſtis SS. Annunciationis, S. Zenonis, & S. Benedicti, quia horum feſta transferuntur quoad Chorum, & forum in ſtatam aliam diem tamquam propriam, & omnimode deſerunt diem propriam, ad hancque nullum penitus ſervant reſpectum; non ſic autem eſt de feſto S. Joannis, quod in ſequenti die quoad ſolum officium immutatur, & ad propriam ſervat reſpectum, ab eaque cenſetur expulſum, licet in ſequenti die ex ſpeciali privilegio celebretur & occurrens. Videantur, quæ dicta ſunt in Decreto ultimo Capitis noni.

XII. Quæres III. Annunciari debeat in Martyrologio Feſtum S. Joannis, quando in ſequentem diem ut ſupra immutatur?

XIII. ℞. Annunciari poſſe, cum juxta Decretum 5. Maji 1736. pridie id fieri valeat etiam de feſtis, quæ metam ſubeunt tranſlationem. An autem enunciari debeat, difficilius eſt ſtabilire. Id indicare videntur ſuperius ſtatuta de Annunciationis feſto, ſed diſpar eſt ratio, quoniam hoc diem propriam totaliter deſerit.

XIV. Ulteriora Verba Decreti, *cetera vero feſta ſolemniora occurrentia in die Corporis Chriſti, transferantur infra octavam in primam diem non impeditam*, deſignant nobis privilegium, de quo ſupra, ſingulare eſſe, adeoque ceteris feſtis non poſſe ſuffragari, licet ſolemnioribus, quæ conſequenter in primam diem non impeditam erunt transferenda juxta Rubricarum mandata, & ſic infra octavam Corporis Chriſti, quæ patitur duplicia 1. & 2. claſſis translata, ſi infra hanc dies inimpedita occurrat, alioquin poſt octavam.

DECRETUM XVIII. CAP., IN ORDINE CXVIII.

Tranſlato Feſto, in cuius die conceditur indulgentia, non transfertur etiam indulgentia. S. R. C., 30. Decemb. 1639. *in una Cappuccin.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 106.

I. NOnnemini extra Chorum expoſitio Decreti, quod circa Indulgentias verſatur, videbitur ſumpta in Capite quod de diebus feſtivis pertractat; at quæ inferius danda ſunt, ab omni nota nos utique vindicabunt. Quod autem præſens firmat ſanctio, par aliud itidem confirmatum fuit Decretum: *Tranſlato feſto, in cujus die conceditur indulgentia, non transfertur indulgentia, niſi ex conceſſione ſpeciali*. S. R. C. 10. Junii 1690. *in una Ord. S. Benedicti*. Qua cum limitatione, *niſi habeatur conceſſio ſpecialis*, dubium non eſt & præſentem debere intelligi Sanctionem, quæ propterea non procedit de hujuſmodi particularibus Indultis, quorum plurium meminit Amori. *de indulg. pag.* 478. *quæſt.* 5.

II. Advertendum eſt primo, quod multipliciter feſtum aliquod accidit transferri. 1. quoad ſolum officium, quando tamen feſtum ultra officium habet etiam feriationem ab opere ſervili, uti regulariter evenit, cum feſtum aliquod de præcepto quoad Chorum, & forum, incidit in Officium altioris ritus, aut privilegiatum; tunc etenim transfertur ſolum officium, & feriatio in proprio die ſervatur. 2. Quoad ſolum item officium, ſed quando feſtum ultra officium non habet alium cultum, ut ſunt omnia feſta, quorum officium in Breviarium reperitur invectum, ſed quoad forum de præcepto minime ſunt. 3. quantum ad ſolam ſolemnitatem, & hoc evenit, cum v. g. Congregatio aliqua feſtum Tituli, vel Patroni, aut quodcumque aliud celebrat pro majori ſolemnitate, commoditate, aut alia de cauſa in die Dominica, vel quavis altera, quæ non eſt Sancti propria. 4. quantum ad ſolum forum, ſicuti uſus eſt in multis Diœceſibus transferre feſta aliqua de præcepto. Clericis interim celebrantibus in ſuo proprio die horas canonicas eorumdem feſtorum; qualis uſus teſte Gobat *par. 2. de Indulg. cap. 7. num.* 331. viget pro feſto S. Michaelis in locis Lacui Acroniano vicinis, ne hujus obſervatio impediat, ſeu interrumpat cœptam jam vindemiam; quod *num.* 333. itidem ſervari aſſerit in Urbe Conſtantienſi, & aliis vicinis urbibus, & pagis pro feſtis SS. Matthæi, aut Michaelis, quando vindemia incidit in eorumdem feſta. 5. quoad Chorum ſimul, & forum, quemadmodum fieri diximus in feſto SS. Annunciationis, & aliis. 6. Sunt, quædam officia, quæ cum in propria die ſint perpetuo impedita, vel alia de cauſa immediate per Sedem Apoſtolicam, aut ab Ordinariis locorum vi Decretorum generalium alteri diei in perpetuum conſignantur.

III. Advertendum eſt 2., quod Feſtum, pro quo Indulgentiæ conceſſæ ſunt, poteſt eſſe mobile, ut feſtum SS. Roſarii, vel aliud quodcumque diei mobili affixum. Datur & feſtum, quod de præcepto eſt quoad Chorum, & forum, & transfertur quoad ſolum Chorum, ſed tamen in ſtatam aliquam diem uti propriam, ut ſuperius dictum eſt de Feſto S. Joannis Baptiſtæ. Itidem ſuperius omnes recenſitæ feſtorum translationes eſſe queunt legitime, vel illegitime factæ.

IV. Advertendum eſt 3., quod ex indulgentiis, quæ pro aliquo feſto reperiuntur conceſſæ, aliquarum indultum cantare poteſt pro viſitantibus Eccleſiam ac die feſto tali, aut talis Sancti, nulla mentione facta diei menſis, vel diei Depoſitionis, aut Tranſlationis, vel ſimilis, & aliarum Indultum hujuſmodi facere poſt expreſſionem.

V. Quoties itaque feſtum eſt in præcepto quoad Chorum, & forum, ſi quoad ſolum Chorum transferatur, non reperi ex Auctoribus, qui una quoque ſentiat indulgentiam transferri; Indulgentiæ enim teſte S. Pio V. in Bulla 34. in feſtis de præcepto quoad forum præcipue conceduntur, ut ſint ad uſum, & devotionem Populi, & quo hic frequentior ad talem Eccleſiam conveniat; Populus autem multum non attendit

ad

Digitized by Google

ad ipſum officium, ſed ad id, quod eſt publicum, nempe ad feſti ſolemnitatem quoad forum, nec eo die quo officium; ſed quod feriatio exſolvitur, ad Eccleſiam eſt conventurus.

VI. Si vero feſtum non habeat alium cultum præter officium, vult Bonagratia *in ſummula qu. Regul. V. indulgentia*, indulgentias illi feſto deſtinatas valere illo die, quo celebrabitur in Choro id feſtum, quia tale feſtum non habet alium cultum præter officium, adeoque eo die unice recolitur, quo dictum celebratur officium. Id tamen minime procedit, quia Indulgentiæ ſunt in uſum indifferenter Cleri, & Populi, & maxime Populi; hic autem nihil ſcit de tali translatione, ſed ſuæ memoriæ imprimit, aut ex plebeis Kalendariis, vel concione diſcit tertium, quartum &c. diem Menſis, in quo feſtivitas talis Sancti ſtate recurrit, quapropter perſæpe fideles defraudarentur conceſſis indulgentiis, & alias ſemper anxii forent de earundem acquiſitione; ubi nihil hujuſmodi accidit pro clero, qui probe ſcit ejuſdem proprium Sancti diem.

VII. Quod ſi feſtum quoad ſolam ſolemnitatem transferatur, cum hujuſmodi translatio non ſit canonica, ſed pure arbitraria, nec proprie ſit feſti translatio, concorditer omnes tuentur non transferri indulgentias.

VIII. De cauſa translationis feſti quoad Chorum, & forum quæſtio ſuccedit, in qua duas reperio Auctorum ſententias, quarum una mordicus negat, & eſt Amort *loco cit.*, Monacelli *in Formul. leg. pract. part. 2. tit. 16. formul. 6. n. 9.*, & aliorum, & nituntur primo in duobus adductis ſuperius Decretis, quæ ad translationem feſti generaliter firmat non transferri indulgentias. 2. quia Sixtus V. 1580. 3. Kalen. Octobris favore Congregationum erectarum a Societate Jeſu ad translationem feſti SS. Annunciationis conceſſit transferri indulgentias, & pro eodem feſto 1712. 25. Januarii indultum id fuit etiam Anicienſibus, & pro feſto Inventionis S. Crucis 1726. 11. Martii pro Bohemia &c., opus autem non fuit hiſce indultis, ſi translato feſto, transferentur & indulgentiæ. 3. quia Indulgentiæ conceſſæ pro certo, & determinato die, tamquam eidem affixæ, non videntur poſſe transferri, niſi hoc expreſſe conceſſum exiſtat.

IX. Pro affirmativa vero ſtant Guyetus *lib. 2. cap. 18. quæſt. 12.*, Meratus *ſect. 3. cap. 10. num. 11.* Fagioli *Kalen. perp. ration. pag. 55.* Felix Poteſtas *in examine Eccl. par. 1. to. 4. c. 8. num. 3739.*, Reinffestuel *Theol. moral. tract. 12. quæſt. 5.*, Diana Coord. *to. 4. reſol. 31. n. 2.* Sylvius *in ſuis reſol. V. indulgentia*, Gobat *loco cit.* aliique, quibus & nos ipſi ſubſcribimus. Tum quia Meratus in Indice Decr. Brev. num. 106. memorat Decretum quoddam Congregationis Indulgentiarum de die 2. Julii 1674., in quo diſerte declaratur, quod ſi transfertur feſtum quoad feriationem, & officium, transfertur etiam indulgentia, ſi vero quoad officium tantum, non transfertur indulgentia. Tum quia Indulgentiæ dantur in uſum Populi, & Populus in die illius translationis eſt conventurus, cui propterea præfata translatio indicitur in Concione, vel inter Miſſarum ſolemnia denuncianda.

X. Hinc ad primum in oppoſitum ſuperius adductum dicito, duo illa Decreta procedere de feſtis translatis quoad ſolum officium. Ad 2. dicito idipſum; feſtum enim Inventionis S. Crucis nunquam quoad forum transfertur, & feſtum Annunciationis, quando factus fuit favor dictis ſodalitiis, nondum immunitationis privilegio quoad forum donatum fuerat, quando etiam verba Bullæ in caſu translationis ſolius officii non procederent: *Ita quod in eventum, in quem officium ejuſdem Annunciationis transferri contigerit, indulgentia privata ſimiliter in diem translationis hujuſmodi arbitrio Superioris loci dictæ Societatis transferri poſſint, auctoritate Apoſtolica perpetuo concedimus.* Anicienſium Decretum eſt, ut ſequitur: *Anicienſes petunt, ut indulgentiæ in forma jubilæi conceſſæ pro feſto Annunciationis, incidente feſto in hebdomadam Sacram, transferantur in feriam ſecundam poſt Dominicam in Albis. ℞. affirmative.* Attento uſu Romano, in quo nonniſi in caſu incidentiæ in Paraſceven, & Sabbatum Sanctum, Annunciatio transfertur quoad forum, patens eſt, quod præfatum Indultum eſt pro caſu translationis etiam quoad ſolum officium, cum procedat pro caſu incidentiæ *in hebdomadam Sacram*, quæ profecto latius patet. Cæterum non raro a nonnullis petuntur, & conſequenter conceduntur ea, quæ abſque alia conceſſione fieri licebat, & per hoc patet ad ſimilia Decreta, quæ in contrarium poſſent produci. Ad tertium denique conſtabit ex infra dicendis de Indulgentiis en modo conceſſis.

XI. Ubi vero fit translatio feſti alicujus quoad ſolum forum, in favorem translationis Indulgentiæ eſt pronunciandum, idque patet ex dictis, quia ſcilicet Populus, cui fit denunciatio translationis feſti, in eo die feſtivo ad Eccleſiam deveniet, & non in die 29. v. g. Septembris, a quo ratione ruralium laborum tunc urgentium feſtum S. Michaelis alio transfertur. Deinde hac in re habenda eſt major ratio obligationis conſtringentis Clerum ſimul & Populum, quam conſtringentis ſolum Clerum; hujuſmodi autem major obligatio reperitur in die, in quam transfertur feſtum quoad forum, in quo feſtivatio eſt indifferenter in præcepto apud Clerum, & Populum, non autem in quo recitatur officium, quod ad clericales attinet ſolummodo obligationes.

XII. Hinc habes, quod ſi feſtum de præcepto quoad Chorum, & forum, transferatur quoad ſolum officium in aliquam ſtatam diem tamquam propriam, qualiter evenit Nativitati S. Joannis incidenti in die Corporis Chriſti, non transferuntur Indulgentiæ, quia potior obligatio adſtringens Clerum & Populum, ſcilicet feriatio, permanet in die a quo, nec tranſit in diem, ad quem transfertur officium, ſeu in quo urget ſolummodo clericalis obligatio, quam profecto non comitantur indulgentiæ.

XIII. De feſtis, quæ cum in propria die ſint perpetuo impedita, aut alia de cauſa, alteri diei per Sedem Apoſtolicam in perpetuum addicuntur, ſumimus agere, qualiter moderne factum extitit feſto S. Joachim a die 20. Martii, ut in die feſtivo celebraretur, rejecto in Dominicam poſt feſtum Aſſumptionis Deiparæ, & forſitan etiam feſto S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis immutato in diem 27. Maji, poſtquam ejuſdem Natalitia dies ob conceſſionem Officii S. Gregorii VII. occupata remanſit. Quo in caſo nos edocet Decretum primum Capitis decimi, indulgentias minime transferri, nam cum pluribus in locis celebraretur die 17. Septembris Feſtum SS. Nominis B. Mariæ cum indulgentiis pro intereſſentibus Miſſæ ſolemni conceſſis, & dictum feſtum redditum fuiſſet officium Eccleſiæ univerſalis pro Dominica infra octavam Nativitatis ejuſdem B. Mariæ, declaratum fuit, non amplius licere præcedentibus Indulteriis uti ſibi facto Indulto, ſed debere cum Eccleſia univerſali in ejuſdem celebratione ſe conformare, nec propterea in eorum favorem cenſeri translata jam conceſſas Indulgentias, ſed pro translatione ſupplicandum eſſe Sanctiſſimo. Videantur, quæ dedimus in expoſitione ejuſdem Decreti, ubi & obſervavimus indulgentias etiam ceſſare pro die, pro quo fuerunt conceſſæ.

XIV. Idem eſto judicium de feſtis, quæ in particularibus locis per Decreta generalia ob impedimentum in proprio die, alteri in perpetuum traduntur celebranda; relate enim ad non translationem indulgentiarum, ſi non potior, eadem utique procedit ratio. Quantum vero ad indulgentiarum ceſſationem non item, quoniam etſi officium ſemper in altera die celebretur, celebritas tamen, & ſolemnitas regulariter perſtat in propria, uti & ejuſdem annotatio in Kalendariis plebeis, quibus utitur Populus; e contra vero quia cum immutatio fit immediate per Decretum particulare, & in Kalendario Romano, transfertur etiam ſolemnitas, & dicta annotatio, idcirco & ceſſant indulgentiæ.

XV. Hora eſt, agamus de feſto ex ſe mobili, aut in perpetuum conſignato Dominicæ alicui, vel feriæ mobili, & licet præfatum feſtum uno anno celebretur una die menſis, altera in alio, ſecum fert indulgentias, quia tunc vere feſtum non eſt translatum, uti nec indulgentiæ, ſed ambo recurrunt die, pro quo fuerunt conceſſa. Secus contingeret, ſi feſtum, puta SS. Nominis Jeſu depelleretur a Dominica, cui fuit affixum; hoc enim in caſu indulgentiæ non ſequerentur officium, ſed prædictam Dominicam. Quoties feſtum aliquod addictum eſt alicui Dominicæ, puta Feſtum Roſarii, & alicubi celebrari aſſolet in alia, ſuſtinet Amort transferri indulgentias, ne his defraudentur fideles; at cum hujuſmodi indulgentiæ ſint affixæ Dominicæ ſtatæ, & feſtum Roſarii quoad ſolam ſolemnitatem transferatur, & arbitrarie, nos non videmus, quomodo in ſua aſſertione tueri ſe queat.

XVI. Translationem feſti illegitime factam indulgentiæ haudquaquam ſequuntur; cum enim talis translatio illicita ſit, nec titulum habeat ſuæ ſubſiſtentiæ, quomodo tueri poterit translationem indulgentiarum, quando etiam hæ ad translationem feſtorum translationem ſubirent?

XVII. De indulgentiis, in quarum diplomate exprimitur dies Menſis, ſeu dies Depoſitionis, aut Translationis &c., diſſimiliter profantur Doctores; Sylvius, & Diana *loc. cit.* volunt talem indulgentiam non transferri, utpote affixam diei, Gobat idipſum ſentit de indulgentiis cum nominatione ſtatæ Menſis diei conceſſis, non vero de iis, quæ cum ſola nominatione diei Depoſitionis, vel Translationis, aut ſimilis reperiuntur indultæ, forſitan quia hujuſmodi rationes adhuc excoluntur in die, in quam transfertur feſtum; Guyetus denique parum referre aſſerit, quod in Diplomate exprimatur dies Menſis, ſeu dies Depoſitionis, vel ſimilis; is enim, ait ipſe, ex mente Pontificis capiendus eſt, & eſt, quo Populus convenit in talem Eccleſiam ad feſtum celebrandum. Id autem intelligitur de caſu, in quo indulgentiæ ad translationem feſti ut ſupra transferuntur, non autem univerſim.

XVIII. Guyeti ſententiæ nos adhæremus, tum ob rationem, quam ipſe adducit, tum quia indulgentiæ dantur ad augendam feſti celebritatem; tum etiam quia eædem non addicuntur diei ſtatæ Menſis, vel Depoſitionis, niſi in gratiam Sancti, aut feſti, quatenus ejuſdem dies natalitia, vel alia de eo celebris in eam incidit; quare ſi hanc totaliter deſerat, & alteram veluti propriam ex integro adipiſcatur, non eſt, cur indulgentiæ non debeant ſequi feſtum, ſeu diem, in qua feſtum legitime ex integro reponitur cum omni, vel ſaltem potiori ſolemnitate, ut evenit in feſtis, quæ transferuntur quoad Chorum, & forum, aut quoad ſolum forum. Debet ſiquidem indulgentia ad finem, cui a concedente eſt deſtinata, videlicet ad commoditatem, devotionemque Populi, & ad augendam feſti celebritatem deſervire, & non ad diem, cui, ſi res exactius conſideretur, nonniſi per accidens reperitur addicta. Ex his autem abunde habes, quibus in caſibus locum habeat præſentis diſpoſitio Decreti.

CAPUT XIV.

De Diebus Dominicis.

I. A Diebus feſtivis in honorem Sanctorum inſtitutis ad dies Dominicos gradum facimus, quorum prærogativas varias recenſens Bona *de Divina pſalm. cap.* 16. §. 18. ſcribit: *Hac die, ut Sancti Patres obſervant, novæ Lucis primordia mundi originem illuſtraverunt. Hac die Patres noſtri Mare rubrum ſicco veſtigio tranſierunt. Hac eadem die panem de cælo omne delectamentum in ſe habentem acceperunt. Initio ejuſdem diei natus de Virgine Chriſtus, dictaque die poſtmodum baptizatus, aqua in vinum mutata recreavit convivas, & de quinque panibus multiplicatis quinque millia hominum ſatiavit. Hac die reſurrexit a mortuis, & januis clauſis ingreſſus ad diſcipulos dedit eis Spiritum Sanctum & poteſtatem remittendi peccata. Hac die Spiritus Sancti gratia diſcipulorum corda divinis chariſmatibus replevit. Hac die Joannes mirandam illam viſionem vidit, cujus plura ſunt Sacramenta, quam verba. Denium hac die futura creditur generalis reſurrectio, & totius mundi renovatio, quando qui bona fecerunt, ibunt in vitam æternam, qui vero mala, in ignem æternum. Diem Dominicam vocat Sophronius Hieroſolymorum Archiepiſcopus dierum dominam, Theodorus Studita diem pacis, Chryſoſtomus diem panis, & lucis*; Hac de re videri etiam poſſunt Azorius *par.* 2. *cap.* 2., & Suarez *to.* 1. *de Relig. cap.* 4., qui quamplurimas diei Dominicæ ex Sanctis Patribus referunt prærogativas, ac ejuſdem celebritatem haberi ex communi uſu, & ſenſu Eccleſiæ antiquiſſima Patrum traditione, in ipſa Scriptura novi Teſtamenti commendari, ac ex Apoſtolica traditione ad nos derivaſſe, late demonſtrant.

II. Sunt, qui contendunt feſtivitatem Dominicæ in lege gratiæ, non humano, ſed divino jure eſſe introductam, quos inter eſt Auctor ſupplementi ad ſummam Piſanam *verb. Dominica in additione*, & Silveſter *verb. Dominica quæſt.* 1. & 7., ubi hic & alias feſtivitates adjungit, ut Nativitatem Domini, Paſcha &c. Horum ratio eſt, quia ſeptimi cujuſque diei dedicatio ad divinum cultum eſt de jure divino juxta illud Geneſis 2., in quo Deus dicitur *benedixiſſe diei ſeptimo, & ſanctificaſſe illum*; mutatio autem diei Sabbati in diem Dominicam in lege gratiæ contigit ex inſtitutione divina, 2. quia alias hoc feſtum poſſet mutari, abrogari, aut prorogari per humanam legem, vel conſuetudinem contra id, quod communiter ſentiunt Doctores in Cap. *Licet*, & Cap. *Conqueſtus de feriis*.

III. Verum D. Thomas, cui communiter ſubſcribunt Doctores fere omnes, 2. 2. *quæſt.* 122. *art.* 4. ad 4. aſſerit, quod obſervantia diei Dominicæ in nova lege ſucceſſit obſervantiæ Sabbati, non ex vi præcepti legis, ſed ex Conſtitutione Eccleſiæ, & conſuetudine Populi Chriſtiani. Hinc D. P. Auguſtinus *Serm.* 151. *de Temp.* ait: *Dominicum ergo diem Apoſtoli, & Apoſtolici viri, ideo religioſa ſolemnitate habendum ſanxerunt, quia in eodem Redemptor Noſter a Mortuis reſurrexit.* Et paulo inferius dixit. *His enim ſpeciebus, ac talibus judiciis Dominica dies extat inſignis. Ac ideo Sancti Doctores Eccleſiæ decreverunt, omnem gloriam Judaici Sabbatiſmi in illam transferre, ut quod ipſi in figura, nos celebremus in veritate; quia tunc erit requies noſtra vera, quando reſurrectio fuerit perpetrata, & remuneratio in anima, & corpore ſimul perfecta.*

IV. Advertit Suarez *de Relig. to.* 1. *lib.* 2. *cap.* 1., quod in obſervatione alicujus temporis ad divinum cultum dicati, duo poſſunt conſiderari, unum ad jus naturale ſpectans, aliud ad poſitivum. Naturale eſt, ut tempus aliquod divino cultui tribuendum ſit, poſitivum vero, quod tale tempus ſit determinatum ad talem diem, vel horam &c. quare etſi externus Dei cultus ſit de præcepto legis naturalis, non tamen quatenus talis cultus determinatus eſt ad certas ceremonias, vel actiones, & multo minus ad certa tempora, ſed hoc pacto juris eſt poſitivi. Ut autem obſervat D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 122. *art.* 4., natura ſicut certum tempus neceſſariis rerum functionibus, profanis rebus, & negotiis tribuit, veluti corporis quieti, ſomno &c., ita æquum fuit ſtatum aliquod determinari tempus cultui rerum divinarum, quo mens, & animus ſe ſe in his exerceat, ſeque reficiat in Dei contemplatione acquieſcens. Hinc apud Gentes, & Nationes omnes, ſtatas quaſdam ferias, eaſque publicas, & ſolemnes fuiſſe legimus, quæ feriendis victimis, Sacris, divinisque rebus obeundis conſervatæ erant, in quibuſque litium, & jurgiorum liberis hominibus, & ſervis operum, & laborum vacatio dabatur; in Lege autem veteri, & ſcripta determinatum hoc tempus erat ad omnia Sabbata anni, & nonnullas alias ſolemnitates, & in lege nova Statutum eſt ad cunctas anni Dominicas, & plures alias feſtivitates, quarum hæ non eædem ſemper fuere, nunc autem reſtrictæ ſunt ad eas, quas in ſua Conſtitutione recenſet Urbanus VIII., quibuſque dumtaxat per Clementem XI. ſua Conſtitutione *Commiſſi* 6. Decembris 1708. addita fuit ſolemnitas Conceptionis Deiparæ.

V. Obſervantia diei Sabbati ex juſſione quidem Dei invecta eſt, ſed nonniſi Exodi 16., ubi inducitur populus, ne colligat Manna die Sabbati, & Exodi 20., ubi Deus inducit Hebræos ad obſervationem Sabbati, dicens: *Memento, ut diem Sabbati Sanctifices* &c., præcedenter enim, & in lege naturæ, ac ante legem Moyſis non erat obſervatio Sabbati, nec aliorum Statorum dierum, & quidem nec apud pios, & Deum colentes, ut dixit Euſebius *lib. hiſt. c.* 4. poſt Irenæum *lib.* 4. *c.* 30. & 42., & Tertull. *lib. contra Jud. cap.* 2., & poſt illos Damaſcenus *lib.* 4. *de fide cap.* 24., ac oſtendit Abulenſis *in cap.* 2. *Gen. quæſt.* 4., ubi aſſerit, nec neceſſarium fuiſſe tale mandatum, quod factum fuit, ut homines vacarent a laboribus, & illis diebus intenderent divinæ contemplationi, cum in ea prima ætate foret quaſi continua quies, quia modicum, vel nihil laboribus intendebant homines; unde iſti in tam continua quiete Deum contemplari poterant, nec aliquo ſpeciali die ad hoc indigebant. Id vero, quod dicitur Gen. 2. *& benedixit diei ſeptimo, & ſanctificavit illum*, dictum eſſe aſſerit per anticipationem, uti multa in Sacris litteris per eamdem dicta referuntur. Itaque ex tunc dedicavit Deus diem illum ad ſuum cultum in ſua mente, & propoſito, non in executione, vel poſuit (ut ſic dicatur) fundamentum illius ſanctificationis, non obligationem, aut legem, quia nec illam ſpecialiter promulgavit, nec per rationem naturalem patefecit.

VI. Quoniam autem determinatio iſta Sabbati a Deo ſtatuta non fuit lege ſimpliciter perpetua, ſed tantum ſecundum quid, ideſt durante ſtatu illius populi, & utilitate, & valore circumciſionis, ſeu *donec veniret ſemen*, ut ait Apoſtolus *Galat.* 3. 19., ac per ordinem ad myſterium futurum, ideo hoc præſenti reddito, & veniente illo tempore ex ſeſe ceſſavit lex Sabbati, atque præceptum, quod ad diſtinctionem ceterorum Decalogi, quæ ſunt pure moralia, cum partim morale eſſet, partim cæremoniale quatenus cæremoniale tolli debuit Chriſti Morte, & perpetuo dumtaxat manere, ut eſt morale, ſeu quatenus eſt præceptum jure naturali, lumineque conſtitutum, quo pacto ſuperius diximus importare quidem externum Dei cultum, ſed ſine determinatione ad aliquod certum tempus, cæremonias, vel actiones.

VII. Sabbati præcepto ut ſupra extincto, recogitans Eccleſia prærogativas plurimas, quibus præ ceteris gaudet Dominica dies, & potiſſimum longe majus eſſe beneficium redemptionis, quam creationis, Dominicamque diem celebrem eſſe ob Chriſti reſurrectionem, ac Domini victoriam commemorare, ſatius adjudicavit Dominicam diem determinare feſtivam, abrogato præcepto Sabbati, quod non oportuit itidem eſſe feſtivum, ne tantum onus perpetuum imponeretur Populo Chriſtiano, præſertim quia etiam in die Dominico beneficium creationis recognoſci poterat, cum in eo cœperit mundi creatio, & ut inſimul deſignaretur veterem deſiiſſe legem, ac expiraſſe. Qua de re recoli poterunt D. P. Auguſtinus *Serm.* 154., & 251. *de Temp.*, Leo Papa *Epiſt.* 81. *ad Dioſc. c.* 2., Chriſoſtomus *hom.* 5. *de Reſurr.*, Gregorius *lib.* 11. *Epiſt.* 3., Ambroſius *ſerm.* 60., omneſque fere alii Sancti Patres, Auctores, atque Concilia.

VIII. Quatenus itaque dies Dominicus, nonniſi feſtivus per præceptum Eccleſiaſticum eſt determinatus, ſimpliciter loquendo, & quaſi de potentia abſoluta Eccleſiæ mutationi in alterum diem poſſet eſſe obnoxius, quia tamen nititur tot rationibus honeſtatis, & religionis, tam vetuſta, ac univerſali conſuetudine firmatur, indictus eſt ſine temporis determinatione, ejus utilitas, uti Eccleſia, eſt perpetua, reſpicit Myſterium Reſurrectionis Chriſti jam factum, quod ut ſic eſt immutabile, & immutabiles, & perpetuæ itidem ſunt rationes omnes, ob quas determinatus extitit, & moraliter nulla occurrere poteſt rationabilis cauſa mutationis, vel abrogationis, ideo practice, & moraliter poteſt immutabilis nuncupari, licet in peculiari diſpenſari queat; cum enim mutatio, & abrogatio hujuſmodi foret in deſtructionem, non in ædificationem, Spiritus Sanctus, qui Eccleſiam gubernat, haud permittet talem fieri mutationem, vel abrogationem; Quod ſi hoc præceptum habet aliquem ordinem ad quietem perfectam futuram in gloria, quando illa comparata fuerit, ceſſabit etiam hoc præceptum.

IX. Quamvis tamen prærogativæ omnes, ac circumſtantiæ diei Dominicæ in ejuſdem determinatione conſideratæ fuerint, ac recolantur, potiſſimum inſtituta fuit ad Deum ipſum propter ſe colendum, & propter ſuam Excellentiam, & Majeſtatem, quoniam naturalis ratio hoc modo principaliter dictat divinum cultum; quinimmo quia in lege gratiæ expreſſius cognoſcitur Deus, prout in ſe eſt trinus, & unus, ita ad profitendam hanc fidem, & Deum trinum, & unum expreſſius colendum præfatus dies fuit ſpecialiter deſtinatus. Quapropter graves Auctores referunt, olim præfationem Trinitatis in omnibus Dominicis fuiſſe decantatam, ſymbolum fidei, quo Trinitatem profitemur, etiamnunc in iiſdem ſemper dicitur, & quoties officium eſt de Dominica, Symbolum vulgo S. Athanaſii ad Primam dicendum indicitur, & in Matutino a Pentecoſte ad Adventum etiam octavum reſponſorium de Trinitate. Verum de hac re alibi ſermo redibit.

X. In Lege veteri a Veſpera ad Veſperam incipiebat feſtorum obſervatio juxta illud Levit. 23. *A Veſpera uſque ad Veſperam celebrabitis Sabbata veſtra*; quod & præſtitum fuit in lege nova, unde in Synodo Compendienſi ſub Gregorio IV. anno 833. habita, & in Cap. 1. de feriis relata Statutum fuit: *omnes dies Dominicos a Veſpera in Veſperam cum omni veneratione decernimus obſervari, & ab omni illicito opere abſtineri*; quod & inculcat D. P. Auguſtinus *Serm.* 251. *de Temp.* Qua tamen Alexander III. *cap.* 2. *de feriis* in hunc modum determinavit: *Licet ſcriptum ſit, de Veſpera in Veſperam celebrabitis Sabbata veſtra; feſtorum tamen principium, & finis juxta eorum qualitatem, & diverſarum regionum conſuetudinem debet attendi*, in tota fere Europa in uſum invectum eſt, ut obſervatio diei feſti a media nocte ad mediam noctem teneatur, quemadmodum advertit Gonzal. *in cap. omnis littera C. de feriis.*

DE-

DECRETUM I. CAPITIS, IN ORDINE CXIX.

Sub Nomine Feſti novem lectionum venit etiam Dominica. S. S. R. C. 12. Martii 1618. *in Conchen.* Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 41.

I. FEſtum prout ad ritus Eccleſiaſticos attinet, in duplici ſenſu ſolet uſurpari. Primo, pro feriatione, ſeu ceſſatione a ſtrepitu forenſi, ſervilibuſque operibus, & hujus acceptionis uſus eſt tum in Jure *Can. Pronunciandum, & cap. Conqueſtus*; tum etiam apud Vulgum, qui nulla alia agnoſcit feſta, quam quæ hoc modo præcepta ſunt. Secundo, Feſtum accipitur pro officio, quod eſt de Feſto, cujus oppoſitum eſt officium de Tempore, ut patet ex Rubrica 12. *num.* 2. *&* 3. Uti autem certum eſt in priori acceptione Dominicam feſtum eſſe, ita non eſſe in poſteriori, quatenus ſcilicet feſtum opponitur officio de Tempore, cum memorata Rubrica inter officia de Tempore Dominicam expreſſe per hæc verba recenſeat: *Si ordinandum ſit officium de Tempore, ideſt de Dominica, vel feria*; & infra officium de feſto diſerte nuncupat officium de Sanctis, Domini, aut Deiparæ, ſive hoc trium, ſive novem lectionum exiſtat, videlicet ſub num. 3. 4., & 5. Hinc ortum eſt, ut aliud dicatur feſtum Chori, aliud feſtum fori, & hanc denominationem profecto ſubit Dominica, non vero illam, niſi in lata ſignificatione, quatenus feſtum chori acciperetur pro officio, ſive de Tempore, ſive de Sanctis, & non prout diſtinguitur ab officio de Tempore.

II. Clamant ubique Rubricæ Romanæ, Feſta, quæ e propria die per feſtum aliud altioris ritus, vel dignitatis, aut per officium privilegiatum amoventur, *in primam diem feſto duplici, vel ſemiduplici non impeditam* eſſe transferenda, hoc eſt in primam diem vacuam, & liberam *feſto novem lectionum*, cujus rationis eſt feſtum quodlibet duplex, vel ſemiduplex; hinc cum Dominica, etſi officium novem lectionum ſit, preſſam feſti rationem non ſubeat, factum eſt dubium, num in Rubricarum ſenſu *feſtum novem lectionum* foret ad effectum reſpuendi feſta translata, an vero hæc in ea utile haberent ſpatium inſtar dierum infra octavam, quæ licet officia novem lectionum ſint, quia tamen proprie, & preſſe feſta non ſunt, in ſuo ſinu feſta translata recipiunt?

III. *Sub nomine feſti novem lectionum venire etiam Dominicam* Congregatio reſpondit, non quidem quaſi illa ſit preſſe, & ſtricte feſtum in ſenſu memoratæ Rubricæ XII., prout ſcilicet feſtum contradiſtinguitur ab officio de Tempore, ſed in ſenſu Rubricæ de Translatione Feſtorum, quatenus nempe apta non eſt ſuſcipere feſta translata, quæ eadem Rubrica in primam diem non impeditam feſto novem lectionum amandat. Quo in ſenſu Guyetus ipſe, qui *lib.* 2. *cap.* 12. Dominicam non eſſe feſtum aſſerit, prout feſtum opponitur officio de Tempore, *lib.* 4. *cap.* 8. *quæſt.* 6. feſtum eſſe ſtabilit, in ſenſu nempe Rubricæ de Transl. feſtorum ad effectum reſpuendi feſta translata.

IV. Et quidem ex Dominicis aliæ ſunt, quæ dicuntur *majores*, aliæ *minores*, ſeu *per annum*. Primæ ejus ſunt conditionis, ut juxta eamdem Rubricam *num.* 1. e die, in quam incidunt, ſi ſint ex iis primæ claſſis, etiam feſtum duplex 1. claſſis occurrens depellant, & ſi ſint 2. claſſis, feſtum 2. claſſis itidem occurrens abigant, & ſolummodo feſtum 1. claſſis admittant. Quæ autem *minores* appellantur, ſeu *per annum*, feſtum duplex occurrens non quidem, bene vero ſemiduplex reſpuere eadem nos edocet Rubrica *num.* 4. *&* 5. officium vero illud, quod feſtum aliquod occurrens abigit, quis unquam ſomniare valet, quod poſſit idem pati translatum?

V. Attamen haud imus inficias, quod hujuſmodi ratio univerſim potis haud eſſe videtur, quippe dies infra octavam Corporis Chriſti reſpuit ſemiduplex occurrens, ſed patitur duplex 1. vel 2. claſſis translatum. Ad ſummum itaque reſtringi ea poteſt, ut quod feſtum aliquod occurrens abigit, etiam reſpuat quodcumque aliud translatum ejuſdem ritus, ſecus vero altioris; unde hinc fieret dumtaxat, quod Dominicæ minores, quæ depellunt ſemiduplex occurrens, etiam illud recuſent translatum, non vero ſi translatum eminentioris exiſteret ritus.

VI. Verum ſolemne cum ſit in Rubricis, ut quod reſpuit feſtum, licet ſolum ſemiduplex, occurrens, reſpuat quoque feſtum quodcumque, licet elevatioris ritus, translatum, negari non poteſt, quod Dominica ſit feſtum in ſenſu prędictæ Rubricæ, adeoque nullum feſtum translatum admittat. Dumtaxat hæc regula fallit in diebus infra octavas privilegiatas, de quibus cum judicandum ſit juxta tenorem, & verba reſpectivi privilegii, invalidum deſumitur argumentum contra ea, quæ nos generaliter ſtatuebamus. Ceterum cęcutiat omnino, fas eſt, qui nomine feſti novem lectionum in ſenſu prędictæ Rubricæ etiam Dominicam venire inficiaretur; ea enim Rubrica *num.* 1. ſtatuit feſtum duplex occurrens in Dominicis Adventus, & in Dominicis a Septuageſima uſque ad Dominicam in Albis incluſive, eſſe transferendum *in primam diem feſto duplici, vel ſemiduplici non impeditam*, ergo opus eſt, quod Dominica ſit feſtum duplex, vel ſemiduplex in ſenſu dictæ Rubricæ, ſeu magis feſtum novem lectionum, alias feſtum duplex, quod ob incidentiam v. g. in Dominicam primam Adventus transfertur, in Dominicam 2. Adventus transferri poſſet, & pręſertim quando feſtum translatum eſſet duplex 1. claſſis, ut manifeſte eruitur ex data reſponſione.

VII. Dices 1. Dies immediate ſequens ad Dominicam, dicitur feria ſecunda, ergo Dominica feſtum non erit, ſed feria prima; feria enim ſecunda indubie ſupponit feriam primam.

VIII. ℞. Quod dies hebdomadæ feriarum nomine diſtinguuntur, non quidem ex inſtitutione Sancti Silveſtri Papæ, ut putarunt nonnulli, inter quos Durandus *Ration. lib.* 7. *cap.* 1. *num.* 11., ſed ex antiquiſſimo Eccleſiæ uſu, de hoc quippe feriæ vocabulo ſæpe mentionem habet Tertullianus, quin & S. Ignatius Martyr *in Epiſt. ad Philip.*, & S. Juſtinus Martyr *quæſt.* 65., qui ante Silveſtri tempora floruerunt. Sanctus itaque Silveſter antiquum uſum illum nonniſi ſuo Decreto firmavit, ut notatur in lectionibus, quæ in ejus feſto leguntur: *Sabbati, & Dominici diei nomine retentio, reliquos hebdomadæ dies feriarum nomine diſtinctos, ut jam ante in Eccleſia vocari cœperant, appellari voluit*; ubi & ſubditur ratio hujuſce appellationis, videlicet: *Quo ſignificatur, quotidie Clericos abjecta ceterarum rerum cura, uni Deo prorſus vacare debere*; unde patet *Feriam* proprie dici *a feriando*, ut ait Durandus ibidem, quia nempe toto tempore a vitiis feriari debemus, & uni Deo vacare, non autem quod ſit a neceſſariis vitæ operibus feriandum. Dies itaque Dominica, in qua ceſſatio item ab operibus ſervilibus indicta eſt, quo melius Deo in ea vacare poſſimus, in hoc ſenſu utique feria prima eſt, & appellari valet, uti reipſa a Durando appellatur, licet Dominica apud Eccleſiam ab Apoſtolicis uſque temporibus nuncupetur potiſſimum in memoriam Dominicæ Reſurrectionis ea die peractæ. At ſumpto *Feriæ* nomine, prout in Rubricis uſurpatur, nempe pro die, in quam nullum officium de feſto, aut alicujus feſti octava incidit, Dominica feria non eſt, ſed prout ſic feſtum eſt, & Dominica appellatur, propriamque in Breviario Rubricam habet diſtinctam a Rubrica de feriis, per quam diſerte datur intelligi, Dominicam haud feriam eſſe, ſed ſolummodo feriæ nomine deſignari diem illam infra hebdomadam, quæ nullo feſto, vel octava occupatur.

IX. Dices 2. quod ſi res foret, uti nos ſuperius arguebamus, etiam feria IV. Cinerum, & hebdomada major, quæ vigore aſſertæ Rubricæ reſpuunt feſtum quodlibet occurrens, & translatum, *feſti* nuncupationem non effugerent, cum de iiſdem non minus ac de Dominica procedat memorata Rubrica.

X. ℞. Præfatis feriis, cum officium trium lectionum ſint, *feſti* vocabulum, de quo iſta Rubrica loquitur, accommodari non poſſe, bene vero Dominicæ, quæ novem lectionibus conſtat, & ritu ſemiduplici gaudet, habet quippe Rubrica, *Transfertur in primam diem feſto duplici, vel ſemiduplici non impeditam*. Nihilominus per hoc quod ab eadem Rubrica dictæ feriæ donatæ ſint privilegio excludendi feſta occurrentia, ſufficienter cenſitæ ſunt, & gaudere privilegio depellendi translata, quæ tamen ab iiſdem minime expelli deberent, nec poſſent ratione allegatorum verborum *Transfertur* &c., cum ipſæ nec duplicia, nec ſemiduplicia feſta ſint. Hinc habes per Rubricas ipſas probari ſuperius a nobis productum arguendi modum, in quo ab excluſione feſti occurrentis univerſim procedamus ad excluſionem cujuſcumque translati. Quæ dicta ſint, dummodo Rubricam illam etiam de feſto æquivalenter duplici, vel ſemiduplici non mavis intelligere, qua ſub ratione venire pręfatas ferias, & officia quęcumque, quæ depellunt feſtum novem lectionum, minime dubitamus.

DECRETUM II. CAPITIS, IN ORDINE CXX.

Cum ſupereſt una Dominica poſt Epiphaniam, nec poni poteſt poſt Pentecoſtem, quæſitum fuit, utrum ſi tota hebdomada ante ſeptuageſimam præter feriam ſecundam, quæ ſimplex habet officium, impediatur officio novem lectionum, poni poſſit, & debeat in dicta feria ſecunda, vel legi debeat homilia in ſabbato ante ſeptuageſimam? Et reſponſum fuit; ſatis eſſe proviſum per Rubricam Breviarii Romani de Dominicis num. 6., & per aliam Rubricam poſitam ante Dominicam primam poſt octavam Epiphaniæ, nempe in caſu propoſito, officium de Dominica faciendum eſſe in primo ſabbato poſt Epiphaniam feſto duplici, vel ſemiduplici non impedito; alioquin ſcilicet ſi prędictum ſabbatum eſſet impeditum, faciendum in prima die poſt dictam octavam, quæ non reperitur impedita feſto duplici; feſtum vero ſemiduplex in ea occurrens transferendum in primam diem ſimiliter non impeditam. S. R. C. 10. Januar. 1693. *in una Galliar.* ex Merato in Indice Dec. Brev. num. 184.

I. DOminicæ poſt Epiphaniam uſque ad ſeptuageſimam vel ad ſummum ſex, vel ad minimum una eſſe queunt; quo enim propior eſt, aut remotior ſeptuageſima, quæ a Paſchatis mobilitate pendet, eo plures, vel pauciores ſunt Dominicæ infra hoc tempus. Antiquitus in Breviario quinque ſolum aderant ex hiſce Dominicis, quia ſexta vix aliquo anno contingit, quando vero occurrebat, et mutuabatur officium a duabus Dominicis pręcedentibus pręter orationes, quas proprias habebat, inquit Durandus *lib.* 6. *cap.* 23., repetebatur vero officium Dominicæ pręcedentis, aſſerit Gavantus *ſect.* 3. *cap.* 5. *num.* 5., ubi & ſubdit officium Dominicæ ſextæ a Pio V. eſſe introductum. Ex his, quæ nunc ſuperſunt, vel in ſabbato, vel alia feria pręcedenti, vel inter Dominicas poſt Pentecoſtem celebrantur, ita ut non omittatur Dominica ulla; quin de ea ſaltem commemoratio fiat, ſi minus officium fieri queat, ut magis apparebit ex dicendis in expoſitione

Decreti, quod cæteroquin, etſi in iis, quæ firmat, verum teneat, vix conſiliari poteſt cum petitione, quando etiam in Textum mendum aliquod irrepere potuiſſe putemus.

II. Dubium non eſſe videtur, quod petitio procedat ſuper Dominica qualibet, quæ quandoque poſt Epiphaniam ſupereſt, quinimmo excluſa Dominica ſecunda. *De Dominica qualibet*, quippe habet petitio, *cum ſupereſt una Dominica poſt Epiphaniam*, quod utique ſingulis æque contingit: *Excluſa Dominica ſecunda*, quia ſubdit quæſitum, *Nec poni poteſt poſt Pentecoſtem*: Non loquitur igitur de Dominica ſecunda, cujus officium numquam poſt Pentecoſtem locum habere poteſt, ſed quando ſupereſt, ſemper intra hebdomadam ante ſeptuageſimam expletur, ſed magis de ceteris, quarum officium poſt Pentecoſtem perſæpe locum habet. Deinde per ſequentia verba, *ſi tota hebdomada ante ſeptuageſimam præter feriam ſecundam, quæ ſimplex habet officium, impediatur officio novem lectionum*, ſupponit caſum babdomadæ ſeptuageſimam præcedentis, cujus feria ſecunda officio dumtaxat ſimplici occupata eſſe valeat, qui caſus adaptabilis non eſt Dominicæ ſecundæ, quæ ſupereſt tantummodo, quando ſeptuageſima incidit in dies 18. 19. aut 20. Januarii, & tunc feria ſecunda eſt impedita officio novem lectionum, ſcilicet vel octavæ Epiphaniæ, vel S. Hilarii.

III. Uti autem hoc indubium apparet; ita non minus, quod Congregationis reſponſio eſt dumtaxat pro caſu, in quo ſupereſt Dominica ſecunda, habet quippe, *ſatis eſſe proviſum per Rubricam de Dominicis n. 6., & per aliam Rubricam poſitam &c.* & utraque hæc Rubrica de ſola Dominica ſecunda, quæ ſupereſt, proviſionem facit. Deinde ſubdit: *Nempe in caſu propoſito, officium de Dominica faciendum eſſe in primo ſabbato poſt Epiphaniam &c.*, quam diſpoſitionem pluſquam certum eſt eſſe de ſola Dominica ſecunda, ac conſequenter & caſum propoſitum: *Nempe in caſu propoſito*.

IV. Ex his utique eruitur, aut Congregationem inadvertenter putaſſe, quæſitum de Dominica ſecunda dumtaxat procedere, aut hujus vim nequaquam fuiſſe aſſecutam, vel ejuſdem reſponſionem quæſito minime quadrare, ſed omnino eſſe extra chorum. Si dicatur, ubi reſponſio habet *per Rubricam de Dominicis n. 6.*, legendum eſſe n. 5., quadrat reſponſio, & quæſitum intelligit eſſe de quibuſcumque Dominicis, quæ poſt Epiphaniam queunt ſupereſſe, ſeu magis ad abundantiam etiam quæſito ſatisfacit pro caſu, in quo ſupereſt Dominica ſecunda, videlicet pro hoc dum ſubdit, *& per aliam Rubricam poſitam &c.*, & pro caſu aliarum Dominicarum, dum habet, *per Rubricam de Dominicis n. 5.*; in illa quippe diſpoſitio habetur pro caſu Dominicæ ſecundæ, & in hac pro caſu aliarum Dominicarum. At bujuſmodi lectioni officiunt verba illa *Nempe in caſu propoſito*, quæ deſignant caſum propoſitum extitiſſe de ſola Dominica ſecunda, pro qua ſubſequenter proviſionem explicat. Si dicatur petitionem fuiſſe de ſola Dominica ſecunda, & in illa legendum eſſe, *cum ſupereſt ſecunda Dominice*, & non *cum ſupereſt una Dominica*, equidem undequaque conſonat, & regit reſponſio; ſed huic lectioni obeſſe poſtea videntur ea quæſiti verba, *nec poni poteſt poſt Pentecoſtem*, necnon illa *præter feriam ſecundam, quæ ſimplex habet officium*, quæ ut ſuperius dicebamus, caſui Dominicæ ſecundæ ſunt inadaptabilia; hæc autem omnia vel mendoſa eſſe, aut in petitionem irrepere potuiſſe, quis credet? Quod ſi dicas a Rubricarum minus peritis quæſitum cum iis verbis propoſitum extitiſſe, aut procedere pro caſu metaphyſico, licet in Breviario Romano minime evenire poſſibili, cæterum illud reapſe eſſe de Dominica ſecunda, in eoque legendum *ſecunda Dominica*, & non *una Dominica*, Congregationis quidem ſalvas reſponſionem, at jam vides, ad quas anguſtias redigeris, & in petentibus ignorantiam in his, quæ ad proprium ſpectant ſtatum, cogeris admittere, quæ tamen numquam valet ſupponi, niſi probetur.

V. Equidem hæc ardua ſunt, & non adeo facile extricabilia; ſed cum nefas ſit vel excogitare, quod Sacra Congregatio quæſiti pondus minime comprehenderit, aut nullam, ſeu extra chorum, ſive minus conſonam tulerit reſponſionem, eamdem aggredimur vindicare, & in utroque ex aſſertis dicendi modis inconcuſſam jam ſtare perſpicimus. In primo quidem, qui ut ſupra legit *num.* 5., quoniam verba illa *nempe in caſu propoſito*, quæ obeſſe videntur, quid prohibet accipi inadæquate, ſeu non quoad omne propoſiti caſus partes, ſed ſolum quoad unam, ſcilicet prout comprehendit ſolam Dominicam ſecundam, in terminis explicando diſpoſitionem illius propriæ, & particularis Rubricæ, quam citat, atque adducit. Secundo dicendi modo, qui vice *una Dominica* legit *ſecunda Dominica*, non obſunt ſequentia petitionis verba, *Nec poni poteſt poſt Pentecoſtem*; hoc enim veritati innititur, nec alium ſenſum habent quam quod dicta Dominica poni non poteſt poſt Pentecoſtem, nec indubie ſupponunt, quod eſſe debeat ex ſponſibilibus, ut contendebatur. Serium textui examen adhibe, & ſi vales, rationem non facito nobis. Quod ſi caſum alterum de feria ſecunda per ſolum feſtum ſimplex impedita, opponas nobis, te ſtatim adduco, quod ſanctio hæc eſt *in una Gallia-rum* edita, quarum Pictavienſis Eccleſia, licet ſit ex Eccleſiis Romano ritui addicta, teſte Guyeto *lib.* 2. *cap.* 5. *quæſt.* 5. in uſum habet die 13. Januarii feſtum S. Hilarii Patroni principalis ejuſdem Eccleſiæ recolere, anticipata in præcedenti die octava Epiphaniæ. Jam vides itaque apud Clerum ejuſdem Eccleſiæ diem ſequentem, quæ poteſt eſſe præfata feria ſecunda, ſi non ſæcularem, qui de S. Hilario octavam peragit, Regularem ſaltem, qui octavis Patronorum non valet incumbere, nullo officio novem lectionum impeditam, ſed ſolum officio ſimplici S. Felicis Martyris. Verum demus, rem non ita eſſe, quid inhibet alicubi Feſtum S. Hilarii ex legitima conſuetudine in altero die celebrari, ſicuti evenit de feſto S. Bartholomæi? Audi ulterius. Nuper in Eccleſia quadam recurrebat Dedicationis feſtum die 14. Januarii, fixe in alteram diem immutato feſto S. Hilarii, juſtis de cauſis iterum conſecrata fuit, & pro die conſecrationis anniverſarium indictum, feſto S. Hilarii propriæ diei minime reſtituto; en igitur caſum, quem putare metaphyſicum, & evenire recogitabas impoſſibilem, non adeo accidere difficilem. Hic ſecundus dicendi modus magis nobis arridet, utpote qui facili negotio omnia ad concordiam revocat.

VI. Nunc ad Decretum progredimur, ſeu magis ad Rubricas agentes de omnibus dictis Dominicis. Primo autem ſe offert Rubrica *de Dominicis num.* 5., quæ de aliis Dominicis a ſecunda, quæ poſt Epiphaniam ſuperſunt, in hunc modum diſponit: *Cum vero interdum contingat, ut Dominica 3. vel 4., vel 5., vel 6., poſt Epiphaniam ſuperſit, nec poſſit poni etiam poſt 23. a Pentecoſte, tunc de ea fit officium in ſabbato ante Dominicam ſeptuageſimæ, ut dictum eſt ſupra num. præcedenti*. Videamus, quid diſponat hæc allegata Rubrica, quæ agit de Dominica 23. poſt Pentecoſtem, quoties in propria die locum non habet, & poſt Pentecoſtem non ſunt niſi 23. Dominicæ. *Officium Dominicæ 23. ponitur in præcedenti ſabbato, quod non ſit impeditum feſto 9. lectionum, alioquin in alia præcedenti die ſimiliter non impedita, in qua fiat officium de feria, cum commemoratione feſti ſimplicis, ſi occurrat: & in ea legantur tres lectiones de homilia Dominicæ, omiſſis lectionibus ſcripturæ illius feriæ, & in laudibus dicatur antiphona ad Benedictus, & oratio de Dominica 23. Quod ſi tota hebdomada impedita ſit feſtis 9. lectionum, etiam translatis, vel aliqua octava, tunc in ſabbato legatur 9. lectio de homilia Dominicæ 23. & de ea fiat commemoratio in laudibus tantum, cum antiphona, & oratione propria.*

VII. Habes itaque 1. officium Dominicæ, quæ ſupereſt poſt Epiphaniam, nec poni poteſt poſt Pentecoſtem, faciendum eſſe in præcedenti ſabbato ad ſeptuageſimam, dummodo non ſit impeditum feſto aliquo 9. lectionum occurrente, vel translato, aut aliqua octava, & nonniſi hoc ita impedito in alia præcedenti feria poſſe anticipari, hinc bene ait Gavantus *ſect.* 3. *cap.* 5. *num.* 10. officium S. Mariæ in ſabbato non impedire poſitionem præfati officii Dominicæ, nec importare ejuſdem anticipationem in feriam præcedentem, ac una deprehenditur error Merati, dum in Tabula 28. die 13. Februarii agit de S. Maria in ſabbato, anticipato officio Dominicæ ſextæ in præcedenti feria; Rubricarum enim Auctor optime novit in ſabbato quolibet per annum recurrere officium S. Mariæ in Sabbato, quare huic parcendum eſſe noluit, dum officium Dominicæ ponendum eſſe ſanxit in ſabbato, & nonniſi hoc impedito per officium 9. lectionum, eſſe anticipandum. Verum quid nos unquam moratur Meratus, quem eædem Tabulæ ipſæ condemnant, dum in 27. 29. & 30. aſſignatum videmus officium Dominicæ, quod in præcedentibus feriis anticipari poterat ſine ſuppreſſione officii S. Mariæ in ſabbato.

VIII. Habes 2. ſabbato impedito, integrum non eſſe in qualibet feria hebdomadæ anticipare Officium Dominicæ, ſed poni debere in feriis ſabbato proximioribus, & ſolum his impeditis, in aliis præcedentibus locum habere uſque ad feriam ſecundam incluſive, ut patet ex iis verbis, *alioquin in alia præcedenti die ſimiliter non impedita*, ſcilicet feſto 9. lectionum, necnon ex illis, *Quod ſi tota hebdomada impedita ſit feſtis 9. lectionum, etiam translatis, vel aliqua octava*; tota autem hebdomada comprehendit etiam feriam ſecundam, nec feſtum ſimplex eſt feſtum novem lectionum, quare patet in caſu propoſiti quæſiti in feria ſecunda officium agendum eſſe de Dominica cum commemoratione ſimplicis occurrentis, ut diſerte habet Rubrica iis in verbis, *in qua fiat officium de feria cum commemoratione feſti ſimplicis, ſi occurrat*.

IX. Habes 3. tota dumtaxat hebdomada ut ſupra impedita, officium dictæ Dominicæ in officio diei explendum eſſe cum ſola nona lectione homiliæ, & commemoratione in laudibus; & quidem non in qualibet die hebdomadæ, ſed in ſabbato. *Quod ſi tota hebdomada &c. tunc in ſabbato legatur nona lectio de homilia Dominicæ, & de ea fiat commemoratio in laudibus tantum.*

X. Habes 4. quod quando locum habet officium Dominicæ prædictæ in ſabbato, aut in alia præcedenti feria, totum officium recitandum erit ut in feria currenti, perinde ac ſi fieret de feria, & de Dominica non legentur niſi lectiones de ejuſdem homilia cum Antiphona ad Benedictus, & oratione propria. Reſponſoria ad lectiones erunt itidem de feria currenti, non dicetur hymnus *Te Deum*, ſed tertium Reſponſorium, fient ſuffragia Sanctorum, & etiam de Cruce, & ejuſdem officium incipit a nocturno, & terminatur ad Nonam inſtar cujuſcumque alterius officii ferialis per annum. In choro recitabitur officium parvum B. Mariæ, & ſi ſit prima dies menſis non impedita, etiam officium Defunctorum. Diximus Reſponſoria debere eſſe de feria currenti, quod tamen intellige, dummodo Dominica anticipata non habeat propria Reſponſoria, quæ nondum ſint poſita, quia in hujuſmodi caſu tria Reſponſoria primi nocturni Dominicæ legi deberent; licet enim id non innuat producta Rubrica, eruitur tamen ex Rubricis aliis, & Auctoribus.

XI. Quæres 1. an in officio Dominicæ anticipatæ dici debeant Preces feriales longiores, & flexis genibus?

XII.

XII. ℞. Nequaquam, nam Rubrica ordinat officium de feria, quod intelligi debet juxta exigentiam temporis, io quo fit; tempus autem ab Epiphania ad quadrageſimam; & a Pentecoſte ad Adventum nec Preces feriales, nec flexis genibus, ſed ſolum Dominicales expoſcit, Vigiliis, quæ jejunantur, ſolummodo exceptis, ac quatuor Temporibus. *Rubrica 34. de Precib.*

XIII. Quæres 2. de quo dicendæ ſint Veſperæ, ſi in die præcedenti ad diem, in quo agitur officium Dominicæ anticipatæ, factum ſit de feria, aut feſto ſimplici, & una cum officio Dominicæ occurrat feſtum aliquod ſimplex?

XIV. ℞. Quæſtionem jam diremptam eſſe a Rubrica *XI. de Concurr. num.* 10., ſcilicet Veſperas eſſe debere de feria cum commemoratione ſequentis ſimplicis; non enim poſſunt eſſe de præcedenti ſimplici, cujus officium terminatur ad Nonam; non de Dominica, cujus officium incipit a Nocturno; non de ſequenti ſimplici, quod cum in die ſequenti officium non habeat, nec convenit primas Veſperas habere: erunt igitur de feria, cujus officium ſemper ſuccedit in defectu alterius.

XV. Quæres 3. quid ſi officium Dominicæ anticipari eveniat in Vigiliam habentem lectiones homiliæ?

XVI. ℞. Agendum eſſe officium de Dominica, aut de feſto novem lectionum, ſi quod occurrat, cum 9. lectione, & commemoratione Dominicæ, & nihil penitus fiet de Vigilia, oiſi io Miſſa; in qua ſolam commemorationem habebit; Dominica enim anticipata inſtar ſe habet feriæ majoris, & hanc in privilegiis ſuperat, quare ſervari debent, quæ diſponit Rubrica *VI. de Vigiliis num.* 2. circa Vigiliam incidentem in Adventum, aut Quadrageſimam, vel quatuor Tempora.

XVII. Quæres 4. num quando ſtante tota hebdomada impedita, in ſabbato poni deberet 9. lectio homiliæ Dominicæ, id fieri debeat, aut poſſit, ſi in eo occurrat feſtum aliquod 1. vel 2. claſſis, aut magis in præcedenti feria anticipari debeat?

XVIII. Guyetus *lib. 4. cap. 2. qu. 4.* putat haud incongruum tunc nonam lectionem, & commemorationem Dominicæ anticipare in præcedenti feria. Idipſum præſtat Gavantus in Tabula 17. die 1. Februarii. Meratus vero *ſect. 6. cap.* 8. *num.* 3. & 5. vult eſſe faciendam in ſabbato, etiamſi occurrat feſtum 1. claſſis, & pro hac ſententia citat Halden *part. 1. tit. 6.*, necnon Cocquerium, hancque praxim tenere profitetur in ſuis Tabulis, licet poſtea hujuſce promiſſi forſitan immemor, in Tabula 17. anticipet prædictam commemorationem in die prima Februarii, quæ in ſecunda poni debebat, ob feſtum Purificationis B. Mariæ, factis deſtruens, quod alibi ædificaverat. Vidit Meratus in Tabula 17. id præſtare Gavantus, & zelus ſuum, quem profitetur, ſequendi Auctorem, ipſum incaute comedit. Tu vero Rubricas ſequere, quæ abſque ulla exceptione prædictam commemorationem, & 9. lectionem pro ſabbato demandant, & cum jam videas feſtum 1. vel 2. claſſis pati commemorationem cujuſcumque feriæ majoris, ac ejuſdem nonam lectionem homiliæ, ſi hanc habeat, nec dubita idipſum eſſe de commemoratione, & nona lectione Dominicæ, cui plus reverentiæ a Rubricis exhibetur; in breviori quippe Adventu feriæ majores, quæ ſuperſunt, penitus ſupprimuntur, ubi ſi quæ Dominica ſupereſt, pro ſui poſitione totam præcedentem hebdomadam utile habet, in qua ſi diem liberam minime reperiat, adhuc nonam lectionem cum commemoratione nunquam deperdit. Nec dicas hujuſmodi Dominicas natas aptas eſſe anticipari in præcedentibus feriis a ſabbato; id enim quidem, ſed ſolum favore reperiendi diem liberam, in qua officium aſſequi queant, pro caſu autem ſolius commemorationis ſabbato ſunt addictæ, unde hunc ad effectum anticipari non valent. Etiam Vigiliæ quoad officium anticipantur in Sabbato incidentes in Dominicam, at extra hunc caſum anticipationem non patiuntur, etſi eaſdem omitti neceſſe ſit ob incidentiam in feſtum 1. claſſis.

XIX. Quæres 5. quænam miſſa dicenda ſit, quando officium agitur de die infra octavam cum 9. lectione, & commemoratione præfatæ Dominicæ?

XX. ℞. Eſſe debere de Dominica, uti fit in ſimili occurſu Vigiliæ, aut feriæ 4. Temporum juxta Rubricam Miſſalis 3. *num.* 2. hujuſmodi enim miſſis propriis convenit, ut cedat ea Miſſa, quæ ſæpius infra octavam repetitur; ut ait Gavantus *par. 1. tit. 3.*, & quidem nedum Miſſam ſolemnem, ſed etiam privatas, qualiter ſuſtinet Guyetus *lib. 4. cap. 2. quæſt. 4.*, Meratus *ſect. 6. cap. 8. num. 5.*, & alii; hinc infer in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis non eſſe duas Miſſas cantandas, ſed unam dumtaxat de Dominica.

XXI. Quoties vero occurrit feſtum aliquod, aut dies octava, Miſſa erit de feſto, aut die octava commemoratione Dominicæ, & Evangelio in fine, & ſi ulterius ſit infra octavam aliquam, fiet hujus commemoratio ante eam Dominicæ, etſi hæc Miſſam habeat, quando in ſolam diem infra octavam incidit, quia in caſu ſolius commemorationis dignior eſt ea ſemiduplicis, quam ſimplicis, ſeu feriæ, etiam majoris, cujus inſtar conſideratur Dominica anticipata.

XXII. At in hoc caſu cantandæ ne erunt duæ Miſſæ, una de feſto, altera de Dominica? Nequaquam; ut enim ſuo loco videbimus, impedita Miſſa Dominicæ, quæ in proprio die ſub ritu ſemiduplici recurrit, per feſtum duplex occurrens, ſi duæ Miſſæ caotandæ non ſunt, & ſi Miſſa propriæ Dominicæ per hebdomadam reſumi non poſſit, multo minus duæ Miſſæ canendæ erunt, quoties Miſſa Dominicæ extra propriam diem, & ſub ritu ſimplici dicenda, per feſtum aliquod occurrens impedita manet, & amplius reſumi non poteſt; oihil enim hujuſmodi pro utroque caſu habent Rubricæ Miſſalis, cum tamen caſus admodum frequens eveniat, quapropter deferendum eſſe in hac parte arbitramur Guyetum, qui loco cit. in oppoſitum inclinare videtur.

XXIII. Miſſa autem hujus Dominicæ, cum ſit ferialis, dicetur ſine *Gloria*, & ſine *Credo* cum tribus orationibus juxta exigentiam temporis, & Præfatione communi. Si incidat infra octavam, dicitur itidem ſine *Gloria*, & ſine *Credo*; ſed cum 2. oratione de octava, de qua etiam erit præfatio, ſi propriam habuerit, & tertia oratio non erit ea, quam Tempus, ſed octava exigit. Ita eruitur ex Decreto S. R. C. 23. Junii 1736. alibi exponendo, necnon ex Guyeto *lib. 4. cap. 2. quæſt. 4.*, & *cap. 18. quæſt. 14.*, & Merato *ſect. 6. cap. 8. num. 4.* Nec obeſt Rubrica 9. Miſſalis *num.* 10., quæ Dominicis infra octavas dumtaxat duas tribuit orationes, loquitur quippe de Dominicis ritu ſemiduplici, non feriali peractis; Miſſis autem ferialibus tres orationes aſſignat eadem Rubrica *num.* 12.

XXIV. Quæres 6. quinam color debeatur officio, & Miſſæ hujuſce Dominicæ?

XXV. ℞. Quod ſi celebretur extra octavam, color viridis adhibendus eſt, cum Rubrica 18. Miſſalis *de Colorib. Parament. num.* 4. ab octava Epiphaniæ ad Septuageſimam, & ab octava Pentecoſtes ad Adventum officio de Tempore aſſignet colorem viridem. Si vero occurrat infra octavam, in officio, quod eſt de octava, color octavæ uſurpandus eſt, quinimmo & in Miſſa, licet ſit de Dominica, quoniam in Dominicis infra octavam eadem Rubrica colorem octavæ ſervandum eſſe præſcribit, quæ licet revera procedat de Dominicis ritu ſemiduplici actis, identitas tamen rationis, immo majoritas etiam in iiſdem ritu feriali peractis id faciendum eſſe oſtendit. Ab hac regula excipiuntur dumtaxat Miſſæ, quæ colorem violaceum expoſtulant.

XXVI. Quæres 7. quæ lectiones primi nocturni legi debeant in ſabbato, quando in officio de feſto, quod proprias eas non habet, expletur Dominica aliqua poſt Epiphaniam per ſolam nonam lectionem homiliæ, & commemorationem.

XXVII. Meratus in ſuis Tabulis lectiones Dominicæ anticipatæ aſſignat, omiſſis iis ſabbati, ſi ſint continuatio alicujus Libri, vel anticipatis, ſi ſint initium. Gavantus non ſibi conſtans videtur, nam in Tabula x. die 26. Januarii notat eas Dominicæ, in aliis nullas, ut in Tabula vi. die 22. Januarii. Kalendariorum compoſitores fere omnes inconſiderate hos Auctores ſequuntur, licet Gavantus, qui ſane plus æquo aſſecutus eſt venerationem, uno duntaxat forſitan loco id præſtet, quod ceteroquin in omnibus aliis ſimilibus caſibus præſtare debuiſſet, cum alias lectiones cenſeantur de ſcriptura occurrente, ut belle hinc arguit Guyetus *lib. 4. cap. 16. quæſt. 6.*, qui propterea eumdem ſtare putat in favorem lectionum ſabbati, quibus & ipſe expreſſe favet.

XXVIII. Nos, quibus obſequium ſcriptoribus, non cæcam lubet præſtare obedientiam, arbitramur, lectiones ſabbati recitandas eſſe, omiſſis illis Dominicæ anticipatæ, & ducimur 1., quia Sacra Congregatio 17. Maji 1710., ut ſequitur, decidiſſe refertur; *Quando in ſabbato impedito feſto novem lectionum anticipandum eſt officium alicujus Dominicæ poſt Epiphaniam, vel Pentecoſtem per ſolam commemorationem, & nonam lectionem ejuſdem, tunc in primo nocturno dicti feſti legendæ ſunt lectiones aſſignatæ ipſi ſabbato, vel feſto, non autem initium Epiſtolæ D. Pauli, vel alterius Libri poſitum in ea Dominica ſic anticipata.* Decretum quæſtionem jam dirimit, & quoniam licet a plurimis, a quibus fingi potuiſſe nos credere nolumus, referatur, de ejuſdem tamen authenticia nobis plene non conſtat, idcirco alia promamus rationum momenta.

XXIX. 2. Audi, quid de hiſce Dominicis Rubrica 4. *de Dominicis num.* 4. fieri mandet: *Tunc in ſabbato legatur 9. lectio de homilia Dominicæ, & de ea fiat commemoratio in laudibus tantum.* Si attendatur dictio *Tantum*, quæ taxativa eſt, exceptiva, & impeditiva extenſionis ad non expreſſa, jam vides rem indubiam fieri; ſed quia aliqualis non deeſt via eludendi vim argumenti, ſi dicas prædictam dictionem excludere duntaxat commemorationem Dominicæ a Veſperis, ſuper quam cadere videtur, idcirco ſuper hinc nolo te perſequi, ſed ſolummodo a te peto, ubi in ea Rubrica legis præſcriptas iri lectiones primi nocturni Dominicæ? Subintelligi, ajes, dum nona lectio de eadem eſt præſcripta, quippe tunc Dominicæ cenſetur occurrens, inſtar Dominicæ in propria die impeditæ, quæ una cum lectione homiliæ fert, & invehit lectiones primi nocturni. Ajes, aſt ego inficias eo diſerte. Uter convenientius? Judicium tu facito. Dominica, quoties in proprio die impeditur, cum ſemiduplex ſit, etiam lectiones primi nocturni habet, & ideo eas, uti io ipſa non impedita legerentur, communicat feſto impedienti, in quo in defectu propriarum juxta Rubricas legi debent de ſcriptura occurrente. At officium Dominicæ anticipatæ ſemiduplex non eſt, ſed feriale; & ſolummodo habet lectiones homiliæ, & cum his duntaxat perſolverentur, etiamſi minime impeditum veniret; quomodo itaque feſto communicare poteſt lectiones, quas ipſum non habet? Fortaſſe, quoties impeditur, ſemiduplex evadit, aut plus juris acquirit? Abſurda hæc ego deglutire non valeo, ſed hoc unum ſcio, quod impeditum quodlibet in ſuo infirmatur robore, & quod nemo dat, quod non habet. Officium igitur dictæ Dominicæ eſt occurrens quidem, feriale tamen, non dominicale, & ideo lectiones primi nocturni, quas ut dominicale habet, non ſunt ſcripturæ occurrens,

& ſic ceſſare non faciunt lectiones ſabbati, ſed dictum officium inſtar ſe habet Vigiliæ, quæ cum lectiones homiliæ habeat, in die, in quo de ea fit officium, locum non habent lectiones ſcripturæ occurrentis, ſed ſi per feſtum aliquod illa impediatur, præfatæ lectiones in tali feſto leguntur.

XXX. 3. Addo, quæ habet Rubrica 26. nu. 8. *Quod ſi fiat de aliqua Dominica poſt Epiphaniam anticipata in feria, tunc poſt officium Dominicæ anticipatæ in ſequentibus diebus legatur de Epiſtolis S. Pauli aſſignatis Dominicæ anticipatæ, & ſequentibus feriis.* Jam itaque vides, quod ſolum *poſt officium Dominicæ anticipatæ in ſequentibus diebus* ponendæ ſunt; & cenſendæ currentes lectiones dictæ Dominicæ. Licet autem revera hæc Rubrica procedat pro caſu, in quo in præcedentibus feriis anticipatur officium Dominicæ, non obſcure tamen deſignat Rubricarum mentem eſſe, lectiones dictarum Dominicarum dumtaxat earumdem officio jam peracto eſſe ponendas, ac conſequenter eas locum non habere in feſto, in quo officium Dominicarum prędictarum per ſolam commemorationem expletur, alias utique Rubrica id pręſcripſiſſet, ſicuti diſerte, quia voluit, in priori caſu illud diſpoſuit.

XXXI. 4. Eadem Rubrica aperte nos edocet, quod eadem die plures tribus lectiones de ſcriptura non poſſunt eſſe occurrentes, & adeo, ut ſi quandoque minui contingat numerum Dominicarum, & hebdomadarum vel ob ſupervenientem Dominicam Septuageſimæ, vel primam Auguſti, aut anticipationem alicujus Dominicæ, eo anno omittendum ſit, quod ſupereſt, quamvis de aliquibus Epiſtolis, vel Libris nihil ſit lectum. Vel igitur eo in ſabbato ſcriptura occurrens eſt, quæ eidem ſabbato eſt aſſignata, vel quæ Dominicæ anticipatæ. Si eſt ea ſabbati, cur non ea legitur, ſed magis anticipatur, ſi eſt initium, aut omittitur, ut ponatur ea Dominicæ; quæ ſimul non poteſt eſſe occurrens, ſed magis eſt ex iis, quæ ceſſant per adventum alterius ſcripturæ, nunquamque anticipantur, ſed omittuntur, ut dicebamus? Si vero ſcriptura occurrens eſt ea Dominicæ, hæc quidem legenda venit, ſed poſtea ea ſabbati anticipari non poteſt, ut in praxim habet Meratus, ſed omitti debet, ac ceſſare ob adventum alterius ſcripturæ. Advertendum igitur eſt, quod nos non inficiamur, quod aliquando plures tribus lectionibus poni non inſtent, ut perſæpe evenit in Epiſtolis Pauli, aut in initiis Prophetarum minorum, hoc tamen nunquam eveniet, quia illæ una, & eadem die ſint occurrentes, ſed ſolum ratione translationis, vel anticipationis ab altera die impedita per feſtum habens lectiones proprias, cæterum illæ ſuas habent diſtinctas dies, per quas ſunt diſtributæ, & in quibus per ſe poni debent, licet quandoque per accidens poni non poſſint, & ideo ſi ſint initia, in præcedentes, vel ſubſequentes dies transferri utique debent; non ſic autem eveniret in pręſenti caſu, adeoque indubium eſt, quod alterutra non poteſt eſſe occurrens. Omnino vero ridiculum videtur, lectiones primi nocturni Dominicæ in præfato ſabbato cenſere occurrentes, utpote quæ nunquam in eodem per ſe poni poſſunt, quoniam officium Dominicæ, quod illas occurrentes redderet, cum feriale ſit, lectiones primi nocturni non patitur, quare ſolum per accidens poni poſſent, ratione ſcilicet feſti impedientis officium dictæ Dominicæ.

XXXII. Quæres 8., num ſi feria, in qua anticipatur, & fit officium Dominicæ, habeat initium Libri alicujus, vel Epiſtolæ, omitti iſtud debeat, vel transferri, & in quas dies?

XXXIII. ℟. Adducendo verba Rubricæ 26. nu. 8. *Quod ſi fiat de aliqua Dominica poſt Epiphaniam anticipata in feria, tunc poſt officium Dominicæ anticipatæ in ſequentibus feriis legatur de Epiſtolis S. Pauli aſſignatis Dominicæ anticipatæ, & ſequentibus feriis, omiſſis aliis, quæ ſunt aſſignata præcedenti hebdomadæ.* Si itaque v. g. Dominica anticipetur in feria quarta, in ſequenti feria quinta incipit nova hebdomada, & in ea ponuntur lectiones novæ hebdomadæ, ut liquet ex verbis Rubricæ, *legatur de Epiſtolis Dominicæ anticipatæ, omiſſis aliis, quæ ſunt aſſignata præcedenti hebdomadæ*; quare cum Gavanto ipſo teſte *ſect.* 5. *cap.* 12. *num.* 12. initia Librorum Sacræ Scripturæ extra hebdomadam nunquam transferantur, patens ſit, initium occurrens in dicta feria quarta non poſſe transferri in ſequentes ferias. Quoniam vero eadem Rubrica *num.* 7. vult initia ſcripturæ, quoties impediuntur in propria feria, in ſequentes, vel pręcedentes eſſe transferenda, ita ut aliquo modo ponantur, etiamſi plura initia eodem die poni oporteat, non minus certum redditur, cum in ſequentes transferri dictum initium non poſſit, in pręcedentibus eſſe ponendum; quoniam, ut ſuperius dicebamus, ſcriptura, quæ in feria, in qua ponitur officium dictæ Dominicæ, occurrit, eſt ſcriptura feriæ currentis, non ea Dominicæ anticipatæ, quæ ſolum in ſequenti die cenſetur, & ponitur occurrens; quare ſcriptura, in qua ponitur officium dictæ Dominicæ, non eſt ex iis, quæ ceſſant per adventum alterius ſcripturæ, ſed ex iis quæ impediuntur per officium habens lectiones proprias, adeoque ex iis, quæ in alteram diem transferri debent, ſi ſint initia.

XXXIV. Dices 1. Rubrica ait: *Omiſſis aliis, quæ ſunt aſſignata præcedenti hebdomadæ.* 2. Anticipata Dominica incipiunt hujus lectiones, ergo reliquæ deſinunt per ceſſationem, non per impedimentum. 3. Si in ſequentibus feriis habeantur initia, ſtatim ac poſitum eſt officium dictæ Dominicæ, nihil de iiſdem legitur; quare igitur non itidem de initio cadente in feria, in qua anticipatur Dominica? 4. Meratus in Tabulis 21., & 24. ſub die 6., & 9. Februarii ponit officium Dominicæ, non anticipato initio ea die occurrente. 5. Nec Gavantus ipſe umquam dicta initia anticipat. 6. Rubrica Breviarii *de Dom. num.* 4. in caſu Dominicæ 23. a Pentecoſte anticipatæ habet *omiſſis lectionibus ſcripturæ illius feriæ*, in qua nempe anticipatur dicta Dominica.

XXXV. Ad primum jam patet Rubricam loqui de lectionibus incidentibus, non in diem, in qua ponitur officium Dominicæ, ſed in ſequentem, in qua ponendæ ſunt lectiones Dominicæ anticipatæ, quæ conſequenter reliquas ceſſare faciunt. *Tunc poſt officium Dominicæ anticipatæ in ſequentibus feriis &c.* Et per hoc patet etiam ad ſecundum, quippe lectiones Dominicæ anticipatæ non incipiunt, niſi in ſequenti feria. Hinc eruitur diſparitas pro reſponſione ad tertium, quoniam pręfata initia incidunt in dies, in quibus altera ſcriptura recurrit, quæ illa per ceſſationem facit deſinere.

XXXVI. Ad 4. dicimus, quod Merati Tabulas nihili facimus; quis enim umquam eas plurimi, vel alicujus faceret, dum anticipationem, quam in adductis Tabulis non peragit, in uſum deducit in Tabulis 22., & 23., & forſitan etiam in aliis, quas operæ pretium recolere non putavimus? Ad 5. vero, quod ideo id non pręſtat Gavantus, quia ipſe *ſect.* 5. *cap.* 12. *num.* 12. opinatur, omnes Epiſtolas Sancti Pauli ſimul conſtituere unum librum, quem propterea ſufficit incepiſſe; cujus tamen ſententia communiter rejicitur, & quidem a Merato ipſo *ibidem num.* 7.

XXXVII. Ad 6. Rubricam illam eſſe intelligendam de omiſſione pro illa feria, ſi ſint initia alicujus libri, quatenus ſcilicet cum Dominica anticipata proprias habet lectiones homiliæ, lectiones primi nocturni non patitur, non vero de omiſſione ſimpliciter, & abſolute, niſi eſſent continuatio alicujus Libri, cujus initium jam eſſet poſitum. Quæ expoſitio non arbitraria eſt, ſed neceſſaria; diſpar enim eſt ratio de Dominicis poſt Epiphaniam, quæ ultra lectiones homiliæ habent lectiones primi nocturni ſibi addictas, quæ in ſequenti die poni ut ſupra debent, ac de Dominicis poſt Pentecoſtem, quæ habent ſolas lectiones homiliæ, & quando in propria die celebrantur, non habent lectiones primi nocturni, niſi ſibi mutuatas a Dominica Menſis, in qua recurrunt, quare dum anticipantur, in ſequentibus diebus nullam variationem inducunt in lectiones primi nocturni, ſed adhuc hæ leguntur, prout in hebdomada ſunt diſtributæ, ſolum transferri faciendo lectiones feriæ, in qua earumdem officium ponitur, ſi ſint initia, uti fit, dum initium aliquod recurrit in feſtum, vel officium habens lectiones proprias. Et quidem Dominica 23. a Pentecoſte anticipetur in feria tertia hebdomadæ quartæ Novembris, quas lectiones leges in feria quarta ſequenti? Non quidem aliquas Dominicæ, cum nullas habeat; quas igitur? Forſan de ſcriptura occurrente in eadem feria quarta? Aſt ſunt continuatio Libri Joelis, cujus initium nondum eſt poſitum, & juxta ſuam ſententiam eſſet omittendum ob ejuſdem incidentiam cum officio Dominicæ anticipatæ; omnino autem diſſonum eſt, & a Rubricis alienum de libro aliquo ſcripturæ legere, cujus initium poſitum non eſt. Fatearis itaque, opus eſt, quod initium Joelis transferri debet, & quod Rubrica illa intelligenda non eſt de omnimoda omiſſione; niſi ea die occurrat continuatio alicujus libri, ſed ſolum de omiſſione pro illa feria.

XXXVIII. Meratus *ſect.* 6. *cap.* 8. *num.* 5. de lectionibus feriæ, in qua anticipatur Dominica aliqua poſt Epiphaniam, ſcribit, *omiſſis, vel translatis (ſi ſint initium aliquod Libri Sacræ Scripturæ, cujus lectio proſequi debeat) lectionibus ſcripturæ illius feriæ.* Utique & nos fatemur, eaſdem lectiones eſſe transferendas, ſi ſint initia, & omittendas, ſi initia non ſunt; at poſtea noſtram confitemur inbecillitatem, quod non videmus, quandonam ejuſdem initii lectio proſequi debeat, aut poſſit. Si tale initium transferatur in præcedentes dies, transferri indubie debet in feriam immediate antecedentem, vel ſi adhuc in ulteriorem, hoc ideo ſolum evenire poteſt, quia immediate præcedens ſit occupata feſto habente lectiones proprias; quæro itaque quanam die lectio dicti initii proſequi queat? Si in ulteriorem ab immediate præcedenti die transferatur, in ſequentibus diebus utique proſequi non valet, quoniam ſupponuntur impeditæ per feſtum habens lectiones proprias. Non in die, in qua ponitur officium Dominicæ anticipatæ, cum initium ipſum depellat, & anticipari faciat. Non demum in ſequentibus feriis, quia in his poni debet, & proſequi initium Dominicæ anticipatæ. Quod ſi dictum initium transferatur in ſequentem diem, jam hoc minime licet, & quando etiam liceret, deberet una poni cum initio Dominicæ anticipatæ, vel adhuc ſi mavis, in ſequenti die ponatur dictum initium, ſed in altera ſequenti proſequi numquam poteris ejuſdem lectionem, ſed ponere cogeris initium Dominicæ? quanam igitur die umquam dicti initii lectionem continuabis?

XXXIX. Verum demus in ſua aſſertione comprehendat Meratus etiam Dominicas poſt Pentecoſtem, ſed adhuc vindicari non valet. Ex iis Dominicis ſola 23. anticipari poteſt, & anticipari dumtaxat in hebdomada quarta Novembris, cujus dies omnes occupatæ ſunt per initia Sacræ Scripturæ præter feriam quartam, in qua continuatur lectio Libri Joelis, cujus initium in feria tertia ponitur, & feriam ſecundam, in qua continuatur lectio Oſee, cujus initium in præcedenti Dominica lectum fuit. Si anticipas Dominicam in feria, ad quam ſequatur initium aliquod, jam vides, quod in ſequenti die hoc initium poni debet; quare ſolum ad effectum præfatum proſecutionis ſuffragaretur caſus, in quo anticiparetur Dominica in feria tertia, &

initium

Digitized by Google

initium Joelis transferretur in præcedentem feriam ſecundam, & non in ſequentem feriam quartam, in qua conſequenter continuaretur lectio Joelis. Verum translationi initii Joelis in præcedentem feriam ſecundam aperte obſiſtit Rubrica, quæ *num.* 7. habet: *Dictum initium, quoad commode fieri poterit, ponatur in ſequenti feria, alio ſimili initio ſcripturæ ponendo, vel feſta* (habente lectiones proprias) *non impedita, alioquin in præcedenti ſimiliter non impedita.* Vides jam igitur, quod cum ſequens feria quarta non ſit impedita ullo initio, in ea initium Joelis poni debet, & non in præcedenti feria ſecunda, ac conſequenter quod numquam initium ſcripturæ, quod transfertur ob incidentiam in Dominicam anticipatam, proſequi valet.

XL. Quæres 9. an anticipato v. g. in feria quarta officio Dominicæ, lectiones, quæ in ſequentibus diebus illius hebdomadæ occurrunt, in reſpectivis feriis legi debeant, vel prorſus omitti?

XLI. ℟. Certum eſſe, quod ſi ſint continuatio alicujus Libri, omitti debent, quoniam in die ſequenti ad feriam, in qua actum eſt de Dominica, poni debet initium dictæ Dominicæ, & de eodem legi in ſequentibus feriis, ut aperte ſtatuit ſæpius allegata Rubrica, quæ cum inſuper addat, *omiſſis aliis,* ſcilicet lectionibus, *quæ ſunt aſſignata præcedenti hebdomada,* procuidubio omittendæ veniunt, ſaltem quando initium alicujus Libri non continent. Quando vero in ſequentibus feriis occurrit initium aliquod, Meratus in Tabulis 22. & 23. illud anticipat, utique tamen perperam, quia Rubrica abſque exceptione dicit, *omiſſis aliis &c.*, excepiſſet autem, ſi initiis, quæ iiſdem diebus frequenter occurrunt, parcere voluiſſet, cum ſit caſus valde obvius, ac evenire facilis.

XLII. Adde, quod talia initia non ſunt ex iis, quæ in propriis diebus, locum non habent per impedimentum aliquod, ſed per Adventum alterius ſcripturæ, & per ceſſationem; adeoque ex iis, quæ juxta doctrinam ipſius Merati *ſect.* 5. *cap.* 12. *n.* 7. transferri non poſſunt, ſed penitus omitti debent. Quod verum eſt, tametſi in ſequentibus feriis feſta, aut officia occurrentia impedirent poſitionem initii Dominicæ, quia tale initium in jure poſitum foret, licet non in re.

XLIII. Quæres 10. an in hoc caſu, in quo poſt officium Dominicæ poni non poteſt ejuſdem initium ob impedimentum feſtorum habentium lectiones proprias, tale initium anticipari poſſet in præcedentibus feriis?

XLIV. ℟. Nequaquam, quia initia unius hebdomadæ extra illam hebdomadam anticipari non poſſunt; nova autem hebdomada incipit illico poſt anticipationem Dominicæ.

XLV. Quæres 11. anticipata Dominica v. g. in feria quarta, & poſito ejuſdem initio in ſequenti feria quinta, quænam lectiones legi debeant in feria ſexta, & Sabbato?

XLVI. ℟. Legi non debere lectiones feriæ ſecundæ, & tertiæ, ſed quæ currunt in reſpectivis diebus, ſcilicet in caſu feria ſexta, & ſabbato; poſito enim initio ſemper legi debent lectiones ſua quaque die occurrentes, & non ſecundum ordinem hiſtoriæ, aut libri, ut præſcribit Rubrica *de lect. n.* 6., & in uſum communiter deducitur, quando anticipatur Liber Eſther in feria quinta Dominicæ 4. Septembris. Si vero intra hebdomadam currant initia aliqua, tunc hæc legi debent, licet eorumdem plura ſimul poni oporteat, etiam in die, in quo ponitur initium ipſum Dominicæ. Quod ſi aliquando cuncta locum non habent, quæ ſuperſunt, omittantur. Quænam vero in hoc caſu magis ſint omittenda, luculenter oſtendent, quæ in ſimilibus trademus, agentes de lectionibus.

XLVII. Reliquum eſt, nunc agamus de Dominica ſecunda poſt Epiphaniam, de qua Rubrica ſpecialis, cujus Decretum meminit, in hunc modum diſponit: *Quando ſeptuageſima venerit in prima Dominica poſt octavam Epiphaniæ, tunc in primo Sabbato poſt octavam non impedito feſto IX. lectionum, alioquin prima die poſt octavam fiat officium de feria, in qua ponuntur Reſponſoria* 1. *nocturni Dominicæ* 11. *poſt Epiphaniam, & tres lectiones leguntur de homilia ejuſdem Dominicæ cum ejus Antiphona ad Benedictus, & oratione. Feſtum vero ſemiduplex in ea occurrens transfertur in primam diem ſimiliter non impeditam.*

XLVIII. Hæc itaque Dominica, etſi hoc habeat comune cum cæteris, quod nunquam ejus officium penitus deperdatur, tamen uti reliquarum, poni non poteſt poſt Pentecoſtem, ſed ſemper ejus officium ante Septuageſimam exolvi debet. Hujus rationem affert Gavantus *part.* 4. *tit.* 3. *a.* 3. nempe ut Evangelium ejuſdem, in quo fit mentio converſionis aquæ in vinum, quæ fuit initium miraculorum Chriſti, congruo tempore legatur; ſatis enim incongruum extitiſſe poſt tot narrata de vita, & miraculis Chriſti, primi ejuſdem miraculi mentionem habere, & ideo antequam quidquam aliud in ſequentibus Dominicis, & feriis de eo narretur, ſtatim poſt ejuſdem baptiſmum primum miraculum Eccleſia voluit recenſeri. Optima quidem eſt iſta ratio, ob quam præfatum miraculum voluit prius recenſeri, & dictum Evangelium memoratæ Dominicæ adſcripſit; cæterum quod officium hujus Dominicæ nunquam transferatur poſt Pentecoſtem, utique evenire non poteſt, tametſi in eo dicti miraculi mentio non fieret, quippe cum ipſa ſupereſt, poſt Pentecoſtem Sedem Dominicalem nunquam reperit.

XLIX. Quoties itaque ſupereſt Dominica ſecunda, de ea faciendum eſt in Sabbato, dummodo non ſit impeditum feſto IX. lectionum, & hoc impedito non eſt transferenda in ferias eidem proximiores, uti fit in cæteris Dominicis, ſed in primam diem poſt octavam Epiphaniæ; ut denotant illa verba, *alioquin prima die poſt octavam fiat officium de feria &c.* Quia vero hac die occurrit feſtum ſemiduplex S. Hilarii, ſubdit Rubrica, *Feſtum vero ſemiduplex in ea occurrens transfertur in primam diem ſimiliter non impeditam,* & in ea *fiat officium de feria, in qua ponuntur Reſponſoria I. nocturni Dominicæ* 11. *poſt Epiphaniam* (cum præcedenter non fuerint poſita) *& tres lectiones leguntur de homilia ejuſdem Dominicæ cum ejus antiphona ad Benedictus, & oratione,* ut proſequitur Rubrica, & docent communiter Auctores.

L. Quærit Guyetus *lib.* 4. *cap.* 18. *quæſt.* 12., cur ut detur locus dictæ Dominicæ, non transferatur feſtum in Sabbato occurrens, ſed feſtum ſemiduplex occurrens prima die poſt octavam Epiphaniæ? Et reſpondet hoc ideo eſſe, quia feſtum novem lectionum tunc impediens Sabbatum eſt duplex, ſcilicet Sancti Antonii, dum ſeptuageſima occurrit die 18. Januarii, vel Cathedræ S. Petri, dum illa incidit in diem 19. ejuſdem menſis; quia quando Septuageſima venit in diem 20., tunc Sabbatum eſt occupatum ſolo feſto ſimplici SS. Marii, & Sociorum, quod non reſpuit officium Dominicæ anticipatæ; tunc enim nondum conceſſum erat feſtum S. Canuti, quod cæteroquin cum ad libitum ſit, cedit officio Dominicæ cujuſcumque anticipatæ, ut dicetur in Decreto ſequenti; *congruit autem magis,* ſubdit idem Auctor, *ut ſemiduplex, quam duplex e ſuo die dimoveatur,* hinc ibidem *quæſt.* 13. infert, quod ſi alicubi in eo Sabbato occurreret feſtum aliquod ſemiduplex, *omnino ad ſenſum Rubricæ magis eſt, ut Sabbato ipſo fiat anticipatio ſimul cum univerſali Eccleſia, tranſlato ſemiduplici proprio, quod eo die occurrit.*

LI. Diſplicet Merato hoc Guyeti placitum, tueturque in prædicto Sabbato, licet per ſolum feſtum ſemiduplex impedito, agendum non eſſe de Dominica ſecunda, quia Rubrica illud faciendum eſſe edicit in Sabbato non impedito *feſto IX. lectionum,* alioquin *prima die poſt octavam Epiphaniæ,* & licet translationem feſti ſemiduplicis mandet, dicit tamen *in ea* occurrens, quæ verba cum fœminini ſint generis, referuntur ad primam diem poſt octavam Epiphaniæ, non ad Sabbatum, quod eſt generis neutrius. *Corruit igitur,* ſubdit idem Meratus, *ſententia Guyeti contendentis ea verba in Rubrica* non impedito (*loquendo de Sabbato*) feſto novem lectionum, *ſignificare feſtum duplex tantum ita ut ſi Sabbatum eſſet impeditum feſto ſemiduplici, tunc eo translato faciendum ſit de Dominica; ſed pace tanti viri, adoptando verba Biſſi, non video, quomodo ſolum duplex veniat nomine feſti novem lectionum.*

LII. Verum pace Merati, qui pacem petit a Guyeto, celeberrimo huic Auctori, cui in re rubricilica vix pax, aut venia valet exquiri, injuſte ſane, & non ſine injuria nota inuritur, quaſi nomine feſti novem lectionum ſolum duplex cognoverit. Ipſe ſolummodo accipit, & exponit Rubricam relate ad feſta occurrentia in Kalendario Romano, in quo cum Sabbatum per ſolum feſtum duplex impediri queat, nomine feſti novem lectionum ad ſenſum Rubricæ ſolum feſtum duplex venire arbitratur; hinc Rubrica ſic intellecta, quid mirum, ſi aſſerit, quod occurrente alicubi feſto ſemiduplici in Sabbato, hoc transferri potius debeat, quam occurrens in prima die poſt octavam Epiphaniæ cauſa faciendi locum officio Dominicæ anticipatæ? Nonne & cęteræ Dominicæ, cum totam hebdomadam reperiunt impeditam, in Sabbato, licet per ſolam commemorationem, explentur? Accepta autem Rubrica prefata tanquam diſpoſitione dumtaxat illius, quod in Kalendario Romano accidere poteſt, quis non videt ad nihilum relevare notationem verborum *in ea,* quia remotio ſemiduplici a Sabbato cauſa faciendi de dicta Dominica, in Kalendario Romano nunquam valet accidere, ſed ſolum a prefata prima die poſt octavam Epiphaniæ. Cęterum quod Rubrica illa procedat relate ad officia Kalendarii Romani, aperte denotare videntur verba illa, *Feſtum vero ſemiduplex in ea occurrens transfertur,* in quibus die 14. Feſtum ſemiduplex ſcilicet S. Hilarii ſupponitur occurrere, cum tamen in particularibus Eccleſiis duplicia in ea die poſſint occurrere.

LIII. Stante igitur hujuſmodi intellectu Rubricæ, qui cæteroquin diſſonus non eſt ejuſdem verbis, in quibus propterea a Sacra Congregatione ſtatim videbimus ad ejuſdem Rubricæ mentem fuiſſe correptum, ſeu expoſitum, non crederem rite ut ſupra a Merato inſurgi contra Guyetum, contra quem ſatius fortaſſe ponderari poterat; quod ſi talis foret ſenſus Rubricæ, non feſtum ſemiduplex prima die poſt octavam Epiphaniæ occurrens, ſed quod eſt proximius Sabbato, ſcilicet feſtum Sancti Marcelli, transferendum præſcribi debuiſſet, ut fieret locus officio dictæ Dominicæ, ſicut officium cæterarum Dominicarum, Sabbato impedito, non in prima die poſt Dominicam, ſed die proximiori, quæ ſit libera, ipſi Sabbato ponendum eſſe mandatur. Cum itaque Rubrica ordinem pro illa Dominica haudquaquam teneat, quem Rubricæ ſervant pro cæteris Dominicis, ex iis, quæ pro his Dominicis diſpoſita ſunt, invalidum deſumitur argumentum pro ſimili intelligentia diſpoſitionis latæ pro Dominica ſecunda, præſertim cum Rubricæ Miſſalis, quæ cum iis Breviarii omnimodam ſemper habent conformitatem, in caſu Sabbati impediti per feſtum etiam ſemiduplex, Miſſæ Dominicæ ſecundæ conſulendum eſſe præſcribunt, non per translationem feſti ſemiduplicis occurrentis in Sabbato, ſed occurrentis in prima die poſt octavam Epiphaniæ. En hujuſmodi Rubricam, quæ habetur ante Dominicam ſecundam poſt Epiphaniam:

Si vero Sabbatum fuerit impeditum feſto ſemiduplici, tunc prima die poſt octavam Epiphaniæ, in qua non ſit feſtum duplex, dicitur Miſſa die 2. Dominica, & feſtum ſemiduplex in ea occurrens transfertur in primam diem ſimiliter non impeditam.

LIV. Quæ cum non ita dilucide haberentur in Rubrica Breviarii, in cauſa fuerunt, quod Sacra Congregatio contenta non fuit reſcribere, *ſatis eſſe proviſum per Rubricam poſitam ante Dominicam primam poſt octavam Epiphaniæ*, ſed inſuper hujus ſenſum voluit diſerte adaperire, ſubdens *Nempe in caſu propoſito officium de Dominica faciendum eſſe in primo Sabbato poſt Epiphaniam feſto duplici, vel ſemiduplici non impedito*. En itaque, quod feſtum ſemiduplex occurrens in Sabbato obſiſtit poſitioni officii Dominicæ; ac per conſequens, quod nomine feſti IX. lectionum, cujus Rubrica meminit, venit feſtum quodlibet duplex, vel ſemiduplex. *Alioquin*, proſequitur Decretum, *ſi prædictum Sabbatum eſſet impeditum*, feſto nempe duplici, vel ſemiduplici, *faciendum in prima die poſt dictam octavam, quæ non reperitur impedita feſto duplici*. Non itaque in prima abſolute die poſt octavam Epiphaniæ, uti præferre videntur verba illa Rubricæ, *Alioquin prima die poſt octavam fit officium de feria &c.* ſed in prima die poſt dictam octavam, *quæ non reperitur impedita feſto duplici*. Cæterum hunc ſenſum nec refugiunt Rubricæ verba, nec ægre, ſed concinne ſuſtinent; etſi enim, dum dicitur, *alioquin prima die &c.* primæ abſolute diei poſt præfatam octavam officium Dominicæ conſignari videatur, ſequentia tamen verba, quæ communia ſunt Rubricæ, & Decreto, ſcilicet *Feſtum vero ſemiduplex in ea occurrens transfertur*, ſeu transferendum, ut legit Decretum, *in primam diem ſimiliter non impeditam*, aperte deſignant, non in primam abſolute diem poſt dictam octavam, ſed in primam, quæ non ſit impedita feſto duplici eſſe transferendum. Quo in congruo, & indubio Rubricæ ſenſu, ac conformi Rubricæ Miſſalis jam patet Rubricam diſpoſitionem generalem facere, nullo habito reſpectu ad feſta occurrentia in Kalendario Romano, ac per conſequens omnino corruit intelligentia, & opinio Guyeti.

LV. Sequitur ex his primo, quod ſi alicubi Sabbatum prædictum feſto ſemiduplici de præcepto impeditum ſit, officium præfatæ Dominicæ faciendum eſt in prima die poſt octavam Epiphaniæ, tranſlato ſemiduplici in ea occurrente. 2. quod ſi hæc dies per feſtum duplex occupata foret, olim feſtum S. Pauli primi Eremitæ, quod ritu ſemiduplici gaudebat dumtaxat, transferendum erat, nunc autem non, cum duplex ſit, ſed feſtum S. Marcelli quod ſub ritu ſemiduplici die 16. Januarii in Kalendario recurrit. 3. quod ſi tota hebdomada per feſta duplicia impediretur præter ſabbatum, in quo ſemiduplex occurreret, cum tunc ſabbatum eſſet prima dies non impedita feſto duplici, in eo officium Dominicæ fieri deberet, tranſlato ſemiduplici. 4. Denique tota hebdomada impedita per feſta duplicia, nullum ex duplicibus transferri poſſe cauſa parandi locum officio Dominicæ, quod juxta Decretum poni debet in prima die poſt dictam octavam, *quæ non reperitur impedita feſto duplici*.

LVI. Quantum ad id, quod firmat poſtrema hæc illatio, idem jam ſenſerat Gavantus *ſect. 6. cap. 8. num. 4.*, quem more ſuo ſequitur Meratus *ibidem num. 3.*, Guyetus vero *lib. 4. cap. 18. quæſt. 12.*, etſi horum ſententiæ non refragetur, nec tamen admodum improbat, transferri minus nobile duplicium, aſſeritque talem videri Rubricæ ſcopum. Verum hæc Guyeti opinio ex dictis jam luculenter exploſa manet, & miror, non viderit, quod occurrente feſto duplici in præfata Dominica, mandatum non eſt transferri, ut fiat de ea, ſed fit de feſto cum ſola Dominicæ commemoratione, & nona lectione, & hoc tametſi in ſequenti Dominica occurrat ſeptuageſima; unde itaque eruere unquam potuit, quod transferri queat duplex infra hebdomadam occurrens cauſa faciendi de officio ejuſdem Dominicæ, quando ſub feriali ritu anticipatur? Si itaque quoties in propria ſede Dominicali, in qua ſemiduplici gaudet ritu, per feſtum duplex impeditur, cum ſola commemoratione, & nona lectione expletur, idipſum potiori jure faciendum erit tota hebdomada ſic impedita, quando ſub ritu feriali anticipatur. At quanam die id agendum erit, in Sabbatone, an in prima die poſt dictam octavam? In Sabbato, non crederem, ſed magis in prædicta prima die, quoniam in caſu ſimilis impedimenti, feſti ſcilicet ſemiduplicis, contingentis in Sabbato, & in dicta die, ponendum edicit Rubrica officium Dominicæ in præfata prima die, & non in Sabbato; quidni igitur & ejuſdem commemorationem, quæ loco officii ſubrogatur, præſertim ratio illa, quæ officium ad dictam diem amandat, utique & ejuſdem commemorationem amandare videtur? Qua in parte cum patens videatur implicita Rubricæ diſpoſitio, non credimus plurimi faciendam eſſe auctoritatem Gavanti, Merati, & Guyeti in propoſito caſu commemorationem Dominicæ in Sabbato indicentium, nec attendendam eſſe ſimilem pro ceteris Dominicis Rubricarum diſpoſitionem; diſpar enim admodum eſt ratio, nam Rubricæ anticipationem aliarum Dominicarum in Sabbato demandant abſolute eſſe faciendam, & hoc impedito, nonniſi in proximioribus feriis, ſi quæ vacuæ ſunt, ut dictæ Dominicæ officium in iis adipiſci queant, quod in Sabbato habere non poſſunt, & ideo admodum congrue in caſu totius hebdomadæ impeditæ earum commemorationem præſcribunt in Sabbato, in quo officium erat faciendum. Similis non eſt diſpoſitio Rubricæ Dominicæ ſecundæ, quoniam hæc quidem eligit Sabbatum pro poſitione officii dictæ Dominicæ, ſed *non impeditum feſto duplici, vel ſemiduplici*; hoc autem non ut determinet locum præfato officio, ſed ſolummodo ut conſulat ejuſdem poſitione ſine incommodo aliorum feſtorum IX. lectionum, quibus ceteras omnes hebdomadæ dies, uti revera ſunt, ſupponit eſſe impeditas, & ſolum Sabbatum expers eſſe poſſe; unde in caſu impedimenti feſti ſemiduplicis contingentis in Sabbato, non hujus tranſlationem præcipit, ut officio ejuſdem Dominicæ locum paret, nec illius, quod in proximiori feria poſſet accidere, ſed magis illius, quod in prima die poſt octavam Epiphaniæ recurrit. Quid igitur? Niſi quia vult, quod impedito Sabbato, officium dictæ Dominicæ occurrens cenſeatur, & ſit faciendum in præfata prima die. Si autem id, quando Dominica habet officium, cur non itidem, quando per ſolam expletur commemorationem, quæ cum locum officii teneat, ea utique die fieri debet, in qua fieret officium, ſi impeditum minime foret? Vides jam igitur, quod Rubricæ pro ceteris Dominicis diſponentes noſtræ quammaxime favent aſſertioni.

LVII. Gavantus *ibidem num. 2.* inter cauſas transferendi feſtum ut ſupra ſemiduplex, recenſet, *ut officium, & Reſponſoria Dominicarum poſt Epiphaniam ſemel dicantur ſuo proprio tempore, nec omittantur omnino*; hoc autem videtur innuere tranſlationem etiam duplicis eſſe faciendam, quando aliter dicta omiſſio ſequeretur. Verum præfatæ rationi tantam vim non ineſſe liquido oſtendit incidentia ejuſdem Dominicæ in feſtum duplex, in qua per ſolam commemorationem expletur, nec fit poſitio dictorum Reſponſoriorum, nec officii alicujus ex Dominicis poſt Epiphaniam, quando in ſequenti Dominica occurrit Septuageſima, utpote cum modo dies omnes uſque ad diem 27. Januarii, ad quam uſque protrahi poteſt ſeptuageſima in caſu propoſito, impeditæ ſint per feſta occurrentia, quæ non compatiuntur Reſponſoria de Tempore. Accedit, quod ad hujuſmodi ſane moderne reſpectum non extitit, dum eidem Dominicæ in perpetuum addictum fuit feſtum duplex 2. claſſis SS. Nominis Jeſu, quod dictorum Reſponſoriorum ſemper invehit omiſſionem, ſi ſequens Dominica ſit ea Septuageſimæ, etſi autem modo Dominica ſecunda ſit perpetuo impedita per dictum feſtum, adhuc integra perſtant, quæ de eadem fieri diſpoſita ſunt pro caſu, in quo propriam ſedem dominicalem non habet.

LVIII. Mendum vero proculdubio paſſus eſt textus Decreti, dum legit, *officium de Dominica faciendum eſſe in primo Sabbato poſt Epiphaniam*; hoc enim Sabbatum ſemper infra octavam Epiphaniæ recurrit, cujus officium cum depellat etiam feſtum duplex 2. claſſis occurrens, multo magis ineptum eſt cedere officio feriali dictæ Dominicæ. Lege itaque *in primo Sabbato poſt octavam Epiphaniæ*, & conformaberis diſpoſitioni Rubricæ, quam ipſum citat Decretum; *Tunc de ea fit officium in Sabbato ante Dominicam Septuageſimæ*, quod Sabbatum in caſu ſemper eſt primum poſt eamdem octavam. Textui tamen adhuc adhærendo, illum ab errore facile vindicas, ſi ibi Epiphaniam incluſive cum octava, quæ non eſt niſi prorogatio feſti, & unum cum feſto facere cenſetur, uſurpari aſſeveras, tunc quippe to *poſt Epiphaniam* reddit *poſt octavam Epiphaniæ*.

LIX. Quæres 1. quid faciendum ſit, ſi in hebdomada, in qua officium dictæ Dominicæ poni deberet, aliqua occurrat octava?

LX. Reſpondet Gavantus *ſect. 6. cap. 8. num. 5.* nihilominus prima die agendum eſſe de feria, quia dies infra octavam cedit ſemiduplici, ergo a fortiori etiam huic officio Dominicæ ſecundæ, ſed tamen omittendas eſſe preces cum ſuffragiis ratione octavæ. Guyetus *lib. 4. cap. 18. quæſt. 14.* acerrime inſurgit contra Gavantum, eique in nullo ſe repugnantiorem, quam in hoc placito eſſe fatetur. Gavanti autem argumentum duplici ratiocinatione impugnat, & primo, quod non ideo feſtum ſemiduplex cedit officio Dominicæ, quia hoc cum illo æqualis ritus ſit, cum ſit inferioris, ſed quia cum ex privilegio poni debeat, nec altero die poni queat, idcirco transfertur ſemiduplex occurrens, quod inde nullum accipit detrimentum, quippe ſuum æque officium alio die eſt recuperaturum; dies autem infra octavam detrimentum reciperet, utpote quæ beneficio tranſlationis non gaudet, ſed cum ſola commemoratione peragi deberet. 2. quia etſi juxta Gavantum octava Corporis Chriſti cedat octavæ SS. Trinitatis, attamen non cedit feſto ſemiduplici, cui cedit octava Trinitatis, ergo infert ipſe, ex eo quod feſto ſemiduplici cedat dies infra octavam, non ſequitur, quod hæc cedere debeat officio Dominicæ ſecundæ, cui cedit feſtum ſemiduplex.

LXI. Meratus hiſce victus Guyeti ratiocinationibus, in nimis levi ſalebra ſuum hic deſerit Doctorem; hinc *ſect. 6. cap. 8. num. 4.* poſtquam aſſeruit ſecundum argumentum contra Gavantum quidem, qui octavam Trinitatis prætulit octavæ Corpori Chriſti, robur habere, non adverſus ſe, qui in oppoſitum ſentit, ſtatim ſubdit: *Abſurdum quidem cum eodem Guyeto reputamus, quod dicatur officium feriale pro celebrando officio dictæ Dominicæ, & debeant omitti preces cum ſuffragiis ratione octavæ; revera ſiquidem quis unquam audivit, ut fiat officium de feria ut in Pſalterio ſine precibus, ac ſuffragiis, maxime de cruce, quod eſt veluti officii ferialis caracter, ac nota præcipua.*

LXII. Quis unquam, exclamare cogor, audivit Meratum in ſuum, quem pro viribus ſequitur, acrioribus verbis invehi Auctorem? At huic Lector ignoſcat, non ſuis quippe quibus de more modeſtior extitiſſet, ſed Guyeti utitur verbis, ex quo item proſequitur: *Quapropter dicendum eſt in præſenti controverſia Rubricis fore conformius, ſi de hac feria infra ali-*

quam

quam octavam perinde agatur pro anticipanda Dominica, atque de vigiliis infra octavam occurrentibus, ut videlicet fiat officium de die infra octavam cum 9. lectione de homilia, & commemoratione Dominicæ. Miſſa vero non erit de octava, ſed de ipſa Dominica ſine Gloria, & Credo cum commemoratione octavæ. De ſuo addit poſtea Decretum quoddam S. R. C. 24. Januarii 1682., in quo cavetur, quod ex privilegio agens de octavis in quadrageſima, in feria IV. Cinerum dicere debet officiale feriale, ſed cum precibus, & ſuffragiis, etiamſi dicta feria incidat infra octavam; & hoc ut probet ab officio feriali preces, & ſuffragia numquam ſejungi poſſe.

LXIII. Utinam ſaltem hujus Decreti Meratus trunce non meminiſſet, ſed illud retuliſſet cum verbis illis *Relinquendo commemorationem octavæ*, recordatuſque fuiſſet alterius Decreti ejuſdem diei, & anni, quod in ſuo Indice num. 123. producit, ut hinc deduceret, quid in præſenti quæſtione ſentiendum foret. Præſcribit autem in eo Congregatio, quod *qui habent privilegium celebrandi octavas in Quadrageſima, occurrente die infra octavam in feria IV. Cinerum, nullam debent facere commemorationem de octava, neque in laudibus, neque in Miſſa.*

LXIV. A quo ego edoctus Decreto in primis ſtatuo, officium dictæ Dominicæ ex eodem privilegio, quo præferentiam habet ſuper feſtum ſemiduplex, hanc quoque ſortiti ſuper diem infra octavam, quæ cedit feſto ſemiduplici, ut optime argumentatur Gavantus. Officium dictæ Dominicæ, quoties anticipatur, etſi ſit ritus inferioris ſemiduplici, & mere ferialis, quoad excluſionem tamen aliorum officiorum ex privilegio inſtar ſe habet ſemiduplicis, ac perinde in propria ſede dominicali recurret, quare uti in propria ſede exultum, pellit feſtum ſemiduplex occurrens, nec cedit die infra octavam, ita eſt in die, in qua anticipatur. In exemplum deſerviant Dominicæ privilegiatæ, quæ quoad ritum ſemiduplices ſunt, & quoad privilegium, & excluſionem aliorum officiorum, ſunt primæ, vel ſecundæ claſſis. Propius adhuc eſt exemplum feriæ IV. Cinerum, quæ habet officium mere feriale, & ex privilegio etiam feſtum primæ claſſis depellit, quinimmo & officium infra octavam a privilegiatis minime fieri patitur.

LXV. Nec officit diſcrimen, quod feſtum ſemiduplex inter & diem infra octavam adducit Guyetus, ex eo quod hæc pateretur officii detrimentum, ubi illud alio die officium beneficio translationis aſſequeretur; hoc enim fert natura, & conſtitutio hujuſmodi officiorum; qua de cauſa ſicuti feſtum ſemiduplex incidens in Dominicam, aut feſtum quodlibet, licet primæ claſſis, altero die ſemper officium recuperat, ſecus vero dies infra octavam, quæ per ſolam commemorationem expletur, immo & hanc deperdit, quoties eam occurrens feſtum non patitur, ita eadem de cauſa ſine abſurditate ulla in caſu noſtro feſtum ſemiduplex altera die reſumetur, dies vero infra octavam etiam commemorationem deperdet, ut ſtatim dicemus. Quod ſi hujuſce rei rationem expoſcas; jam eam alibi tradidimus, quia alias feſtum ſemiduplex, cum ejus officium una die concludatur, totale ſui pateretur diſpendium, ſi transferri non poſſet, vel ſaltem admodum notabile, ſi loco officii ſolam haberet commemorationem; non ſic autem evenit in die infra octavam, quoniam adhuc de ſancto, de quo illa celebratur, ſatis agitur in feſto, & reliquis diebus octavæ. Qua de cauſa etiam octavæ nonnullis temporibus, ut Quadrageſimæ &c., ceſſant, nunquam vero feſta ſemiduplicia, quinimmo feſtum ſimplex commemorationem aſſequitur in laudibus duplicis 2. claſſis, qua caret dies infra octavam, etſi illo ſit ritus altioris. Vides jam igitur, Gavanti argumentum a fortiori ſubſiſtere, & Guyeti priorem impugnationem plane corruere; ſecunda vero innititur falſo fundamento, ex Decreto quippe 8. Junii 1709. dies infra octavam Corporis Chriſti non cedit octavæ SS. Trinitatis, quidquid ſenſerit Gavantus, qui in hac parte eſt corrigendus, ut ſuo loco dicemus.

LXVI. Statuo 2. in officio feriali dictæ Dominicæ commemorationem octavæ eſſe omittendam; hoc ipſo enim quod octava ratione privilegii cedit præfato officio, cedat, las eſt, & ejuſdem commemoratio, quæ incompoſſibilis eſt cum officio feriali, uti quia cedit duplici primæ claſſis, etiam commemorationem deperdit, quam illud minime patitur. Ita ſtatutum eſt fieri per ſuperius adductum Decretum in feria IV. Cinerum incidente infra octavam, & hoc idem caſui noſtro apprime quadrat. Recolantur itaque, utpote ad rem apprime facientia, quæ in ejuſdem Decreti expoſitione dicuntur in cap. 19. Quod ſi in prædicto officio locum non habet commemoratio octavæ, quæ ſolum impedire poterat preces feriales, ſuffragia, officium parvum B. Virginis, ac officium Defunctorum pro prima die menſis non impedita, hæc omnia in eodem officio indubie locum habebunt, ut in memorato caſu feriæ IV. Cinerum aperte ſtatuit Congregatio, & nos in eodem capite late tradimus.

LXVII. Dices: Decreta, quæ hic uſurpantur, pro Privilegiatis eſſe emanata, adeoque perperam ad extera extendi.

LXVIII. ℟. Privilegium unice ſe tenere ex parte celebrationis Octavæ in quadrageſima, & hoc utique non poſſe ad non privilegiatos extendi; ſuppoſito autem dicto privilegio, privilegium non eſt, ſed ſic fert natura officii, videlicet quod omittatur commemoratio octavæ, dicantur preces, ſuffragia &c, & ideo id eſt cuicumque alteri ſimili caſu adaptabile.

LXIX. Quæres 2. num ſatius ſit officium dictæ Dominicæ poni in Sabbato impedito dumtaxat officio diei infra octavam, an vero in prima die poſt octavam Epiphaniæ impedita feſto ſemiduplici, & officio diei infra octavam, infra quam illud recurrit?

LXX. ℟. Quod feſtum ſemiduplex ſtabit immotum, & officium Dominicæ ponetur in Sabbato; ſic enim dumtaxat pro uno die ceſſaret octava, ubi alias ceſſaret octava, & feſtum ſemiduplex e proprio die amoveretur.

LXXI. Quæres 3. Quid ſi feſtum ſemiduplex, quod prima die poſt octavam Epiphaniæ recurrit, non occurret infra octavam? eſſetne tunc ponendum officium Dominicæ in Sabbato cum ſuppreſſione diei infra octavam, an magis in præfata prima die cum translatione ſemiduplicis?

LXXII. ℟. Quod ſi attendatur Rubrica, quæ officium Dominicæ anticipat in Sabbato, & nonniſi hoc impedito *per feſtum novem lectionum* in præfata prima die, ponendum videtur in Sabbato, quod *feſto IX. lectionum* impeditum non eſt, ſed ſolum officio diei infra octavam, quod vere non eſt *feſtum, ſed officium IX. lectionum*, ut alibi non ſemel ponderatum fuit; & præſertim quia quoties unum ex duobus cedet, neceſſe eſt, quod inferius, cujus rationis eſt dies infra octavam relate ad feſtum ſemiduplex, cedat oportet. Verum quoniam ut in ſuperioribus advertebamus, mens Rubricæ eſt, ut officium dictæ Dominicæ ponatur in Sabbato dumtaxat, ſi hoc impeditum non eſt, & in caſu paris impedimenti, vult parcendum eſſe Sabbato, & in prima die officium illud ponendum, nos arbitramur in prima præfata die de Dominica agendum eſſe, & non in Sabbato, quod ad ſenſum Rubricæ impeditum cenſetur per feſtum IX. lectionum, dum impeditum eſt per officium diei infra octavam, quæ IX. lectionum eſt, nec feſti rationem refugit, quatenus non eſt niſi feſti continuatio, & unum cum feſto facere cenſetur, & multo magis quia in Decretis, & forſan etiam in Rubricis feſti nomen nonnumquam ſtat pro officio. Ad id autem aſſerendum potiſſimum ducimur, quia adhuc feſtum ſemiduplex beneficio translationis ſuum integrum adipiſceretur officium, ubi dies infra octavam ſine cauſa etiam commemorationem deperderet, quinimmo cum aliqua diſſonantia ad alias per Rubricas præſcripta abrumperetur, & in ſuo ſinu veluti permitteret, quæ alioquin refugit, cum minori autem incommodo conſulendum eſſe putamus officio præfatæ Dominicæ.

LXXIII. Quæres 4. Pictavienſis Eccleſia celebrat feſtum S. Hilarii die 13. Januarii, quare apud eandem dies 14., & 19. per officium dumtaxat diei infra octavam ejuſdem remanent impeditæ; debetne igitur in hoc, aliove ſimili caſu officium Dominicæ prædictæ poni die 19., in qua occurrit Sabbatum, aut in die 14.?

LXXIV. ℟. Ponendum eſſe die 14., quia in caſu æquale eſt impedimentum occurrens in die 14., & in die 19., in pari autem impedimento, ut vidimus, Rubrica vult officium Dominicæ ponendum eſſe in prima die poſt Epiphaniam.

LXXV. Quæres 5. Bergomi v. g. agitur die 8. Januarii Feſtum S. Laurentii Juſtiniani cum octava, quæ proinde terminatur die 15., & dies 19. apud eandem Eccleſiam eſt feſto duplici impedita; hoc in caſu, aliove ſimili agendumne eſt de Dominica præfata in die 14. Januarii cum ſuppreſſione diei infra octavam & amotione Feſti S. Hilarii, an potius in die 16. ejuſdem menſis cum ſola translatione S. Marcelli?

LXXVI. ℟. Officium dictæ Dominicæ agendum eſſe die 16., non 14., quia hinc ſequeretur majus incommodum, amotio ſcilicet feſti ſemiduplicis, & ſuppreſſio diei infra octavam.

LXXVII. Quæres 6. Apud Eccleſias Regulares Civitatis N., quæ die 10. Januarii ſine octava cum reliquo clero celebrant Feſtum S. Pauli 1. Eremitæ Patroni principalis Civitatis, remanet libera dies 15. Januarii, in qua in Kalendario Romano præfatum feſtum recurrit, impedito Sabbato debetne officium dictæ Dominicæ celebrari prædicta die 15. libera, an magis die 14. cum translatione S. Hilarii?

LXXVIII. ℟. Celebrandum eſſe in die 15. libera, quia dum Rubrica Sabbato impedito feſtum ſemiduplex occurrens in prima die poſt octavam Epiphaniæ transferendum edicit, procedit ſupponendo nullam, uti revera nulla eſt in Kalendario Romano, aliam eſſe diem vacuam, in qua officium Dominicæ valeat collocari. Patens fit intentio Rubricæ ex eo, quod in caſu Sabbati inimpediti, huic officium Dominicæ adſcribit, & parcit prædicto ſemiduplici.

LXXIX. Quæres 7. Quid ſi ſtante Sabbato, aut alia die hebdomadæ libera, poni inſtet duplex aliquod translatum?

LXXX. ℟. Officium Dominicæ ponendum eſſe in die libera, cum ulteriori protractione duplicis translati, cujuſcumque ſit claſſis, quippe hoc, cum jam e ſuo die ſit amotum, nullum inde perſentit incommodum, vel detrimentum; ubi alias feſtum ſemiduplex e ſuo die dimoveri deberet. Adde, quod feſtum ſemiduplex in ſua ſede poſitum, nulli feſto duplici translato cedit, quare expoſcit utique ratio, quod cauſa faciendi ſpatium Dominicæ, duplex ulterius protrahatur, & non ſemiduplex e ſua ſede deturbetur. Dum itaque Rubrica impedito Sabbato, prædicti ſemiduplicis translationem mandat, intelligi debet de Sabbato impedito per feſtum IX. lectionum occurrens, non translatum.

LXXXI. Quæres 8. quid ſi Sabbatum ſit impeditum per feſtum IX. lectionum ad libitum, puta per feſtum S. Canuti, ut non ſemel contingit?

LXXXII. ℟. Supprimendum eſſe feſtum ad libitum, quod translationem non patitur, & in Sabbato agendum eſſe de officio Dominicæ, ut magis dicemus in expoſitione ſequentis Decreti.

DE-

DECRETUM III. CAPITIS, IN ORDINE CXXI.

Officia Sanctorum ad libitum ſive duplicia, ſive ſemiduplicia, occurrentia in die quo fieri debet officium de Dominica anticipanda ante Septuageſimam; vel ante Dominicam 24. poſt Pentecoſtem, non ſunt recitanda cum commemoratione dictæ Dominicæ, neque transferenda, ſed potius omittenda. S. R. C. 4. Aprilis 1705. *in Lycien.* Ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 234.

I. AD caſum Dominicæ ſecundæ poſt Epiphaniam anticipandæ, de quo in præcedenti actum eſt Decreto, præſentem lubens limitarem ſanctionem; hæc enim Dominica adeo juris habet, ut quando opus ſit, etiam feſtum ſemiduplex de præcepto transferri debeat, ut ejuſdem officio ſpatium paretur; vult autem ratio, quod quando unum ex duobus cedat, oportet, illud cedat, quod ſui eſſe debilius fundamentum habet, cujuſmodi eſt officium ad libitum, cujus recitatio a mero Cleri pendet arbitrio. Verum cum Decretum omiſſionem officii ad libitum indicat, ut etiam locus pateat officio Dominicæ anticipandæ *ante Dominicam 24. poſt Pentecoſtem*, limitationem ad caſum prædictæ Dominicæ ſecundæ, quæ eo tempore anticipari non poteſt, proculdubio non patitur, ſed in tota ſua latitudine venit accipiendum de quacumque Dominica *anticipanda vel ante Septuageſimam, vel ante Dominicam 24. poſt Pentecoſtem*.

II. Hæc ſane adeo patenter in Decreto expreſſa ſunt, ut non deſinam mirari, quomodo Meratus, qui in ſuum indicem Decretum invexit, *ſect. 6. cap. 8. num. 5.* adhuc arbitrio committat, vel recitare de Dominica anticipanda cum omiſſione officii ad libitum, vel de officio ad libitum cum commemoratione Dominicæ. Hoc tamen præſtat cum exceptione Dominicæ ſecundæ poſt Epiphaniam, cujus officium die 19. Januarii cum omiſſione S. Canuti aſſignat in Tabula 3., & idipſum prius ipſo præſtiterat Gavantus in eadem occurrentia, & Tabula. Utinam vero uti id præſtat Meratus in memorata Tabula, ſic hoc ejuſdem factum conforme foret doctrinæ, quam tradit loco citato, ubi arbitrio relinquit die 19. Januarii de S. Canuto officium facere cum commemoratione Dominicæ, quæ alia eſſe non poteſt, quam ſecunda poſt Epiphaniam, & quod turpius eſt in hac re, cum aperta læſione Rubricæ particularis, de qua fuſe egimus in præcedenti Decreto, quæque Sabbato impedito, officium Dominicæ ſecundæ in prima die poſt octavam Epiphaniæ præſcribit eſſe faciendum cum translatione feſti ſemiduplicis in ea occurrentis.

III. Heu quam nos piget, & pudet trahi perſæpe a zelo veritatis ad refellendam Merati doctrinam, & praxim. O quam veremur, ne quis nos incuſet, quaſi Meratum, quem cæteroquin plurimi facimus, carpendi provinciam ſuſceperimus! Ah quam lubentes ab hujuſmodi temperaremus utique, ſi benevolo Lectori non timeremus eſſe injurioſos, atque damniferos, dum eumdem ab æſtimatione plurima, quam communiter, & merito compararunt ſibi Merati Commentaria, tapi ſineremus ad ea, quæ haud regunt ad bonas officii leges! Valeat tamen Merati ſententia pro caſu, in quo intra hebdomadam detur dies altera libera, in qua officium Dominicæ celebrari queat; tunc enim & noſmetipſi omiſſionem feſti ad libitum liberam noſcimus, non neceſſariam, cum adhuc ſervetur intentio Decreti, parandi ſcilicet locum officio Dominicæ, quod alias cum ſola commemoratione deberet peragi, nec neceſſarium eſſe poſſit cum alieno incommodo conſulere alicujus commodo, quod adhuc æque bene haberi poteſt.

IV. Amplia etiam ad caſum totius hebdomadæ impeditæ; in quo adſit translatum aliquod, quod ſtatim occuparet diem per omiſſionem feſti ad libitum factam liberam, officium quippe hujuſmodi Dominicarum ex Rubrica IV. *de Domin. num.* 4. cedit cuicumque translato; quare cum tunc officium Dominicæ adhuc impeditum maneat, non minus ac ſi celebraretur occurrens feſtum ad libitum, ad hunc caſum haud arbitramur adaptabile eſſe Decretum, cujus cauſa finalis, quæ *ex l. cum Pater 8. Dulciſſimis ff. de legat.* a. reſtringit, aut ampliat conſtitutionem ad limites ſuos, æque non haberetur. Lata itidem fuit lex de omittenda nona lectione ſimplicis infra octavam Corporis, ne ſcilicet taceretur lectio loquens de SS. Sacramento, at quoniam per illius omiſſionem non invehebatur lectio SS. Sacramenti, quoties infra dictam octavam agitur officium de Sanctis, declaratum non ſemel fuit, legem illam non extendi ad dictum officium de ſanctis. Cum itaque quoties poni inſtat translatum aliquod, per omiſſionem feſti ad libitum adhuc non fiat utile ſpatium officio Dominicæ, idcirco haud in hujuſmodi caſu videtur neceſſaria, & indicta omiſſio feſti ad libitum, ſed libera, Decretum quippe ad caſus utiles, non inutiles referendum eſt, præſertim cum ſit limitativum gratiæ, & facultatis agendi officium ad libitum.

V. Dices 1. officium Dominicæ anticipandæ cedit officiis translatis, quibus neceſſario non cedit officium ad libitum, ergo nec hoc neceſſario cedet officio dictæ Dominicæ.

VI. ℟. Quod officium Dominicæ non cedebat olim feſtis translatis, & ſolum teſte Gavanto *ſect. 3. cap. 5. num. 9.*, in poſtrema Breviarii recognitione id fuit præſcriptum, crederem, in executionem Rubricarum, quæ feſta translata ſemper amandant ad primam diem officio IX. lectionum, cujuſmodi non eſt officium dictæ Dominicæ, non impeditam. Feſtum autem ad libitum de neceſſitate non cedit translatis; quia hæc inde nullum detrimentum præſentiunt, cum altera die integrum eorumdem reſumatur officium. Quod ſi alias translatis locus minime pateret, vel ad ſimplicium ritum deberent redigi, officium ad libitum omittendum eſſe, jam diximus agentes de feſtis ad libitum. Quia itaque in caſu noſtro adimitur locus officio Dominicæ, & hoc ad ſimplicem commemorationem redigitur, non incongrue omiſſio officii ad libitum decreta fuit.

VII. Dices 2. incongrue indici omiſſionem officii ſemiduplicis, vel duplicis in gratiam officii ferialis, cujuſmodi eſt officium Dominicæ.

VIII. ℟. Id quidem, quando duplex, aut ſemiduplex de præcepto foret, ſecus ſi ad libitum; unde & horum duplex abſque incongruitate omittitur, ut agatur de ſemiduplici de præcepto ſimul occurrente, etſi adhuc hoc cauſa translationis integrum ſuum recuperaret officium; quidni igitur ſimiliter, ne officium Dominicæ ad ſimplicem redigatur commemorationem? Ratio horum omnium eſt, quia de officiis ad libitum non eſt judicandum juxta Rubricarum mandata, de quibus lata non ſunt, ſed juxta mentem, & leges concedentis, a quibus in ſuo eſſe unice pendent; uti in recitari ab arbitrio Cleri.

IX. Dices 3. Neceſſe non eſt ſupprimi feſtum ad libitum, ut fiat locus ſimplici de præcepto, ut alibi dicitur, ergo nec ut fiat officio feriali Dominicæ.

X. ℟. Utique loquendo de officio ſimplici Sanctorum, ſecus de officio Dominicæ, quod licet feriale ſit, admodum præſtat illi, quodque præ feſtis ſimplicibus privilegiari decuit maximam ob ejuſdem dignitatem, ac multiplices prærogativas, quas præ illis habet, ob quas, ut ait D. P. Auguſtinus *ſerm. 251. de Temp.*, eidem debetur honor, & reverentia. Quas ob prærogativas, & dignitatem ſicuti præ feſtis ſimplicibus anticipatur, quoties propriam ſedem non habet, quocumque feſto occurrente nunquam commemorationem, & nonam lectionem deperdit, & præfertur officiis votivis, licet hæc ſemiduplicia ſint, ita & privilegio ſupprimendi feſta ad libitum, quando opus ſit, decorari decuit.

XI. Quæres, an præſens Decretum extendi quoque debeat ad ferias majores, & vigilias, ita ut feſtum ad libitum in his occurrens, omitti debeat? Et videtur, quod ſic ob identitatis rationem, quæ eamdem legis diſpoſitionem expoſtulat; non minus enim omnes hæ feriæ officiis votivis præferuntur, quæ ſe habent inſtar officiorum ad libitum, commemorationem nunquam deperdunt præter vigilias, quæ tamen in ſola occurrentia cum feſto 1. claſſis illam amittunt, ſuamque homiliam ſemper aſſequuntur, feriis Adventus dumtaxat exceptis, quia illam non habent, nec non Vigiliis, quæ in feſto itidem primæ claſſis illam deperdunt.

XII. Fatemur quidem, quod hæc adeo multa ſunt, ut de facili noſmetipſos traberent ad aſſentiendum memoratæ extenſioni, niſi perpenderemus officii Dominicalis præ præfatis feriis dignitatem maximam, excellentiam ſummam, ac prærogativas plurimas, quæ unitim cum allegatis in favorem dictarum feriarum cauſa optime eſſe potuerunt præſentis Decreti; quæ tamen cum deſiderentur in iiſdem feriis, & Vigiliis, nos haud ſinunt prædictæ extenſioni aſſentiri, præſertim cum ſimus in odioſis, in quibus vulgatæ Juris regulæ reſtringendum eſſe, non ampliandum diſponunt. Prærogativæ autem, dignitas, & privilegia plurima diei Dominicæ, ac officii ejuſdem in præliminaribus Capitis potiſſimum recenſita fuere.

XIII. Conſonat denique Decretum cum ſanctionibus omnibus illis, in quibus officia votiva locum non habere decernitur iis diebus, quibus poni debet officium Dominicæ anticipandæ, quoniam officia votiva vel ad libitum ſunt, vel ad claſſem officiorum ad libitum reducuntur, ut dicitur in capite de officiis votivis.

DECRETUM IV. CAPITIS, IN ORDINE CXXII.

Ubi Feſtum S. Thomæ Epiſcopi Cantuarienſis, & Martyris celebratur ſub ritu duplici, ſi occurrerit in Dominica, recitandum erit officium de ſancto cum commemoratione Dominicæ, & die 30. Decembris agendum de die infra octavam Nativitatis. S. R. C. 1. Martii 1681. *in una Canon. Regul.* Ex Merato in Indice Decret. Brev. num. 120.

I. DOminicæ ſecantur *in vacantes*, *& non vacantes*. Dicuntur *vacantes*, de quibus ne quidem commemoratio fit in die, qua occurrunt; *non vacantes* vero, quæ vel officium, aut ſaltem commemorationem cum nona lectione obtinent. Non vacantes ſunt Dominicæ omnes præter eas, quas ſtatim inter vacantes rejicimus, quare de Dominicis ſemper officium agi videmus, ſin minus, ſaltem commemorationem. Vacantes ſunt dumtaxat, quæ incidunt in feſta Nativitatis Domini, S. Stephani, S. Joannis Apoſtoli, SS. Innocentium, ac horum feſtorum omnium dies octavas, nec non in Vigiliam, feſtum, & diem octavam Epiphaniæ; de his enim omnibus nihil omnino agitur in officio diei. Dominicas Paſchæ, & Pentecoſtes fortaſſe quiſpiam in catalogo vacantium collocabit, quia de iiſdem nihil agi videtur, reipſa tamen officium totum eſt de Dominica, a prima uſque inſtitutione pro proprio eiſdem aſſignatum, quare & in Tabella Dominicarum majorum recenſentur, & *Dominica Reſurrectionis, & Pentecoſtes* ibi, & alibi appellantur. Nec officit, quod in Tabella duplicium 1. claſſis itidem recenſeatur, ut inde arguas, non *Dominicas*, ſed *feſta* eſſe; conſulto enim ea Tabella non inſcripta

fuit

fuit *Feſta duplicia* 1. *claſſis*, ſed *Duplicia* 1. *claſſis*, ut nempe deſignatum foret, omnia, quæ in eadem notata ſunt, etſi duplicia 1. claſſis ſint, non tamen fortaſſe preſſe Feſta 1. claſſis, licet poſtea nihilominus utramque denominationem iiſdem æque bene competere poſſe nos arbitremur.

II. Etſi autem a Nativitate Dominica ad octavam Epiphaniæ tres Dominicæ quandoque occurrant, non tamen omnes queunt eſſe ſimul vacantes, ſed earumdem aliqua in proprio die ſemper recolitur. Vel igitur iſtarum nulla vacat, & evenit, quoties dies ultima Decembris eſt Dominica, vel ad ſummum duæ, quando ſcilicet in Dominicam incidit vel feſtum Nativitatis, Epiphaniæ, aut SS. Stephani, Joannis, ſeu Innocentium. Una vero dumtaxat vacat, quando Dominica occurrit in Vigiliam Epiphaniæ. Quæ vacans quandoque eſt intra octavam Nativitatis, ejuſdem officium ponitur die 30. Decembris, & quam vacare contingit ob incidentiam in diem octavam Epiphaniæ, anticipatur in Sabbato, & ſolum Dominica illa, quæ a die Circumciſionis ad diem Epiphaniæ incluſive occurrere poteſt, quia non ſemper locum habet, nullum habet officium in Breviario, ita ut nec de ea aliquid in proprio die agendum ſit, nec altero die ejuſdem officium reſumi poſſit, aut debet, niſi dixeris Vigiliam Epiphaniæ nomine tenus eſſe Vigiliam, re autem vera Dominicam, in eaque poni officium Dominicæ quæ in memoratis diebus occurrere poteſt, quod non reprobat Guyetus *lib.* 4. *cap.* 12. *quæſt.* 7.

III. Quærit Gavantus *ſect.* 3. *cap.* 5. *num.* 4., cui a Nativitate ad Epiphaniam dentur hujuſmodi Dominicæ vacantes, & reponit quod incongruum erat, ſi occurreret feſtum Nativitatis, vel circumciſionis aut Epiphaniæ in Dominica, quod ſimul cum feſto Domini fieret eodem die commemoratio de feſto ejuſdem Domini, qualis eſt Dominica, & quod in gratiam ejuſdem Nativitatis, & Circumciſionis nec in tribus ſequentibus feſtis, & diebus octavis SS. Stephani &c. habetur ratio Dominicæ occurrentis. Frivola admodum eſt illa ratio, nec tanto digna Auctore; in omnibus quippe feſtis Domini, puta Nominis Jeſu, fit commemoratio occurrentis Dominicæ, & quod magis eſt, etiam in officio Dominicæ, quod ponitur infra octavam Nativitatis, aut Epiphaniæ, fit commemoratio ejuſdem Nativitatis, vel Epiphaniæ; quidni igitur & in feſto Nativitatis, Circumciſionis, aut Epiphaniæ poſſet fieri commemoratio Dominicæ, ſicut de hac, quando fit in Sabbato, reipſa commemoratio agitur in primis Veſperis diei octavæ Epiphaniæ, uti & in die Epiphaniæ de ſequenti Dominica.

IV. Quod vero ſubdit de Evangelio Dominicæ haud apte congrue legi in die Nativitatis, ſi in eam Dominica incideret, ſed magis Chriſto nato, non naſcente per repræſentationem quandam, ſtatim corruit ſi ponderetur adhuc legi intra octavam, in qua Chriſti Nativitas repræſentatur, & multo magis quod in fine Miſſæ ejuſdem Nativitatis legitur Evangelium de adoratione Magorum, quæ licet tribus, & decem diebus poſt Nativitatem communius adſcribatur, non deſunt tamen, qui eam protrahunt ad menſem, aut ad dies 40., & uſque ad annos; quinimmo in Feſto Nominis Jeſu, in quo Chriſtus proponitur ut puer octo dierum in Circumciſione nomen accipiens, ratione Dominicæ legitur Evangelium de converſione aquæ in vinum, quæ poſt Chriſti uſque Baptiſmum in Nuptiis Canæ Galileæ patrata legitur.

V. Propius vero accedendo ad Decreti explanationem, Dominica, quæ intra octavam Nativitatis accidit, quæque in quatuor prioribus feſtis occurrens, vacare dicitur, ejuſque officium die 30. Decembris ponitur, in diebus 29. 30. & 31. utile ſpatium habet, quoties in iiſdem occurrit, ita tamen ut in die 29. totum officium habeat cum tranſlatione S. Thomæ in diem ſequentem, integrum itidem officium, ſi incidat in diem 30., ſolam vero commemorationem cum nona lectione in caſu incidentiæ in feſto duplici S. Silveſtri, ſeu in die 31., & tunc die 30. non amplius ſit officium de Dominica, ſed de die infra octavam Nativitatis. Hæc extra omnem dubitationem poſita ſunt, utpote apertis caracteribus firmata per Rubricas poſitas in feſtis SS. Innocentium, & Thomæ, & die 30. Decembris; at dubitandi rationem dedere, an ubi feſtum S. Thomæ duplex eſt, adhuc locum habere debeat Rubrica illud in diem ſequentem amandans, & officium de Dominica præſcribens, vel magis faciendum ſit de S. Thoma cum tranſlatione officii Dominicæ in diem 39., ſicuti fit, quoties Dominica incidit in præcedentia quatuor feſta, vel demum faciendum ſit de S. Thoma cum commemoratione Dominicæ, & die 30. agendum de die infra octavam Nativitatis, inſtar illius quod Rubrica præſcribit pro caſu incidentiæ Dominicæ in feſtum S. Silveſtri?

VI. Ex parte Congregationis Canonicorum Regularium, apud quam Feſtum S. Thomæ duplici ritu peragitur, dubia hæc declarari propoſita fuere; & Sacra Congregatio cenſuit *recitandum eſſe officium de Sancto*, quod cum duplex ſit, utique præferentiam habet ſuper officio ſemiduplici occurrentis Dominicæ. *Cum Commemoratione Dominicæ*, quæ conſequenter habere itidem debet nonam lectionem Homiliæ, licet ſuper hoc nihil Decretum teneat, dies enim 29. non eſt ex diebus, in quibus dicta Dominica vacat, ſed in quibus habet officium, quare ſi impeditur, transferri non poteſt, ſed cum ſola commemoratione, & nona lectione debet expleri inſtar aliarum Dominicarum, quæ impediuntur, & inſtar ejus, quod eadem de cauſa fit, quoties præfata Dominica incidit in feſtum S. Silveſtri, cujus Rubrica in præſenti caſu ob rationis paritatem, & caſus ſimilitudinem locum acquirit, quidquid præſcribat Rubrica de feſto S. Thomæ, quæ procedit illud ritus ſemiduplicis ſupponendo, *& die 30. Decembris agendum de die infra octavam Nativitatis*, uti præſcribit eadem Rubrica S. Silveſtri, & ratio demonſtrat; quippe cum de Dominica in die 29. jam actum ſit, non poteſt amplius diem 30. ejuſdem officium occupare, quapropter opus eſt, ſuccedat officium de octava Nativitatis, quæ nondum eſt abſoluta, & ſuper aliis tribus Sanctorum tunc occurrentibus præferentiam habet.

VII. Ex his habes, quid faciendum ſit, ſi die 30. alicubi occurrat feſtum duplex, & ſimul Dominica; officium enim agendum erit de feſto cum commemoratione, & nona lectione Dominicæ, quod itidem præſtandum erit, quando Dominica incidit in feſtum Nativitatis, aut tria ſequentia, quia tunc officium Dominicæ transfertur in diem 30., & in ea reputatur occurrens; ſecus vero incidente Dominica in dies 29., aut 31., quia ejuſdem officium in iiſdem diebus aut ponitur, aut per commemorationem expletur.

VIII. Infra Octavam Nativitatis Dominicæ in Veſperis, licet officium agatur de Sanctis, dicuntur Antiphonæ. *Tecum principium &c.* cum ſuis Pſalmis attento ritu feſti pro duplicatione, necne earumdem, ut nos edocent Rubricæ poſitæ in feſtis S. Stephani, & S. Thomæ Cantuarienſis. Dubium tamen inſurgit, an itidem in feſto duplici primæ Claſſis, ſi quod alicubi occurrat die 31. Decembris; & negat Gavantus *Sect.* 6. *cap.* 6. *n.* 9. qui eaſdem pridie in Veſperis terminari aſſerit. Gavantum carpit Guyetus *lib.* 4. *cap.* 19. *quæſt.* 5. quia prima ex allegatis Rubricis dicit *eas eſſe dicendas in feſtis infra octavam occurrentibus*, & octava non terminatur niſi in die Circumciſionis, quæ propterea præfatis antiphonis nihil juris adimit, per hoc quod habeat officium proprium, quo ſi careret, utique & Circumciſionis feſtum dictas antiphonas admitteret. Guyeto nos ipſi ſubſcribimus; quia negari non poteſt quod tale feſtum intra octavam recurrat, adeoque juxta productam Rubricam præfatæ antiphonæ dicendæ erunt, quidquid ſcribat Meratus *ibidem n.* 3.

IX. In primis Veſperis duplicis 2. claſſis commemorationem agendam eſſe de præcedenti duplici minori, Rubricarum eſt generalis regula, quæ tamen fallit in feſto S. Silveſtri, quod in Veſperis Circumciſionis commemorationem non habet. Idipſum erit, ſi alicubi occurrat feſtum aliud particulare duplex minus, quinimmo quia duplex majus quoad commemorationem de ipſo agendam inſtar duplicis minoris ſe habet, nos haud refragamur, idem præſtandum fore, ſi occurrat duplex majus, ſecus vero ſi ſit altioris ritus. Cur autem illud præſcriptum extiterit, forſitan ut hinc inſtruamur, quod vetera cuncta debent recedere, dum in Domino innovamur.

X. Fallit itidem Rubrica alia, quæ a duplici 2. claſſis commemorationem octavæ depellit, cum tamen feſta S. Joannis Apoſtoli, & SS. Innocentium prædictam commemorationem admittant; hanc tamen deperderent, ſi alicubi primæ claſſis forent, dempta illa Nativitatis, quæ ratione privilegii numquam omittitur. Quod ſi occurrat feſtum aliud 2. claſſis, dictarum octavarum commemoratio itidem deperit, quod enim octavæ v. g. Sancti Stephani commemoratio fiat in feſto S. Joannis, caſus peculiaris eſt, qui ad alios non eſt extendendus, nec id eidem competit ex privilegio ſibi facto, ſed ex convenientia quadam inter ipſas tres octavas pari ei, quæ eſt inter ipſamet etiam feſta, ut bene advertit Guyetus *lib.* 4. *cap.* 6. *quæſt.* 3.

XI. Caſtaldus *lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 1. ut Rubricas ſervari aſſerat, dum feſto S. Stephani ſecundæ tribuuntur Veſperæ, quæ alias ratione dignitatis Apoſtolicæ S. Joanni deberentur, in ſerie duplicium primæ claſſis S. Stephanum collocat, quo in caſu etiam commemoratio octavæ ejuſdem rite præfertur illi S. Joannis. Communiter tamen nonniſi ritus duplicis 2. claſſis cenſetur, & Guyetus *lib.* 4. *cap.* 14. *quæſt.* 2. autumat eatenus Veſperas non cedere ſequenti S. Joanni, quod & primis careat, & ſecundas ipſas nonniſi dimidiatas habeat proper antiphonas, & pſalmos de Nativitate. Futilis eſt iſta ratio, quoniam in feſtis cæteris ſervantur ſemper Rubricæ, tametſi utriuſque Veſperis illorum aliquod deberet carere; & aliunde in ſequentibus diebus commemoratio octavæ S. Stephani nobiliorem locum cedere deberet commemorationi octavæ S. Joannis, utpote de qua ratione dignitatis officium faciendum foret, ſi a feſtis, & octava Nativitatis impedita non eſſet. Credimus itaque ex particulari id fieri privilegio S. Stephano congrue facto, quia in eo primitiæ Martyrum conſecratæ fuerunt, ut alibi diximus loquendo de die octava ejuſdem relate ad diem octavam prædicti S. Joannis.

XII. Quod ſi Feſtum S. Joannis, aut SS. Innocentium foret Titulus, aut Patronus, integras aſſequeretur Veſperas ratione ritus duplicis primæ claſſis, atque ſolam admitteret commemorationem octavæ Nativitatis, non vero cæterarum octavarum, & illius commemoratio in ſequentibus diebus foret aliis præferenda, *Integras* tamen ſine excluſione antiphonarum, & Pſalmorum Nativitatis, quæ ſemper dicuntur infra octavam Nativitatis, quodcumque occurrat feſtum. Si in aliquo ex dictis tribus feſtis occurrat feſtum primæ Claſſis, hoc habebit officium, & illud quanam die ſit reponendum, jam diximus in Decreto primo cap. 6.

XIII. Ob lacrymas Matrum, ait Amalarius *lib.* 1. *cap.* 41. in feſto SS. Innocentium non dicitur *Te Deum*, quod lætitiam ſonat, & eadem de cauſa color violaceus adhibetur. In

Octa-

Octava vero, quæ beatitudinem deſignat, & quotieſcumque dictum feſtum incidit in Dominicam, ob lætitiam Dominicæ reſurrectionis dicitur, & color rubeus uſurpatur; quod & præſtandum cum Gavanto credimus, ubi eſt Titularis, vel Patronus, cum dulendum non ſit in hujuſmodi ſolemnibus feſtis. Micrologus *cap.* 36. in officio lugubris cauſæ rationem affert, quod deſcenderunt ad Limbum, nec adepti ſunt gloriam, niſi poſt Chriſti mortem. Addit Joannes Abrincenſis, *Quia illis occiſis ſit mors Chriſti ſecundum æſtimationem Herodis*. Verum poſtremæ hæ duæ rationes admodum non videntur validæ, & Decollatio S. Joannis Baptiſtæ, qui deſcendit itidem ad Limbum, evidenter oſtendit, dilatam gloriam poſt Chriſti mortem non invehere officium lugubre. An cum ſignis lætitiæ celebrandum ſit hocce feſtum in Eccleſiis, in quibus SS. Innocentium aſſervatur corpus aliquod, vel inſignis Reliquia, non conveniunt Auctores; aſſerit enim Bauldryus *par.* 4. *cap.* 2. *num.* 38., negativam in partem inclinat Halden *par.* 2. *tit.* 12. *num.* 28., cui nos aſſentimur magis: non putamus ſiquidem hinc tantam exoriri ſolemnitatem, quæ ſufficiat ad diſformandum a ritu univerſalis Eccleſiæ, uti hoc ipſum edocet Gavantus de Eccleſiis, quæ SS. Innocentes habent in Altaris titulum. Quod de officio, itidem eſto judicium de Miſſa quoad lætitiæ ſigna.

XIV. Nonniſi poſt magorum adorationem indubium eſt Innocentium ſtragem fuiſſe peractam; ad quod autem uſque tempus fuerit protracta, diſſident Auctores, ut inferius videbimus agentes de magorum adoratione, quæ ſi contigit diebus 13. poſt Dominicam Nativitatem, ut communius creditur, cautela occidendi infantes a bimatu, & infra, quam tenuit Herodes, ne Jeſus a cęde eſſet immunis, utique evincit de prędictæ ſtragis dilatione. Prudentius, qui panxit hymnum de Innocentibus poſt hymnum de Epiphania, Innocentium feſtum poſt Epiphaniam olim celebratum fuiſſe denotat; deinde vero Nativitati conjunctum extitit, veluti ut ad Chriſti cunas cogeretur ii, qui primi poſt Chriſtum natum paſſi eſſent, quique cauſa occidendi Chriſti vix nati fuerunt interempti. In horum officio omittitur antiphona, *Tradiderunt corpora ſua in mortem, ne ſervirent idolis*, quæ adaptari non poteſt Innocentibus, qui ſine cognitione, & delectu mortui ſunt.

XV. Quoniam ſciri non poterat dies mortis S. Stephani, qui primus poſt Chriſtum natum paſſus eſt, ejuſdem feſtum ſtatim cæptum eſt coli poſt diem Natalem Chriſti, hinc in Oriente, ubi Chriſti Nativitas ſimul cum Theophania die 6. Januarii celebrabatur, die 7. ejuſdem fuit excultum, quod poſtea ad diem 26. Decembris tranſlatum eſt, quando Nativitatis Jeſus dies 25. Decembris inibi aſſignata eſt, ad Eccleſiæ occidentalis exemplum, quæ Nativitatem Chriſti die 25., & Feſtum S. Stephani die 26. Decembris in uſum ſemper habuit celebrare. Ceterum Luciano teſte præfata die 26. celebris eſt prima tranſlatione Reliquiarum S. Stephani, quæ die 19. ejuſdem menſis inventa fuerant, Jeroſolymis facta ad Eccleſiam Sion; hinc Baronius *in notis ad Martyr. ad diem* 3. *Auguſti* miratur, cur Inventio S. Stephani in Kalendario Romano ſub die 3. Auguſti notetur, cum ea dies nec Inventione, nec tranſlatione aliqua, licet poſtmodum facta, reperiatur inſignis. Concludit autem, hoc forſitan factum extitiſſe, quod ea dies longe ante Inventionem in honorem S. Stephani fuerit dedicata, poſtmodum inſigniori reddita ex adjecta commemoratione prædictæ Inventionis. Certe antiqua monumenta non deſunt S. Stephani die 3. Auguſti particulariter exculti in memoriam unius ex lapidibus, quibus percuſſus fuit, in Italiam delati, & Anconæ relicti. Videatur idem celeberrimus Auctor.

XVI. Ex aliquibus Ordinibus Romanis luculenter eruitur, poſt feſtum S. Stephani olim celebrari conſuetum fuiſſe feſtum S. Jacobi Apoſtoli, qui poſt S. Stephanum primus martyr eſt, & in eo colebatur itidem S. Joannes ejus frater, qui ſolus in Natali remanſit, poſtquam tranſlatio Reliquiarum S. Jacobi ad diem 25. Julii feſtum hujus Apoſtoli immobile, ac perpetuum reddidit. Græci feſtum S. Joannis Evangeliſtæ agunt die 26. Septembris, quam diem eſſe autumant mortis ejus.

XVII. De *Fatuorum feſto* curſim ſuccedit agere, quod hiſce verbis deteſtatur Synodus Baſileenſis ſeſſ. 21. *Turpem illum abuſum in quibuſdam frequentatum Eccleſiis, quo certis anni celebritatibus nonnulli cum Mitra, baculo, ac veſtibus Pontificalibus, more Epiſcoporum benedicunt, alii ut Reges aut Duces induti, quod feſtum Fatuorum, vel Innocentium, ſeu Puerorum in quibuſdam regionibus nuncupatur, alii larvales, & theatrales jocos, alii choreas, & tripudia marium, & mulierum facientes, homines ad ſpectacula, & cachinnationes movent, alii commeſſationes, & convivia ibidem præparant. Hæc ſancta ſynodus deteſtans ſtatuit, & jubet &c.* Hujuſce feſti meminit etiam Durandus *lib.* 7. *c.* 42. ex quo a Diaconis in feſto S. Stephani, a Sacerdotibus in feſto S. Joannis Evangeliſtæ, a junioribus Clericis in feſto SS. Innocentium, & a Subdiaconis aut in feſto Circumciſionis, vel in feſto Epiphaniæ, ſeu hujus die octava celebratum fuiſſe diſcimus. Quod a junioribus Clericis in SS. Innocentium agebatur feſto, potiſſimum in ſcandalum ceſſaret, ac chriſtiani nominis dedecus; in veſperis enim S. Joannis ad magnificat cum ad verſiculum *Depoſuit* ventum erat, cantor deponebat baculum, dabatque juniori clerico, qui tunc incipiebat chorum regere uſque ad finem officii poſterioris diei. Ex clericis eligebatur, qui Epiſcopi perſonam induerent, Dignitatum uſurparent titulos, loca occuparent miniſtris deſtinata. Epiſcopum imitantes dabant benedictionem, geſtabant mitram, commeſſationes fiebant, & convivia, querelæ, & jurgia, ſpectacula etiam, & Populi riſus conſequebantur, & non ſemel choreæ, & tripudia marium, & mulierum.

XVIII. De Dominicæ Nativitatis, ac Circumciſionis feſtis agere ſupereſſet, ſed de his alibi ſermo habebitur.]

CAPUT XV.

De Vigiliis.

I. NOmen *Vigiliæ*, prout ad præſens ſpectat, & ipſa fert nominis etimologia, a *vigilando* derivat, eo quod primis Eccleſiæ temporibus ſolerent fideles in præcipuis feſtivitatibus noctem in Eccleſia divinis laudibus traducere, de qua inſignis eſt D. P. Auguſtini locus in Pſalmum 85. *ſi modo pugnamus contra nos, quamvis geramus domum ſomni carnem iſtam, & evigilamus in his luminaribus, & ſolemnitas iſta* (S. Cypriani) *dat nobis animum vigilandi, dies illa* (æterna ſcilicet) *quales nobis vigilias dabit?* Ad id alludit Plinius *in Epiſt. ad Trajanum*, ubi Chriſtianorum deſcribens mores aſſerit, *quod ſoliti eſſent ſtato die ante lucem convenire, carmenque Chriſto quaſi Deo dicere*. Verum nocturnas vigilias crebro quidem, ſed præſertim noctibus feſtos dies proxime precedentibus a Chriſtianis fuiſſe actas, adeo frequentibus, & perſpicuis veterum teſtimoniis compertum eſt, ut dubitari ea de re minime poſſit: hinc Martene *to.* 4. *veteris edit. cap.* 11. *num.* 1., congeſtis pluribus ſanctorum Patrum, ac Conciliorum auctoritatibus concludit: *Ea fuit Eccleſia pia conſuetudo, ut præcipuas ſolemnitates, ſanctorumque feſtivitates vigiliis præveniret.*

II. Affirmarunt nonnulli S. Ambroſium hortatu S. Monicæ uſum vigiliarum ab Eccleſia eliminaſſe, quod chriſtianorum plurimi illud noctis tempus ludendo, ac choreas ducendo, & nonnumquam etiam in impudicitiis tranſigerent, & id firmant auctoritate ſermonis 25. qui S. Auguſtini nomine ſcriptus reperitur ad Fratres in Eremo. At tantum abeſt, quod tunc temporis Vigiliæ ſacræ abolitæ extiterint, quin potius numquam vigilantius, ſanctius, purius, & propenſiori ſtudio fuerint cuſtoditæ. Nam præter longiores excubias, frequentiſſimum cętum, conciones ad populum, S. Ambroſius addidit Vigiliis ſacros hymnos. Præſto illis erat cum cæteris S. Monica, & in eis, ut ſcribit S. P. Auguſtinus *lib.* 9. *Confeſſ. cap.* 7. primas partes tenebat. Et quidem quam ſolerti ſtudio Mediolanenſis Eccleſia ſacras vigilias ageret, teſtis eſt Ambroſius ipſe, qui *ſer. in Pſal.* 109. commendans vigiliarum obſervationem ait; *Jejunavimus Sabbato, vigilias celebravimus, orationibus prenoctanter inſiſtimus.*

III. In Eccleſia item Africana tunc temporis eædem Vigiliæ ſublatæ minime fuere, ſed magis in puriorem religionis cultum fuerunt reſtitutæ. Nam uſus citharæ, qui ea occaſione irrepſerat, quod ſcriptum eſſet in Pſalmo 70. *Pſallam tibi in Cithara, ſanctus Iſrael*, ejuſdem Auguſtini opera proſcriptus fuit, ut ipſemet ſcribit *Conc.* 1. *ſuper Pſal.* 32. Videatur idem Sanctus Doctor *in Conc. ad Catechumenos contra Judæos to.* 6., *ſerm.* 251. *de Temp. Serm.* 97. & 115. *de diverſis, ſerm.* 38. *ex Sirmondianis*, ubi dictarum vigiliarum meminit, ad eas frequentandas hortatur, putas fuiſſe oſtendit, quinimmo earumdem uſu ſublatos fuiſſe aſſerit perditiſſimos illius temporis mores, ut hinc eruatur, cujus fidei ſit ſermo ille, qui Auguſtini nomine ad Fratres in eremo circumfertur, & quam merito inter adulterinos ejuſdem communiter rejiciatur; ab Auguſtiniano enim calamo, & ſtylo eſt prorſus alienus, & Auctoris non admodum antiqui, ſed ſæculi undecimi juxta Chriſtianum Lupum, immo tertii decimi ſecundum plurimos alios.

IV. Sunt, qui dixerunt ſub finem ſæculi III. a Concilio Eliberitano, qui ſæcul. IV. a Conſtantio Imperatore, & denique Sæculo VI. a Concilio Altiſiodorenſi inhibitas eſſe Chriſtianorum vigilias, & qui a Bonifacio Papa I. Quintus, & trigeſimus *Eliberitani Concilii* Canon eſt: *Placuit prohiberi, ne fœminæ in Cœmeteriis pervigilent, eo quod ſæpe ſub obtentu orationis, ſcelera latenter committant.* Habet Conſtantius Imperator in edicto ad Cerealem lib. 16. Codicis Theodoſiani tit. 10. de Paganis leg. 5. *Aboleantur Sacrificia nocturna Magnentio auctore permiſſa & nefaria, deinceps licentia repellatur.* En demum tertius canon Concilii Altiſiodorenſis: *Non licet compenſos in domibus propriis, nec per vigilias in feſtivitatibus Sanctorum facere, nec inter ſentes, aut ad arbores ſacrivos, vel ad fontes vota exolvere.* Et Canon quintus: *Omnino, & inter ſupradictas conditiones, per vigilias, quas in honore S. Martini obſervant, omnimodis prohibere.*

V. Verum Concilium Eliberitanum interventum dumtaxat fœminarum in Vigiliis interdicit, non vigilias univerſim ſubmovet. Etiam Chriſoſtomus, ut refert Palladius in ejus vita cap. 5., *hortabatur Populos, ut in nocturnis precibus aſſidui eſſent, horum autem uxores domi remanerent*; & tamen quis dicet eidem ſacras diſplicuiſſe vigilias, quas admodum commendabat? En reſponſio altera, quod a vigiliis nec prorſus removentur mulieres, ſed ſolum ab iis, quæ *in Cœmeteriis*, non in Eccleſiis fiebant; veriſimile enim eſt ea cœmeteria abdita quædam, & ambagioſa fuiſſe loca, Romanis ſimillima, ubi perſecutionum tempore latebant, & Sacra myſteria celebrabant Chriſtiani, a quibus nocturno tempore prohibitæ fuere mulieres, ut non leve commodum, quod obtegendis, atque patrandis

trandis

trandis ſceleribus ea loca ſubminiſtrabant, præfatis Chriſtianis eriperetur. Ad Conciſium Altiſiodorenſe communis reſponſio eſt, vetari privatos fidelium conventus, vigiliaſque domi celebratas, necnon vigilias quaſdam ſuperſtitione agi ſolitas, ut liquet ex verbis ipſis Concilii, & ex Canone tertio, & quarto ejuſdem. Hanc autem eſſe rectam interpretationem diſerte oſtendunt, tum frequens vigiliarum uſus ſubſequentibus etiam temporibus in Gallia retentus, tum crebræ Vigiliæ in honorem ejuſdem S. Martini deinceps actæ, quarum meminit Gregorius Turonicus in quatuor libris, quos *miraculorum S. Martini* inſcripſit, cum tamen hic vixerit extremis ſæculi ſexti annis, adeoque poſt dictam Synodum, quæ celebrata fuit anno 578. Conſtantii vero lex Paganorum vigilias reſpicit, unde & titulus ejuſdem eſt *de Sacrificiis Paganorum*. Quod denique ad Bonifacium Papam attinet, nos monet Guyetus, ab eodem hanc ſuper rem nullum latum eſſe Decretum.

VI. Sæculo V. ex Gallia prodiit Vigilantius, qui eam Provinciam primus omnium multarum hæreſum lue fœdavit, & inter alia impia dogmata, Chriſtianorum vigilias impugnavit, eo quod in iiſdem nonnulla inter noctis obſcuritatem flagitia per fideles committebantur, ſola excepta vigilia Paſchæ, quam non auſit reprobare. Contra hunc inſurrexit D. Hieronymus, qui ea de cauſa eumdem non vigilantium, ſed *Dormitantium* appellat, & admodum concinne, & docte in hunc modum reſpondet. *Error, culpa juvenum, viliſſimarumque mulierum, qui per noctem ſæpe deprehenditur, non eſt religioſis hominibus imputandus; quia, & in vigilia Paſchæ tale quid fieri plerumque convincitur, & tamen paucorum culpa non præjudicat religioni, qui & abſque vigiliis poſſunt errare vel in ſuis, vel alienis domibus. Apoſtolorum fidem Judæ proditio non deſtruxit*. Equidem eorum, qui vigiliis ad ſui perniciem, & in aliorum ſcandalum abutebantur, cauſa rem optimam, & jampridem uſitatam ſubmovere noluerunt prudentiſſimi Patres, immo abuſus, ſi qui irrepſerant, pro viribus ſuſtulerunt, & eos, quos tollere non poterant, toleraverunt magis, quam per Sacrarum vigiliarum abolitionem maxima pietatis occaſione, ſummoque emolumento, ac ferventioribus ſpiritualibus exercitiis, quæ in iiſdem fiebant, fraudare probos; hinc invictis antiquitatis congeſtis argumentis vigiliarum uſum ad ſæculum uſque 12., & ultra in Eccleſia perduraſſe, docto calamo late demonſtrat Trobelli *tom. 1. par. 2. de cultu Sanctor.*

VII. Cum tamen abundante malitia, & refrigeſcente multorum charitate poſtmodum adeo ſacræ infectæ fuerint vigiliæ, ut irritos Eccleſiæ conatus, quæ eas corrigere, & emendare ſtudebat, effecerit populorumque pravitas, & antiquæ ſanctitati eaſdem reſtituere poſſe eadem Eccleſia diffideret, hæc ſatius adjudicavit bonos prædictis emolumentis privare, quam improbis, & perditis hominibus nefariorum ſcelerum occaſionem permittere, Regem Ezechiam imitata, qui 4. *Reg.* 18. 4. Serpentem illum æneum ex mandato Domini a Moyſe pridem erectum, qui populo fuerat ſalutaris, cum ſuperſtitionis occaſio Judæis eſſe cœpit, multa cum laude contrivit, & perdidit. Adeo verum eſt jure, meritoque tolli, abolerique, ſi eo abutantur populi, id quod primitus optimum erat, & ab improbitate alieniſſimum. Cæterum dum ſacras vigilias ſuſtulit Eccleſia, preces, hymnos, aliaque pietatis exercitia, quorum cauſa inſtitutæ illæ erant, minime vetuit, ſed dumtaxat eorumdem tempus immutavit. Quo autem tempore ſacræ deſierint in Eccleſia vigiliæ, facile non eſt determinare. Apud Pontem Audomari anno 1279. celebratum eſt Concilium, in cujus canone decimo inhibetur, quod itidem præſtitum fuit in canone 21. Concilii Palentini anno 1322. coacti, & Sanctus Carolus Borromeus in prima Synodo cap. 57. *Lector*, ait, *cujuſvis Eccleſiæ pernoctationes, aut nocturnas vigilias in ea poſt hac nemini permittat, ſed ſub noctis horam Eccleſiarum fores claudat. Neque ulla pacto quemquam præter ſacerdotes admittat, niſi nocte Natalis Chriſti Domini, cum Miſſa celebratur.*

VIII. Quod certi hac in re ſtatui valet, eſt quod nullo Concilii generalis aut Romani Pontificis Decreto vigiliæ ſublatæ fuerunt, deſiere fere tamen, ſed non ubique una ſimul, ſed plus minuſve juxta Regionum diverſitatem perdurarunt. Diximus *fere deſiere*, quia earumdem aliquæ adhuc perſtant reliquiæ; in univerſali Eccleſia Vigilia noctis Natalem Domini præeuntis aſſolet obſervari, in occidente adhuc earumdem plurimas frequentant Monachi, nonnullas Florentini Canonici, Populus Aſſiſienſis pridie feſtum S. Franciſci, Lauretanus pridie diem Translationis Almæ Domus, quam Deipara olim incoluit, & Guyeto teſte *lib. 1. cap. 17. quæſt. 1.* etiam num aliquæ inſigniores Eccleſiæ pie, & laudabiliter vigilias agunt, ſcilicet Aurelianenſis in nocte Inventionis S. Crucis, Cenomanenſis in nocte S. Juliani, S. Martini Turonenſis in nocte feſti tranſitus ejuſdem Sancti. In Oriente vero Græci vigilias in feſtivitatibus adhuc obſervare dicuntur. Quomodocumque tamen ſaltem univerſim deſierint, remanſit *vigiliarum* nomen ad ſignificandum jejunium, quod ſive jure ſcripto, ſive jure tradito, aut generali conſuetudine ſervatur pridie feſtorum ſolemnium.

IX. Opinantur plerique, auctore forſan Durando *Ration. lib. 6. cap. 7. num.* 8. vigiliarum loco ſubrogatum fuiſſe jejunium. Verum in vigiliis obſervatum itidem fuiſſe jejunium, ex producto ſermone S. Ambroſii, qui & refertur a Gratiano *diſt.* 76. C. *Noſſe*, luculenter eruitur; *Jejunavimus Sabbato, Vigilias celebravimus, Orationibus pernoctanter inſiſtimus*; cui & conſonant, ut in re a noſtro inſtituto quodammodo aliena paucis utamur, Sacramentorum Libri, qui S. Leoni, Gelaſio & Gregorio Magno tribuuntur, in quibus omnibus mentio inſtituitur hujuſmodi jejuniorum in Miſſis, quæ in Sanctorum vigiliis recitandæ præſcribuntur. Quod autem ex Concilio Salegunſtadienſi refert Gratianus *can. de jejun. diſt.* 76. nimirum quod *vigiliam ſimul & jejunium celebrari non convenit*, per jejunium non intelligitur actio jejunandi, ſed ipſum jejunium quatuor temporum; quod dicto canone cavetur, ne fiat in vigilia Pentecoſtes, ſicut id jam ſtatuerat de jejunio quatuor Temporum incidente in vigilia Nativitatis Domini. Etſi tamen Sacræ Vigiliæ jejunio deſtitutæ non fuerint, mos iſte non ubique terrarum ſervatus extitit; diſcimus quippe ex Gregorio Turonico *lib.* 10. *hiſt. cap.* 31. in Galliis ſine jejunio actas fuiſſe, & adhuc ex iis, quæ in univerſali Eccleſia modo jejunantur, non omnes hoc obſequii genere ibidem coluntur.

X. Quæres 1. quibus in vigiliis, & quo jure nunc ſit jejunandum?

XI. ℞. In vigiliis S. Mathiæ, Petri & Pauli, Jacobi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis, & Judæ, Andreæ, & Thomæ Apoſtolorum, Pentecoſtes, Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ, Laurentii, Aſſumptionis Deiparæ, omnium Sanctorum, & Nativitatis Domini. Quo autem jure non una, ſed triplex eſt Auctorum ſententia. Edocet prima jure ſcripto, & Pontificio, de quo *in cap. ex parte, & cap. Conſilium de obſerv. jejun.* Verum cum in hiſce Decretalibus nulla habeatur mentio vigiliarum Pentecoſtes, Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ, S. Laurentii, & omnium Sanctorum, certum eſt ad has jure ſcripto ſaltem non teneri fideles.

XII. Tradit ſecunda non Pontificis alicujus Decreto præfatas feſtivitates præveniri jejunio, ſed vi conſuetudinis communi conſenſione inductæ, atque firmatæ, tum eo tempore, quo vigilias agere cœperunt, tum præſertim poſtquam vigiliæ ſublatæ fuerunt; tunc enim cum vigiliarum obſequiis populi non amplius colere poſſent ſanctos, jejunii obſequium, quod jampridem ſanctis adhibebatur firmius, tenaci uſque amplexi ſunt, & communi quaſi conſpiratione retinere decreverunt.

XIII. Idipſum tuetur tertia ſententia, ſolumque addit; talem conſuetudinem firmatam eſſe, & comprobatam per ſynodorum & pontificum edictiones. Et quidem talis obligatio nonniſi a conſuetudine reperi poteſt, cum Pontifices ipſi Alexander III., & Innocentius III. in laudatis Decretalibus non quid novi indicere, ſed adniti, ne vetuſtus mos pereat, videantur; hinc feſta Beati Mathiæ, & Beati Bartholomæi *juxta conſuetudinem* celebranda eſſe reponunt, & Innocentius III. Archiepiſcopo Braccarenſi reſpondens, conſultationem præbet, non præceptum imponit: *conſultationi tuæ reſpondemus. &c.*, eiſdemque proponit conſuetudinem Romanæ Eccleſiæ ad imitandum; & quod magis ponderis eſt, nonnullæ, ut ſuperius dicebamus, vigiliæ ſunt in obſervatione jejunii, quarum dicti Pontifices non meminere. Quod autem habet Innocentius III. de Apoſtolorum vigiliis: *Vigiliæ ſunt in obſervatione jejunii celebrandæ*: non Pontifici reſpondenti adſcribendum eſt, ſed S. Raymundo, qui Pontificum reſponſa in Decretalium libros inſerens, ipſa expreſſa aliquando non retulit, ſed contraxit, phraſemque paulo ſeveriorem illis tribuit, ſicuti conſtat in caſu noſtro ex Raynaldo *ad annum* 1206. *n.* 35. non levem portionem Epiſtolæ Innocentii III. adducente, in qua præceptum non extat, ſed conſilium.

XIV. Ex præfatis vigiliis quatuor ab omnibus fere Galliæ Diœceſibus non jejunantur, ſcilicet Apoſtolorum Mathiæ, Jacobi, Bartholomæi, & Thomæ. Joannes Belethus *lib. de divin. off. cap.* 11., & Durandus *Ration. lib. 6. cap. 7. n.* 1. has dant rationes, quod S. Jacobi dies translationis, non mortis recolitur; de S. Bartholomæo, quod una die fuerit excoriatus, & ſequenti obierit, unde ejus vigilia in tertium diem rejicienda eſſet contra normam aliorum jejuniorum; de S. Thoma, quod incidat in Adventum, in quo quaſi continuum jejunium obſervare debemus; de S. denique Mathia quod frequenter in quadrageſima occurrat, in qua alioqui jejunatur, vel quia non ſit ex primitivis Apoſtolis, ſed poſt Chriſti paſſionem per aliorum electionem loco Judæ ſubſtitutus. Poſtremas has forſan ob cauſas in Diœceſi Carnutenſi ceſſat jejunium in vigiliis SS. Thomæ, & Mathiæ, quod in iis SS. Jacobi, & Bartholomæi ſervatur. Futiles, ac invalidæ cæteroquin ſunt iſtæ rationes ad eximendas a jejunio præfatas Eccleſias, quas Fagnanus *lib. 3. Decretal. par.* 2. obligatas cenſet per univerſalem conſuetudinem non obſtante contraria conſuetudine particulari, quam nuncupat irrationabilem. Verum cum hujuſmodi vigiliarum mos inibi invectus non ſit, ut eruitur ex Gregorio Turonico *lib.* 10. *hiſt. num.* 31. inter dies jejuniorum eas vigilias minime recenſente, aut ſi olim inductus fuit, is deſierit per longam conſuetudinem, non amplius Populos obligat, quinimmo legi, ſi quæ eſt, ac univerſali conſuetudini in hac parte derogavit.

XV. Quæres 2. cur Apoſtolorum Philippi, & Jacobi, ac Joannis vigiliæ non jejunentur?

XVI. ℞. Ex laudata Innocentii III. reſponſione hoc ideo eſſe, quod illorum feſtum occurrat tempore Paſchali, iſtius intra Natale Domini, quod protenditur uſque ad Epiphaniam; hæc enim tempora lætitiæ, & gaudii ob memoriam recens peractæ reſpective Reſurrectionis, & Nativitatis, & ideo haud putavit Eccleſia jejuniis fideles affligere, uti hac eadem de cauſa non jejunantur vigiliæ Aſcenſionis, & Epiphaniæ. Infra cum de his vigiliis agemus, alia dabitur ratio ex Thomaſſino, videlicet, quod olim a Nativitate ad Epiphaniam protendebatur

ſolem-

Digitized by Google

ſolemnitas Nativitatis, & una continuata celebritas cenſebatur, uti etiam a Paſchate ad Pentecoſtem, & ideo his temporibus nulla indicta ſunt jejunia, ad dictas feſtivitates viam ſternente jejunio Adventus, & Quadrageſimæ. In contrarium videntur facere Concilia Enhamenſe anni 1009., & Salegunſtadienſe anni 1022., ac Petrus Damianus *tom.* 1. *lib.* 6. *epiſt.* 35. Tu tamen dicito conſilium, & exhortationem, non præceptum imponere.

XVII. Carnutenſis, & nonnullæ aliæ Diœceſes Galliarum vigiliam item Pentecoſtes non jejunant, quod hæc pertineat ad tempus paſchale, quo tempore *Can. jejunium*, *Can. ſcire debet*, *can. poſt Paſcha*, *can. utinam diſt.* 76. eccleſiaſtica ſanctione nulla ſunt conſtituta jejunia. At cum excluſione dictæ vigiliæ profecto intelligendi ſunt allegati Canones, unde & quatuor Tempora Pentecoſtes jejunantur, licet modo tempore paſchali recurrant, quod uſque ad feſtum Trinitatis nunc extenditur. Vetuſtus admodum apparet in eadem vigilia jejunandi mos ex auctoritate Ambroſii relati cit. diſt. 76. *Noſſe Credo vos, Fratres, non minori lætitia celebramus diem Pentecoſtes, quam diem Sanctum Paſchæ celebrandum curavimus; tunc enim, ſicut modo facimus, jejunavimus, Sabbato vigilias celebravimus, orationibus pernoctantes inſtitimus, unde neceſſe eſt, ut ſimilem obſervantiam ſimilis lætitia conſequatur*, ubi ſubdit Gloſſa: *Vigilia Pentecoſtes neceſſario jejunanda eſt*. Idipſum ordinant Ordo Romanus, Capitularia Caroli Magni *lib.* 6. *cap.* 188., & B. Bonifacius Moguntinus *ſtat.* 34., atque Concilium Oxonienſe anno 1222. celebratum. Teſte Glabero *lib.* 3. *cap.* 3. anno circiter 1000. in pluribus Conciliis Galliæ, & Italiæ libera data eſt facultas jejunandi, vel non jejunandi prædicto tempore *excepta vigilia Pentecoſtes*. Bochellus *in compil. conſtit. Synod. Galliæ pag.* 606. eamdem vigiliam tanquam diem jejunii deſignat; quod & præſtat Rubrica Breviarii Romani VI. num. 5., & XXXIV. num. 3. Ubi itaque legitima contraria conſuetudo non excuſat, dubium non eſt, quod in memorata vigilia lex jejunii obligat.

XVIII. Duæ ſunt in Breviario Romano vigiliæ a jejunio immunes, Epiphaniæ ſcilicet, & Aſcenſionis Domini, ideo tamen retentæ, quia in his ſolemnitatibus, perinde ac in aliis, vigiliæ olim ſolemnes in Eccleſiis haberentur. In illa non jejunatur ob lætitiam Natalis Domini, in hac ob lætitiam temporis paſchalis, intra quod recurrit, ut declaratum vidimus ab Innocentio III. Thomaſſinus *de dieb. feſt. lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 13. *& ſeq.* Nativitatem Domini olim cenſitam eſſe docet unam feſtivitatem cum Epiphania, quæ propterea uſque ad hanc putabatur propagari, adeoque pervigilium Nativitatis, quod per totum Adventum protendebatur, ad Epiphaniam ſternere viam, uti olim quadrageſima pervigilium erat Paſchatis, & Pentecoſtes, eo quod paſchalia ſolemnia extendebantur uſque ad Pentecoſtem, pridie cujus propterea non jejunabatur, uti alicubi etiamnum uſuvenire dicebamus. Cæterum jejunii in dicta vigilia olim alicubi ſervati monumenta non deſunt, unde in Miſſali Mozarabico habetur Miſſa *de jejunio*, & in quodam antiquo Kalendario notatur in hac vigilia *Jejunium*, *& Miſſa hora nona*. Jejunii etiam meminit Concilium Salegunſtadienſe anno 1022., & S. Cæſarius Arelatenſis, qui floruit ſæculo circiter quinto, jejunium indixerat ſeptem dierum ante Epiphaniam, & Joannes Abrincenſis ait, alicubi in ea jejunatum fuiſſe, factumque officium lugubre, alibi diem feſtum eſſe celebratum. Petrus Damianus *Epiſt.* 35. *lib.* 6. jejunandum eſſe dicit; *Opuſc.* tamen 55. *cap.* 1. jejunium hoc, quod ſuis Monachis indicebat, recenter induci contra communem uſum per hæc verba fatetur: *Epiphaniorum Vigilias dignum eſt jejunare. Hic ſtomachabitur me peregrina noviter introducere jejunia, quæ nulla valeam Patrum auctoritate firmare.* Ex hora autem tertia poſt quam dicebatur Miſſa hujus Vigiliæ, aperte eruitur non jejunatum fuiſſe; unde & Damianus ipſe in priori laudato loco volebat poſt horam nonam eſſe dicendam contra communem uſum, qui propterea Miſſam de feſto oſtendebat eam eſſe, non de jejunio. Credimus autem Vigiliam hanc habere rationem Dominicæ, ſtareque pro ea Dominica, quæ plerumque occurrit inter circumciſionem, & Epiphaniam, ac propterea vacare ſtatuitur. Officium itaque hujus Vigiliæ, quod ſemiduplex eſt, & Domini, privilegiis Dominicæ gaudeat, & ſunt, ut non cedat feſto ſemiduplici occurrenti, nec cuicumque duplici tranſlato, bene vero duplici occurrenti, in quo tamen, licet primæ claſſis foret, commemorationem in primis Veſperis, & laudibus cum nona lectione homiliæ ad Matutinum habebit, non vero in ſecundis Veſperis ratione Epiphaniæ ſequentis, quæ duplex primæ claſſis eſt. Si alicubi ex privilegio, vel legitima conſuetudine celebretur octava aliqua, ut Patavii, diei infra octavam ſola commemoratio fiet. Exemplum autem, cujus meminit Meratus *ſect.* 6. *cap.* 7. *num.* 1., Patriarchalium Urbis, quæ transferunt feſtum duplex occurrens S. Teleſphori, in uſum univerſalis Eccleſiæ minime deſervit. Hæc certa ſunt ex Gavanto *ſect.* 6. *cap.* 7. *num.* 1., Guyeto *lib.* 4. *cap.* 4. *quæſt.* 5., *cap.* 6. *quæſt.* 5., *& cap.* 12. *quæſt.* 7., & ex Rubrica Breviarii *tit.* 6. *num.* 2., *& tit.* 9. *num.* 4.

XIX. Quantum ad Vigiliam Aſcenſionis attinet, ex Micrologo *cap.* 55. alicubi jejunata fuit, & habet Romæ officium antiquius officio Rogationum, in quo ex jure novo Pii V. legitur homilia ſuper Evangelium Miſſæ, ut concordet Evangelium cum Miſſa, quam prius propriam habebat, teſte eodem Micrologo *cap.* 40. Ejuſdem officium ſimile eſt feriæ paſchalis temporis, præfertur ſimplici, & cedit cuicumque feſto IX. lectionum occurrenti, vel translato, & etiam diei infra octavam; quare to *occurrat*, quod habet Rubrica præfixa huic vigiliæ, in preſſa ſui ſignificatione accipi non debet, quo pacto excluderet officia tranſlata. Si fiat officium de feſto aliquo, legitur ejuſdem nona lectio homiliæ cum commemoratione in laudibus, niſi feſtum foret primæ claſſis, quo in caſu nihil prorſus agendum foret de Vigilia juxta Rubricam *tit.* 6. *num.* 2., cum nullo particulari privilegio legatur ſuffulta, ac conſequenter communibus Rubricarum legibus relicta cenſetur. Officium tamen dictæ Vigiliæ, cum ſit exultationis, non afflictionis, colorem album expoſcit.

XX. Quod Matiſconenſe habet Concilium: *Noctem quoque ipſam, quæ nos inſpirata luci inacceſſibili reddidit, ſpiritualibus exigamus excubiis, nec dormiamus in ea, ſed oremus, & vigilemus operibus ſacris, ut digni habeamur in regno fieri hæredes Salvatoris:* ad noctem, quæ Dominicam diem anteit, plerique ſatis probabiliter referunt, cenſentque ante Dominicas totius anni ſoluiſſe fideles frequentare Vigilias, quibus & præveniri ſemper conſuevere feſta celebriora, inter quæ proculdubio ſunt ea Patronorum principalium, Titularium, & feſtorum de præcepto quoad forum; & hæc eſt cauſa, cur hic poſt Dominicas, & feſta hoc pacto de præcepto ſumpſimus agere.

DECRETUM I. CAPITIS, IN ORDINE CXXIII.

Si Vigilia S. Joannis Baptiſtæ incidat in ſolemnitate Corporis Chriſti, non eſt eo die jejunandum, nec abſtinendum a carnibus in feſto hujuſmodi, ſed anticipandum jejunium die antecedenti, nempe feria quarta. S. R. C. 24. Sept. 1638. *in Decreto, Urbis, & Orbis*. Hoc Decretum Urbanus VIII. approbavit in ſua Conſtit. quæ incipit *cum evenire* 13. Octobris 1638. ex Merato in Indice Decr. Miſſalis num. 281.

I. ANtiquitatis laude Vigiliam, cum jejunio S. Joannis Baptiſtæ Libri Sacramentorum SS. Leonis, Gelaſii, & Gregorii Magni gaudere luculenter oſtendunt, dum in Miſſa ejuſdem hæc Præfatio habebatur: *Vere dignum exhibente ſolemne jejunium, quo Beati Joannis Baptiſtæ natalitia prævenimus &c.* Hujuſmodi & meminere Gregorius Turonicus *lib.* 10. *hiſt. cap.* 31., & Concilium Oxonienſe; quinimmo Concilium Salegunſtadinenſe de feſto S. Joannis Baptiſtæ ſtatuit: *Ut quatuordecim dies omnes, Chriſtiani ante feſtivitatem S. Joannis Baptiſtæ in abſtinentia ſint Carnis, & Sanguinis.*

II. Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, quod in die Dominicæ Cœnæ noſcitur inſtitutum, in feria V. Majoris hebdomadæ recolebatur olim, & etiamnunc recolitur inter Miſſarum ſolemnia; at quia ejuſdem feriæ officium ad Chriſti pertinet paſſionem, & tempus illud eſt tempus ſummæ mæſtitiæ ob ingruentem Chriſti Mortem, Urbanus IV. admodum pie, & laudabiliter delegit feriam V. poſt feſtum SS. Trinitatis, in qua tanti Sacramenti inſtitutio ſolemniter celebraretur, & cum integro officio, & congruenti exultatione, variiſque privilegiis, ac indulgentiis, ut lætior evaderet, infra ſuo loco videbimus eamdem ſolemnitatem decoratam extitiſſe. Solemnitas hæc quandoque incidit in Vigiliam Sancti Joannis Baptiſtæ, & Congregatio ſtatuit, non eſſe in ea jejunandum, nec ab eſu carnium abſtinendum, haud decens arbitrata tantam lætitiam ab adeo magna exortam feſtivitate, jejunio, & abſtinentia ab eſu carnium eſſe minuendam. D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 147. *art.* 5. *ad* 3. jejunia, quæ præcepto Eccleſiæ inſtituta ſunt, aſſerit eſſe jejunia afflictionis, quæ non conveniunt diebus lætitiæ, & propter hoc nullum jejunium eſſe inſtitutum toto tempore Paſchali, nec diebus Dominicis, nec Vigilia Epiphaniæ, ut etiam nos ſuperius dicebamus. Si itaque his temporibus de jejunio nulla lex eſt, licet ſolemnitates Nativitatis, & Reſurrectionis jam peractæ fuerint, & in ſuis diebus lætiſſime celebratæ, per hoc ſolum quod lætitia earumdem feſtivitatum cenſeatur perdurare, multo minus jejunari decebat in ſolemnitate ipſa Corporis Chriſti, in qua recolitur miraculorum Chriſti maximum, & in qua nobis de ſua futura contriſtandis abſentia ſolatium ſingulare reliquit, nobiſque ſe dedit in carnem, & ſanguinem.

III. Innocentius III. *lib.* 3. *Decretal. tit.* 46. *de obſerv. jejun. cap.* 3. cuidam ita reſpondet interrogationi: *Reſpondemus, quod illi, qui nec voto, nec regulari obſervantia ſunt adſtricti, in ſexta feria, ſi feſtum Nativitatis Dominica die ipſo venire contigerit, carnibus propter feſti excellentiam veſci poſſunt ſecundum conſuetudinem Eccleſiæ generalis*. Jam igitur vides, quod & feſti, de quo agimus, excellentia utique exigebat, quod & ſuper jejunio, & ſuper abſtinentia ab eſu carnium diſpenſati venirent fideles.

IV. Digna tamen, quæ ſerio ponderetur, eſt præſens Congregationis reſolutio, quippe quæ dum jejunium, & abſtinentiam ab eſu carnium non ſimpliciter tollit, ſed tantummodo transfert ad feriam quartam præcedentem, inſtar illius, quod fit in caſu vigiliæ incidentis in diem Dominicam, amovet quidem, quod lætiſſimæ Corporis Chriſti officit ſolemnitati, non tamen hinc patitur decrementum ullum devotio fidelium, nec conſuetum jejunii obſequium ceſſat erga Chriſti Præcurſorem, quinimmo admodum belle unum, idemque jejunium ita præmiſſum ſine populi gravamine ullo in hujus dignam, ſanctamque præparationem ad utrumque feſtum, ſcilicet Corporis Chriſti, & S. Joannis Baptiſtæ facit deſervire. Quod autem in præſenti Decreto Congregatio ſtabilit, ab Urbano VIII. ſua Conſtit. *cum evenire* 13. Octobris 1638. con-

Digitized by Google

1638. confirmatum extitit, & prius id adhuc jam ſtatutum fuerat a Leone X. ut ex Navarro *in man. cap.* 21. *num.* 11. teſtatur Gavantus *ſect.* 3. *cap.* 7. *num.* 7.

V. Agapæ, quas primitiva Eccleſia in Natalitiis SS. Martyrum, & Sacra Moderata convivia, quæ in ſolemnioribus agebat feſtivitatibus, lætitiam, qua hæ agitari ſolebant, luculenter oſtendunt, quinimmo quæ tradit Nicolaus I. ad Bulgaros, uberem fidem faciunt, antiquitus Eccleſiam benigniorem fuiſſe in ſolvenda abſtinentia celebrioribus ſolemnitatibus: *Sexta vero feria paſſionem Dominicam, & Apoſtolorum meſtitiam recolentes, ab omnium carnium epulis, & pinguedine guſtus noſter arcendus eſt, præter ſi nativitas Domini, & Epiphaniorum ejus, aut feſtivitas beatæ Matris Domini, & intemeratæ Virginis Mariæ, ſeu Apoſtolorum principum Petri, & Pauli, atque Sancti Joannis Baptiſtæ, ceu beati Joannis Evangeliſtæ, nec non clavigeri cæli germani, Andreæ ſcilicet Apoſtoli; quin & beati Stephani protomartyris ipſo die fortaſſis evenire contigerit. Nam quod ſancta Eccleſia, ut fidelis anima in feſtivitate eorum jejunia, vel abſtinentias, quæ non ſunt perpetuo voto propoſita, ſolvere debeat, Dominus teſtatur in Evangelio dicens*: mulier cum parit, triſtitiam habet, cum autem peperit puerum, jam non meminit preſſuræ propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum. *Mulierem dicit Sanctam Eccleſiam. Sicut enim mulier nato in hunc mundum homine lætatur, ita Eccleſia in vitam futuram fidelium populo migrante digna exultatione repletur. Quod ſi de ejus nativitate lætatur, non jejuniis, non abſtinentiæ, non denique vilit debet ipſa vacare die mœroribus*. Si tunc temporis feſtivitas Corporis Chriſti fuiſſet inſtituta, haud ambigo, quod ejuſdem itidem meminiſſet, non pro caſu incidentiæ in feriam ſextam, qui evenire non poteſt, cum feriæ quintæ ſit illa perpetuo addicta, ſed pro caſu occurſus in Vigiliam aliquam, vel jejunium.

VI. Ex dictis infer primo, adſtricto voto, aut regulari ab obſervantia ad jejunandum, aut abſtinendum a carnibus qualibet feria quinta haud favorabile eſſe præſens Decretum, ac conſequenter ejuſdem obligationem nec laxatam, nec translatam ventre; accipiendum enim eſt conformiter ad Decretalem productam Innocentii III. quæ in exceptis ponit voto, aut regulari obſervantia adſtrictos. Secus tamen foret, ſi hujuſmodi obligatio foret de jejunio in Vigilia S. Joannis Baptiſtæ obſervando, quæ cum in propoſita incidentia in diem Corporis Chriſti ab habente facultatem translata fuerit in feriam quartam præcedentem, in hanc etiam translata cenſetur prædicta obligatio, licet a voto, aut regulari obſervantia ſit pariter indicta.

VII. Infer 2., quod eſto in præfata incidentia, ut ſupra transferatur jejunium, & abſtinentia a carnibus, adhuc cuilibet integrum eſt in die Corporis Chriſti pro libito ſuo, ſeu devotione iiſdem indulgere; ſubditur enim in laudata Decretali: *Nec tamen hi reprehendendi ſunt, qui ob devotionem voluerint abſtinere*. Sic tamen jejunantes, & abſtinentes non liberantur ab onere jejunii, & abſtinentiæ in præcedenti feria quarta, in quam vigilia eſt ſtate rejecta, nec optio relicta eſt eamdem in utralibet die agere.

VIII. Quæres 1. num ſi in feria quarta, in qua anticipatur Vigilia S. Joannis Baptiſtæ, alicubi occurrat feſtum principale loci, jejunium adhuc anticipari queat in præcedenti feria tertia?

IX. ℞. Pittonum *tom.* 2. *de oct. num.* 764. præfatæ refragari anticipationi, ſecus nos tamen juxta ea, quæ in Decreto tertio tradimus univerſim de vigilia qualibet incidente in magna aliqua ſolemnitate.

X. Quæres 2. quid ſi vigilia alia ab illa S. Joannis Baptiſtæ incidat in feſtum Corporis Chriſti?

XI. ℞. Eſſe ut ſupra in feria quarta anticipandam; præſens enim Decretum latum fuit in gratiam ſolemnitatis Corporis Chriſti, non ob cauſam aliquam particularem ſe tenentem ex parte vigiliæ S. Joannis Baptiſtæ, adeoque cuicumque ſimili caſui eſt adaptandum. Vi Conſtitutionis Urbanæ feſtum S. Antonii de Padua Fratres Minores Conventuales jejunio præveniunt, & declarari petierunt, quid juris, ſi incidat in diem Corporis Chriſti. Congregatio autem ſub die 26. Maji 1659. reſpondit, *hujuſmodi jejunium feria quarta immediate antecedente eſſe anticipandum*, ut refert Lantuſca *in Theatro Regul. verb. jejunium num.* 3.

XII. Quæres 3. cur pridie feſti Corporis Chriſti non ſit præſcriptum jejunium, quod pridie plurium feſtorum minus ſolemnium eſt indictum?

XIII. ℞. Leodii, ubi primum hoc feſtum celebrari cœpit, *cum vigilia, & jejunio* fuiſſe indictum per Robertum ejuſdem Civitatis Epiſcopum in Synodo anni 1246., ſicuti teſtatur Grancolas *Comment. ad Brev. Rom. lib.* 2. *cap.* 81., ubi aſſerit idipſum præſcriptum extitiſſe in Concilio Senonenſi can. 1. Pariſiis habito anno 1319. *Statuimus, atque ordinamus, ut quarta feria præcedente feriam quintam poſt octavas Pentecoſtes, qua ſummi, & magnifici Corporis, & ſanguinis D. N. J. C. Sacramenti memoria celebratur, ad honorem tam pretioſi Corporis ſe ab eſu carnium abſtineant, & jejunent, omnibuſque jejunantibus quadraginta dies de injuncta ſibi pœnitentia annuimus concedendos*. Subdit itidem idem Auctor, Urbanum IV. univerſim hanc vigiliam jejunandam eſſe præcepiſſe; at unde id ſumpſerit, cum Bulla Urbana jejunii nullam mentionem agat, ſe ignorare fatetur Pittonus *to.* 1. *de octav. n.* 482. Ut ut tamen res iſta ſit, certum eſt, quod Eccleſiæ univerſali nulla lex eſt hujuſmodi jejunii, ſive quia nullum reipſa Decretum extiterit editum, vel quia moribus utentium non fuerit receptum, quidquid ſit de obligatione, quæ particularia loca afficere poteſt ratione Synodorum Provincialium, aut Diœceſanarum, ſeu legitimæ conſuetudinis. Nulla autem lex jejunii univerſalem premit Eccleſiam, quia feſtum Corporis Chriſti non eſt antiquioris inſtitutionis, uti cætera feſta, quæ jejunio præveniuntur; Vigilias enim, quæ jam in uſu erant, dumtaxat retinuit, & nullas de novo invexit Eccleſia, haud arbitrata in hac ſeneſcentis ſæculi fæce, in quo refrigeſcit charitas multorum, ulterius oneris eſſe imponendum.

XIV. Quæres 4. an præter communiter receptas vigiliæ particulares induci valeant, & feſtis propriis puta Patronorum præmitti? Quæſtio autem tripliciter procedere poteſt vel quoad jejunium tantum, vel quoad officium dumtaxat, aut quoad utrumque.

XV. ℞. Primo quoad ſolum jejunium inſtitui poſſe, & ex priſco uſu ob ſervatas retineri, etiam ex mera populi devotione; nihil enim eſt, quod id fieri vetet, quinimmo eſt valde conſentaneum, & pium, ac ab Eccleſia ipſa admodum optatum, & laudatum, & a priſcis ejuſdem uſque ſæculis in particularibus locis ſumma religione cuſtoditum, in præcepto autem ab Eccleſia minime poſitum ne ulteriori onere ſuos filios premeret; qua de cauſa & ſolemniores dumtaxat feſtivitates ſelegit, quæ jejunio de præcepto prævenirentur, & plures Virginis Mariæ feſtivitates inſtituens, in ſola ejuſdem Aſſumptione jejunium indixit. Hoc pacto Cremenſis Eccleſia ex Synodo Joannis Diedo 1600. Invocationem S. Pantaleonis die 9. Junii, & Mediolanenſis ex Synodo Diœceſana 4. Decr. 1. Feſtum S. Ambroſii die 6. Decembris jejunio ſine officio præveniunt.

XVI. ℞. 2. Vigiliam quoad ſolum officium nonniſi per Apoſtolicam Sedem, vel Sacram Congregationem induci poſſe, in iis enim, quæ ad divinum officium pertinent, aliquid vel minimum diſponere cuilibet diſtricte manet inhibitum, ſolique Sedi Apoſtolicæ reſervatum. Sola conſuetudo, quæ Bulla Piana ſit antiquior, valida eſt ad tuenda ſanctorum feſta, & eorumdem octavas, quidni igitur & vigilias, quæ ſunt præparationes quædam ad eadem feſta dignius celebranda? Recolantur, quæ late dicuntur in cap. de feſtis ex conſuetudine, & de Additione Breviario fieri inhibita.

XVII. Ex his patet reſponſio ad uſum vigiliarum quoad jejunium ſimul & officium, videlicet ut legitimus ſit, ſi ante Bullam uſque Pii V. noſcatur invectus, ſecus ſi poſtmodum. In hoc tamen adhuc caſu ſolum nutabit, ac labaſcet officium, ſecus jejunium, cuilibet eſt integrum pro libito qualibet die indulgere, ut dicebamus.

DECRETUM II. CAPITIS, IN ORDINE CXXIV.

Occurrente Vigilia Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ in die feſto SS. Corporis Chriſti, anticipato jejunio Vigiliæ prædictæ in diem 22. Junii ad formam Conſtitutionis Urbani VIII. emanatæ 27. Sept. 1638., nihil fit in officio, & Miſſa de eadem Vigilia. S. R. C. 18. Sept. *approbante Clemente XI.* 2. *Octobr.* 1706. Ex Merato in Indice Decr. Brev. nu. 241.

I. DAta, quæ in præſenti Decreto adſcribitur Conſtitutioni Urbanæ, eſt mera additio Merati; ſub his quippe terminis Decretum dignoſcitur editum: *Remiſſa a SS. D. N. Clemente Papa XI. ad S. R. C. diſcuſſione dubii. An occurrente vigilia Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ in die feſto SS. Corporis Chriſti, anticipato jejunio vigiliæ prædictæ in diem 22. Junii ad formam Conſtitutionis Urbanæ, debeat in officio diei 22. prædicta, ejuſdem Evangelii nona lectio recitari, & in officio, & in Miſſa de eadem fieri commemoratio? Eadem S. R. C. die 18. Sept. 1706. approbante ſanctiſſimo ſub die 2. Octobris ejuſdem anni cenſuit; nihil de vigilia in officio, & Miſſa peragendum eſſe*. Quo in Decreto jam vides nihil haberi circa diem emanationis prædictæ Urbanæ conſtitutionis, quam cæteroquin, *non ſua die 27. Sept.*, ut in præſentia ponitur, ſed *ſub die 13. Octobris* ex Auctoribus, & Bullariis profertur edita.

II. Dubitandi ratio fuit, quod officium ſequi debere videbatur jejunium, uti cum ob incidentiam vigiliæ in diem Dominicam, in Sabbato anticipatur jejunium, ad Sabbatum itidem transfertur officium vigiliæ; præcedens autem Decretum anticipationem jejunii quidem præſcripſerat, ſed ſuper officio nihil diſpoſuerat. *Nihil de vigilia in officio, & Miſſa peragendum eſſe* cenſuit Congregatio, & hæc prius fuerat opinio Gavanti *ſect.* 3. *cap.* 7. *num.* 3., cui adſtipulantur Biſſus *lit. u. num.* 50. §. 3., & *lit. i. num.* 6., a §. 1., & Guyetus *lib.* 4. *cap.* 5. *quæſt.* 1., qui id ſe ſentire fatetur, tum ne diſcedat ab opinione Gavanti, tum quia nihil de officio anticipando cum jejunio præcedens exprimit Decretum. In rationem producit Gavantus, quod officium Vigiliæ Nativitatis, quando incidit in Dominicam, ſeparatur a jejunio; at ratio iſta futilis eſt, non eſt quippe iſta vigilia ferialis, & communis, nec ritu ordinario peragitur, ſed a laudibus feſtivum ſortitur officium, quare ex eadem invalidum deſumitur argumentum pro ſimili attentando in caſu vigiliarum communium, & ferialium, quarum officium, uti illius, eadem de cauſa non retinetur, cum incidit in Dominicam.

III. Magis itaque id probatum iri credimus ex Rubrica VI. *num.* 2. quæ ita in propoſito caſu diſerte ſtatuit: *Si autem in vigilia occurrat feſtum ſolemne alicujus loci, vel ex ſolemniori infra annum, quæ infertur in Rubrica de commemorationibus*

nume-

Digitized by Google

numerantur (veluti ſi in vigilia S. Joannis Baptiſtæ venerit feſtum Corporis Chriſti) nihil tunc prorſus nec commemoratio fit de vigiliis. Poteſtne clarior eſſe Rubricæ diſpoſitio? Si vigilia incidente in feſto Corporis Chriſti *nihil prorſus, nec commemoratio fit de ea*, utique nec in ipſo feſto Corporis Chriſti, nec in die præcedenti, in qua anticipatur jejunium; dictio enim *Prorſus* eſt dictio præciſa, nullam limitationem admittens, ut ſcite ponderat Barboſa *dict.* 149. & 294. Quinimo ſi una cum jejunio officium anticipari voluiſſet, id indubie præſcripſiſſet, uti præcedenter fecit de vigilia occurrente in die Dominico. Quoniam itaque in occurſu vigiliæ in propoſito, ſimilive alio caſu nihil de vigiliis faciendum eſſe diſponunt Rubricæ, & occurrenti ſolemnitati Corporis Chriſti obſtare videbatur jejunium, media anticipatione jejunii, & omiſſione officii apprime bene & lætitiæ feſti, & Rubricæ indemnitati conſulendum eſſe cenſuit Congregatio.

IV. Cur una cum jejunio anticipetur officium Vigiliæ incidentis in diem Dominicam, non autem illius, quæ occurrit in feſto Corporis Chriſti, ſupereſt inquirere. Cujus rei cauſam credimus eſſe, quod ob lætitiam Dominicæ Reſurrectionis, in Dominicis jejunare in uſum non habet, refugitque Eccleſia; & ideo in hoc caſu, qui frequens accidit, jejunium, & officium maluit in Sabbato anticipare, quam omittere, ne conſueto ſuo cultu ſanctos perſæpe defraudaret. Quoniam vero præſens Eccleſiæ diſciplina (quidquid fuerit de antiqua) in ſanctorum feſtivitatibus jejunium non prohibet, anticipari noluit, ſed magis omitti vigiliarum officium, quarum nec jejunium anticipat, ſicuti & retinet in quacumque ſolemnitate occurrente in feria ſexta, aut Sabbato abſtinentiam ab eſu carnium, facto ſolummodo privilegio in favorem Dominicæ Nativitatis. Hac autem de cauſa omitti vigiliarum officium, dumtaxar pro caſu admodum raro, & infrequenti Corporis Chriſti in Breviario Romano evenire poteſt, in particularibus vero Kalendariis vix alicubi, & aliquoties ob incidentiam alicujus vigiliæ in feſtum ſolemne loci. Ex anticipatione jejunii incidentis in feſtum Corporis Chriſti nolo inferas generalem regulam idipſum continuo in uſum dedocendi, quantum ad jejunium attinet, in occurſu vigiliæ in feſto ſolemni loci, bene tamen quoad officium. An autem, quomodo, & a quibus in incidentia vigiliæ in feſtum ſolemne alicujus loci, jejunium anticipari, vel transferri valeat, in ultimo Decreto examinare reſervamus.

V. Hactenus de vigiliis incidentibus in feſto Corporis Chriſti, quarum jejunium anticipandum eſſe, & officium omittendum manet deciſum, nunc de vigiliis ſumimus agere, quæ alicubi vi conſuetudinis a jejunio excidere, quærimuſque, an uti earumdem jejunium, ita officium ſit omittendum? Hujuſce rationis ſunt Vigiliæ SS. Bartholomæi, Thomæ &c., quas in plerisque Galliarum Diœceſibus non jejunari, in præliminaribus capitis dicebamus.

VI. Qua in parte pro omiſſione officii ſtat inſignium aliquot Eccleſiarum uſus, videlicet Rhemenſis, Bituricenſis, Turonenſis, & aliarum; quin & favere videtur Rubrica VI. num. 1. *De vigilia fit officium in omnibus vigiliis per annum, quæ jejunantur*, ex qua inferri poſſe videtur, ergo ſi non jejunentur, neque de iiſdem faciendum eſt officium.

VII. Sententia tamen, quæ tuetur officium, patronum habet Guyerum *lib. 1. cap. 17. quæſt.* 5. & eſt in praxi proculdubio tenenda, quoniam a Breviario Romano officium nullum expungi poteſt, aut aliquid detrahi, nec in illud mutationem ullam invehi per quamcumque auctoritatem præter Apoſtolicam, quinimmo nec hunc ad effectum ſuffragatur conſuetudo contraria, niſi inducta ea noſcatur ante Bullam Pii V., quemadmodum late alibi traditur. Non eſt itaque integrum Eccleſiis, quæ vi conſuetudinis a jejunio aliquarum vigiliarum effectæ ſunt immunes, earumdem officium omittere, niſi conſuetudo antiquior Bulla Pii V. jus præfati extinxerit officii.

VIII. Uſui contrario laudatarum Eccleſiarum opponit idem Auctor uſum aliarum non minus inſignium, nempe Senonenſis, Pariſienſis, Conſtantienſis &c., & deinde directe reponit, præfatum uſum nihil urgere, utpote Eccleſiarum, quæ jure proprio gaudent Breviarii, cum tamen Nannatenſis Eccleſia, quæ uſum habet Romanum, in ſuo expreſſe notet Kalendario: *Vigilia cum precibus ſine jejunio*. Nos autem loquimur de Eccleſiis Romano ritui addictis.

IX. Ad argumentum ex Rubrica petitum, vult ejuſdem diſpoſitionem non ſic eſſe accipiendam, ut ſi forte vigiliæ non jejunentur, protinus etiam non fiat officium, ſed ſolum vocem illam *quæ jejunantur* additam eſſe ad diſtinctionem Vigiliarum Epiphaniæ, & Aſcenſionis, quæ ex proprietate ſua minime jejunantur. Et quidem de Vigilia Aſcenſionis, fieri debet officium, tametſi cum jejunio non obſervetur, ſtat itaque officium de vigilia, etſi hæc non jejunetur. Deinde quod vigiliæ illæ non jejunentur, per accidens eſt, ſemper enim ex ſe ſunt jejunabiles, immo & jure communi jejunandæ, quare & officium de iiſdem fieri debet, perinde ac ſi jejunarentur. Quæ dicta ſunt, niſi mavis per ea verba excludi vigilias, quæ ex præcepto Eccleſiæ non jejunantur, ſed ex devotione, aut alia particulari de cauſa, de quibus utique, ſi particulare non habeatur indultum, officium inſtitui non poteſt. Certe addit Rubrica: *Ubi in Kalendario annotatur hæc vox, Vigilia*; unde conſequens fit; quod de omnibus vigiliis, quæ in Kalendario notantur, officium fieri debeat, tametſi alicubi vi conſuetudinis a jejunio exciderint, ſolumque excludi vigilias illas, quæ in Romano Kalendario non reperiuntur deſcriptæ.

X. Oppones: Conſuetudo potis eſt ab onere jejunii eximere Eccleſias, cur igitur & non officii?

XI. R. Diſparem eſſe rationem, quoniam ad tollendum jejunium ſufficit ea conſuetudo, quæ ſufficit ad abrogandas quaſcumque leges Eccleſiaſticas; non ſic autem ad tollendum officium, cum ſit contraria conſuetudo a lege reprobata, & hunc ad effectum nec ſufficiat conſuetudo centenaria, ſed ſolum quæ eſt ante Bullam Pii V. invecta, & hæc adhuc eſſe deberet non recitandi officium; nec ullo modo ad rem ſuffragari poſſet conſuetudo non jejunandi, licet dicto pacto foret antiqua.

XII. An in hujuſmodi vigiliis non jejunatis dicendæ ſint preces, & quidem flexis genibus, quæſtio ſuccedit, ad quam Guyetus *lib. 4. cap. 18. quæſt.* 34. affirmative reſpondet; Rubricæ enim preces hoc pacto dicendas eſſe mandant in vigiliis, quæ jejunantur, cujuſmodi ex ſe proculdubio, & ex jure communi ſunt prædictæ vigiliæ, licet per accidens alicubi non jejunentur; quare earumdem officium in nihilo alterari valet, aut mutari, præſertim quia eædem Rubricæ principaliter latæ ſunt pro Vigiliis, quæ in Breviario Romano cum jejunio reperiuntur deſcriptæ, & nonniſi ad inſtar pro aliis, quæ in particularibus locis obſervantur.

XIII. Sunt quædam feſta, quæ licet de præcepto in jure ſint quoad forum, aliquibus in locis ex legitima conſuetudine talem non aſſequuntur obſervantiam, ut feſtum S. Laurentii Turgoviæ, quæ eſt una ex Præfecturis Helveticis; hinc quæſtio exurgit, num ibidem corruat onus jejunii, quo eadem feſta mandata ſunt præveniri?

XIV. Reſpondet Gobat *Theol. exp. tract.* 5. *num.* 120. jejunium itidem ruere; *cum enim principalis cauſa non ſubſiſtit, plerumque nec ea, quæ ſequuntur, locum habent*, ut fert Digeſtorum regula communiter recepta; jejunium autem vigiliæ tamquam quædam præparatio ad feſtum ſolemne, vel de præcepto quoad forum indicitur, quare cedente feſto, quod eſt principale, cedat, oportet, & acceſſorium, ſeu vigilia. Tu tamen ſic quæſtionem dirime, ut locorum ſequenda ſit conſuetudo, ita ut ſi hæc una cum feſtivatione jejunium aboleverit, jejunium non obliget, ſecus vero, ſi conſuetudo ſoli feſtivationi obſiſtat; non enim putamus jejunii legem ita pendere a feſtivatione, ut ſi hæc ceſſet, vel non habeatur, ceſſet & illa, vel non habeatur, cum nihil vetet præceptiva haberi jejunia pridie feſtorum, quæ non ſunt de præcepto quoad forum, licet ut plurimum talia ſint feſta, quæ vigiliis præveniuntur.

XV. De Vigilia incidente in feſto duplici primæ claſſis nihil prorſus in officio, Miſſa faciendum eſſe, diſerte Rubricæ nos inſtruunt. Breviarii quidem de vigiliis num. 2. *Si in vigilia occurrat feſtum ſolemne alicujus loci &c., nihil tunc prorſus, nec commemoratio fit de Vigilia*. Miſſalis vero de feria, & Vigilia num. 2. *Si vigilia occurrat in die alicujus feſti ex majoribus primæ claſſis, in Miſſa non fit commemoratio de ea, ſicut nec in officio*. Si autem nihil prorſus de vigilia eſt agendum, utique nec duæ Miſſæ in Cathedralibus, & Collegiatis erunt cantandæ; hinc tamen ne inferas una cum officio ceſſare jejunium, quod adhuc retinere, & ſervare in uſum habet Eccleſia, licet quandoque anticipari queat, qua de re in ultimo Decreto.

XVI. Rubrica autem allegata Miſſalis, dum a feſto dumtaxat primæ claſſis commemorationem vigiliæ excludit, conſequenter nos inſtruit de vigilia incidente in feſto duplici 2. claſſis agendum eſſe juxta ea, quæ diſponunt Rubricæ de vigilia per feſtum novem lectionum impedita. Nona igitur lectio homiliæ de eadem, & commemoratio habebitur in officio, in Miſſa vero commemoratio fiet, & ejuſdem Evangelium in fine, duæ Miſſæ in Cathedralibus cantabuntur, & ſervabitur jejunium. Memoratæ Rubricæ concors eſt Rubrica occurrentiæ, quæ in occurſu duplicis 2. claſſis, & vigiliæ notat: *Officium de primo, commemoratio de ſecundo*. Quod ſi opponas Rubricam Breviarii ſuperius jam allegatam, quæ officium vigiliæ ſupprimit, quoties incidit *in feſtum ſolemne loci, vel ex ſolemnioribus infra annum enumeratis in Rubrica de commemorationibus*, cujus rationis etiam feſta 2. claſſis eſſe videntur; ſtatim reponimus in Rubricarum ſenſu *per feſtum ſolemne loci* dumtaxat venire feſta Dedicationis, Titularis, & Patroni principalis loci, ac conſequenter feſta primæ claſſis, ut eaſdem percurrenti liquido conſtabit. Quod ſi in Rubrica de comm. etiam duplicia 2. claſſis recenſentur, dum tamen Rubrica de vigiliis dicit *ex ſolemnioribus*, non quæcumque, quæ a Rubrica de comm. enumerantur, ſed ſolum ea ex eiſdem, quæ ſolemniora ſunt, adeoque primæ claſſis, indigitare cenſetur, præſertim cum exemplum, quod ad rem producit, illud conſtituat in duplici primæ claſſis, ſcilicet in feſto Corporis Chriſti: *Veluti ſi in Vigilia S. Joannis Baptiſtæ venerit feſtum Corporis Chriſti*.

XVII. De vigilia per feſtum primæ claſſis perpetuo impedita, atque ſuppreſſa quæſtio ſuccedit, quid juris cenſendum ſit, quoties tale feſtum incidit in diem Dominicam? Eritne tunc ejuſdem officium in ſabbato anticipandum? Diximus *ejuſdem officium*, quia indubium eſt, jejunium, quod ratione Dominicæ in tali feſto ſervari non poteſt, in ſabbato eſſe anticipandum. Pittonus lib. 2. de oct. *num.* 1101. officium anticipandum eſſe dicit, dubitanter tamen, ſiquidem ſubdit: *Salva ſemper meliori opinione*. At dubitationi locus non eſt, habet quippe Rubrica: *Si vigilia occurrat in Dominica de ea fit officium in Sabbato*. Sunt, qui opponunt eamdem Rubricam, quæ de vigilia incidente in feſto duplici primæ claſſis nihil prorſus faciendum eſſe præſcribit. At tunc non

amplius

Digitized by Google

amplius in feſto primæ claſſis, ſed in præcedenti ſabbato ratione Dominicæ Vigilia juxta Rubricas cenſetur occurrens. Addunt alii per perpetuum impedimentum duplicis primæ claſſis officium vigiliæ fieri extinctum, ac penitus ſupprimi, adeoque nec pro accidentali aliquo caſu poſſe amplius reviviſcere. Verum officium vigiliæ haud redditur extinctum ſed ſolummodo impeditum, ſemperque vigilia, ſi non cum officio, cum jure ad officium perſiſtit; cur itaque remoto impedimento officium non debebit habere. Si feſtum primæ claſſis, quod impedit, caſſatum veniret, aut in aliam diem immutatum, vigilia ſuum protinus recuperaret officium, quidni igitur & in noſtro caſu? Exemplum feſti ſimplicis, cujus officium, ſi incidat in feſtum primæ claſſis, totaliter ſupprimitur, ſeu omittitur, & tamen ſi per officium privilegiatum, puta Dominicæ primæ Adventus, aut feriæ IV. Cinerum feſtum primæ claſſis expellatur, ſuam protinus commemorationem aſſequitur, ad rem apprime facit, evincitque etiam vigiliam accidentali illo pro caſu ſuum recuperare officium.

XVIII. Incidit nonnumquam vigilia in ferias majores, Adventus ſcilicet, Quadrageſimæ, aut quatuor Temporum, & nihil prorſus de ea in officio agendum eſſe diſponunt Rubricæ. Rationem ſi expoſcas, haud facile eſt illam aſſignare. Gavantus *ſect. 3. cap. 7. num. 4.* aſſerit id eſſe quia in officio feriali, ſeu trium lectionum, locum habere non poteſt lectio de homilia vigiliæ; at bene advertit Meratus, hoc ſolum obſiſtere tertiæ lectioni de vigilia, non autem commemorationi, quemadmodum de officio ſimplici non ſemel fit commemoratio, licet ejuſdem lectio minime legatur. Meratus *ibidem* id eſſe aſtruit, quia generaliter deficit Antiphona aut verſus, vel utrumque pro commemoratione vigiliæ, pro qua juxta Rubricas adhiberi debent Antiphona, & verſus feriæ currentis, cum tamen hæc regulariter dicantur ad Benedictus pro officio. In Adventu, & Quadrageſima Antipona, & verſus, quæ ſunt propria talium feriarum, jam dicuntur in officio earumdem feriarum, unde repeti non poſſent pro commemoratione vigiliæ, pro qua ſi deſumerentur ex Pſalterio, in rigore non dicerentur Antiphona, & verſus feriæ currentis; ut mandat Rubrica de vigiliis, ſed tales Antiphonæ, & verſus eſſent ſubſtituta, & loco præfatarum Antiphonarum, & verſuum, quæ pro feriis Adventus, & Quadrageſimæ adhibentur, & vere ſunt de feria corrents, ſubrogata. In quatuor vero temporibus Septembris, & quando anticipatur officium Dominicæ, aut a feria IV. Cinerum uſque ad ſequens Sabbatum incluſive, licet pro commemoratione vigiliæ poſſent deſervire Antiphonæ Pſalterii (præter Sabbatum quatuor dictorum Temporum, in quo Antiphona eſt ea feriæ) nihilominus deficiunt verſus, utpote qui dicuntur in officio dictarum feriarum. In Miſſa denique fit commemoratio vigiliæ; quia hæc conſiſtit in ſola oratione, quam propriam habet vigilia. Ita admodum probabiliter idem celeberrimus Auctor, cui tamen obſiſtere videntur Rubricæ, atque Decreta quæ in caſu identitatis Antiphonarum, & verſuum, aut orationum ex his alteram ſubrogant atque ſubſtituunt, quare videre non eſt, cur in Adventu, & Quadrageſima ſubſtitui non poſſent Antiphona, & verſus ex Pſalterio, & in ſecundo eventu verſus ex laudibus Dominicæ, vel ex Veſperis, & in præfato Sabbato quatuor Temporum etiam Antiphona alterius feriæ. Lohner *part. 5. tit.* paucis ſe expedit, hoc eſſe dicens ſpeciale privilegium vigiliæ, ut ſi de ea officium, aut nona lectio dici nequeat, etiam commemoratio de eadem omitti debeat. Tu vero adde, quod officium vigiliæ reputatur, & principaliter eſt officium de feria, aut de tempore, quare in officio feriarum majorum, quod itidem eſt de feria, aut de tempore, jure præſcriptum extitit nihil faciendum eſſe de vigilia, ne in officio de feria fieret commemoratio de feria, aut duplex commemoratio de feria haberetur, quoties de feſto aliquo fit officium; hoc enim fieri admodum refragantur Rubricæ, atque Decreta, ut ſuo loco videbimus. Si dicatur quod ſi hæc ratio foret, neque in Miſſa commemoratio vigiliæ locum haberet; reſponde, hanc in Miſſa fuiſſe permiſſam, quia cum conſiſtat in pura oratione, quæ propria eſt, non cenſetur commemoratio de feria, ſed magis de ſancto, cujus feſtum vigilia prævenitur.

XIX. Inanem quæſtionem reputat Guyetus inveſtigare, e duabus Vigiliis una die occurrentibus, an de alterutra & utranam fieri debeat officium reſpective, vel commemoratio; ait enim, quod caſus is neque in Vigiliis, quæ in Kalendario deſcriptæ habentur, unquam accidit, nec vero etiam in propriis, ſi quæ alicubi in uſu ſunt, fruſtra quippe aſſignaretur vigilia eo die, quo jam alia habetur, quæ utpote prior, aliam adventitiam excludit. Verum en quam facile id ſit evenire poſſibile, non quidem ſtare, & pro omni anno, quo pro caſu validum fortaſſe eſt Guyeti argumentum, ſed accidentario, & pro aliquo anno. Fac alicubi in honorem ver. gr. S. Annæ Patronæ principalis legitime celebretur vigilia die 25. Julii, & quod hæc dies in Dominicam incidat, none protinus die 24. ſimul occurrunt vigiliæ S. Jacobi Apoſtoli, & S. Annæ? Hoc itaque in caſu, aliove ſimili idem eſto judicium, ac de vigilia incidente in ferias majores, ita ut in officio unius non ſit facienda commemoratio alterius, & ſi officium fiat de ſancto, in hoc ſolum commemoratio agi debeat cum nona lectione de ea vigilia, quæ alias officium haberet. In Miſſa vero, ſi ſit de ſancto, utriuſque vigilia, commemoratio fiet, ſi autem ſit de vigilia, fiet commemoratio alterius vigiliæ. Quænam autem ex dictis vigiliis præferenda ſit, ex qualitate feſtorum deciſio pendet, cum vigiliæ non ſint, niſi quid acceſſorium feſti, quare vigilia illa præferentia donanda venit, cujus feſtum in occurſu alterius præferentiam haberet, quemadmodum magis apertum fiet, dum in ſimili agemus de ſimultaneo occurſu duarum octavarum, quæ itidem acceſſoria feſtorum ſunt. Vigilia itaque, cujus feſtum eſt primæ claſſis, præſtabit vigilia, cujus feſtum eſt ſecundæ claſſis, & in caſu, in quo feſta ſint ejuſdem ritus, vigilia feſti dignioris præferentia gaudebit. Quod ſi duplex occurrat vigilia, & itidem Sabbatum quatuor temporum, ut in menſe Septembri fortaſſe alicubi evenire poteſt in vigilia S. Mathæi, præferentiam concede Sabbato quatuor temporum, & de Vigiliis in ſola Miſſa commemorationem facito.

XX. Sive autem duæ eadem die occurrant vigiliæ, aut vigilia incidat in ferias quadrageſimæ, aut quatuor temporum, non propterea plures Miſſæ in collegiatis cantandæ erunt, ſed ſolum in Miſſa de vigilia, aut feria, de qua fit, aut fieret officium, vigiliæ alterius, aut vigiliæ commemoratio fiet, & in caſu occurrentis feſti alicujus altera dumtaxat cantabitur conventualis Miſſa de vigilia aut feria cum commemoratione ut ſupra, quemadmodum eruitur e Rubrica III. Miſſalis, & cum Gavanto communiter tradunt Auctores.

XXI. Quoniam vero ad pertractanda plurima, quæ ad vigiliarum ſpectant Miſſas, nos opportunitas traxit, vel neceſſitas, de earumdem etiam Miſſis reliqua hic ſubdenda eſſe arbitramur, ne in commentariis ad Decreta Miſſalis, ad quæ revera attinet, inutiliter cogamur eadem, ſeu quæ hic tradidimus, repetere.

DECRETUM III. CAPITIS, IN ORDINE CXXV.

In diebus infra octavam occurrentibus in Quadrageſima debent Privilegiati dicere Miſſam Conventualem de feria currente cum commemoratione octavæ, quamvis recitaverint officium de die infra octavam. S. R. C. 24. Januarii 1682. *in Marſicana*. Ex Merato in Indice Decr. Miſſalis num. *460*.

I. PRivilegiatos Decretum nominat, quia quadrageſimali tempore inhibitæ ſunt octavæ, non vero quia privilegium aliquod faciat, ſed ſolum ſtatuit, quod de Rubricarum jure faciendum jam foret, ſi præfato tempore vetitæ non eſſent octavæ. Tu itaque rite diſpoſitionem extendes nedum ad eos, qui ex legitima conſuetudine intra quadrageſimam octavas celebrant, verum etiam ad ferias quatuor Temporum, feriam ſecundam Rogationum, vigilias, atque Dominicam anticipatam, quoties infra octavas occurrunt; non vero ad ferias Adventus, de quibus in ſequenti Decreto reſervamus agere.

II. *Quamvis recitaverint officium de die infra octavam.* Privilegium non eſt, quod in occurſu prædictarum feriarum, Dominicarum, & vigiliarum infra octavam aliquam, officium fiat de octava, ſed id altior expoſcit ritus, diſerte ſtatuitur in Rubricis V. & VI. Breviarii *de feriis, & Vigiliis nu. 1.* Tabella occurrentiæ notat, *commemoratio de primo, officium de ſecundo*, quibus omnibus concors eſt ſequens Decretum. Verum etſi in hujuſmodi occurſu officium debeatur octavæ, non tamen Miſſa, ſed hæc eſſe debet de præfatis feriis, vigiliis, aut Dominicis, ut diſerte ſtatuit Rubrica III. Miſſalis de feria, & Vigilia num. 2. *In vigiliis, & feriis quatuor temporum, vel feria ſecunda Rogationum, quæ veniunt infra octavam, Miſſa dicitur de Vigilia, vel feriis ſupradictis, cum commemoratione octavæ.* Si autem ita de his feriis, & vigiliis, cur non idem de feriis quadrageſimalibus, quæ altiores, & ſanctiores habent cauſas, & in Rubrica unice expreſſe non ſunt, quia eo tempore de octavis agi non poſſe ſupponitur? Cur non itidem idem erit judicium de Dominicis anticipatis, quarum officium ultra prærogativas plurimas, quibus in præcedenti capite diximus gaudere, inſtar ſe habet feriarum majorum, & has in nonnullis præcellit?

III. Nedum autem Miſſæ privatæ, ſed etiam conventualis de dictis erit feriis, quare in Eccleſiis Cathedralibus, & collegiatis cantandæ non erunt duæ Miſſæ, ſed una dumtaxat de feria cum commemoratione octavæ. Exceptio, quam eadem ſubdit Rubrica de diebus infra octavam Corporis Chriſti, aperte hoc indicat, En illam: *Præter quam infra octavam Corporis Chriſti, in qua in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis, cantantur duæ Miſſæ, una de octava poſt Tertiam, alia de vigilia poſt Nonam; in Miſſis autem privatis dicitur Miſſa de octava cum commemoratione vigiliæ.* Hanc ſuper rem te nolo ulterius perſequi, jam enim vim exceptionis noſcis, adeoque nec dubito, quod etiam argumenti. Idipſum concordes edocent Auctores, quos inter Gavantus *par. 1. tit. 3.*, Meratus *ibidem num. 4.*, Guyetus *lib. 4. cap. 5. quæſt. 3.*, & Cerrachinus *tom. 1. ſuor. dubior. ſuper Rubricas Miſſalis, & Breviarii dub. 7.*, a quibus ſi rationem expoſcas, his terminis eam prodit Gavantus: *In his caſibus diſcordat Miſſa ab officio, quia his Miſſis propriis convenit, ut cedat ea Miſſa, quæ infra octavam ſæpius repetitur: Populus etiam, quia ad Miſſam, non ad officium convenire ſolet, cum Miſſa de feriis, ad luctum movetur, & animatur;* & addit Meratus, quod *itidem monetur obligationis jejunii per Miſſam de vigilia.*

IV. His haud conſonare viſa eſt nonnullis diſpoſitio Decreti, quod dum Miſſam conventualem concedit feriæ, privatas diebus infra octavas dare videtur. Ut vim argumenti eluderet, cenſuit Cerracchinus in memorato Decreto Monachis Caſſinenſibus privilegium fieri dicendi ſolam Miſſam Conventua-

lem de feria, privatas vero de octava. Meratus hunc carpit Auctorem, & ex Directoriis eorumdem monachorum, in quibus in propoſitio caſu aſſignantur Miſſæ etiam privatæ de feria, ex prælatorum monachorum ore, & facto non gaudere oſtendit privilegio prædicto, ac per Decretum aſſerit duntaxat innui, ſeu permitti, quod Miſſæ privatæ dici queant de octava ritu votivo, aut de Requiem, vel feria, aut votivæ de ſancto aliquo. Verum liceat nobis credere utrumque ex his Auctoribus allucinatum fuiſſe in interpretatione Decreti. Cerracchinus quidem, quia reapſe nullum fit privilegium, ſed ſolum declaratur, quod de jure eſt faciendum; Meratus vero, quia jam infra octavam integrum cuilibet eſt Miſſas votivas agere, & de Requiem, uti & quocumque die, in quo officium duplex, vel privilegiatum non occurrit, quare opus non erat, id per Decretum innui, vel permitti.

V. Aliunde itaque petenda venit expoſitio Decreti, eamque nobis indicant verba illa: *Quamvis recitaverint officium de die infra octavam*. Dubitabant Monachi, quod ſaltem conventualis Miſſa officio deberet eſſe conformis; in commemoratione enim omnium Defunctorum etſi Miſſæ privatæ ſint de Requiem, conventualem unam de die infra octavam videbant eſſe præſcriptam. Quinimmo allegata Rubrica Miſſalis num. 1. incidente octava in præfatis temporibus, duas Miſſas in Cathedralibus, & Collegiatis edicit eſſe cantandas, de octava poſt Tertiam, & de feria poſt Nonam. Decretum igitur non obſtante officio, quod de die infra octavam agitur, duntaxat Miſſam conventualem, itidem de feria dicendam eſſe præſcribit, nullamque obligationem eſſe declarat alterius conventualis Miſſæ officio conformis, quemadmodum clarioribus terminis exprimit ſequens ſanctio.

VI. In adducto caſu commemorationis omnium Defunctorum diſparitatem his verbis aſſignat Gavantus, quod in Miſſa vigiliæ poteſt fieri commemoratio de die infra octavam, de qua non poteſt fieri in Miſſa Defunctorum; verbum autem illud *octava*, quod ex allegata objicitur Rubrica, de die octava, quæ ritus duplicis eſt, inſtarque feſti ſe habet, vult eſſe accipiendum, non autem de die infra octavam, cujus Miſſa, cum ſæpius occurrat, ſine injuria omitti poteſt, quam ad rem advertit, nec in Miſſali Miſſam conventualem præſcribi de die infra octavam S. Laurentii in vigilia Aſſumptionis, nec de die infra octavam S. Joannis Baptiſtæ, quando vigilia SS. Petri & Pauli ob occurſum Dominicæ anticipatur in Sabbato, cum tamen ipſo præſente in recognitione Miſſalis notatæ ſint diligentiſſime in propriis locis duæ Miſſæ, quando dici debent.

VII. Communior ſententia ferebat olim, quod occurrentibus Vigiliis S. Jo. Baptiſtæ, SS. Petri, & Pauli infra octavam Corporis Chriſti, Miſſa de Vigilia dicenda foret cum commemoratione octavæ, unuſque ſolum, vel alter, quos inter Caſtaldus *in ſua Praxi cæremon. lib. 2. ſect. 6. num. 9.*, Miſſas privatas concedebat octavæ, & Collegiatas obligabat ad duas Miſſas canendas, Rubriciſque hanc exceptionem adhibebat particularia ob privilegia, quibus præfata octava præ ceteris fuerat decorata. Nunc hæc ſententia extra dubitationem omnem eſt poſita; cum in recognitione Miſſalis ſub Urbano VIII. fuerit approbata per exceptionem illam Rubricis inſertam: *Præterquam infra octavam Corporis Chriſti, in qua in Cathedralibus cantantur duæ Miſſæ, & Miſſæ privatæ ſunt de octava &c.* Etſi hæc exceptio a me ſuperius ſtatutis adſtipuletur admodum, adhuc ſi ejuſdem rationem expoſcis, libens uſique obſequor. Octava Corporis Chriſti id habet privilegii, ut expellat feſtum ſemiduplex quodlibet occurrens, quinimmo & duplex minus, aut majus tranſlatum, adeoque inſtar ſe habet feſti quaſi duplicis, ſemiduplicis ad minus, ac conſequenter, uti vigilia incidens in feſtum ſemiduplex, huic privatas cedit Miſſas, duæque ſunt Miſſæ cantandæ, utique non diſſimiliter fieri debebat infra octavam prædictam.

VIII. Volo hinc inferas idem debere eſſe judicium de octava qualibet, quæ ex privilegio a ſuo excludit ſinu feſtum ſaltem ſemiduplex occurrens, tametſi infra eam occurrat Vigilia, aut feria quælibet major, aut Dominica anticipata ex ſuperius recenſitis. Hoc itaque privilegio v. g. in Brevario Romano gaudebit octava Epiphaniæ, & in eo Auguſtinenſium octava S. P. Auguſtini, quarum prima ſolum admittit feſtum primæ claſſis, & ſecunda feſtum primæ, & 2. claſſis.

DECRETUM VI. CAPITIS, IN ORDINE CXXVI.

Quando occurrit Vigilia, aut feria quatuor Temporum infra octavam Conceptionis B. M. V., debet recitari officium de die infra octavam, Miſſæ autem, ſive una cantetur, ſive legantur, ſint de feria quatuor Temporum cum ſecunda oratione de octava, & tertia de Spiritu Sancto, quæ ſemper dicitur infra octavas B. M. V. juxta Tit. 9. de orationibus num. 7. & 9., nam oratio, quæ ibi præſcribitur dicenda ſecundo loco, ponitur tertio loco.

At ſi feria quatuor Temporum occurrat in die octava Conceptionis, omnes Miſſæ privatæ dicentur de octava, cum commemoratione feriæ. Miſſa autem ſolemnis, quæ dicitur poſt Tertiam, erit de ipſa octava ſine commemoratione feriæ, cum de ea cantari debeat alia Miſſa poſt Nonam ſine commemoratione Conceptionis. Dicendæ autem ſunt orationes aſſignatæ in ipſa feria, nempe *Deus qui de B. M. V. utero*, & tertia *Eccleſiæ*, vel *pro Papa*, cum Præfatione communi.

Idem ſervandum eſt in Miſſa, & officio alicujus ſancti, ex ſpeciali privilegio aliquibus in locis in Quadrageſima octavam habente, in qua Miſſæ omnes dici debent de feria cum commemoratione octavæ, & tertia oratione *concede*, non vero *A cunctis*.

Tempore autem Paſſionis, quando contingat fieri officium de infra octavam, unica pariter cantari debet Miſſa de feria cum commemoratione diei infra octavam, & Præfatione de octava, ſi habeatur propria, ut dictum eſt de octava Conceptionis. S. R. C. 23. Junii 1736. *in Einſidlen*. Ex Merato in Indice Decr. Miſſal. num. 687.

I. Quo prolixior eſt ſanctio, eo brevior ſit expoſitio, *Quando occurrit &c.* Opus haud eſt, te moneamus, hic in occurſu vigiliæ, aut feriæ quatuor Temporum, infra octavam aliquam, huic concedi officium, illis Miſſas omnes, ſive lectas, ſive cantatam, ſeu conventualem. Non diſſimiliter præſtat ea Decreti pars *Id ſervandum eſt &c.* de diebus infra octavam occurrentibus in Quadrageſiama, in qua *Miſſæ omnes* de feria dicendæ præſcribuntur, non enim ibi agitur de die octava, de qua præcedenter mentionem habuerat, ſed de diebus infra octavam, de quibus in priori Decreti parte ſermo præceſſerat. Quid autem, niſi idipſum ſtatuitur in poſtrema Decreti parte, incipit *Tempore autem Paſſionis*, in qua unica cantanda decernitur Miſſa de feria? Licet ubertim hæc maneant expreſſa, adhuc ut magis hinc nullam Miſſam Conventualem de officio eſſe dicendam agnoſcas, volumus advertas ſemper in Miſſa Conventuali de feria, aut vigilia commemorationem præſcribi de octava, cum tamen, ſi Conventualis Miſſa altera de octava dicenda foret, in Miſſa de feria commemoratio octavæ ſilenda fuiſſet juxta Rubricarum mandata, ac diſpoſitionem ipſam in ſecunda parte hujuſce Decreti inſertam, in qua in Miſſa de die octava omittenda decernitur commemoratio feriæ, & ſimul hæc ratio producitur, *cum de ea cantari debeat alia Miſſa poſt Nonam ſine commemoratione octavæ*. Quæ ſecunda Decreti pars in oppoſitum ſtatuit de die octava, cui tribuit Miſſas omnes privatas, ac unam ſolemnem poſt Tertiam, & vigiliis, aut prædictis feriis nonniſi Miſſam alteram Conventualem cantandam poſt Nonam. Hæc cum in præcedenti Decreto ponderata fuerint, ab ulteriori examine nos liberant.

II. De orationibus dicendis in hujuſmodi Miſſis quæſtio ſuccedit, & edocemur primo, quod infra octavam ſecunda oratio debet eſſe de die infra octavam, de qua factum eſt officium, quemadmodum mandat Rubrica III. Miſſalis num. 2. Tertia vero oratio, quatenus dicenda ſit, eſſe debet, non quam exigit tempus, ſed quam expoſcit octava; hinc infra octavam Conceptionis aſſignatur oratio *de Spiritu Sancto*, & quadrageſimali tempore oratio *concede*, cum tamen juxta temporis exigentiam eſſe deberet in priori caſu oratio *Deus qui de B. M. V. utero*, & in poſteriori oratio *A cunctis*, ita ut debeat dici tertio loco oratio illa, quæ in Miſſa octavæ dicenda erat ſecundo loco, & hoc conſonat Rubricæ de orationibus num. 7. & 9. Diximus, *quatenus tertia oratio dicenda ſit*, quapropter tempore paſſionis, in quo feriales Miſſæ alteram tantum patiuntur orationem, non aſſignatur tertia oratio aliqua, ſed duntaxat ſecunda de octava.

III. *Et Præfatione de octava, ſi habeatur propria, ut dictum eſt de octava conceptionis*. Hinc deprehenditur mendum irrepſiſſe in exaratione primæ partis Decreti, hæc ſiquidem nihil habet de Præfatione propria dicenda infra octavam Conceptionis in præfata Miſſa feriali; tu itaque in ea id intellige; perinde ac ſi foret expreſſum, & generalem infer regulam, in feriarum, & vigiliarum Miſſis, quæ infra octavam aliquam dicuntur, dicendam eſſe Præfationem de octava, ſi hæc eam habet propriam. Quæ Miſſæ ſuſcipiunt Præfationem octavæ, tametſi Tempus præfationem propriam habeat, quoniam Paſſionis tempore, quod tamquam propriam habet Præfationem Crucis, nihilominus dicenda præſcribitur Præfatio octavæ. Quoad infra octavam Conceptionis idipſum edocent Meratus *par. 1. tit. 3. num. 5.*, ubi refellit Vinitorem, qui præfatis Miſſis ſemper Præfationem communem aſſerebat eſſe concedendam. Ita quidem, quia Adventus præfationem propriam non habet, at in oppoſitum ſentire videtur, quoties tempus propria gaudet præfatione: Scribit quippe *par. 1. tit. 12. num. 7.* quod in præfatis Miſſis, quæ dicuntur infra aliquam octavam occurrentem in quadrageſima, dicenda eſt *præfatio quadrageſimæ, licet octava propriam habeat*. Verum miror, non viderit, quod præſens Decretum iiſdem Miſſis tempore Paſſionis, quod propria gaudet præfatione, non hanc, ſed illam octavæ aſſignat, ſi hæc propriam habeat, utinam ſaltem contraria minime doceret *part. 3. tit. 11. num. 4.* Turpius adhuc errat, dum pro hac ſententia allegat Guyetum *lib. 4. cap. 3. quæſt. 1.*, cum tamen celeberrimus hic Auctor nihil hujuſmodi ibidem teneat, ſed ſolum loquatur pro caſu in quo ultra illam feſti occurrentis cantatur Miſſa altera de feria, ut melius conſultus Meratus ipſe poſtmodum advertit loco vix laudato. Et quidem tantum abeſt, quod id ſentiat Guyetus, ut magis pro noſtra ſententia eum ſtare arbitremur propter ea, quæ tradit *lib. 3. cap. 18. quæſt. 5., & lib. 4. cap. 18. quæſt. 10.*, ubi in concurſu duarum præfationum propriarum, puta duarum octavarum, aut octavæ, & temporis, eam in feſto dicendam eſſe aſſerit, quæ eſt propria officii, quod fieret, ſi tale feſtum non occurreret, unde eam octavæ dignioris, quoties duæ octavæ propriam præfationem habentes occurrunt, vel octavæ, non temporis, quando utrumque propria gaudet præfatione. Et in feſto

occur-

Google

occurrente in die octava S. Joannis Apoſtoli, eam Apoſtolorum aſſignat, non vero illam Nativitatis Dominicæ, quæ ſolum per extenſionem continuatur uſque ad Epiphaniam, quam propterea cenſet non poſſe prævalere contra Pręfationem aliam propriam octavæ. Falleret hoc tamen, ſi Miſſa, quæ infra octavam dicitur, propriam pręfationem haberet, quoniam feſta quęlibet, immo & Miſſæ votivæ, ſi propriam habeant pręfationem, ea dicenda eſt, etſi infra octavam occurrant, quæ gaudeat propria pręfatione. Pręfatio tamen, quæ tempori aſſignatur, puta paſchali, aut quadrageſimali, non cenſetur propria Miſſæ feriarum, aut Dominicarum, quæ iiſdem temporibus poſſunt occurrere, alias etiam in Dominicis puta temporis paſchalis, quando fit officium de iiſdem, dici deberet contra communem uſum, ac intellectum Rubricæ XI. Miſſalis num. 2.

IV. Adjicere nobis liceat, quod non minus propria eſt tempori paſchali terminatio hymnorum per *Deo Patri ſit gloria; & Filio, qui a mortuis &c.*, tempori Adventus ad Primam verſus *qui venturus es in mundum*, & tamen in officio Dominicæ infra octavam occurrentis, quæ aliam propriam terminationem habeat, vel verſum, non terminatio, aut verſus temporis, ſed octavæ dicitur, & quoad verſum dubitatio omnis ablata eſt per Rubricam poſitam in officio Conceptionis Deiparæ, quæ habet; *Et ſic dicitur per totam octavam, etiam in feſtis, & Dominica infra octavam*. Hęc igitur omnia ſunt propria quidem temporis, ſed non officii, & Miſſæ, licet hęc ſint de tempore, ſed æque competunt ſive feſtis, aut Dominicis, vel feriis eo tempore occurrentibus, adeoque dicenda non ſunt, ſi alia ſimilia vel ratione feſti, aut ratione octavæ propria habeantur.

V. His objici poſſet exemplum diei octavæ S. Stephani, in qua aſſignatur Pręfatio Nativitatis, licet hujus octava jam defierit, ſolumque ejuſdem Pręfatio per extenſionem uſque ad Epiphaniam continuetur, cum tamen ſi univerſim procederent, quæ a nobis dicta ſunt, dici deberet Pręfatio Apoſtolorum ratione octavæ S. Joannis, infra quam occurrit. Verum admodum ſcite loco laudato reſpondet Guyetus diſparem eſſe rationem, quia in die S. Joannis adhibita non fuit Pręfatio Apoſtolorum, ſed Nativitatis, adeoque nec illam infra octavam valet invehere.

VI. Cum Miſſæ præfatæ ſint feriales, hymnum Angelicum haudquaquam admittunt, immo nec ſymbolum, etſi infra octavam occurrant, quemadmodum adnotat Gavantus, *par. 1. tit. 11. lit. L. in fine*, necnon Meratus *ibidem numer.* 14., invicteque, quantum ad ſymbolum attinet, id eruunt ex paritate Miſſæ Rogationum in feſto S. Marci diei præſcriptæ, in qua dici non poſſe ſymbolum nec ratione feſti ejuſdem S. Marci, nec Dominicæ, nec octavæ Paſchalis, in quæ incidat, diſerte manet ſancitum per Sacram Congregationem 25. Septembris 1688., & 5. Julii 530. Admodum tamen injuſte Meratus carpit Guyetum, quaſi hic *lib. 4. cap. 5. quaſt. 5. in fine* iiſdem Miſſis ſymbolum conceſſerit, cenſueritque pręfatas vigilias non eſſe vigilias ſimplices, ſeu feriales, ſed feſtivitas, & dominicales. Ibi namque Guyetus non agit de vigiliis pręfictis, ſed de vigilia Epiphaniæ, de qua utique verum eſt, non eſſe vigiliam communem, ſeu ferialem, ſed feſtivam, & quaſi dominicalem, capacemque ſymboli ratione octavæ, quemadmodum illud ſuſcipit, quoties incidit in Dominicam. Tu tamen, quęſo, comis eſto erga Meratum, qui ſi, dum hæc ſcripſit, vix quoad corticem legit Guyetum, hunc probe recoluit *par. 4. tit. 3. num.* 12., ubi de vigilia Epiphaniæ eumdem loqui, ultro nobiſcum fatetur.

VII. Antequam ad ulteriora progrediamur, expedire cenſemus, an vigilia Epiphaniæ impedita per feſtum duplex, in Collegiatis duæ Miſſæ cantari debeant. Pro parte affirmativa pugnat Guyetus *lib. 4. cap. 5. quaſt.* 5., idque aſſerit eſſe Rubricæ de vigiliis conformibus, nec obſtare, quod in ea non ſit jejunium, quoniam nec vigilia Aſcenſionis jejunatur, & tamen cum feſto impeditur, ex pręſcripto propriæ Rubricæ duæ, immo tres ſunt in ea Miſſæ cantandæ. Verum Rubricæ intelligendæ ſunt de vigiliis communibus, & ferialibus, quarum inſtar in omnibus dempto ſolo jejunio dicta vigilia Aſcenſionis ſe habet; Vigilia autem Epiphaniæ ferialis non eſt, ſed feſtiva, ritum habens ſemiduplicem, eſtque vel vera Dominica ibidem repoſita, vel inſtar ſe habet Dominicæ, quare ſicuti impedita Dominica, etſi intra hebdomadam ejuſdem Miſſa reſumi non poſſit, duæ Miſſæ cantari non debent, ita nec in caſu propoſitæ vigiliæ, ſed de hac fiet ſola commemoratio cum Evangelio in fine Miſſæ. Francolini ratio, quæ fert, duas Miſſas nunquam cantandas poſt eamdem horam, idipſum oſtendit, cum utraque in caſo cantanda foret poſt Tertiam; at cum Guyetus *lib. 4. cap. 2. quaſt.* 5. rationem hanc parum valere aſſerat, eamdem ponderare ſuo loco relinquimus.

VIII. Gradimur ad extremas imponendas manus explanationi Decreti, videmuſque, quod de die octava in oppoſitum omnino ſtatuit, ac de diebus infra octavam, quare vult Miſſas privatas dicendas eſſe de illa cum commemoratione feriæ, aut vigiliæ, cum Miſſa Conventuali de eadem poſt Tertiam cantanda ſine commemoratione feriæ, aut vigiliæ, pro quibus pręſcribit Miſſam aliam cantandam poſt Nonam ſine commemoratione octavæ, ac cum orationibus, & Pręfatione, non octavæ, ſed juxta exigentiam temporis. Dies octava in omnibus, & per omnia tanquam feſtum habetur, & ideo pręſcribi utique debuit, quod in ſimili caſu de feſto fieri manet pręſcriptum, omneſque tradunt Auctores.

IX. De vigilia intra Adventum modo ſumimus agere, & certum eſt, quod licet officium ſit de feria Adventus abſque ulla prorſus commemoratione vigiliæ, Miſſa tamen erit de vigilia cum commemoratione feriæ juxta Rubricam III. Miſſalis num. 4. Hujuſce diſpoſitionis rationem dant Gavantus *part. 2. tit. 3. num.* 4., & Guyetus *lib. 4. cap. 5. quaſt.* 4., quod feria Adventus Miſſam propriam non habet, ſed tantum in ea repetitur Miſſa Dominicæ, quare Miſſæ propriæ convenit cedat Miſſa minus propria, ſicuti hac de cauſa ſuperius fieri diximus de vigilia infra octavam. Alia fortaſſe addi poteſt ratio, ut videlicet moneatur Populus de jejunio. At quid ſi ſimul occurrat feſtum aliquod novem lectionum? Cantandæ erunt duæ Miſſæ, de feſto videlicet, atque vigilia, perinde ac fit in ſimili caſu aliis temporibus, ſicuti eruitur ex Rubrica 3. Miſſalis n. 4., & Rubrica 7., n. 2. Miſſæ vero privatæ erunt de feſto, & licet vigilia Miſſam haberet, ſi per feſtum non impediretur, adhuc in Miſſa de feſto priorem locum habebit oratio feriæ Adventus, & poſteriorem oratio vigiliæ; in caſu enim ſolius commemorationis de utraque dignior eſt oratio, quæ dicitur in officio, ut belle ponderat Gavantus loc. cit., eruiturque ex feſto S. Leonis 2. Junii, in cujus Miſſa oratio de vigilia digniorem cedit locum orationi de die infra octavam S. Joannis, licet ſi dictum feſtum minime occurreret, Miſſa vigiliæ pręferetur Miſſæ de octava, & de facto pręfertur, quando ratione Dominicæ Vigilia transfertur in pręcedens ſabbatum.

X. An in fine Miſſæ legi debeat Evangelium Vigiliæ, dirimitu difficilis quęſtio ſuccedit? Negat Gavantus, eo quod in officio lectum non eſt, nec legitur in Miſſa quatuor Temporum, aut quadrageſimæ, quando in his feriis occurrit Vigilia. Affirmat Guyetus, eique adhęret Meratus *par. 1. tit. 3. n.* 4., necnon Biſſus *lit. E. n.* 157. §. 6., taliſque eſt praxis Sacroſanctæ Baſilicæ Lateranenſis. Ideo namque non legitur homilia Vigiliæ in officio, quia de ea non fit commemoratio ad laudes, quæ ſi fieret, indubie legeretur homilia ad Matutinum, cum nihil ſit, quod impedire queat, feria quippe Adventus lectionem homiliæ non habet, quæ illam Vigiliæ impedire poſſet, unde Sacr. Congr. 16. Febr. 1737. declaravit, quod hac de cauſa feriæ Adventus non impediunt nonam legi lectionem de ſimplici in officiis de ſanctis tunc temporis occurrentibus. Quantumcumque vero in feriis quatuor Temporum, & quadrageſimæ fieret commemoratio Vigiliæ ad Laudes, non propterea legeretur ejuſdem homilia ad Matutinum, unde etſi pręfatæ feriæ admittant commemorationem feſti ſimplicis, non tamen ejuſdem lectionem. In hoc itaque caſu homilia Vigiliæ per ſe omittitur, in illo autem nonniſi per accidens, quare Evangelium, cujus homilia per accidens omittitur in officio, ſi in Miſſa commemoratio fiat, etiam in fine Miſſæ legendum erit, ſecus vero Evangelium illud, cujus homilia in officio per ſe omittitur, licet commemoratio fiat. In hoc ſenſu valet Biſſi argumentatio, qui ex commemoratione Vigiliæ, quæ fit in Miſſa, & omittitur in officio, arguit in officio legendum non eſſe Evangelium Vigiliæ, bene vero in fine Miſſæ, quoniam ex hoc alias fieret, quod etiam in feriis quatuor Temporum, & quadrageſimæ in fine Miſſæ legi deberet Evangelium Vigiliæ, de qua fit commemoratio in Miſſa.

XI. Potior tamen videtur eſſe ratio, quam Guyetus petit ex duabus Miſſis Conventualibus, quæ in noſtro caſu, non autem in occurrentia feriæ quadrageſimalis, & Vigiliæ dici pręſcribuntur, quoniam in Miſſis privatis tunc etiam ſemper legitur Evangelium in fine Miſſæ, ad monendum forſitan populum de obligatione jejunii, qua monitione non eget, quando Vigilia incidit in quatuor Tempora, aut quadrageſimam, cum jam id ſignificetur per Miſſam propriam quadrageſimæ, ſeu quatuor Temporum.

XII. In Decreto ultimi Capitis quarti diximus, quoties Evangelium feriæ, aut Vigiliæ idem eſt cum Evangelio feſti, de quo fit officium, in officio legendam non eſſe nonam lectionem homiliæ feriæ, vel Vigiliæ, nec harum Evangelium in fine Miſſæ; nunc dubium exurgit, num duæ Miſſæ Conventuales haberi debeant?

XIII. ℟. Utique, quoniam ut habet Gavantus *part. 1. tit. 7. num.* 2., in hujuſmodi feriis, & Vigiliis intendit Eccleſia ſine pręjudicio feſti excitare Clerum, & Populum ad actus humilitatis, & pœnitentiæ cum genuflexione ad orationes in Miſſis propriis earumdem, necnon deſignare eſſe dies mœroris, & luctus, monereque de obligatione jejunii, & ideo omitti non vult integras Miſſas de feriis pręfictis, cum tamen Miſſis Dominicarum, in quibus eæ rationes locum non habent, licet digniores ſint, ſolam commemorationem, & Evangelium in fine Miſſæ concedat quando a majori feſto impediuntur. Solummodo quoad Vigilias incidentes in feſto duplici primæ claſſis ſuper hac diſciplina diſpenſatum extitit in gratiam maximæ ſolemnitatitis, & lætitiæ occurrentis feſti. Cum itaque aſſertæ rationes, ob quas Conventuales illæ Miſſæ præſcriptæ ſunt, minime habeantur, cum idem eſt Evangelium feſti, & feriæ, aut vigiliæ, idcirco duæ proculdubio canendæ erunt Miſſæ. In officio itaque legenda non erit nona lectio homiliæ, nec Evangelium in fine Miſſæ, ne idem Evangelium in eodem officio, aut Miſſa inutiliter repetatur, quæ repetitio cum locum non habeat, cum in Miſſa Conventuali de feria, aut vigilia, dicitur Evangelium, quod dictum eſt in Miſſis privatis, & ſolemni de feſto, idcirco nihil eſt, quod impedire queat Miſſam Conventualem de feria, aut Vigilia; in diverſis enim Miſſis eadem die idem Evangelium ulla abſque abſurditate dici valet, & quandoque dicendum occurrit, cum diverſæ Miſſæ [illegible] dicuntur, ſed idem habentes Evangelium.

XIV. De Vigilia incidente in die, in qua anticipatur officium Dominicæ, ſive de hac integrum recitetur officium, ſive ob occurrens feſtum ſola nona lectio homiliæ de eadem legatur, quid in officio, & Miſſa præſtari debeat, jam diximus in Decreto ſecundo præcedentis Capitis: nunc inquirendum ſupereſt, an Miſſa altera Conventualis de Vigilia in Collegiatis cantari debeat? Supponimus autem, quod ſi officium fiat de dicta Dominica, etiam Miſſa de eadem dici debeat, habet quippe Dominica Miſſam propriam, unde in caſu non eſt illam cedendi occurrenti Vigiliæ. Si autem occurrat feſtum, in hujus privatis Miſſis legi non debebit propterea Evangelium Vigiliæ in fine, ſed magis Evangelium Dominicæ, quod præferentiam habet, & item legitur in officio. Exemplum vigiliæ occurrentis in feriam quadrageſimæ, aut quatuor Temporum ſuper his diſerte nos inſtruit. His &c.

XV. ℟. Miſſam alteram de Vigilia eſſe cantandam: rationes enim illæ ob quas Miſſam alteram de Vigilia nuper dicebamus præſcriptam, locum non habent in Miſſa Dominicæ, ſive in propria ſede, ſive anticipate celebrata; & ideo ſicut ſi Miſſa Dominicæ impeditur, non propterea Miſſa altera de Dominica eſt cantanda, ita nec Miſſa Dominicæ integre, vel per ſolam commemorationem, & ejuſdem Evangelium in fine Miſſæ de feſto anticipata, valida erit impedire Miſſam de Vigilia, quemadmodum hæc impeditur per Miſſam de feria quatuor Temporum, aut quadrageſimæ, quia Miſſa harum feriarum jam excitationem Populi ad præfatos actus humiliationis, & pœnitentiæ importat, deſignationem luctus, & mœroris, ac monitionem de obligatione jejunii.

DECRETUM V. CAPITIS, IN ORDINE CXXVII.

Occurrente Vigilia S. Mathiæ Apoſtoli in feria III. poſt Dominicam Quinquageſimæ, obſervandum eſt jejunium, quod non poteſt anticipari ratione carnis privii. S. R. C. 23. Janu. 1694. *in Ariminen.*, *& habetur in particulario Bullario Innocentii XI.* Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 185.

I. SAnctus Mathias, ut in præliminaribus capitis dicebamus, ex Apoſtolis eſt, quorum feſtivitas ubivis jejunio prævenitur; in cunctis fere ſiquidem Galliæ Eccleſiis dicto obſequii genere minime colitur, ait Belethus *lib. divin. Off. c. 15.*, quia frequentius in quadrageſima ſolet contingere, quando alioqui ſemper jejunatur, vel quia ex primitivis Apoſtolis non fuit, ſed poſt Chriſti paſſionem per aliorum electionem loco Judæ ſubſtitutus. Verum loco laudato jam brevi ſermone firmavimus, Apoſtolorum omnium præter Philippi & Jacobi, ac Joannis Evangeliſtæ, vigilias jejunio eſſe ſervandas; qua de re videri etiam poteſt Gloſſa *in lib. 3. Decretal. tit. 46. de obſerv. jejun. cap.* 2. Cæterum quantum in ſpecie attinet ad Vigiliam S. Mathiæ, Innocentius III. interrogatus, *utrum in vigilia B. Mathiæ Apoſtoli ſit jejunium injungendum*, reſpondit: *Beati Mathiæ Apoſtoli debet vigilia jejunari*, & refertur *lib. vii. Decretal. cap.* 5.

II. Aliam placet adjicere Alexandri III. reſponſionem, & qua jejunium dictæ Vigiliæ dilucide eruitur, & ſimul altera dirimitur quæſtio, quæ ad præſens inſtitutum apprime facit. Conſultus fuit hic Pontifex, *num dum anno biſſextili Feſtum S. Mathiæ die 25. Februarii ab Eccleſia recolitur, ejuſdem vigilia adhuc die 22., ut in anno communi, an magis die 24., qui interjicitur, foret celebranda?* Quod dubium *lib. 5. Decretal. de verb. ſignif. tit. 40. cap. 14.* in hunc modum legitur fuiſſe diremptum. *Feſtum vero B. Mathiæ juxta conſuetudinem Eccleſiaſticam vigilia eatenus præcedat, ut nec pro biſſexto, nec pro quolibet alio modo inter ſe, & ſolemnitatem aliam diem admittat, in qua utique vigilia, niſi venerit in Dominica, jejunium obſervetur.* Exhibitæ difficultatis nervus in eo ſitus eſt, quod in anno biſſexto dies 24., & dies 25. cenſetur una, & eadem dies, ut nos ipſi tradidimus in Decr. 1. cap. 12., quare dum Feſtum S. Mathiæ celebratur die 25., & vigilia die 24., una & eadem die videntur recoli feſtum, & vigilia, cum tamen hæc juxta Eccleſiaſticam conſuetudinem debeat ſemper per unam diem feſtum prævenire. Quoniam tamen etſi dies illæ pro una cenſeantur in hominum inſtitutione, revera ſunt dies naturales inter ſe diſtinctæ, ac ſpatio 24. horarum æque ac reliquæ dimenſæ, feſtumque S. Mathiæ per utramqua minime recolitur, ſed die 25. manet contentum, optime ſtatuit Pontifex, ejuſdem vigiliam, non die 23., ſed 24. tamquam proximam præparationem ad feſtum eſſe celebrandam juxta Eccleſiaſticam conſuetudinem, quæ ob ſolum caſum occurrentis Dominicæ Vigilias ſolemne habuit per unam diem anticipare.

III. Fallor, ſi hic non videas jam ſolutum dubium, ſuper quo præſens emanavit Decretum, videlicet *ratione carnis privii anticipari non poſſe jejunium Vigiliæ S. Mathiæ.* Vigilia S. Mathiæ ita hujus feſtum debet præcedere, ut nec pro biſſexto, ſuper quo Alexander prædictus conſultus fuerat, *nec pro quolibet alio modo* inter ſe, & ſolemnitatem *aliam diem* admittat. Quomodo itaque ratione excarnaliorum jejunium anticipari unquam poterit? Dictio *quolibet modo* eſt univerſalis, omnes caſus comprehendens, ut in *l. omnes*, ubi Gloſſa *verb. quaslibet, C. de quadriennali præſcript.* notat Menoch. *rem. 6. recuper. num.* 14., & eo maxime, quod ſolum exceptum habet caſum occurrentis Dominicæ, ac per conſequens quoſcumque alios excludit.

IV. Celebris olim erat hujuſmodi quæſtio, & cenſebat Layman *Theol. mor. lib. 4. tract. 8. cap. 3. num. 9.*, incidente dicta Vigilia in feria 2. vel 3. Quinquageſimæ, Epiſcopum juſtam habere cauſam jejunium transferendi in præcedens Sabbatum, ſi prævideat, quod plurimi (niſi præfata commutatio fiat) jejunium violaturi ſint, etiam cum carnium eſu non ſine ſcandalo. Addit Diana Coord. *tom. 4. tract. 6. reſ. 37.*, quod hæc ſententia probabilis videri poteſt, non obſtante quod ſine eſu carnium violandum eſſet jejunium, cum militet eadem ratio commutationis, ad vitandum ſcilicet peccatum, licet fractio jejunii cum eſu carnium gravius ſit peccatum. Cenſent namque ob ſpecialem cauſam pro una, vel altera vice in lege univerſalis jejunii diſpenſare, vel commutare ad Epiſcopum ſpectare debere, cum ejuſdem ſit muneris ſpirituali ſubditorum ſaluti invigilare, ſcandala infirmorum tollere &c.

V. Refert. Gobat *Theol. exp. tract. 5. num. 113.* in Germaniæ Epiſcopatibus annis 1621. & 1632., in quibus feſtum S. Mathiæ incidit in feriam IV. Cinerum, diverſas ſervatas eſſe praxes; nonnulli enim nullam egere mutationem, alii vigiliam tranſtulere in præcedens Sabbatum, & alii tranſlato feſto in feriam V. Cinerum conſequenter peregere vigiliam in die Cinerum.

VI. Theodorus Moretus apud eumdem Gobat *num. 114.* approbat, quod ſicuti feſtum S. Mathiæ incidens in diem cinerum; transfertur in feriam V. ſequentem quoad chorum, ita in eumdem transferatur quoad forum, ac conſequenter vigilia in diem cinerum. Hunc dicendi modum laudat Gobat *num. 116.*, ubi aſſerit id eſſe congruum, ut ſcilicet chorum, forumque jungantur, & pluribus in locis factitatur circa feſtum Annunciationis; ita autem translato feſto, Vigilia, quæ eſt acceſſorium, ſequi debet ſuum principale.

VII. Quod ſi feſtum S. Mathiæ occurrat feria tertia ante cineres, vult prædictus Moretus ab Epiſcopo diſpenſari poſſe in jejunio ob moralem impoſſibilitatem jejunandi tunc. Diſplicet id Gobat *num.* 118. Tum quia plerumque diſcordiam pariunt novitates *text. cap. cum inter de conſuet.*, eſſet autem hæc novitas noxiſſima. Tum quia ſubditus nequit in lege ſuperioris diſpenſare integre, præſertim reſpectu tantæ communitatis, quanta eſt tota Diœceſis, quando ei obnunciat praxis omnium aliorum ſubditorum, & nulla rationabilis cauſa urget; hic autem non urget; nam aut eſt morale periculum, ne plurimi violent eſu carnium vigiliam illam, ſi non diſpenſetur, aut eſt periculum, ne ſolum pauci. Si ſecundum, nulla neceſſitas moralis urget ad quidquam mutandum; non enim paucorum, ſed majoris partis eſt ratio habenda juxta leg. *Ex his ff. de legib.* Si primum poterit Vigilia transferri in præcedens Sabbatum, ſi enim Urbanus VIII. ſanxit anticipandam eſſe Vigiliam incidentem in feſtum Corporis Chriſti, & idem pluribus in locis uſitatur in Vigiliis cadentibus in feſtum ſolemne loci, non apparet, cur periculum longe plurium peccatorum mortalium, partim ex malitia, partim ex infirmitate committendorum, non præbeat Epiſcopo juſtam cauſam dictum jejunium anticipandi.

VIII. Raynaudus *in Heteroclitis ſpirit. l. 2. ſect. 3. pun. 1. num. 35.*, Leander *de præcept. Eccl. tract. 5. diſp. 10. quæſt.* 42., aliique, quibus deſerta priori opinione adhæret Diana Coord. *tom. 3. tract. 3. reſ. 88. num. 3.*, tuentur jejunium prædictæ vigiliæ in aliam diem transferri non poſſe. Et tuentur primo quia ratio, quæ aſſignatur, non videtur rationalis, nec ſufficienter juſta; nam alias transferri item poſſet jejunium incidens in diem quemcumque feſtum, cum etiam multa committantur peccata in jejuniis cadentibus in feſta. 2. quia dicta translatio non eſſet conformis diſpoſitioni juris, quod ſolum propter occurrentiam maximæ alicujus feſtivitatis ab Eccleſia inſtitutæ permittit, aut præcipit transferri jejunium, ut conſtat ex cap. *Conſilium de obſerv. jejun.* 3. quia, cauſa quæ adducitur, prævisa eſt a Summis Pontificibus, & tamen non inſtituerunt translationem dicti jejunii, uti fecerunt de Vigilia S. Joannis Baptiſtæ incidente in feſto Corporis Chriſti. 4. quia hujuſmodi res cum ſub Pontificatu Innocentii X. in conſiderationem venerit, Cardinalis de Lugo fuit in voto non debere dictam vigiliam transferri, & reipſa translata non fuit.

IX. Horum itaque ſententiam approbando, Congregatio cenſuit ut in Decreto; ut enim bene aſſerit laudatus Raynaudus, præſumendum non eſt, quod Summus Pontifex tantam habeat rationem excarnaliorum, ut velit fieri mutationem vigiliæ, utpote qui ſcit, hanc ſolere incidere in excarnalia, & tamen eam non excipit a communi regula, ſicut excipit quaſdam alias.

X. Nonnemini inhibita per Decretum dumtaxat fortaſſe videbitur *anticipatio* jejunii, non poſtpoſitio, adeoque in Decretum minime peccare, qui dictum poſtponerent jejunium. At ratio, ob quam antipatio vetatur, cum æque militet pro poſtpoſitione, etiam hanc illicitam reddit; ſi enim Decretum de jejunio habet, *quod non poteſt anticipari*, hoc præſtitum extitit, quia inquiſitio de anticipatione proceſſit; æque autem diſerte etiam poſtpoſitionem vetaſſet, ſi aliter petitio fuiſſet exhibita. Verum en adhuc poſtpoſitionem inhibitam: *In præfata feria tertia obſervandum eſt jejunium*; quomodo enim unquam hæc Decreti pars ſervari poſſet, ſi dicti jejunii fieret poſtpoſitio?

XI. His tamen minime obſtantibus, ubi legitima ſort conſuetudo transferendi feſtum S. Mathiæ una cum choro, &

foro

foro in feriam V. Cinerum, quidni, & inibi licitum erit in antecedentem feriam IV. transferre vigiliam, quæ utpote acceſſorium ſequi debet feſtum? Vigilia S. Baetholomæi, quæ celebratur die 23. Auguſti, ubi feſtum ejuſdem quoad chorum, & forum die 24. ſervatur, & die 24., ubi hoc die 25., omnem dubitationem adimit, cum ea ſconſuetudo a Breviario ipſo Romono laudata veniat, quinimmo *lib. 3. Decretal. tit. 86. de obſerv. jejun. cap. 2.* ab Innocentio III. obſervari præſcripta: *De feſtivitate vero B. Bartholomæi Apoſtoli, de cujus celebratione dubietas oritur apud quoſdam, reſpondemus, quod in hoc conſuetudinem tuæ regionis obſerves.* Quæ adeo certa ſunt, ut ſi conſuetudo ferret transferre feſtum quoad chorum, & forum in aliam diem, & in propria retinere vigiliam, utpote difformis, & aliena ab antiquiſſima, univerſaliſſimaque eccleſiaſtica conſuetudine, quæ ſemper in die antecedenti præmittit vigiliam tamquam proximam præparationem ad digne feſtum celebrandum, ſequenda non eſſet, nec imitanda *cap. ridiculum diſt.* 12., tunc enim cenſetur feſtum occurrere in die, in quem quoad chorum, & forum legitime translatum ſupponitur, & ideo in die præcedenti præmitti etiam deberet ejuſdem vigilia.

XII. Idem eſto judicium de conſuetudine celebrandi feſtum in propria die, & transferendi vigiliam in aliam diem ultra immediate præcedentem, nec diſſimiliter judicari debet de conſuetudine præmittendi vigiliam diei, in qua feſtum S. Mathiæ, quoties translatum eſt, quoad officium reponitur; uti enim forum, ita nec vigilia ſequitur officium. Ut itaque vidimus, vigilia S. Mathiæ adeo præcedere debet ſolemnitatem ejuſdem, ut nulla dies mediet, caſu occurrentis Dominicæ ſolummodo excepto.

XIII. Quod ſi transferri non valet, utique multo minus poterit diſpenſari. En horum omnium ratio efficax: Præfatum jejunium eſt a Summo Pontifice inſtitutum, ergo Epiſcopus circa illud nihil valet diſponere, cum inferior nullam habeat poteſtatem circa id, quod ſuperior determinavit, ut patet ex leg. *Formam. Cod. de Offic. Præfecti Prætor. cap. cum inferior, de major. & obed. Clem. ne Romani de elect. &c.* unde non licet inferiori contra factum ſuperioris diſpenſando venire, *leg. pen. §. pen. ff. de aqua pluvia arc., leg. ille a quo §. tempeſtivum, ff. ad trebellian.*

XIV. Si dicas id eſſe verum, quando tollit factum ſuperioris, ſecus autem, quando diſtinguit, ſeu qualificat, ut obſervat Alexander *conſ.* 106. *num.* 15. & 16. *lib.* 2., quare Epiſcopus non poterit quidem vigiliam auferre, bene vero transferre. Namque reponimus id rantummodo forſan procedere poſſe, quoties intervenit rationalis, & juſta cauſa, & quæ a ſuperiore non fuerit prævisa; in noſtro autem caſu nec juſta, nec rationalis adeſt cauſa, & quæ aſſignari valet, a ſummo Pontifice eſt præciſa, & tamen nihil fuit innovatum, quin potius & ab Alexandro III. per ea verba *Nec pro quolibet alio modo*, & ab Innocentio X. ſub quo allegata cauſa in conſiderationem venit, eadem fuit rejecta.

XV. Quæres, num propter magnam feſti ſolemnitatem, puta Patroni Principalis loci, in vigilia aliqua contingentem, licite transferri queat, vel commutari jejunium in diem præcedentem?

XVI. Belethus *lib. Divin. off. cap.* 158. loquens de conſuetudine anticipandi vigiliam omnium Sanctorum ob feſtum S. Quintini Patroni principalis, ſcribit: *Nec jejunium oportet mutari, ut quidam faciunt propter feſtum Sancti Quintini.* Idipſum edocet Pittonus *lib. 2. de oct. num.* 1191. Quorum opinio his non ſpernendis nititur argumentis. I. Per Alexandrum III. vigilia S. Mathiæ ita celebrari debet pridie feſti, ut nullo modo mediare queat dies aliqua, ſolo Dominicæ caſu excepto, ergo idipſum pro caſu præſenti, quod nos ſuperius arguebamus ex dictione *Nec quolibet alio moda*, ac ex exceptione. 2. Præſens Decretum inhibet translationem vigiliæ S. Mathiæ per Epiſcopos faciendam, licet id fiat ad avertendum imminens periculum fractionis præcepti, ergo magis id erit vetitum fieri propter occurrentem feſtivitatem, in qua non ita proximum extat periculum ejuſdem fractionis. 3. Ut jejunium incidens in feſto Corporis Chriſti, transfereretur, opus fuit indulto, ergo &c. 4. Exemplum hujuſce jejunii transferendi, quoties incidit in feſtum Corporis Chriſti, pro regula idipſum faciendi in ſimili, vel quaſi ſimlie caſu, deſervire non valet, cum feſtum Corporis Chriſti ſit ex ſolemnioribus in univerſa Eccleſia, multiſque ſic privilegiis decoratum, ut eidem comparari queat nullum ex feſtis locorum propriis. 5. Vigilia eſt proxima præparatio ad feſtum, & nonniſi in caſu Dominicæ anticipari Eccleſiaſtica fert conſuetudo. 6. Caſus feſtivitatis eſt admodum obvius, atque prævisus, ergo ſi nihil fuit diſpoſitum, ſignum eſt, non fuiſſe approbatum pro ſufficienti cauſa transferendi jejunium, ut nos ipſi ſuperius arguebamus.

XVII. Nos tamen his non obſtantibus a communiori affirmativa ſententia recedendum non eſſe arbitramur. Ita autem edocent Fagnanus *in 2. par. 3. lib. Decretal. in cap. Conſilium de obſerv. jejun. nu.* 31. Abbas *in idem cap. in 2. notab.*, Præpoſ. *in cap. Denique num.* 23. *in fine 4. diſtinct.*: Siveſter *verb. jejunium n. 7.*, Diana Coord. *to. 3. tract. 3. reſ.* 88. *n.* 3. Layman *Theol. Mor. lib. 4. tract. 8. cap. 3. num. 9.*, Gobat *loco cit. & de Jubilæo tract. 3. n.* 202., Grupetus *lib. 4. cap. 5. quæſt.* 1., Grancolas *comment. in Brev. Rom. cap.* 45. Gavantus *ſect. 3. cap. 7. num. 3.*, Meratus *ibidem num.* 4., Cajetanus *verb. jejunium*, Tabiena & plurimi alii.

XVIII. Accedit inſignium Eccleſiarum uſus; Quintinopoli enim ob feſtum S. Quintini, & Rarisbonæ ob feſtum S. Wolfangi anticipatur vigilia omnium Sanctorum, & Toloſæ ob feſtum S. Saturnini vigilia S. Andreæ, & alibi ob feſtum S. Chriſtianæ vigilia S. Jacobi, ſicuti referunt Guyetus *lib. 2. cap. 5. quæſt.* 1., Gobat *loca cit. ex Theol. exp. nu.* 119., Halden *in Eph. part. 2. tit. 6. die 22. Junii*, & Gavantus *loco cit.* Nec deſunt plurima alia loca, quæ idipſum præſtant, ut pagus quidam in Agro Bergomenſi, qui ob ſolemnia SS. Firmi, & Ruſtici anticipat vigiliam S. Laurentii. Verum de his ſatis.

XIV. Id eruunt ex Decreto hujus Capitis primo, in quo per Urbanum VIII. anticipatur vigilia incidens in feſtum Corporis Chriſti; ut enim advertit Gobat *de Jubilæo n.* 202. hanc rationem teddit Urbanus, *eo quod dies feſtus hujuſmodi, quo tanti Sacramenti inſtitutio ſumma totius populi Chriſtiani lætitia recolitur, e principalibus anni feſtivitatibus exiſtat*, unde cum factum Summi Pontificis ſit exemplar reliquorum, maxime cum nititur ratione univerſali, idipſum dicendum venit de reliquis feſtivitatibus anni ſolemnioribus, ut Patroni loci &c., ne ſcilicet lætitia maximæ occurrentis ſolemnitatis minuatur. Quæ in ejuſdem Decreti expoſitione ſuperius deduximus, luculenter oſtendunt, feſtivitatum ſolemnia ab Eccleſia ipſa pro ſufficienti cauſa non ſemel agnita fuiſſe ad non indicenda in iiſdem jejunia, hæc ſolvendi, ſi quæ ſimul occurrebant, & diſpenſandi uſque ſuper eſſe carnium, a quo alias abſtinendum erat; Unde & Concilium Saleguntadienſe, cum ordinaſſet Chriſtianos omnes per quatuordecim dies debere eſſe in abſtinentia carnis, & ſanguinis ante plurimas feſtivitates, caſum occurrentis alicujus ſolemnitatis excipiendum eſſe duxit; *Niſi alicujus feſti ſolemnitate, quæ in illo Epiſcopio celebris habetur, intercedente.*

XX. Adeo olim jejunii mœſtitia non videbatur conjungi poſſe cum ſolemnitate feſtorum, ut propterea nulla Sanctorum natalitia agitarentur quadrageſimali tempore. Concilium Toletanum anni 654. cenſebat Annunciationis feſtum, ſi incideret in Quadrageſimam, propter magnæ lætitiam ſolemnitatis vel ſine jejunio tranſigendum eſſe vel poſt Paſcha transferendum, & in eodem feſto Patriarcha Nicephorus conceſſit uſum vini, & piſcium in Xerophagiis ſanctiorum feriarum, Petruſque Damianus a magno jejunio ſuos abſolvit Monachos in tribus ſolemnibus feſtis S. Andreæ, S. Benedicti, & Annunciationis, & Capitulum Generale Abbatum Galliæ anno 817. c. 46. de die, quo occurrebant Patronorum feſta, habet: *Plenum Officium agatur, & bis reficiatur.* Equidem cum poſtea admodum multiplicata fuerint Sanctorum feſta, abſtinentiam a carnibus, ſi hujus præceptum incidat (Nativitate Dominica dumtaxat excepta) relaxandam non putavit Eccleſia, nec ſolvenda jejunia Sanctiorum feriarum, ſed quoad vigiliarum jejunia, quæ commode anticipari queunt, non quidem diſpenſavit, ſed prudenti Prælatorum commiſit judicio, illa transferre, quatenus id ſolemnitatem, quæ agitur, expoſcere cenſerent, quinimmo Eccleſia ipſa non ſemel tranſtulit, ac anticipavit, exemplo ſuo, quo non melius lex quælibet, ac Legiſlatoris mens intelligi valent, & interpretari, & generali ratione, quam adducit, aperte edocens in quacumque alio ſimili caſu idipſum licite præſtari poſſe.

XXI. Hinc ad primum ſuperius in oppoſitum productum dicito per dictionem illam, & exceptionem excludi Bacchanaliorum cauſam, aliamve ſimilem, numquam tamen cauſam illam, quæ a Legiſlatore ipſo alias in exceptis fuit poſita, ut communiter cenſent Juriſperiti.

XXII. Ad 2. Eatenus de vigilia S. Mathiæ ita fuiſſe diſpoſitum, quia non adeſt cauſa rationalis, & juſta; quæ enim adducitur, magis ſuadet tunc temporis jejunia eſſe inſtituenda ad compeſcendam licentiam pravarum, & profanarum conſuetudinum, commeſſationum, aliarumque corruptelarum, quæ tunc temporis paſſim committuntur, nec Chriſtiano decene homini, ſicut olim Kalendæ Januarii, quæ ab Ethnicis hujuſmodi exceſſibus fuerant deſtinatæ, ab Eccleſia jejunio, & pœnitentiæ ſacratæ fuerunt ad avertendum ab iiſdem Chriſtianum populum.

XXIII. Ad 3. Præfato indulto, ſive declaratione opus fuiſſe, quia ex ſe jejunii obligatio urget eo die, quo currit, niſi transferatur. Hæc autem translatio a Summo Pontifice acta fuit, quia univerſalem reſpicit Eccleſiam, cæterum hujuſmodi factum univerſali junctum rationi, cui innititur, ſatis deſignat, quid Epiſcopi præſtare queant pro ſuis reſpective Eccleſiis.

XXIV. Ad 4. feſtum Corporis Chriſti eſſe ſolemnius extenſive, quatenus ejuſdem ſolemnitas ad totum protenditur orbem, non autem forſitan intenſive, ſeu magis relative ad particularia loca, in quibus ſolemne admodum aſſolet eſſe feſtum v. g. Patroni Principalis. Verum quando etiam hoc non eſſet adeo ſolemne, eſt tamen ſolemnius, vel ex ſolemnioribus, & a Rubricis ipſis per antonomaſiam *Feſtum ſolemne* loci appellatum, quare dat juſtam cauſam transferendi jejunium pro eo loco, uti quia illud eſt ex ſolemnioribus Eccleſiis univerſalis, ſufficientem præſtat rationem ſuæ anticipationis pro toto orbe.

XXV. Ad 5. Feſtum ſolemnem ex Eccleſiaſtica conſuetudine etiam ſe habere poſſe inſtar Dominicæ quoad vim transferri faciendi vigiliam, ac in præfato caſu ſine populi gravamine ullo deſerviente iis admodum aptam præparationem ad Feſtum utrumque.

XXVI. Ad 6. ſuper dicto caſu ſatis per Pontifices fuiſſe

diſpoſitum, dum in ſimili ipſi anticipationem egere jejunii; non enim melius lex quælibet intelligi valet, quam Legislator ipſe in pari caſu, aut ſimili eſt eam interpretatur.

XXVII. Quoniam vero plerique ex laudatis Auctoribus cenſent anticipationem hujuſmodi minime eſſe attentandam ſine *Epiſcopi* facultate, aut *Majorum* auctoritate idipſum nil arbitramur, & fortaſſe quoad Regulares, qui Ordinarium ſubterfugiunt juriſdictionem pro feſto ſui Fundatoris id præſtare poterunt eorumdem Ordinarii, ſive Prælati. Ubi autem ex legitima conſuetudine id ſervaretur, licet continuaretur, licet non conſtaret de majorum auctoritate, tum quia hæc ſupponitur interceſſiſſe, tum quia non eſt ex conſuetudinibus difformibus, & alienis ab Eccleſiaſtica, ut ex ſeipſis corruunt. Anticipato autem hac de cauſa jejunio, anticipari minime poteſt officium, quidquid aſſerat Grancolas *loco cit.*, qui cæteroquin non loquitur conſonanter ad Decreta, ac ad Romanas Rubricas, ut dicebamus in Decreto ſecundo. Sola conſuetudo antiquior Bulla Pii V. quoad rem hanc poſſet eſſe favorebilis.

XXVIII. Hæc dicta ſunto cum exceptione feriarum majorum, quæ altiores, & ſanctiores habent cauſas, unde ſicuti earumdem officium, aut ſaltem commemoratio numquam omittitur, quodcumque ſolemne occurrat feſtum, ita circa earumdem jejunium nihil diſponi poterit, nec ullibi uſus eſt diſponere.

C A P U T XVI.

De Solemnitate SS. Corporis Chriſti.

I. QUoniam in præcedenti Capite data opportunitate plura de Feſto SS. Corporis Chriſti tradidimus, abs re non fore putavimus, ſi quæ de eodem dicenda ſuperſunt, ſuſceperimus abſolvenda. Hoc Feſtum antiquitatis laude minime gaudet? cum enim SS. Sacramenti inſtitutio in ultima cœna a Chriſto fuerit acta, moltis retro ſæculis eamdem potiſſimum recolere in Miſſa feriæ quintæ, *in cæna Domini* nuncupatæ, contenta fuit Eccleſia; haud arbitrata inter doloroſam Chriſti recordationem, in qua recolenda tunc eſt occupare, ulteriora lætitiæ ſigna, quæ tam auguſto deberentur Myſterio, eſſe concedenda. Ne itaque ſuis neutrum præteriret officiis, hæc veluti diviſerat, Paſſioni Divinum concedens Officium, SS. Sacramenti inſtitutioni Miſſam, quam propterea, ſolutis interim doloribus, atque mœſtitiis, cum omnibus lætitiæ ſignis in uſum ſemper habuit celebrare. Primus omnium, ſaltem in univerſali Eccleſia, Urbanus Papa IV., ut huic myſteriorum maximo ulterior cultus accederes, diem illi proprium, ac peculiare feſtum cum octava conſecrandum cenſuit anno 1264., delecta ad id feria quinta poſt octavam Pentecoſtes, quæ eſt prima feria quinta officiis paſchalis temporis vacua. *Feria quinta*, quia in feria quinta contigit ejuſdem inſtitutio *poſt tempus Paſchale*, ne lætitiam Dominicæ Reſurrectionis per lætitiam alteram veluti minueret, *prima* autem, ne diutius tanti Sacramenti celebrerio differeretur.

II. Cum Durandus, qui paulo poſt Urbanum ſcripſit Rationale Divinorum Officiorum, hujus feſti minime meminerit, diſerte eruitur Urbanam Bullam propemodum ſine effectu fuiſſe; hinc in Concilio Viennenſi anni 1311. Clemens V. prædicti Urbani Bullam promulgari juſſit, & confirmavit, quæ cum a Regibus Galliæ, Angliæ, & Aragoniæ recepta eſſet, a Joanne XXII. Clementis ſucceſſore iterum promulgata fuit anno 1316., & tunc ab Eccleſiis omnibus ſuſcepta.

III. Admonet tamen nos Grancolas *comm. lib. 2. cap. 81.*, quod Urbanus hanc de novo non induxit feſtivitatem, ſed eam alibi inceptam, tradidit Eccleſiæ univerſali celebrandam; cum enim prædictus Urbanus Leodi eſſet Archidiaconus, viderat in ea urbe feſtum hoc celebrari, tamquam feſtum publicum, & ſolemne cum vigilia, & jejunio indictum in Synodo Diœceſana 1246. per Rubertum Epiſcopum, hortante præſertim B. Juliana Montis Cornelii apud Leodium Sanctimoniali, ut habent acta ejuſdem Servæ Dei apud Bollandum 5. Aprilis. In his tamen actibus legitur a Roberto per elegantem Epiſtolam in tota ſua Diœceſi fuiſſe dumtaxat indictum, & eum in proxima Synodo illud viva voce promulgare ſtatuiſſet, ab eodem morte prævento perfici non potuiſſe, & ab Hugone Cardinali ad partes Alemanniæ Legato primum in Eccleſia Leodienſi S. Martini promulgatum fuiſſe, & celebratum.

IV. Quam ad feſtivitatem inſtituendam Urbanus excitatus fuit per Viſiones, & Miracula. *Per Viſiones*, ut ipſemet narrat in fine §. 1. ſuæ Bullæ, per Viſionem ſcilicet factam quibuſdam ſacris Virginibus, nempe Julianæ prædictæ. *Per Miracula* vero, quippe in oppido Bolſenæ Sacerdote celebrante, poſt conſecrationem gutta aliqua SS. Sanguinis ex calice in corporale defluxit, & cum ea pars corporalis a Sacerdote pluribus pliccis, coopeta fuiſſet, reperta eſt per omnes pliccas tranſiſſe, & ibi reliquiſſe rubeam admodum ſanguinis formam Hoſtiæ. Diverſimode hoc refert miraculum Joannes Diæſtemius Bletus *dist. 4. comment. de inſtit. feſti Corp. Chr.*, videlicet, quod dictus Sacerdos inter verba conſecrationis dubius in fide, vidit carneis oculis Hoſtiam in formam pietatis, & de ea ſanguinem fluere in calicem. Quo territus dum conaretur occultare, & cooperire, de corporali apparuit mox forma pietatis in ſingulis partibus corporalis, & ita coactus eſt populo aſſiſtenti miraculum patefacere. Quod ubi populus comperit, ad Urbem veterem properans, mira illa hæc nunciavit Summo Pontifici, de cujus mandato præfatum corporale ad Urbem veterem proviſionaliter delatum fuit, & adhuc in ejuſdem Cathedrali religioſiſſime colitur. Ultra Auctores jam laudatos de his agunt Spondanus *to. 1. ad annum 1264. num. 2.*, Pagi *to. 1. in vita Urb. IV.* S. Antoninus *par. 3. tit. 19. cap. 13.*, Martene *de antiqua Eccl. diſciplina cap. 29.* Chriſtianus Lupus *to. 1. in Differt. de ſacris Proceſſ. inſerta tom. 11. edit. Veneta*, Tomaſinus *lib. 2. de Feſtis cap. 19.* Raynaudus *to. 11. pag. 347.*, aliique plures, & diſerte admodum, & ſcite Benedictus XIV. noviſſime *in annot. ad feſta num. 85.*

V. Putarunt nonnulli officium, quod in hac feſtivitate recitatur, opus eſſe Julianæ Virginis, ſcriptum ab Adoleſcente, cui nomen erat Joannes, illius Hoſpitalis, & a Roberto Epiſcopo Leodienſi approbatum, quod cum reliquis Eccleſiæ officiis ſit præſtantius, propterea illud dixere divinitus inſpiratum; ad formam autem Romani ritus juſſu Urbani IV. a D. Thoma Aquinate poſtmodum accomodatum. Verum opus D. Thomæ illud faciunt memoratæ Hiſtoriæ, & Bulla Sixti IV. inſerta tom. 3. Bullarii Dominicani, necnon celebris diſſertatio, quam ſuper hanc rem elucubravit Natalis Alexander. Quo in Officio Pius V. juſſit nonnulla immutari, quæ recenſet Gavantus *ſect. 6. cap. 20. num. 1. & 2.*

DECRETUM I. CAPITIS, IN ORDINE CXXVIII.

In Officio de die infra octavam Corporis Chriſti non legitur nona Lectio de Feſto ſimplici. S. R. C. 8. Junii *1669. in una dubia Rubricar.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 95.

I. PLurima ſane ſunt privilegia ſingularia, quibus Officium SS. Corporis Chriſti Pontifices Summi decoratum fecere. Hæc inter, quæ inferius recenſentur, non infimum tenet locum, quod eidem præſens tribuit Decretum, videlicet quod nona lectio de ſimplici in Officio de die infra octavam ejuſdem legi non debeat. Gavantus *ſect. 6. cap. 20. num. 4.* quæſtionem hanc jam excitaverat, & affirmative per hæc verba reſolverat: *De ſimplici fit tantum commemoratio infra hanc octavam, an nona lectio erit legenda? Negant aliqui, quia hoc non dicitur in propria Rubrica quod tamen dictum fuit in Rubrica poſita infra octavam Aſcenſionis, ſed una Rubrica explicat aliam, prior poſteriorem, & patet debere legi ex Rubr. gen. de comm. 9. num.* 10. & quidem ſi hæc attendatur generalis Rubrica, cum ſolum ad nonam lectionem de ſimplici legenda expoſcat, quod fiat officium novem lectionum, carens nono reſponſorio, & commemortionem ſimplicis admittens, quis ire valet inficias, quod in officio infra octavam Corporis Chriſti, in quo hæc omnia eveniunt, nona Lectio de ſimplici legenda non ſit?

II. Sunt tamen, qui adhuc dubitant de mente Gavanti, quia in textu ſtatim ſubditur: *Sed noviſſime Sacra Congregatio mandavit, quod de ſimplici fit tantum commemoratio ſine 9. lectione.* At ſcite nos admonet Halden *in Ephem. par. 1. tit. 3. verſ. Octava Corp. Chr.*, quod verba hæc alterius additio fuere, ut conſtat ex anno Decreti; quoniam cum hoc ſit primum, quod editum fuit, & die 8. Junii 1669. noſcatur emanatum, allegari non potuit a Gavanto, qui tunc temporis vitam haud quaquam agebat.

III. Verum etſi hoc ſit privilegium, cum juxta Rubricas generales nona lectio de ſimplici locum habere deberet, id tamen per præſens Decretum primitus eidem non fuit conceſſum, ſed per particularem Rubricam jam præfixam feſto Corporis Chriſti, quæ in hunc modum cantabat: *De ſimplici fit tantum commemoratio infra hanc octavam*; ſi enim *fit tantum commemoratio*, utique non eſt nona lectio legenda, cum dictio *Tantum*, monente Barboſa *dict. 402.*, ſit dictio includens expreſſum, & reliqua excludens, & impediens extenſionem ad non expreſſa, habenſque negativam implicitam. Et quidem dictio *Tantum* aliquid debet operari, cum ſuperflue non credatur appoſita; quare cum ſimplicis officium, quod in quacumque octava locum non habet, non abigat, fas eſt, nonam ejuſdem lectionem depellat. Nec officit Rubrica octavæ Aſcenſionis, quoniam hæc nonam lectionem ſimplicis voluit, id expreſſit, & licet dictionem *Tantum* teneat, addidit *cum nona lectione de eis*; ergo quia noſtra non expreſſit, eam minime voluit, ſed per dictionem *Tantum* eam ſatis excluſit; unde corruit diſpoſitio Rubricæ generalis, ſpecialia quippe derogant generalibus.

IV. Homiliæ, quæ per octavam leguntur, admodum apte de tanto cunctæ profantur myſterio, quare conveniens haud erat, ejuſdem laudes, & præconia taceri, ut ſimplicis legeretur hiſtoria. Hujus itaque commemoratione permiſſa, quæ nullum officio octavæ afferebat incommodum, vetita fuit nona lectio, quæ lectionem perimebat octavæ. Hujus diſpendio conſuli utrique poterat per junctionem octavæ, & nonæ lectionis; at hinc fiebat Cleri gravamen, quod admodum refugit Congregatio juxta ea, quæ idem tradit Gavantus *ſect. 6. cap. 21. num. 10.*, & nos alibi dicemus. Nunc autem dubietas omnis reperitur amota, cum particularis cantet Rubrica: *Infra octavam de ſimplici fit tantum commemoratio ſine nona lectione ex Decreto S. R. C. die 8. Junii 1669.*

V. An in die octava locum habeat nona lectio ſimplicis, quæſtio ſuccedit; & nec adducta Rubrica, nec præſens Decretum eam repellunt: *de die* quippe *infra octavam* expreſſe loquuntur. Verum ſi horum verba eandem non abigunt, utique ratio, quia alias ceſſaret lectio de Sacramento pertractans;

unde Decretum IV. hujus capitis habet, quod *in officio de octava omitti debet dicta lectio*; quis autem non videt, etiam in die octava officium, & ſolemnius eſſe de octava? Cæterum Feſtum SS. Nominis B. Mariæ V., quod pro Dominica *infra octavam* eſt indictum, dum in die octava, quando in hanc incidit Dominica, cenſetur occurrens, diſerte nos inſtruit, allatum Decretorum loquendi modum etiam diem octavam in ſuo ſinu comprehendere.

VI. Utinam ut hæc, ita an nona lectio homiliæ de Vigilia, ſi quæ occurrat, legi debeat, facilem ſolutionem haberet; videtur enim, quod non, quoniam uti ea ſimplicis, ita nona lectio Vigiliæ lectionem ſupprimit de octava. Communis tamen Auctorum ſententia, & Eccleſiarum praxis cum in oppoſitum peragat, ab eadem recedendum non eſt; univerſalis quippe conſuetudo eſt optima legis interpres. Deinde generatim id indicit Rubrica VI. *de Vigiliis num.* 5., cui nulla facta reperitur exceptio in favorem octavæ Corporis Chriſti. Cur igitur non erit ſervanda? Caſus hujuſmodi non eſt incognitus, ſed frequenter occurrens in Vigiliis S. Joannis Baptiſtæ, SS. Apoſtolorum, quinimmo pro hoc caſu diſpoſitio facta reperitur pro Miſſa, quam de octava; non de vigilia, ut fit in vigiliis infra alias octavas occurrentibus, manet præſcriptum; Quid igitur? Quid? Pro officio obſervatam voluere diſpoſitionem Rubricæ generalis, non pro Miſſa, nec pro ſimplici, pro quibus propterea ſpecialem proviſionem fecere. Adhuc alterum prætat ſubdere argumentum, quod Vigilia habet lectionem ſuper Evangelium, cui multum honoris ſemper detulit Eccleſia, & ideo non mirum, ſi in occurſu ſimplicis nona lectio eſt tacenda, non autem in occurſu vigiliæ.

VII. Ad id, quod in contrarium producebatur, dicito, quod quidam non minus ſupprimit lectionem de octava, ſed inſimul invehit expoſitionem ſuper alteram doctrinam Chriſti, de qua multo magis nos convenit inſtrui, & ideo cum aliquali octavæ incommodo nona lectio Vigiliæ rite præſcripta fuit, ſecus ſimplicis. Quod ſi hujuſmodi incommodum haud tibi arridet, cum levi gravamine facile habes, unde illud repares, per junctionem nempe octavæ, & nonæ Lectionis; infrequens enim hæc admodum eſt relate ad caput ſimplicium, & aliunde non majus tibi gravamen obvenit, quam cum per annum occurrit feſtum ſimplex duas habens lectiones, quæ ex Rubricarum mandato ſunt ſimul jungendæ.

VIII. Num vero in caſu octavam, & nonam Lectionem neceſſe ſit jungi, an in arbitrio ſit poſitum? Revera nulla Rubrica, nulla Sanctio id præcipit; laudat tamen Guyetus *lib.* 4. *cap.* 1. *quæſt.* 2., & abſolute affirmat Gavantus *ſect.* 5. *cap.* 12. *num.* 18. de Officio quolibet, cujus laudes, vel encomia in præfata continentur Lectione. Certe in noſtro caſu potior habenda eſt ratio, cum hac de cauſa proſcripta ſit nona lectio ſimplicis.

DECRETUM II. CAPITIS, IN ORDINE CXXIX.

Si Feſtum ſimplex occurrerit eo die, quo fit de Feſto duplici infra eamdem octavam Corporis Chriſti, tunc legitur nona Lectio de eodem Feſto ſimplici. S. R. C. 12. Sept. 1671. *in Nuſcana*, ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 95.

I. OCcaſione præcedentis Decreti particularis hæc Rubrica Feſto Corporis Chriſti fuit præfixa: *Infra octavam de ſimplici fit tantum commemoratio*, quare cum ſimus infra eamdem octavam, quando infra eamdem agitur de Sanctis, etiam in Feſta videbatur prædictum privilegium derivare, inſtar v. g. privilegii excludendi Miſſas Defunctorum, & votivas privatas, quod prout octavæ privilegiatæ cuilibet, ita & convenit Feſtis infra eamdem occurrentibus. Congregatio in officio de Sanctis nonæ Lectioni ſimplicis locum facit, quod & in duobus ſequentibus Decretis confirmatum voluit, & ſufficienter etiam in præcedenti expreſſerat, dum *in officio de die infra octavam* nonam ſimplicis Lectionem tacendam edixerat; non enim officium eſt de octava, dum infra eamdem de feſtis agitur. Rubrica igitur illa, quæ vi præcedentis Decreti invecta exritit, non fuit ſufficienter expreſſa, & fortaſſe hæc, vel ſimilia deſiderantur verba: *Quoties officium fit de eadem*.

II. Si reſolutionis rationem expoſcis, in promptu ea eſt; nona enim lectio ſimplicis proſcripta fuit in obſequium SS. Sacramenti, & in favorem officii de eodem, ne taceretur nempe lectio de tanto agens myſterio, quare cum de feſtis agitur, cauſa lectionis de ſimplici ſilenda non veniat lectio de Sacramento agens, ſed lectio occurrenti feſto aſſignata, quis non videt ad feſta diſpoſitionem minime extendi, ad quæ ejuſdem nec extenditur finis, nec ratio?

III. Privilegia, quæ alicui ſunt octavæ, duas veluti in claſſes liceat diſtribuere. Alia ſunt conceſſa officio ejuſdem, & hæc in feſta, quæ infra eamdem celebrantur, non derivant, cujuſmodi ſunt v. g., quod nunquam deperdatur ejuſdem commemoratio quocumque feſto occurrente, quod omittatur nona lectio de ſimplici &c. Unde v. g. dies infra octavam, etſi ſemiduplex dumtaxat ipſa ſit, in concurſu cum duplici primæ claſſis commemorationem ſortitur, quam deperdit feſtum duplex infra eamdem octavam occurrens. Alia ſunt privilegia facta octavæ, qua octavæ, ſeu ſpatio illorum dierum, quibus octava recurrit, & hæc opus eſt competant etiam feſtis, quæ infra eamdem celebrantur. Hujus extant rationis excluſio Miſſarum de Requiem, vel votivarum, indulgentiæ, aliaque id genus, quibus ſi non potirentur feſta tunc recurrentia, proculdubio nec iiſdem gauderet octava, nec ſpatium illorum dierum; Unde hujuſce rationis privilegia immediate quidem, & directe competunt octavæ, ſed mediate, & indirecte etiam in feſta reflectunt. Cæterum ſi hæc privilegia profunde excogitentur, ultimate in officium octavæ reducuntur, ejuſdemque gratia facta ſunt; hinc excluſio Miſſarum de Requiem in finem agnoſcit, ne deperdatur Miſſa de octava, aut ſaltem ejuſdem commemoratio in caſu Miſſæ de Sancto occurrenti, & una deſervit ejuſdem officii, quod per totam octavam totaliter, vel partialiter ſupponitur continuari, celebritatem, & ſolemnitatem indicandam; quibus de cauſis, & ut avidius iis diebus ad eadem divina officia, & ſolemnitatem conveniant fideles, ſunt utique & indulgentiæ conceſſæ. Patet autem, quod hæc omnia corruerent, ſi etiam feſtis, quæ infra octavas aguntur, nequaquam corruerent.

DECRETUM III. CAPITIS, IN ORDINE CXXX.

Quæſitum fuit: Dum occurrit Feſtum duplex infra octavam Corporis Chriſti, utrum nona lectio de ſimplici ſit legenda? & reſponſum fuit, legendam eſſe nonam Lectionem de ſimplici in officio de ſancto duplici infra octavam Corporis Chriſti, ut *in Nuſcana* 12. *Septembris* 1671. S. R. C. 10. Janu. 1693. *in una Galliar.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 182.

I. DEcretum *in Nuſcana*, quod modo innovatur, & confirmatur, non eſt, niſi præcedens, quare dum Lector recolit, quæ illud exponentes dedimus, ægre ne ferat, ſi digredimur ad aſſignandas indulgentias, quas in feſto, & per octavam Corporis Chriſti conceſſas fecere Summi Pontifices intereſſentibus divinis officiis, quo avidius Fideles ad tantam feſtivitatem recolendam convenirent. Quas indulgentias acquiri etiam dum infra eamdem octavam officium de feſtis agitur, declaravit Joannes XXII., teſtibus Gavanto *ſect.* 6. *cap.* 20. *n.* 5., & Bauldryo *man. ſacr. cærem. par.* 4. *cap.* 16. *art.* 1. *n.* 6. Merito quidem, quia adhuc in augmentum ſolemnitatis deſerviunt, & alias Fideles iiſdem non ſemel defraudati venirent, & eorumdem concurſus propterea frigeſceret.

II. Urbanus IV. Conſtit. *Tranſiturus* 1264. conceſſit Chriſtifidelibus vere pœnitentibus, & confeſſis, qui matutinali officio Feſti Corporis Chriſti interfuerint, centum dies de injunctis ſibi pœnitentiis; qui Miſſæ, totidem; qui primis veſperis, itidem centum; qui ſecundis, totidem. Illis vero, qui Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, ac Completorii officiis, pro qualibet horarum ipſarum, quadraginta. Illis demum, qui per octavam Matutinalibus, Veſpertinis, Miſſæ, ac prædictarum Horarum officiis, centum dies ſingulis ejuſdem octavæ diebus.

III. Martinus V. Conſtit. *Ineffabile Sacramentum* 1429. vere pœnitentibus, & confeſſis, qui, & quoties in Feſto Corporis Chriſti officiis, ut in Conſtit. Urbani IV. interfuerint, dies indulgentiæ a præfato Urbano IV. conceſſos duplicavit, ſed in quibuslibet octavarum diebus pro ſingulis Matutinalium, Miſſarum, & Veſperarum, centum, necnon reliquarum Horarum, quadraginta dies de injunctis ſibi pœnitentiis relaxavit. Obſervandum eſt autem, quod indulgentias intereſſentibus ut ſupra in feſto Corporis Chriſti ab Urbano IV. conceſſas, Martinus V. confirmavit, & totidem inſuper alios dies adjecit, ſeu de novo conceſſit; non ſic vero præſtit de indulgentiis, ut ſupra conceſſis intereſſentibus in diebus octavæ, ſed ubi pro acquiſitione centum dierum expoſcebatur, quod fideles intereſſent omnibus Matutinalibus, Veſpertinis, Miſſæ, ac prædictarum horarum officiis. Martinus ad indulgentiarum acquiſitionem faciliorem reddendam, magiſque fideles excitandos, pro quolibet ex iiſdem officiis indulgentias diſtribuere cogitavit, ac reipſa ſingulis eorumdem ſuas proprias aſſignavit, nempe pro ſingulis Matutinalium, Miſſarum, & Veſperarum, centum, & pro ſingulis reliquarum horarum officiis, quadraginta. Quarum indulgentiarum voluit quoque participes Epiſcopos, & alios Prælatos ſuperiores, qui dictis officiis libenter intereſſent, ſed quo minus eis in Eccleſiis intereſſe poſſint, pro conſervandis ſuarum dignitatum juribus, aut alias ſunt legitime impediti.

IV. Eugenius denique IV. Conſtit. *Excellentiſſimum* 1433. indulgentias in feſto Corporis Chriſti, & per ejus octavam a Martino V. ut ſupra conceſſas duplicavit, relaxatiſque diebus a Martino V. jam relaxatis, alios totidem dies ab ipſis fidelibus conſequendos adjecit.

V. Qui itaque in Feſto Corporis Chriſti in Eccleſiis interfuerint Matutino, quatercentum; qui Miſſæ, totidem; qui primis, aut ſecundis Veſperis, ſimiliter quatercentum; Qui Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, aut Completorio, pro qualibet horarum ipſarum, centum ſexaginta dies indulgentiæ de injunctis ſibi pœnitentiis conſequuntur. Qui vero per octavam ut ſupra interfuerint, pro ſingulis Matutinalium, Miſſarum, & Veſperarum, bis centum, & pro ſingulis reliquarum horarum, octoginta dies.

Digitized by Google

DECRERUM IV. CAPITIS, IN ORDINE CXXXI.

Infra octavam Corporis Chriſti occurrente feſto novem lectionum non debet omitti nona lectio feſti ſimplicis. In officio enim tantum de octava omitti debet dicta lectio. S. R. C. 4. Aprilis 1705. *in Lycten.* Ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 235.

I. EN Decretum alterum, quod ab officio octavæ Corporis Chriſti nonam lectionem feſti ſimplicis expellit. Num officium Dominicæ infra hanc octavam de octava cenſeri debeat, ac conſequenter nonam reſpuat lectionem ſimplicis, quæſtio ſuſcipitur, in qua Meratus, ſi non verbo, facto pro affirmativa ſtat ſententia, dum in Tabula 28. ſolam ſimplicis aſſignat commemorationem, notatque expreſſe *ſine 9. lectione*. Merato adhærer Pittonus *to. 1. de oct. n. 536.*, & his intitur argumentis. 1. Quia octava comprehendit etiam Dominicam. 2. Quia hæc Dominica nihil habet de Pſalterio, ſed totum de octava. 3. Quia Evangelium Dominicæ eſt de cœna magna, & ideo de menſa Domini; & hinc bene infert Gavantus *par. 4. tit. 12. n. 12.*, quod officium hujus Dominicæ cum dicto Evangelio quadrat octavæ, dum igitur quadrat octavæ, reputatur de octava &c. Ita arguit Pittonus contra nonnullos, quos ſuppreſſo nomine citat, oppoſitum ſentientes.

II. Horum tamen opinionem nos approbantes, nonam lectionem ſimplicis in officio dictæ Dominicæ locum habere arbitramur. Quæ veritas licet ex ſolutione argumentorum ſatis elucefcer, his rationibus roboratur. 1. Potior notio non eſt ejus, de quo fit officium, quam oratio, ſeu collecta; ex oratione autem, in qua unice precamur Dominum de timore, & amore, quis umquam eruere valet officium fieri de Corpore Chriſti? 2. Satis vulgata, & recepta eſt regula, quod *de eodem fieri non poſſit officium ſimul, & commemoratio*, & licet forſitan in feſtis Domini, & Chriſti myſteriis patiatur exceptionem, numquam tamen relate ad idem feſtum, & myſterium; in dicta autem Dominica nonne Breviarium præſcribit octavæ commemorationem? 3. Ut rem brevi complectamur ſermone, ineluctabile en argumentum: Dominica præfata, ſi concurrat cum ſequenti feſto duplici 1. vel 2. claſſis, commemorationem deperdit, Pittono ipſo teſte *ibid. n. 543.*, ergo non gaudet privilegiis octavæ, nec reputatur officium de octava, cujus commemoratio numquam omittitur, ac conſequenter nec particeps erit privilegii non admittendi lectionem ſimplicis.

III. Ad primum itaque haud abnuimus, quod octava quælibet, cum per octo duret dies, unam ad minus in ſuo ſinu ſemper comprehendit Dominicam; an autem hinc erui valeat, quod officium ſatis Dominicæ ſit de octava, tu judex eſto, perpendens dumtaxat, quod in Dominicis occurrentibus infra octavas plurimas officium ex Pſalterio depromitur. Hanc octavam, ajes, præ cæteris habere id privilegi, ut reſpuat officium quodlibet ſemiduplex, adeoque & illud Dominicæ, ſi de octava non forent. Verum quod officio Dominicæ Eccleſia pepercerit honori, quem eidem ſemper detulit, tribuendum eſt, quare octava S. P. Auguſtini, quæ apud ejuſdem Sancti Patris Alumnos duplicia occurrentia excludit, occurrentis Dominicæ ſemiduplex patitur officium, & octava Epiphaniæ, quæ duplicia 1. claſſis ſolum admittit, officium itidem Dominicæ minime recuſat, cum tamen ex Evangelio, quod agit de Chriſto jam annorum duodecim, de octava eſſe non videatur, nec eidem octavæ poſſe quadrare. Verum ut rem uno concludamus verbo, Rubricam recole, & videbis *feſta ſemiduplicia*, cujuſmodi ſane in rigore non eſt dies Dominica, dumtaxat conſulto expelli, nec per eam unquam cenſeri poſſe exploſum officium illius Dominicæ, quod ab eadem per dictam octavam diſpoſitum eſt, & dici præſcriptum, quando etiam non foret ex Dominicis, de quibus ſtatim dicemus.

IV. Ad 2. ex Guyeto *lib. 4. c. 2. quæſt. 3.*, quod uſus olim erat, in Dominicis infra quaſcumque octavas faciendi officium, non de Dominica, ſed de octava; ab aliis quidem integrum nulla facta mentione Dominicæ, ab aliis non excepta homilia, antiphona ad Benedictus, & oratione, quæ de Dominica erant. Qui ſtylus a Pio V. retentus quidem fuit quoad ſecundum hunc agendi modum pro Dominicis infra quatuor octavas Domini, nimirum Nativitatis, Epiphaniæ, Aſcenſionis, & Corporis Chriſti, eo quod officium ejuſmodi octavarum jam officium Domini eſt, adeoque a Dominica haud alienum, ac conſequenter pro Pſalteriali optime poterat deſervire; quare Francolas *lib. 1. comment. cap. 45.* dicit quod in hujuſmodi Dominicis multa de feſto cum Dominicæ officio miſcentur. Jam vides itaque, quod etſi in his Dominicis plura deſumantur ex feſto, perinde tamen eſt, ac ſi ex Pſalterio depromerentur, quinimmo eorum ex Pſalterio vices gerunt; & quando etiam feſti cenſeri deberent, potior utique portio eſt de Dominica, cujus eſt nona lectio homiliæ, quæ in caſu demi deberet cauſa ponendi illam occurrentis ſimplicis. Quomodocumque igitur iſta ſe habeant, certum redditur, quod eſt, & cenſetur officium diſtinctum ab officio octavæ; quare ſicuti hac de cauſa admittit commemorationem octavæ, ita & admittere poterit nonam lectionem ſimplicis, præſertim quia hæc nullum incommodum affert iis, quæ ob octava deſumuntur, ut dicebamus.

V. Ad 3. Evangelium de cœna magna non eſſe de cœna Domini, licet cœnæ Domini per quamdam analogiam ſit adaptabiſe, & in hoc ſenſu Gavantus aſſerit quadrare octavæ; at hinc perperam infertur poſtea, reputari de octava, ac conſequenter privilegiis octavæ debere gaudere. Homilia ipſa, quam ſuper idem Evangelium exaratam habemus, cum non ſuper cœnam Domini verrat, ſed ſuper delicias vitæ ſpiritualis, deſignat nobis privilegii excludendi nonam lectionem ſimplicis finem ceſſare, atque rationem, adeoque & privilegium ipſum minime haberi.

VI. Pro coronide addere lubet argumentum alterum, quod rem extra omnem extrahit dubitationem, deſignatque diſerte, in Dominica, de qua agimus, etſi plurima recitentur ex feſto, officium fieri de Dominica. Rubrica generalis 33. *num.* 2. præſcribit ſymbolum S. Athanaſii ad Primam eſſe dicendum in omnibus Dominicis per annum, *quando officium fit de Dominica*, deinde inter alias excipit Dominicam infra octavam Corporis Chriſti; opus autem haud fuiſſet hac exceptione, ſi in hac Dominica non fieret officium Dominicæ. Item Rubrica præfixa eidem ſymbolo, hoc dicendum eſſe mandat in Dominicis, quando officium fit de Dominica *ut in Pſalterio*, ergo quandoque officium fit de Dominica, licet non recitetur ut in Pſalterio, quod evenit in Dominicis infra octavas Nativitatis, Epiphaniæ, Aſcenſionis, & Corporis Chriſti, ac in Dominicis Reſurrectionis, & Pentecoſtes, quæ ſunt Dominicæ, quas pro dicto ſymbolo recitando excipit allegata Rubrica 33., & conſonanter ad hanc per ea verba excipere intendit Rubrica eidem ſymbolo præfixa.

DECRETUM V. CAPITIS, IN ORDINE CXXXII.

Occurrentibus eadem die duobus feſtis duplicibus infra octavam SS. Corporis Chriſti, non eſt de tranſlato agendum die immediate ſequenti non impedita, ſed poſt prædictam octavam. S. R. C. 7. Decemb. 1680. *in una Canon. Regul. Lateran.* Ex Marato in Indice Decr. Brev. num. 110.

I. DIes infra octavam Corporis Chriſti duplicia tranſlata non pati, diſerte nos inſtruit Rubrica VII. de oct. num. 3. *Infra octavam Corporis Chriſti fit tantum de duplicibus, non tamen tranſlatis*; cui & conſonat Rubrica præfixa feſto ejuſdem SS. Corporis: *Infra octavam non fit de duplici tranſlato*. Quod tamen intellige, *dummodo feſtum tranſlatum non fuerit primæ, vel ſecundæ claſſis*, quemadmodum apparebit in ſequenti Decreto, ubi cæteroquin intra dictam octavam duplicia etiam majora locum non habere dicemus.

II. Hoc probe novere, qui ſacram Congregationem propterea ſolummodo conſuluere de iſtis duplicibus relate ad diem immediate ſequentem, ad quam credita ſunt fortius jus quoddam habere ratione vicinitatis, & capituli, vel commemorationis, quam in hoc caſu in propria die ſortiuntur, ſicut his de cauſis alibi dicemus præferentiam aſſequi relate ad feſta ejuſdem ritus prius tranſlata. Cenſuit nihilominus Congregatio, nec in die immediate ſequenti duplicia tranſlata locum habere, & ſuæ diſpoſitionis apertam tenet Rubricam in Proprio de Tempore; *ſi ea die*, ſcilicet in feſto Corporis Chriſti, *occurrat feſtum duplex, vel ſemiduplex, transfertur poſt octavam*; non habent itaque locum prælata duplicia tranſlata in die immediate ſequenti intra dictam Octavam.

III. Rationes autem dubitandi petitæ ex jure vicinitatis, & capituli vel commemorationis, quam in proprio die ſortiuntur, etſi congruæ cauſæ fortaſſe ſint illa præferri faciendi in die immediate ſequenti relate ad alia ejuſdem ritus prius tranſlata, cum tamen validæ non ſint ad dicta feſta reddenda in immediate ſequenti die occurrentia, nec illa ad altiorem evehere ritum, profecto hæc numquam utila ſuæ repoſitionis ſpatium habere poterunt intra octavam illam, quæ duplicia tranſlata recuſat. Potior ratio foret de ſemiduplici occurrente in Dominica infra octavam, aut in feſto habente octavam, quod in die immediate ſequenti id juris habet, ut nec cedat duplici primæ claſſis tranſlato. At dubium hocce itidem dirimit allegata Rubrica, quæ non minus de duplici, ac de ſemiduplici occurrente in feſto Corporis Chriſti præſcribit poſt octavam eſſe transferendum, & quidem dictum ſemiduplex in die immediate ſequenti nonniſi pluſquam tamquam occurrens cenſeri poteſt, ſed prædicta octava expellit quæcumque ſemiduplicia occurrentia, ergo & dictum ſemiduplex. Quod autem hoc ſemiduplex præferentiam habeat relate ad duplicia etiam primæ claſſis tranſlata, non eſt, quia in die immediate ſequenti eorumdem ritui æquipolleat, ſed quia in ea conſideratur veluti occurrens, & in die aſſignata, ut ſuo loco dicetur.

DECRETJM VI. CAPIVIS, IN ORDINE CXXXIII.

Infra octavam SS. Corporis Chriſti poteſt recitari officium de duplici primæ, & ſecundæ claſſis, etiam tranſlato, non autem in die octava, in qua nec etiam poteſt recitari de duplici ſecundæ claſſis occurrente. S. R. C. 30. Maii 1699. *in Uliſſipon.* Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 198.

I. SAnctio hæc, dum infra octavam Corporis Chriſti admittit duplicia primæ, & ſecundæ claſſis tranſlata pugnare videtur tum cum Rubricis in præcedenti Decreto commemoratis, quæ a dicta octava univerſim rejiciunt, & ſine ulla exceptione duplicia tranſlata, necnon cum quodam Decreto, quod refert Lantuſca *in Theatro Regul. verb. officium num.* 6. in quo declaratum refertur feſtum S. Antonii de Padua, quod in Religione Sancti Franciſci celebratur ſub ritu duplici 2. claſſis, infra dictam octavam transferri non poſſe.

II. Ve-

II. Verum quantum ad duplicia primæ claſſis attinet, iiſdem, tranſlatis locum facit intra dictam octavam Rubrica *X. de Tranſl. n.* 1., inſimulque nobis aperit ſenſum aliarum, quæ duplicia tranſlata abſolute, & ſine ulla exceptione a memorata depellunt octava; poſtquam enim infra eamdem octavam de duplici tranſlato univerſim, & ſine ulla exceptione præſcripſit non eſſe faciendum, illico in duplici primæ claſſis ponit exceptionem: *ſi autem feſtum Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ venerit in die Corporis Chriſti, transfertur in ſequentem diem.*

III. Putarunt nonnulli id eſſe ſpeciale privilegium ſoli Nativitati S. Joannis conceſſum; & id reapſe dicendum videtur, ſi attendatur Decretum S.R.C. 23. Junii 1736. in Capite 13. ſuperius expoſitum, quo feſtum S. Joannis occurrens in die Corporis Chriſti, *ſingulari privilegio* in ſequenti die reponendum indicitur. At privilegium, quod feſto S. Joannis per dictum conceditur Decretum, in eo ſitum non eſt, ſed quod in ſequentem diem transferri debeat *a quocumque officio etiam impeditam*. Hoc utique ſingulare eſt privilegium, cum Rubricæ feſta quælibet tranſlata *ad primam diem non impeditam* ſemper amandent. Ad quæ firmanda opus haud habemus ad aliena divertere, idem quippe Decretum, dum *cætera feſta ſolemniora occurrentia in dicta die Corporis Chriſti transferenda eſſe infra octavam in primam diem non impeditam* diſerte diſponit, qualitatem privilegii, quod facit feſto S. Joannis, aperte deſignat, & duplicia ad minus primæ claſſis tranſlata intra dictam octavam locum habere declarat.

IV. Rubrica itaque in feſto S. Joannis, quod ex duplicibus primæ claſſis Breviarii Romani cum feſto Corporis Chriſti unice valet occurrere, exemplum ponit, ut ex eo eruatur, quid in ſimilibus ſit faciendum. Non quod cetera in die immediate ſequenti etiam impedita reponi debeant (eſt quippe hoc privilegium particulare feſto S. Joannis, non vi Rubricarum eidem competens, ut alibi diximus, ſed per prædictum Decretum eidem poſtmodum factum) ſed quod infra præfatam octavam in primam diem non impeditam transferri debeant, uti tunc temporis dumtaxat fiebat de feſto S. Joannis, Rubricæ prædictæ pondus ſenſit Gavantus *ſect.* 3. *cap.* 8. *num.* 2., ubi ſcriptum reliquit: *Octava Corporis Chriſti admittit tantum feſta duplicia, non tamen tranſlata, niſi tranſlata ſint altioris ritus, ut de feſto S. Joannis Baptiſtæ dicemus.* Gavanto ſubſcribunt La Croix *Theol. Moral. tom.* 4. *lib.* 4. 1274. Halden. *par.* 2. *tit.* 5. aliique plurimi.

V. De duplicibus 2. claſſis, quibus Rubricæ, dum feſta primæ claſſis dumtaxat excipiunt, ex communi exceptionis regula refragari videntur: difficilius eſt ſtabilire; id tamen ſentiebant Bauldrius *in man. par.* 4. *cap.* 16. *art.* 1. *num.* 3., Biſſus *tom.* 1. *verb. feſtum Corporis Chriſti num.* 66. §. 1., aliique, cum quibus concordat Gavantus, dum *loco cit.* duplicia *altioris ritus* intra eamdem permittit octavam; per feſta enim altioris ritus etiam duplicia 2. claſſis venire videntur, utpote quæ per Rubricas IX. de commem., & X. de Tranſl. n. 2. nomine *feſtorum majorum* inſignita inveniuntur. Hinc habetur ratio, ob quam in Rubrica ſimpliciter, & abſolute duplicia tranſlata a dicta octava abigente, duplicia 2. claſſis minime cenſentur incluſa. Sunt quippe duplicia altioris ritus, & ſpeciali nota digna, unde ſub abſoluta, & ſimplici *duplicis* locutione in odioſis veluti non venire jure putantur.

VI. Exceptio autem, quam pro duplicibus primæ claſſis in feſto S. Joannis ſuperius diximus factam, in excluſionem duplicium 2. claſſis minime deſervit; utpote quæ unice facta fuit ad conſulendum caſui occurrenti in Breviario Romano, in quo quia nec evenit, nec evenire poteſt in duplicibus 2. claſſis, pro his haudquaquam fuit poſita, ſicuti hac eadem de cauſa cetera duplicia primæ claſſis non cenſentur expulſa per hoc, quod dicta exceptio peracta extiterit in favorem ſolius feſti S. Joannis. Ad Decretum, quod pro feſto S. Antonii adducitur emanatum, per præſens derogari dicito, niſi mavis de ejuſdem authenticia dubitare.

VII. *Non autem in die octava.* Et de hoc quis dubitat? Commune enim eſt cuicumque diei octavæ ex eo quod ritu duplici, & feſtivo gaudeat, inſtarque feſti ſe habeat, feſtum quodlibet tranſlatum, licet primæ claſſis, e ſuo ſinu depellere, quinimmo, nec admittit duplex minus, aut majus occurrens; quanto autem magis verum erit de die octava privilegiata, cujus rationis extat ea Corporis Chriſti?

VIII. *In qua nec etiam poteſt recitari de duplici 2. claſſis occurrente.* Quod dies octava Corporis Chriſti cedat feſtis S. Joannis, ac SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, dubium quodlibet ſubmovet Rubrica de Tranſl. num. 1. *exceptis feſtis Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ, & SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, quæ in die octava Corporis Chriſti celebrantur.* An autem id ſit ſpeciale privilegium horum duorum feſtorum, ita ut hinc inferri non valeat ad alia duplicia primæ claſſis, quæſtio eſt, in quo pro virili affirmant Lopher *inſtruct.* 2. *par.* 5. *tit.* 10. *num.* 1. *lit. K.*, atque Piſari *tit.* 7. *num.* 5., quos redarguit Pittonus *lib.* 1. *de oct. num.* 547., quaſi non rite Rubricas intelligant, quæ de caſibus in Breviario Romano occurrentibus reapſe dumtaxat diſponunt, & quid in ſimilibus faciendum ſit, inſimul indicant, quemadmodum & nos ſuperius in ſimilibus dicebamus. Reapſe nonniſi talis eſſe poteſt Rubricarum intellectus, quoniam Rubrica prima poſita ſub tabula occurrentiæ recenſens officia, quæ feſta primæ claſſis Patroni, & Titulari Eccleſiæ, vel Dedicationis ejuſdem abigunt, diei octavæ Corporis Chriſti minime meminit; jam vides autem, quod ſtatim diminuta foret, ſi præfata dies octava ſolum feſta S. Joannis, & SS. Petri, & Pauli admitteret, & reſpueret quæcumque alia duplicia primæ claſſis.

IX. Oppones ea verba Rubricæ de Tranſl. num. 1. *excepto quoque feſto quocumque ſolemni alicujus loci, quod in aliquibus ex ſupradictis diebus occurrens celebratur.* Enumerat ibi Rubrica dies, in quibus dictum feſtum ſolemne occurrens celebratur, nec inter eos dictam octavam recenſet, cum tamen vix veniret a mentione ejuſdem diei octavæ, pro qua ſolam exceptionem feſtorum S. Joannis, ac SS. Petri, & Pauli fecerat. Quid itaque nobis indicare unquam poteſt, niſi quod hæc feſta in prælata die octava locum habent, non autem feſtum ſolemne loci?

X. ℟. Rubricam inter dies, in quibus occurrens feſtum ſolemne loci celebratur, non recenſuiſſe prædictam diem octavam, quia in propoſitis exemplis feſtorum S. Joannis, & SS. Apoſtolorum, quæ non ſunt, niſi duplicia primæ claſſis, & ſufficientem proviſionem etiam pro ſimilibus potuiſſe credidit. Et quidem alias recenſita Rubrica Tabellæ occurrentiæ, ut dicebamus, meminiſſe debuiſſet memoratæ diei octavæ; una autem Rubrica explicat aliam. Verum argumentationibus haud egemus, cum Rubrica præfixa feſto Corporis Chriſti hæc verba teneat: *In die octava non fit, niſi de Nativitate S. Joannis, & de feſto SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, vel de alio ex ſolemnioribus, ſi occurrant, cum commemoratione octavæ.* Quæ autem ſunt feſta alia ſolemniora, niſi feſtum ſolemne loci, & quæcumque alia duplicia primæ claſſis?

XI. Quod ſi dies octava non admittit niſi feſta S. Joannis, ac SS. Petri, & Pauli, vel alia *ex ſolemnioribus*, jam habes eamdem reſpuere duplex 2. claſſis occurrens quod in *ſolemniorum* numero non recenſentur. Idipſum oſtendit exemplum eorum, quæ præfata dies octava admittit; cum enim in duplici primæ claſſis noſcatur poſitum: conſequenter indicat, ſola duplicia primæ claſſis pati, non autem quæ inferioris exiſtunt ritus, & quidem cum dies quælibet octava communis, & non privilegiata feſtum duplex minus, & majus depellat, dies octava privilegiata ſaltem duplex 2. claſſis, quod eſt infimum ex duplicibus altioris ordinis, conveniens erat depelleret, ſicut ejuſdem dies infra octavam feſtum ſemiduplex explodit, quod a diebus infra octavas non privilegiatas minime excluditur.

XII. De duplici majori per annum tranſlato, an infra dictam octavam locum reperiat utilem, ſupereſſet inquirere? Verum hujuſmodi quæſtio ex dictis negative jam ſatis dirempta videtur; duplex enim majus non eſt ex duplicibus altioris ordinis, nec ſpeciali nota dignis, contenduntque plures, nec ſpecie, nec elapſe a duplici minori ſecerni, immo cum duplici minori a Tabella occurrentiæ communi vocabulo *Duplicis per annum* ſignatur, quare non eſt, unde in ejuſdem favorem facere poſſimus exceptionem aliquam Rubricis, quæ a diebus infra octavam Corporis Chriſti duplicia tranſlata abſolute rejiciunt.

CAPUT XVII.

De Feſto SS. Trinitatis.

I. DIEI Sabbati, quæ in lege veteri ad Deum propter ſe colendum fuerat delecta, in lege nova Dominica dies ſucceſſit, quæ ſpecialiter cenſetur dicata in honorem SS. Trinitatis, ad profitendam ſcilicet Fidem Dei trini, & unius, & Deum trinum, & unum expreſſius colendum, quemadmodum expreſſius in lege gratiæ ipſe cognoſcitur, prout in ſe eſt trinus, & unus. In præliminaribus capitis 14. hanc eſſe cauſam diximus, & quam olim Præfatio Trinitatis in omnibus Dominicis dicebatur, nunc ſemper ſymbolum, ſeu credo, ſymbolum, quod S. Athanaſio adſcribitur, quoties officium fit de Dominica, & in officio aliquarum Dominicarum etiam octavum reſponſorium de SS. Trinitate *Duo Seraphim &c.*, in his enim omnibus Dei unitatem, & Trinitatem profitemur.

II. Thomaſſinus *lib.* 2. *de feſtis cap.* 18. perbelle oſtendit, nedum dies Dominicos, ſed quoſlibet Chriſtianorum dies feſtos jure vocari poſſe, & eſſe Trinitatis ſolemnia, quia quidquid in illis veneratione proſequimur, cultum, mentemque noſtram a quibuſvis rebus ad Trinitatem ipſam traducit, ad quam tamquam rerum omnium finem pertinent cuncta, & cuncta nos ducunt, ſive de Chriſti myſteriis agamus, ſive de Deiparæ excellentia, ſive de Sanctorum rebus geſtis; creatæ enim res, ſi propter Deum non colantur, nihil faciendæ ſunt, & Deum amore proſequimur, quamquam Angelos, & homines diligamus, Deum ſiquidem in illis diligimus. Addit, quod hujus Templa, Sacerdotes, & Hoſtiæ ſunt Jeſus Chriſtus, Deipara, ac Sancti quilibet, & quod eorumdem vita, & mors Trinitatis ſacrificia extitere, ac per conſequens quod feſti dies, ut plures, & diverſi, jugis quædam ſunt Trinitatis ſolemnia. Inſtitutæ autem fuere Sanctorum celebritates, & in ſacris Eccleſiæ cœtibus ſolemni ritu peractæ, non quia majores noſtri Divini numinis honore poſthabito, ſanctis potius ſtuderent, ſed ut ſancti, quorum memoria accedebat ſacris in honorem Dei celebratis, opem apud Deum petentibus ferrent.

III. Hæc fuit cauſa, ob quam in Eccleſia Romana feſtum SS. Trinitatis admodum ſero legitur inſtitutum; hinc refert Micrologus *cap.* 60., quod hac de re inquiſitus Papa Alexander reſpondit: *Unde Alexander Papa de hac re inquiſitus, reſpondit juxta Romanum ordinem nullum diem ſpecialiter adſcribi ſolemnitati ſanctæ Trinitatis, ſicut nec ſanctæ unitatis, præcipue cum in omni Dominica, immo quotidie utriuſque memoria celebretur.* Eadem fere habentur *extra de feriis cap. Quoniam*, vide-

Digitized by Google

videlicet: *Propterea feſtivitas SS. Trinitatis, ſecundum conſuetudinem diverſarum regionum in quibuſdam conſuevit in octavis Pentecoſtes, & aliis in Dominica prima ante Adventum celebrari, Eccleſia ſiquidem Romana in uſu non habet, quod in aliquo tempore hujuſmodi celebret ſpecialiter feſtivitatem, cum ſingulis diebus Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, & cetera ſimiliter dicantur ad laudem pertinentia Trinitatis.* Non eſt autem verum, quod ſcribit Micrologus, Alexandrum Papam feſtum Trinitatis, conſuetudineſque illud celebrandi rejeciſſe, ſed ſolum idem feſtum non indixit, Eccleſiarum tamen conſuetudinem minime damnans, ut eruitur ex allegatis verbis, ac advertunt Thomaſſinus *loco cit.*, & Gonzalez *in dict. cap. Quoniam*.

IV. Etſi itaque ſolemnitas iſta apud Eccleſiam Romanam non eſſet in uſu, pluribus tamen in locis conſueta erat celebrari, in quibuſdam in octava Pentecoſtes, in aliis in Dominica, quæ Adventum anteit, nec deſunt aliqui uſus, qui in utraque ex his Dominicis illam recolunt, veluti in Eccleſia Senonenſi; & nonnullis aliis Regni Galliarum. Quinam vero hujus feſti primus fuerit auctor, facile non eſt demonſtrare: ex quadam Caturſii Epiſtola ad Carolum Magnum, qui anno 800. imperium aſſumpſit, factum huic conſilium apparet ſuper dicto feſto inſtituendo cum Conſilio Synodi Francorum, & de Stephano Leodienſi Epiſcopo, qui anno 902. e vivis exceſſit, officium in honorem SS. Trinitatis compoſuiſſe traditur, cujus ſucceſſor Richerius decretum edidit, ut per ſuam Diœceſim officium illud diceretur, & feſtum celebraretur; quod poſtea etiam a vicinioribus Eccleſiis præſtitum fuiſſe colligitur ex Baillet *in hoc feſtum* §. 1. *num.* 2. Conſilium Saleguniladienſe anni 1022. habet: *Quidam, maxime Matronæ, habent in conſuetudine, ut per ſingulos dies audiant Miſſas peculiares de Sancta Trinitate, aut de Sancto Michaele ... & ideo ſancimus, ne hoc ulterius fiat, niſi ſuo tempore.* Ex quo deduci videtur, quod huic feſto proprium tempus jam fuerat aſſignatum, & quod propriam Miſſam habebat.

V. Rupertus Abbas Scriptor ſæculi duodecimi ineuntis *de divin. off. lib.* 11. *cap.* 2. loquitur de hoc feſto ætate ſua tamquam communiter recepto, & ejuſdem tamquam feſti in pluribus Eccleſiis invecti, & diverſis temporibus celebrari, meminit etiam Durandus Auctor ſæculi 13. exeuntis *lib.* 3. *cap.* 16. Radulphus vero Tungrenſis, qui ſub finem vixit ſæculi 14. ſcribit *cap.* 60., quod paulo ante Feſtum Trinitatis Romæ non celebrabatur, quod in Gallia ubique ferme cum octava colebatur, & noviſſime etiam Romæ feſtivitas Trinitatis admittebatur, quod plures Germaniæ Eccleſiæ ſequi cœperant. Auctor Ligni vitæ *Lib.* 5. ejuſdem feſtivitatis inſtitutionem in Eccleſia Romana conſignat Gregorio IV., ſed ex iis, quæ dedimus, aperte falli convincitur, unde ejuſdem origo Joanni XXII. communiter adſcribitur, qui ab hac luce ſublatus creditur anno 1334. aſſignata pro ejuſdem celebratione Dominica prima poſt Pentecoſtem.

VI. Ratio, ob quam huic magis Dominicæ, quam alteri diei prædicta feſtivitas conſignata fuerit, excogitatur varia. Durandus *lib.* 6. *cap.* 114. *num.* 1. hanc congruentem dat cauſam, quia Natalis Domini fuit feſtum Patris, cui natus eſt Filius, Paſcha fuit feſtum Filii, Pentecoſtes Spiritus Sancti, unde ſtatim celebrandum erat trium ſimul Perſonarum feſtum SS. Trinitatis. Rupertus Abbas *lib.* 11. *cap.* 1. eo quod poſt adventum Spiritus Sancti cœpit ſtatim prædicari, & credi myſterium SS. Trinitatis, in cujus nomine dabatur Baptiſmus. Thomaſſinus *loc. cit.*, ut omnes pernoſcant, Trinitatem finem, & complementum eſſe celebritatum omnium, ac myſteriorum. Grancolas *comment. lib.* 2. *cap.* 80. ut novum officium ſupprimeretur de octava Pentecoſtes alicubi invectum, implereturque Dominica diu vacans, ideſt ſine officio, erat quippe hæc Dominica ex iis, ad quarum uſque primam lucem protrahebatur officium Sabbati, ut ordinatio in Dominica facta videretur, quare officio anticipato poſtea in Sabbato, Dominica implenda erat; officium enim octavæ Pentecoſtes, quæ alicubi occupata fuerat, Romæ numquam probatum extitit.

VII. Jugis autem, quam ſuperius agi diximus, Trinitatis ſolemnitas, quæ in cauſa fuit, ut in Romanam Eccleſiam admodum ſero peculiaris ejuſdem feſtivitas invecta fuerit, ſupervacaneum oſtendebat quidem, annuum, & peculiare feſtum SS. Trinitatis deſtinare, haud tamen reapſe ejuſdem officiebat inſtitutioni, a privatarum primum pietate inceptæ, & ab Apoſtolica ipſa Sede deinde approbatæ *ad majorem* (inquit Benedictus XIV. de feſtis numer. 72.) *reverentiam Trinitatis, & ut expreſſa memoria tam in officio proprio, quam in concionibus illius myſterii fieret.* Quam perpetuam Trinitatis celebritatem nec dubitamus fuiſſe cauſam, ob quam Trinitatis feſtum ſub ritu dumtaxat duplici 2. claſſis, & ſine octava fuerit indictum, licet myſteria alia minus præcipua ſolemniori ritu in Eccleſia colantur. Tranſlationis tamen periculum, quod eidem ab occurrentibus feſtis altioris ritus obvenire poterat, per privilegium excludendi feſta quæcumque admodum convenienter ſubmotum extitit, atque proſcriptum. Poſt feſtum autem Corporis Chriſti de Trinitatis feſtivitate agere ſummus ordine dignitatis quodammodo quidem inverſo, quem tamen nos minime cuſtodire fatemur, ſed quia primum Decretum, quod de eodem Trinitatis feſto exponere debemus, ad præcedens caput attinet veluti complementum eorum, quæ inibi erant pertractanda.

DECRETUM I. CAPITIS, IN ORDINE CXXXIV.

Diebus ſexta, & ſeptima infra octavam Feſti SS. Trinitatis, ubi eſt Titularis, faciendum eſt officium de die ſecunda, & tertia infra octavam Corporis Chriſti cum commemoratione SS. Trinitatis. S. R. C. 8. Junii 1709. *in Bracharen.* Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 248.

I. Quamvis plurima non deſint antiquitatis monumenta Trinitatis feſti pluribus in locis cum octava celebrari conſueti, quæ apud Grancolam *loc. cit.* recoli poſſunt, in Romana Eccleſia abſque octava idem Trinitatis feſtum indictum eſſe noſcimus, quam tamen juxta Rubricarum mandata, de quibus luculenter in capite ſecundo, ſibi vindicat, *ubi Trinitatis Titularis eſt*, ut nos monet Decretum ipſum, quod exponimus.

II. Cujus Decreti ut plenam vim, ac celerem notitiam dicendorum Lector arripiat, operæ pretium ducimus prius exhibere dubium, quod in Sacra Congregatione propoſitum fuit declarari. *An diebus ſexta, & ſeptima octavæ SS. Trinitatis, ubi eſt Titulus Eccleſiæ, cum de ea fiat officium, quia eſt dignior octava Corporis Chriſti, debeat etiam dici nona lectio de ſimplici illis diebus occurrente, an omitti ratione octavæ Corporis Chriſti?* Etſi quatuor dies octavæ SS. Trinitatis recurrant intra octavam Corporis Chriſti, de diebus ſolum ſexta, & ſeptima dubium proponitur, feria quinta incidit in feſtum ejuſdem SS. Corporis, quod ratione ritus nedum nonam ſimplicis lectionem, ſed etiam commemorationem octavæ Trinitatis, quæ nullo eſt privilegio ſuffulta, penitus perimit, & dies octava nonam lectionem ſimplicis admittere minime poterat ob nonam lectionem homiliæ de Dominica legendam, cujus officium per dictam diem octavam impeditur.

III. *Cum de ea fiat officium.* Talis fuit opinio Gavanti *ſect.* 6. *cap.* 19. *n.* 3. cui ſubſcripſere Rubriciſtæ ceteri, Halden *par.* 3. *tit.* 4. *num.* 4., Guyetus *lib.* 4. *cap.* 6. *quæſt.* 5., Pittonus *de Sacr. Ritib. num.* 868., Fagioli *Kalen. perp. in annot. ad Junium*; aliique communiter. Qua de ſubſcriptione haud ego mirari valeo, etſi ad rationis pondus minime regar; extat enim Rubrica in octavario Romano præferentiam tribuens præfatis diebus ſextæ, & ſeptimæ, quinimmo etiam pro his in eodem lectiones exarantur, & Gavantus *loc. cit.* meminit cujuſdam Decreti, per quod deciditur, octavam SS. Trinitatis in propria Eccleſia digniorem eſſe octava Corporis Chriſti; Si autem dignior, utique & officium aſſequi debebat, cum in paritate ritus Rubricæ ſemper digniori concedant officium, ad quod reſpexiſſe videntur verba illa inquiſitionis, quæ dum de octava Trinitatis officium faciendum eſſe aſſerunt, in rationem producunt, *Quia eſt dignior octava Corporis Chriſti.*

IV. Ad dubium nihil Congregatio reſpondet, ſed ſuppoſitum negat, & de octava Corporis Chriſti officium præſcribit, ſeu magis faciendum eſſe declarat; Octava enim Corporis Chriſti eo eſt donata privilegio, ut ſolum officia duplicia admittat, & ſemiduplicia reſpuat; quare cum dies intra octavam Trinitatis ſemiduplicis tantum ſint ritus, & tales, ut occurrenti feſto ſemiduplici etiam cederent, quomodo unquam contra octavam Corporis Chriſti prævalere poterant?

V. Ad primum itaque dicito præfatam Rubricam octavarii Romani perperam eſſe invectam, & corrigendam, ac lectiones dictarum dierum expungendas. Ad 2. Decretum illud non extare in Congregationis Regeſtis, & a Gavanto ipſo aſſignari propterea non potuiſſe ejuſdem annum, nec menſem, nec diem, ſub quibus prodiit. Quatenus cum extaret, ſicuti extat approbatio octavarii Romani, per præſens Decretum re maturius ponderata caſſatum fuiſſe una cum approbatione præfata, quantum ad præſens attinet. Ad 3. digniori quidem in occurrentia tribuendum eſſe officium, ſed tamen dummodo in minus digno privilegium non habeatur; quare videmus officium uſque feriale vi privilegii præferentiam aſſequi ſuper feſtis primæ claſſis nedum Sanctorum, Deiparæ, ſed etiam Domini. Ut dicebamus autem dies infra octavam SS. Trinitatis, licet digniores ſint, non gaudent niſi ritu ſemiduplici, & cedunt occurrenti feſto etiam Sanctorum, & pluſquam inſtar feſti ſemiduplicis Domini conſiderari non valent, cum tamen octava Corporis Chriſti, quæ ſemiduplex feſtum quodlibet ex privilegio abigit, etiam occurrens ſemiduplex feſtum Domini depelleret; quia autem dies infra octavam non ſunt ex officiis transferibilibus, earumdem commemorationem Decretum præſcribit.

VI. Ex his habes, quid in ſimilibus faciendum ſit, quapropter ſi apud Auguſtinienſes Feſtum Beatæ Mariæ de Conſolatione, quod ſub ritu duplicis primæ claſſis iiſdem indultum eſt celebrare in Dominica prima poſt feſtum S. Auguſtini; cum octava conceſſum veniret, uti reipſa cum ea celebratur, ubi eſt Titulus, in diebus ſequentibus intra octavam ejuſdem S. Patris fieri non deberet de octava B. Mariæ, licet digniore penes perſonam, ſed de octava S. Auguſtini, tamquam digniore ſecundum privilegia; hæc enim apud ipſos excludit feſta quæcumque ſemiduplicia, & duplicia, quæ non ſunt altioris ordinis. Quæ tamen limita, dummodo ſimili, vel ampliori inſtructa non foret privilegio octava dignior ſecundum perſonam.

VII. Cur in officio Feſti, & diei octavæ fiat commemoratio occurrentis Dominicæ, non levis quæſtio eſt; cum enim officium Dominicæ in honorem SS. Trinitatis potiſſimum noſcatur inſtitutum, locum habere videtur regula illa officii communiter recepta, quod *de eodem fieri non poteſt ſimul officium, & com-*

Digitized by Google

& commemoratio. Gavantus *ſect. 6. cap. 19. num. 2.*, hoc factum eſſe aſſerit, *ne omittatur Dominica, cujus oratio eſt Ambroſiana*. Grancolas, id præſtari, *quia & fit in quibuſcumque feſtis, nulla habita conſideratione, quod Trinitatis officium nihil aliud eſt, quam officium Dominicæ*. Quas ſubdimus, potiores nos arbitramur eſſe rationes. Prima eſt, quod in officio Dominicæ expreſſa memoria non habetur SS. Trinitatis, ſed ſolum latens quædam, & occulta, & hæc eſt una ex rationibus, ob quas Vigilia omnium Sanctorum admittit ſuffragia, & commemorationem ſimplicis, ſi quod occurrat. Secunda, quia in officio Dominicali etiam recolitur myſterium Reſurrectionis, de quo non ſufficiens, vel nulla in feſto Trinitatis habetur memoria.

DECRETUM II. CAPITIS, IN ORDINE CXXXV.

Diebus infra octavam SS. Trinitatis, ubi eſt Titulus Eccleſiæ, & in feſtis infra dictam octavam occurrentibus, non debet ad Primam dici Symbolum S. Athanaſii. S. R. C. 8. Junii 1709. *in Bracharen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 247.

I. SUper Auctore ſymboli, quod hic S. Athanaſio adſcribi videtur, ſermonem facere non putamus; hanc enim rem doctiores, & eruditiores occuparunt calami, & ad præſentis explanationem Decreti nihil refert, cujuſcumque ſit illud Auctoris. *Sancti Athanaſii* dicitur, non quidem aliquid ſuper hanc rem decernendo, ſed juxta nuncupationem, quam a communiori ſententia in Breviario ipſo Romano ſortitum eſt, & juxta quam communiter circumfertur.

II. Honorius Auguſtudonenſis *lib. 2. cap. 19.* refert in quibuſdam Eccleſiis quotidie ad Primam præfatum Symbolum cum oratione Trinitatis *Omnipotens, qui dediſti famulis tuis veræ fidei Trinitatis &c.* recitatum fuiſſe, idemque colligitur ex Ordinario S. Apri Tullenſis, atque ex conſuetudinibus Cluniacen. ab Udalrico collectis *lib. 9. cap. 3.*, ubi habetur: *Quicumque* (ita incipit prædictum Symbolum) *nullo die omittitur a nobis, ſed in privatis diebus dicitur ſimul cum aliis Pſalmis, in Dominica poſt Preces*. Romanus uſus tantummodo fert illud recitare in diebus Dominicis, quibus utpote cultui SS. Trinitatis ſpecialiter deſtinatis, quadrat admodum, cum in eo habeatur clariſſima explicatio, & confeſſio myſterii ejuſdem SS. Trinitatis. Mos hujuſmodi illud recitandi in Dominicis tantum, in Attonis Baſileenſis Capitularibus reperitur: *Ut fides S. Athanaſii a Sacerdotibus dicatur, & ex corde die Dominico ad Horam Primam recitetur*. Ulricus quoque *lib. 1. cap. 3.* de more agit illud Dominicis ſolum recitandi: *Nonnullæ Eccleſiæ nonniſi in Dominica*. Quo autem tempore Romano officio inſertum fuerit, compertum non eſt; de hac tamen re agit Amalarius, teſtaturque ætate ſua recitatum fuiſſe.

III. De Feſto SS. Trinitatis, cui aſſerta de cauſa idem ſymbolum Rubrica concedit, ortum eſt dubium, num ubi Trinitas eſt Titularis, debeat illud recitari diebus omnibus infra octavam, ſive officium fiat de octava, ſive de feſtis? Raynaudus *in Netroclytis ſpiris. par. 1. fol. 16.* contendit, per totam octavam quotidie eſſe recitandum, eo quod officium per totam octavam ſit celebrandum, ut in ipſo feſto; in hoc autem feſto non dicitur ratione Dominicæ, utpote de qua non fit officium. Gavantus *ſect. 5. cap. 20. num. 4.* cenſet nonniſi in feſto, & die ejuſdem octava, non autem in diebus infra octavam eſſe recitandum, quia Dominicæ aſſignatum videtur, in quam incidunt feſtum, & dies octava tantummodo. Lohner *par. 2. prax. Divin. off. tit. 3. §. 5. num. 2.* opinatur feſto dumtaxat ratione myſterii eſſe conceſſum, adeoque neque per octavam, neque in die octava eſſe dicendum, quemadmodum quia in feſto Epiphaniæ ratione myſterii omittitur Invitatorium cum Pſalmo *Venite*, per totam octavam deinceps dicitur.

IV. Sacra Congregatio Gavanti ſententiam approbavit, in præſenti Decreto declarans infra octavam non eſſe dicendum, in ſequenti autem idipſum confirmans, & inſuper addens, in ſolo feſto, & ejuſdem die octava eſſe recitandum. Si rationem expeſcas, non aliam eſſe arbitror, quia feſto Trinitatis ratione Dominicæ, cui eſt addictum, reperitur conceſſum, quare cum in Dominicam incidat etiam dies octava ejuſdem, non autem dies infra octavam, in illis quidem, ſecus vero in his jure fuit dici præſcriptum; ſi enim feſto ratione ſui competeret, utique & diebus infra octavam, quæ non ſunt, niſi continuatio feſti. Infra octavam tamen, quando officium fit de eadem, non quoties fit de Sanctis, licet cum commemoratione octavæ; quoniam nec in Dominica, quando de feſto aliquo recitatur, locum habet, quantumvis Dominica numquam commemorationem cum nona inſuper lectione homiliæ deperdat.

V. Cur autem Dominica præfatum Symbolum invehat in feſtum SS. Trinitatis, & non in cætera feſta, quæ in ea quandoque celebrantur, ratio in promptu eſt, quia Trinitatis officium nihil aliud eſt, quam officium Dominicæ, quod itidem in honorem Trinitatis dicebamus inſtitutum, unde & Trinitatis feſtum non ſemel *Dominicam Trinitatis* videmus appellari. Cum itaque ubi Trinitas eſt Titularis, in die octava ejuſdem, quæ in Dominicam incidit, non minus, ac in feſto, Trinitatis officium celebretur, *& Dominica Trinitatis* appellari queat, utique & in die octava ſymbolum debuit recitari, ſecus vero in diebus infra octavam, in quibus quidem officium fieri debet ut in feſto, ſed tamen dumtaxat ſecundum ea, quæ feſto ut tali competunt, non autem quæ eidem ratione diei, in quam incidit, conveniunt, cujuſmodi eſt ſymbolum S. Athanaſii. Incidat verb. gr. infra octavam aliquam B. Mariæ feſtum habens octavam, jam ad Primam in feſto præfato locum habet verſus *Qui natus es de Maria Virgine*, & in Hymnis terminatio *Jeſu tibi ſit gloria &c.*, hæc tamen nihilominus non dicuntur in iiſdem diebus octavæ, quæ ſuperſunt expirata octava Beatæ Mariæ. Cedo, cur ita? Nonne quia res illæ locum dumtaxat in feſto habent ratione octavæ B. Mariæ? Ita igitur & dicito de ſymbolo, quod ſolum ratione Dominicæ in Trinitatis feſto recitatur.

VI. Dices 1. Si Trinitatis officium non eſt, niſi officium Dominicæ, infra octavam Trinitatis, quando officium fit de ea, non dicitur aliud, quam officium Dominicæ, ergo ſi in Dominica, quando officium fit de Dominica ſymbolum recitari debet; utique & in prædictis diebus infra octavam. 2. Rubrica generalis 33. *num. 2.* poſtquam præſcripſit in Dominicis, quando officium fit de iiſdem, ſymbolum eſſe dicendum, addit *& in Dominica Trinitatis*; cui Rubricæ conſonat etiam Rubrica præfixa eidem ſymbolo, quod ex mandato ejuſdem & in Dominicis, & *in Feſto Trinitatis* recitandum dicitur; ſi autem ratione Dominicæ ſymbolum competeret feſto Trinitatis, & hoc non eſſet aliud, quam officium Dominicæ, jam vides quod inepte additæ fuiſſent expreſſiones illæ, *& in Dominica Trinitatis, & in Feſto Trinitatis*.

VII. Ad primum dicito, infra octavam Trinitatis equidem non repeti niſi officium Dominicæ, ut bene arguebatur, ſed non propterea ſymbolum eſſe dicendum, quia hoc non eſt alligatum officio Dominicæ abſolute, & ſimpliciter, ſed diei Dominicæ, quando in ea dicitur officium de Dominica, ſeu magis officio Dominicæ in die Dominica recitato. Super his te inſtruat officium Dominicæ, quæ in feriis anticipatur; in hoc enim, etſi Pſalmi deſumantur ex feria, officium Dominicæ dicitur, & tamen, quia non dicitur in die Dominica, in eo locum non habet ſymbolum S. Athanaſii.

VIII. Ad 2. a Rubrica illa generali addi *& in Dominica Trinitatis* dumtaxat ad removendum dubium, quod oriri poterat ſuper dicta Dominica, eo quod etſi officium ejuſdem reapſe ſit de Dominica, attamen differens videri poterat, cum non deſumatur ex Pſalterio, præſertim quia præcedenter a ſymbolo immunes fecerat Dominicas infra octavas Nativitatis Domini, Epiphaniæ &c., in quibus licet revera officium fiat de Dominica, ex Pſalterio tamen minime depromitur. Accedit, quod explicat *in Dominicis infra octavas alias* eſſe dicendum, ſuper quas minus profecto dubium eſſe poterat, cum in iiſdem ut in pſalterio recitetur. Si itaque has Dominicas nihilominus explicat, eo quod antecedenter Dominicas infra octavas Domini exceperat, multo magis explicare debuit Dominicam Trinitatis, in qua officium Dominicæ non fieri facile credi poterat, tum quia differens eſt a pſalteriali, tum quia inſtar feſti ſe habet, & in eo legitur nona Lectio homiliæ cum commemoratione Dominicæ. Reſponſio jam patet ad Rubricam alteram, ſeu magis hæc Rubrica laconiſmo concepta, nobis ſuggerit reſponſionem, quam præcedenti fecimus. Cantat autem: *Sequens ſymbolum dicitur in Dominicis tantum, quando fit officium de Dominica ut in Pſalterio*. Hucuſque explicat, in quibus Dominicis ſit dicendum, & ſimul excipit Dominicas illas infra octavas Domini &c., in quibus ut in Pſalterio non recitatur; at vides, quod ſtatim itidem excepta manebat Dominica Trinitatis, in qua non dicitur officium ut in Pſalterio, & ideo addi neceſſe fuit, *& in feſto SS. Trinitatis*. Quod autem hic dicitur *feſtum Trinitatis*, quia inſtar feſti ſe habet, in priori Rubrica dicitur *Dominica Trinitatis*, quia dictum feſtum non eſt, niſi officium Dominicæ ſolemniori ritu ea die celebratum; unde ex hac Rubrica, quæ *in Dominica Trinitatis* ſymbolum dicendum eſſe mandat, expoſitionem Decreti uno verbo nos concludere volumus, in feſto, & die octava ejuſdem Trinitatis ſymbolum eſſe dicendum, numquam vero in diebus infra octavam, quæ *Dominica Trinitatis* nullatenus vere dici queunt.

DECRETUM III. CAPITIS, IN ORDINE CXXXVI.

Ubi Feſtum SS. Trinitatis eſt Titulus Eccleſiæ, non eſt dicendum per totam octavam, ſive officium fiat de octava, ſive de alio Feſto occurrente, ſymbotum S. Athanaſii, ſed ſolum in ſolemni feſto SS. Trinitatis, & in die octava ejuſdem. S. R. C. 5. Maji 1736. *in Einſidlen.* Ex Merato in Indice Decretor. Brev. num. 313.

I. EXpoſitioni, quam præcedenti fecimus Decreto, nobis non ſuppetunt, quæ addamus, niſi quod diſpoſitio itidem procedit, ubi Trinitatis feſtum quocumque ex titulo habet octavam, tametſi Eccleſiæ Titulare non ſit; non enim particulari aliqua de cauſa eidem ut Titulari diſpoſitio adaptatur, ſed generali ibidem producta, quæ propterea, & generalem diſpoſitionem efficit, licet utrumque Decretum cauſa petitionis de Trinitate ut Tutelari loquatur.

CAPUT XVIII.

De octavis Feſtorum.

I. ALtera Feſti Comes, ſunt verba Guyeti *lib.* 1. *cap.* 18. eſt, ac veluti pediſſequa octava, quæ ipſum extendit, ac prorogat, ut vigilia prævenit. Nam ut ait Radulphus prop. 19. *Cum Feſtivitatum termini regulariter ponantur de Veſpera in Veſperam, magnitudo feſti id exigit, ut prius incipiatur, & tardius terminetur*, primum præſtat Vigilia, ſecundum octava. Cum itaque in ſuperioribus egerimus de Vigiliis, & nunc vix digrediamur a longa diſcuſſione ſuper octava Corporis Chriſti, ac SS. Trinitatis, rectus doctrinæ ordo profecto expoſtulat, ſermo modo inſtituatur de Feſtorum Octavis, quæ principaliorum Feſtorum, cujuſmodi ſunt Feſta Dedicationis, Tituli Eccleſiarum, ac Patroni Locorum, de quibus in ſuperioribus late itidem egimus, officia indiſpenſabiliter ex Rubricarum mandatis extendere aſſolent, ac prorogare.

II. Octavæ, hoc eſt per octo conſequentes dies Feſta quædam celebrandi mos, a Judæorum Eccleſia originem ſuam trahunt, Gavanto teſte *in Præf. ad Octav. Rom.* Primus enim Moyſes, quamvis alias feſtivitates non ultra ſeptimum terminaret diem, Feſtum tamen Tabernaculorum menſe ſeptimo ita inſtituit, ut per octo continuaretur dies, & octavus æque, ac primus haberetur celeberrimus, atque ſanctiſſimus. *Levitici* 23. 36. Gavantum utique carpere quis poſſet, quod noſtrarum octavarum originem deſumat a Tabernaculorum Feſto, quoniam Feriæ Tabernaculorum ſeptem dumtaxat durabant diebus, quibus elapſis, octavus, qui ſequebatur, ad aliud pertinebat feſtum, hoc eſt ad Cœtum, atque Collectam, uti bene docet D. Thomas 1. 2. *quæſt.* 102. *art.* 4. *ad* 10. Verum quia feſtum hoc connexum erat cum præcedenti, bene potuiſſe Gavantum ab his octo diebus noſtrarum octavarum originem haurire animadvertit Sarnellus *tom.* 4. *ſuarum Epiſt. epiſt.* 20.

III. Ceterum quantumvis argumentum e Tabernaculorum feſto petitum, haudquaquam ſubſiſteret, non ſic tamen eſt de aliis, quæ ex Lege veteri ad eundem effectum præfatus producit Auctor; Salomon enim poſt delatam Arcam Teſtamenti in Templum a ſe ſummo Deo dicatum, detinuit populos diebus octo in hoſtiis pacificis, & holocauſtis, quos dimiſit in die octava. 3. *Reg. c.* 5. Cum autem illud idem Templum aliquanım poſt fuiſſet profanatum, expiavit illud Ezechias Rex diebus itidem octo, & ſanctificavit. 2. *Paralip.* 29. Haud ſecus præſtitere Machabæi, qui diebus octo Altare dedicarunt offerentes holocauſta magna cum lætitia, & ſacrificium ſalutaris, & laudis, ſtatum etiam hujus dedicationis annuo feſto ad dies octo. 1. *Machab.* 4. Hujuſmodi uti laudabiles conſuetudines non modo Dei Filius in humanis degens non abolevit, ſed exemplo ſuo confirmavit, & probavit, tum ad Encænia *Joan.* 10., tum ad Scenopegiam *Joan.* 7. aſcendens, & immorans uſque ad octavum diem. *In noviſſimo quippe die magno Feſtivitatis ſtabat Jeſus &c.*

IV. His edocti Apoſtoli, & Apoſtolici viri octavarum Sacramenta ad nos uſque tranſmiſerunt, & pro diverſorum ratione Feſtorum mirus; magiſque celebres indixere octavas. Certe ab Apoſtolorum tempore, ex eorumque inſtitutione teſte Baronio *anno Dom.* 58. *numer.* 82. cœptæ ſunt coli Paſchatis octavæ, & Pentecoſtes, ita ut retentis nominibus, quæ apud Hebræos erant in uſu, auguſtiora tamen myſteria, quæ nova erant in illis, celebrarentur, nimirum Crucis, & Reſurrectionis Dominicæ in Paſchate, & Adventus Spiritus Sancti Paracliti in Pentecoſte. Eadem autem ratione, qua Apoſtoli prædicta feſta ſervanda decreverunt, qui iiſdem ſucceſſerunt, Apoſtolici viri reliquos dies feſtos cum octavis invexerunt, ut celebriores ſolemnitates etiam octavarum additione illuſtrarent.

V. Ejuſmodi fuere feſta Nativitatis, Epiphaniæ Domini, de quorum octavis meminit Ordo Romanus, editus in lucem Stephano Summo Pontifice, Pipino, ſeu Carolo Magno procurante. Octavæ Aſcenſionis Domini, quæ eſt feſtum antiquiſſimum, meminit Radulphus *prop.* 19., qui & dividit alias octavas in majores, & minores, & majores vocat Aſſumptionis, & Nativitatis B. Mariæ, nec non Apoſtolorum Petri, & Pauli, minores vero Andreæ, Laurentii, Martini, & penes Carthuſienſes, Joannis Baptiſtæ. Amalarius antiquior Radulpho novit octavas SS. Stephani, Joannis Evangeliſtæ, & Innocentium. Urbanus IV. inſtituit octavam Corporis Chriſti, & Felix IV. ſancivit *de conſecr. diſt.* 1. *cap.* 17., ut per octo dies Dedicatio colatur Eccleſiarum, & reapſe in Dedicationibus Eccleſiarum Tyri, & Hieroſolymæ a Conſtantino conſtructarum celebritatem octiduo perduraſſe, referunt Euſebius, & Sozomenus, quorum poſterior annotavit, anniverſarium quoque Dedicationis Eccleſiæ Hieroſolymitanæ quotannis celebratum fuiſſe, *Quotannis initiationes ſacrorum peragantur, & dies octo conventus fiant.*

VI. Refert Guyetus *lib.* 1. *cap.* 18. *quæſt.* 9. quod ex octavis erant olim aliæ ſolemnes, ſeu majores, aliæ non ſolemnes, ſeu minores, quarum utrarumque inter ſe ſe diſcrimen fuſe adducit Radulphus *prop.* 19. quod videlicet in majoribus illis officium diei octavæ eſſet ix. lectionum, diebus vero intermediis trium cum ſolemnitate quaſi forent temporis Paſchalis, & de ſimplicibus occurrentibus fieret tantum memoria. In minoribus vero dies octava trium tantum erat lectionum, & in ceteris fiebat officium de feria, vel de ſimplici ocurrente, adeo ut ejuſmodi octavis Pſalterii ordo non interrumperetur, nec ceſſarent ſuffragia communia, preces, aliaque ejuſmodi, & officio occurrenti neque ulla de octava fieret commemoratio, & his octavis aſſerit Meratus *loc. cit.* aliquod veſtigium adhuc extare in Breviario Romano pro S. Agnete, in cujus octava *Sanctæ Agnetis ſecundo* officium fit; nihil autem de ea in diebus intermediis. Verum quoad hoc fallitur, ut notatum fecimus *in Decr.* 12. *cap.* 9. *num.* 72.

VII. Addit Micrologus *cap.* 42. Romæ octavis omnibus etiam Domini Noſtri, excepta Paſchatis, & Pentecoſtes hebdomada, Pſalmos de feria ad Matutinum numquam prætermiſſos fuiſſe, licet Invitatorium, Antiphona in Pſalmos, & Reſponſoria de feſto eſſent, quia tres tantum lectiones in octavis erant. Quinimmo ait idem Auctor cap. 44. *Juxta Romanam auctoritatem nonnullorum Sanctorum octavas obſervare debemus, niſi unde certam aliquam traditionem a Sanctis Patribus habemus. Eorum quoque, quorum octavas celebramus, nullam quotidianam mentionem per interjacentes dies agimus, quia nullam auctoritatem inde habemus, exceptis de S. Maria, & de S. Petro, quorum memoriam & alio tempore non ceſſamus celebrare.* Hæc Micrologus, qui floruit ſæculo undecimo, ex quibus eruitur, de feſtis B. Mariæ, ſcilicet ejus Aſſumptione, & S. Petri juxta Romanum morem, non officium, ſed commemorationem tantum diebus intra octavam fieri ſoluiſſe.

VIII. Octavæ minores, ſeu non ſolemnes excluſæ fuerunt a novo Breviario Pii V. præcipiente Rubrica VII. *de oct. num.* 1., quod *de octava fit officium, vel ſaltem commemoratio (quando aliquo feſto, vel octava impeditur) per octo dies continuos:* quapropter ſi quæ ex Eccleſiis Breviario Romano addictis de dictis octavis adhuc agerent, eas ſupprimere deberent, vel ſaltem eaſdem ad id faciendum conſulerem, licet ante Bullam Pii V. introductæ forent, & poſtmodum ſemper retentæ. Octavæ autem majores, ſeu ſolemnes per Breviarium Pii V. ſunt quidem approbatæ, ita tamen, ut in die octava officium de ea duplex minus fiat, & infra octavam ſemiduplex; quare ſi aliqua foret ex hujuſmodi octavis, quæ ante dictam Bullam Pianam radices haberet, nec poſtmodum eſſet intermiſſa, eadem retineri poſſet, de ea officium inſtituendo ſub ritu reſpective duplici, vel ſemiduplici; & quidem etiamſi conſuetudo ferret, de eadem ut antea officium dumtaxat celebrare, quoniam hujuſmodi conſuetudo, tamquam difformis, ac contraria Rubricis Romanis tollenda foret, ac reformanda juxta Rubricam citatam, quæ diebus intermediis officium ſemiduplex, & in die octava duplex minus faciendum eſſe præſcribit *in illis feſtis, quæ apud quaſdam Eccleſias, Congregationes, & Religiones conſueverunt ſolemniter cum octavis celebrari.* Nota ly *Solemniter*, ut ediſcas octavas ſolemnes, non autem minores & non ſolemnes fuiſſe approbatas, adeoque non has, bene vero illas poſſe ſuſtineri, & ut ſupra regulari. Huic opinioni ſuum validum præſtat ſuffragium Guyetus *lib.* 2. *cap.* 13. *quæſt.* 2.

IX. Uſus eſt Eccleſiæ Cenomanenſis duos dies proxime ſequentes poſt Feſtum Aſſumptionis B. M., & poſt Feſtum S. Juliani Patroni ſui, celebrandi ritu admodum ſolemni, eo nempe, quem vocant ſemiduplicem, hoc eſt, ſi ad Romanum reduxeris, duplici 2. claſſis inſtar veluti feſtorum Paſchæ, & Pentecoſtes, e quibus proximi duo dies ritu admodum celebri ubique in Eccleſia coluntur; quæ utique conſuetudo a nonnullis quoque Eccleſiis in ſimili olim uſitata erat. Eſt item conſuetudo Eccleſiæ Cenomanenſis, Senonenſis, & aliarum, ut Feſtorum præcipuorum, ſeu primæ claſſis, diem octavam ritu ſolemniori peragant. Legitimum id illis, utpote jus Breviarii proprii ſartum, integrumque habentibus; haud tamen ab aliis Romanum uſum ſequentibus admittendum, ſunt ſiquidem hujuſmodi penitus formæ Romanæ repugnantia. Idipſum dici debet, ſi quæ ex Eccleſiis diem octavam ad ſemiduplicem ritum deprimeret?

X. Dices 1. Octavæ vi conſuetudinis ante Bullam Pii V. invectæ ſuſtineantur; quidni igitur & earumdem ritus altior, aut depreſſior?

XI. ℞. Quod diſpar eſt ratio, quoniam feſta, & octavæ conſuetudini memoratæ innixæ, in Rubricis approbationem habent, & ideo titulum, quo ſe tueantur, legitimum. Quoniam vero eædem Rubricæ, quæ octavas approbant, ritum, quo debent celebrari, inſimul inſinuant, ideo ille ſolum legitimus, & approbatus cenſetur, & quicumque alter illegitimus, atque prorſus proſcriptus.

XII. Dices 2. In feſtis retinetur & ritus, licet Rubricæ, vel Decreta alium eiſdem conſignent, unde in Decreto 1. cap. 4. vi conſuetudinis legitimæ Sancto Reliquiæ conceſſimus nos ipſi ritum altiorem, etſi Decreta eidem tantummodo duplicem minorem adſcribant; quare non idem igitur fieri poterit in octavis?

XIII. ℞. Bene id in feſtis, quia Rubrica 1. *de off. dupl. num.* 1. iiſdem, quæ apud quaſdam Eccleſias ſolemniter celebrari conſueverunt, officium dat duplex non quidem ad aliquam ſpeciem ejuſdem determinatum, ſed duplex abſolute, & generice ſumptum, ſeu prout abſtrahit a quacumque duplicis ſpecie, ut innegabile apparebit dictam Rubricam conſulenti, adeoque conſequenter approbat quamcumque duplicis rationem, qua vi conſuetudinis gaudet. Dum autem de octavis ex conſuetudine agit, ritum determinate indicit, & ideo quicumque alter cenſetur proſcriptus. Quia tamen & feſtis ex conſuetudine non depreſſiorem, ſed altiorem Rubricæ I. & II. indulgere videntur, nec dubitamus, quod conſuetudo, puta celebrandi

ſeſtum

feſtum Patroni principalis ſub ritu duplici minori, reformanda foret, & reducenda ad tramites ritus per Romanas Rubricas præſcripti.

XIV. Refert Guyetus in Breviario Dominicanorum quatuor, aut quinque conſtitutos aſſe octavarum ſitus diverſos, quos utpote alienos a ſitu Romano in uſum eſſe non poſſe ab Eccleſiis huic ritui addictis certum cum ſit, nec recenſendos putamus, uti nec uſum Breviarii Monaſtici diebus infra octavam non aſſignandi, niſi tres lectiones de vita Sancti, aut de ſermone alicujus Sancti Patris. Hæc namque jure Breviarii proprii quidem ſtant, ſed ab Eccleſiis ritus Romani uſitari non valent, habent ſiquidem illæ Romani Breviarii leges, a quarum præſcriptis fas non eſt proculdubio, ne minimum quidem, recedere.

XV. Sunt, qui anticipant diem octavam, quoties hæc incidit in feſtum aliquod ſolemne, vi cujus de ea in proprio die officium fieri nequit. Sic in Breviario Turonenſi anticipatur octava S. Maurilii pridie Dedicationis S. Michaelis: in Senonenſi octava Inventionis S. Stephani pridie S. Laurentii, & octava S. Lupi pridie Nativitatis B. Mariæ. Pictavis anticipatur dies octava Epiphaniæ pridie S. Hilarii, & octava S. Hilarii pridie SS. Fabiani, & Sebaſtiani; & Pariſiis octava Corporis Chriſti pridia Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ, vel SS. Petri, & Pauli, quando in hunc, vel illum diem incidit. Quærit Guyetus *lib.* 2. *cap.* 5. *quæſt.* 3., an id fiat legitime? & reſolvit, quod non; tum quia falſo appellatur dies illa octava, cum ſit tantum ſeptima a die feſti; tum quia ſi contingat impediri quoque diem illam ſeptimam, erit denuo anticipatio pari jure facienda in diem ſextam, & ſic conſequenter; quod omnino eſt abſurdum. Denique tamen litem ita dirimit, *ut videlicet quibus in Eccleſiis Breviario Romano adſtrictis uſus ejuſmodi minime eſt inductus, haudquaquam inducatur; eſt enim contra formam præſcriptam a Rubricis. In aliis vero vel quæ ſui juris ſunt, propriumque habent Breviarium, vel licet Romano utantur, quæ conſuetudinem ejuſmodi legitime inductam hactenus retinuere, retineatur. Cum enim Eccleſiæ illæ Titulares ſint, ſeu Cathedrales, aut Collegiatæ inſignes, valet in iis clauſa illa Rubr.* 10. *num.* 1. *Niſi Titularis Eccleſiæ privilegio aliter fieri oporteat.* Verum etſi id procedere queat quoad Eccleſias, quæ ſui juris ſunt, propriumque habent Breviarium, habent ſiquidem illæ una & proprias leges, a quibus id fieri permittitur; quomodo unquam id fieri poterit ab Eccleſiis Romani ritus, quæ in contrarium habent expreſſas Rubricas, ſeu leges, a quarum obſervantia ſe diſpenſare non valent? Quid autem unquam expreſſius in Breviarii Romani Rubricis, quam quod impedita die octava per officium altioris ritus, per ſolam commemorationem in proprio ſuo die debeat expleri? Videatur Rubrica X. *de Transl. feſt. num.* 1. *&* 2., & Rubrica IX. *de Commem. num.* 4., necnon Tabella occurrentiæ una cum Rubricis ſub ipſa ſignatis. Nec relevat conſuetudo poſt Bullam Pii V. ſemper retenta, quandoquidem ea legitima eſſe nequit, utpote contra claram Rubricarum diſpoſitionem ab initio tenta, ac poſtmodum cuſtodita; quæ autem ab initio non ſubſiſtunt, nec tractu temporis firmantur, unde *ff. de reg. jur. l. quod ab initio*, *& ff. de pac. l. ſi tibi decem* §. *ſi pactus* dicitur *Quod ab initio non valet, tractu temporis non poteſt convaleſcere.* Ad clauſulam vero illam *Niſi Titularis Eccleſiæ privilegio &c.* ex mox dicendis ſolutio patebit.

XVI. Tranſlato feſto, quod habet octavam, transferunt aliqui etiam ipſam octavam, & ſic apud Ordinem Prædicatorum in uſum eſſe aſſerit Guyetus *lib.* 4. *cap.* 12. *quæſt.* 2., & Breviarium antiquum Caſalis Benedicti ad tranſlationem feſtorum occurrentium infra octavas Paſchæ, & Pentecoſtes, tranſlationem quoque octavæ permittebat, ita ut hæc inciperetur a celebratione feſti, non a die, quo iſtud occurrit. At hoc reprobatur penitus pro Breviario Romano adſtrictis per hujus Rubricam de Transl. feſt. num. 1. *Quando Feſtum habens octavam transfertur, non ideo dies octava transfertur, ſed ipſa die de ea fiat commemoratio, quæ alias erat octava, ſi Feſtum non fuiſſet tranſlatum. Quod ſi poſt totam octavam transferri contigerit, illo anno celebretur ſine octava: niſi Titularis Eccleſiæ privilegio aliter fieri oporteat.* Hunc igitur ad effectum unice ſuffragari poteſt privilegium, ſi quod Eccleſia aliqua habet, quemadmodum eo potiuntur Ordines S. Benedicti, & Minimorum pro eorundem reſpective Fundatore. At reliquæ Eccleſiæ, quæ privilegium non habent ſtare debent legibus, quinimmo, & quæ privilegio ſunt donatæ, ad ceteras octavas illud extendere nequeunt, privilegium enim eſt facultas aliquod faciendi contra Leges, Canones, & Jura, unde urget vis Legis pro iis omnibus, quæ in privilegio non ſunt comprehenſa, alias Lex omnis ſolveretur, naturaque ipſa privilegii deſtrueretur. Guyetus *loc. cit. quæſt.* 4. *&* 5. privilegio æquiparat uſum ab antiquo legitime retentum etiam relate ad eas Eccleſias, quæ Breviario Romano utuntur. At ſuperius dicta ſatis oſtendunt, prædictum uſum, utpote contra expreſſam Legum diſpoſitionem retentum, haud poſſe eſſe legitimum, & ſic nec ſuffragari utentibus Breviario Romano, ſed eſſe reformandum ſicuti Guyetus ipſemet id aſſerit de octavis minoribus, & majoribus, ut dicebamus ſupra.

XVII. Duabus octavis ſimul occurrentibus prior terminabatur in aliquibus uſibus ante inchoationem alterius, anticipata die illius octava ante hujus feſtum. Sic in Breviario antiquo Aurelianenſi octava S. Joannis Baptiſtæ anticipatur ante feſtum Apoſtolorum Petri, & Pauli; octava Nativitatis B. Mariæ pridie Exaltationis S. Crucis, & octava S. Martini pridie S. Aniani. Sed hæc agendi ratio jam emendata fuit, nec a Romanarum Rubricarum infractione ſe tueri valet, aut vindicare qui ejuſmodi uſum inducit, vel inductum ſervat.

XVIII. Teſte Radulpho *prop.* 19. octava nota eſt, & index magnæ præ aliis ſolemnitatis, & ideo non frequens adeo, nec trita eſſe debet, ut inde periculum ſit, ne vileſcat, quæ vox eſt Durandi *lib.* 6. *cap.* 1. *num.* 42. Vileſcit autem maxime, ſi quamplures ſint particulares, & propriæ. Ex particularibus, & propriis tres a Rubricis approbantur, Dedicationis ſcilicet, Titularis propriæ Eccleſiæ, & Patroni principalis loci. His addi queunt octavæ Dedicationis, & Titularis Eccleſiæ Cathedralis, necnon Eccleſiarum propriæ adnexarum, ac unitarum, uti & ex Patronorum principalium Regnorum, Dominiorum, & Provinciarum &c., quæ omnes ad eaſdem Rubricas reducuntur, ac celebrari reſpective poſſunt juxta ea, quæ dedimus in Capitibus 1. 2. & 3.

XIX. In Breviario Romano ſexdecim ſunt conſtitutæ, quinque de Chriſto Domino, nempe Nativitatis, Epiphaniæ, Paſchatis, Aſcenſionis, & Corporis Chriſti, una de Spiritu Sancto, Pentecoſtes ſcilicet, tres de Deipara Maria, Aſſumptionis nempe, Nativitatis, & Conceptionis, ſeptem de Sanctis, videlicet una de Nativitate S. Joannis Baptiſtæ, de SS. Apoſtolis Petro, & Paulo, de S. Laurentio, de Feſto omnium Sanctorum, de S. Stephano, de S. Joanne Evangeliſta, & de SS. Innocentibus. Præter has octavas nulla alia inſtitui valet ſecluſo particulari indulto; quod enim volunt nonnulli fieri poſſe octavam tum canonizationis, cum beatificationis Sanctorum, ſuo loco refutatum veniet.

XX. Octavarum aliæ ſunt privilegiatæ, aliæ non, & ex privilegiatis aliæ magis, aliæ minus privilegiatæ exiſtunt; unde ad quatuor claſſes, ſeu gradus eas revocat Gavantus *ſect.* 3. *cap.* 8. *num.* 2. In primo gradu ſunt duæ, nempe octavæ Paſchatis, & Pentecoſtes, quæ occurrentia feſta quælibet explodunt, & hæ a Leonienſe Breviario appellantur *octavæ vivæ*. In ſecundo de octava Epiphaniæ, quæ duplicia 1. claſſis occurrentia dumtaxat admittit, & quæcumque alia reſpuit. In tertio gradu collocatur octava Corporis Chriſti, quæ pellit ſemiduplicia occurrentia, & tranſlata, necnon duplicia majora, & minora tranſlata, & ſolum patitur quæcumque duplicia occurrentia, & ex tranſlatis ſolum duplicia 1. & 2. claſſis. In quarto gradu ſunt ceteræ octavæ quæcumque, quæ a Rubricis generalibus unice reguntur, ac in ſinu ſuo capiunt officia quælibet occurrentia novem Lectionum, quinimmo & tranſlata, exceptis tantummodo ſemiduplicibus, quæ in ſola ſequenti dia non impedita locum habent; has autem octavas prædictum Proprium Leonienſe *octavas mortuas* nuncupat. Adſunt & aliæ octavæ propriæ, & particulares quæ ex privilegio feſta aliqua magis, minuſve expellunt, ut in Ordine Eremitarum Auguſtinienſium octava S. P. Auguſtini, quæ ex occurrentibus, & tranſlaris ſolum admittit Decollationem S. Joannis Baptiſtæ, & duplicia 1. vel 2. claſſis. Verum de hujuſmodi octavis noſtrum nunc non eſt diſſerere, eæque ex factis privilegiis unice pendent. Magis Lectorem moneremus, quod Breviarium Pariſienſe inter octavas vivas collocat etiam octavam Aſſumptionis B. Mariæ; quod & alia præſtant de octavis Dedicationis, & Patroni propriæ Eccleſiæ; perperam tamen quidem, cum nullibi præfatis octavis tale legatur factum fuiſſe privilegium, ſed diſpoſitioni Rubricarum ſint utique plene relictæ, & adeo ut octava Aſſumptionis B. Mariæ in Breviario Romano per occurrentia feſta modo ſit quaſi tota occupata.

XXI. In octavarum autem inſtitutione plura myſteria, ac ſacramenta ſcitu digniſſima refert, & recognoſcit Gavantus, quæ qui optat ediſcere, brevem, ſed accuratum legat ejuſdem Auctoris tractatum, quem ipſe in fronte ſui Octavarii proœmii loco appoſuit; tempus enim eſt, quo nos non amplius Lectoris patientia abutamur, ac ad Decretorum explanationem properemus.

DECRETUM I. CAPITIS, IN ORDINE CXXXVII.

In primis Veſperis communibus diei Octavæ, & Dominicæ privilegiatæ, Veſperæ debent recitari cum Pſalmis Sabbati, & a Capitulo de Dominica privilegiata, addendo in fine commemorationem diei octavæ. S. R. C. 9. Novembris 1628. ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 48.

I. EST ex Decretis, quæ Congregationis Regeſta exarata non habent, prodiit tamen Gavanto præſente, ut ipſemet teſtis eſt *ſect.* 3. *cap.* 8. *num.* 3., invectum reperitur inter Rubricas Breviarii Auguſtiniani *ad menſem Febr. num.* 2., Franciſcani, *num.* 49. *&* 97., Octavarii Romani *tit.* 11. *de concurr. num.* 4., illudque tamquam authenticum concordes referunt Auctores. Dubium autem non eſt, quod incidente dia aliqua octava in Dominicis privilegiatis, officium debetur Dominicæ, & octavæ ſola commemoratio. Dominicæ privilegiatæ ſunt, quæ privilegio primæ, vel ſecundæ claſſis donantur, nempe Dominicæ omnes Adventus, & a Septuageſima ad Paſcha. Quadrageſima quidem octavas non patitur, ſed tamen alicubi ex legitima conſuetudine, aut particulari indulto nonnullæ celebrantur, quare de his etiam procedit Decretum, ſi excipias Dominicas Paſſionis, & Palmarum, de quibus in Capite ſequenti agere reſervamus.

II. Propoſitum fuit dubium, quid agendum foret in Veſperis Sabbati, quæ ſunt communes diei octavæ, & Dominicæ pri-

Digitized by Google

privilegiatæ, & Sacræ Congregationis conſenſus in varia ſciſſus eſt placita; cum enim hujuſmodi caſus tunc in Breviario Romano evenire non poſſet, ſuper eo nondum ulla facta erat proviſio. Voluiſſent aliqui, primas Veſperas diei octavæ ritu duplici recitari; ſed abſurdum viſum eſt inchoare cum omni ſolemnitate diem octavam, quæ ſequenti die officium habere non poteſt, quare ex Rubrica XI. *de concurr. num.* 10. feſto ſimplici occurrenti in feria IV. Cinerum, in qua ſolam commemorationem, non officium aſſequitur, ſolam item commemorationem aſſignat in primis Veſperis, licet eas a capitulo poſſet habere, ſubditque rationem, *quia cum in ſequenti die feſtum non habeat officium, nec etiam convenit habere primas Veſperas in die præcedenti*. Veſperæ non ſunt, niſi membrum quoddam officii divini, cujus corpus eſt Matutinum cum Laudibus, quare nonniſi monſtruoſum officium effici poterat ex Veſperis integris, aut dimidiatis, & Matutino ad ſimplicem commemorationem redacto.

III. Voluiſſent alii dimidiatas Veſperas uſque ad Capitulum ritu ſemiduplici de octava, Capitulum deinde de Dominica; at hoc modo nec erant primæ Veſperæ de die octava, utpote ſemiduplicis ritus, neque ſecundæ de ſeptima die infra octavam, quæ ex ſui conſtitutione Veſperas non habet, ſed ejuſdem Veſperæ ſunt primæ Veſperæ diei octavæ, ut late traditur in Decretis quarto, & quinto ſequentis Capitis.

IV. Maluiſſent alii, abrumpi octavam in Sabbaro ad Veſperas, & nihil de ea amplius fieri; verum viſum eſt nonniſi per adventum Quadrageſimæ, Feſti Pentecoſtes, & diei 17. Decembris juxta Rubricas octavas eſſe abrumpendas ob peculiares rationes, quæ cum minime militent in Dominicis privilegiatis, propterea ab octavarum celebratione non erat ceſſandum contra expreſſum ipſiuſmet octavæ vocabulum.

V. Cum itaque eæ Veſperæ eſſe nec poſſent de die octava, nec de ſeptima die infra octavam, nec ſuppeteret quidpiam aliud, cui adſcriberentur, optime utique aſſignatæ fuerunt occurrenti Dominicæ, quæ cum in ſequenti die habitura eſſet officium, jus quoque ad primas habebat Veſperas. Quoniam vero officium Dominicæ ſic eſt conſtitutum, ut nonniſi a capitulo incipiat in primis Veſperis, Pſalmi de Sabbato ſumendi fuerunt, perinde ac ſi in eo Sabbato actum eſſet de feria, aut ſimplici feſto; officium enim feriale in defectu alterius ſemper ſubrogatur, & ſuccedit ex præſcripto Rubricæ V. *de feriis num.* 1. Licet autem hujuſmodi caſus in Breviario Romano olim nunquam accidere poſſet, bene tamen modo in die octava Conceptionis Deiparæ, unde in illud fuit hæc Rubrica invecta; *Si dies octava inciderit in Dominicam, Veſperæ in Sabbato præcedenti dicuntur de feria, ut in Pſalterio, & a Capitulo fit de Dominica cum commemoratione diei octavæ*; quæ pro quibuſcumque conſequenter ſimilibus caſibus debet deſervire.

VI. *Addendo*, inquit Decretum, *in fine commemorationem diei octavæ*. Abſurda nonnemini videtur hujuſmodi diſpoſitio, quæ in officio ſemiduplici Dominicæ mandat duplicis commemorationem, ſcilicet diei octavæ, uti alibi a nobis abſurda cenſetur commemoratio ſemiduplicis, ſeu diei infra octavam in officio feriali. Verum etſi officium Dominicæ privilegiatæ ſemiduplex tantummodo ſit, primæ, vel ſecundæ claſſis privilegio decoratur quoad expulſionem feſtorum occurrentium, quare dies octava transferri deberet, licet quia poſtea ex officiis intransferibilibus eſt, per ſolam commemorationem, quæ in caſu impedimenti gerit vices officii, expleri debeat juxta Rubricam X. *de Transl. n.* 1. & 2., cui conſonat Tabella occurrentiæ, quæ in occurſu diei octavæ, & Dominicæ privilegiatæ, ſub num. 2. notat: *commemoratio de primo, officium de ſecundo*. Differens autem eſt ratio de officio feriali, quod eatenus perimit commemorationem diei infra octavam, quatenus hæc impedit preces feriales, atque ſuffragia, quæ ſunt intrinſeca tali officio; at hujuſce non eadem rationis relate ad officium Dominicæ, & ideo hoc admittere poteſt commemorationem diei octavæ non obſtante ſuppreſſione precum Dominicalium, & ſuffragiorum, ſicuti hæc omittuntur etiam in Dominicis infra octavam.

VII. Hæc dicta ſunto in hypotheſi Decreti, in qua in præcedenti Sabbato actum ſupponitur de ſeptima die infra octavam; ſi enim factum fuiſſet de feſto, Veſperæ huic deberentur integræ, ſi duplex foret, dimidiatæ uſque ad Capitulum, ſi ſemiduplex, ita expreſſe demandantibus Rubricis omnibus, & Tabella concurrentiæ, quæ quoque in concurſo Dominicæ privilegiatæ, & ſequentis duplicis, huic integras dant Veſperas, & ſi ſequens feſtum fuerit ſemiduplex, feſtum ſolam commemorationem, Dominica aſſequitur officium. In utroque tamen ex his caſibus omittenda non eſt commemoratio diei octavæ, cui quinam locus debeatur, quæ ſtatim dabimus, diſerte aperient.

VIII. Quæres 1. Quinam in primis Veſperis ſit locus commemorationi diei octavæ incidentis in Dominicam privilegiatam, quando in præcedenti Sabbato actum eſt de feſto?

IX. ℟. Quod ſi feſtum duplex eſt, de eo jam integræ ſunt Veſperæ, in quibus prius fit commemoratio Dominicæ, quam diei octavæ; cum enim dies octava jam Dominicæ cedat officium, & Veſperæ de Dominica forent, ſi per feſtum impeditæ non eſſent, utique & commemoratio diei octavæ, quæ ſtat loco officii, illi de Dominica cedat oportet.

X. Si vero feſtum ſemiduplex fuerit, cum hoc habeat dimidium Veſperarum, congruit, ut ejuſdem commemoratio præferatur illi de die octava, quæ in iiſdem Veſperis non habet, niſi meram commemorationem. Ita ſentit Gavantus *ſect. 3. cap.* 8. *n.* 22., ubi hanc ſubdit rationem, quod *dies octava in toto die ſequenti non habitura eſt niſi meram commemorationem*. In Gavantum inſurgit Guyetus *lib. 4. cap. 13. quæſt. 9.*, objicitque exemplum Dominicæ per annum, in qua ſi occurrat feſtum duplex, in primis Veſperis de hoc feſto fit Dominicæ commemoratio ante eam ſemiduplicis, de quo in Sabbato factum eſt officium, licet de Dominica in poſtero die non fiat, niſi mera commemoratio. Verum Guyetus haud eſt aſſecutus Gavanti mentem, nec ejuſdem vim argumenti; non enim in eo ſiſtit, quod dies octava in toto die ſequenti ſolam habitura eſt commemorationem, ubi ſemiduplex in præcedenti habuit officium, ſed in eo, quod feſtum ſemiduplex habet earumdem inſuper dimidium Veſperarum, ubi dies octava & in die ſequenti, & in iis Veſperis habitura non eſt, niſi ſolam commemorationem; ſenſus igitur eſt, quod in Veſperis commemoratio illius, quod ultra commemorationem habet dimidium earumdem Veſperarum, præferenda eſt commemorationi illius, quod in iiſdem Veſperis non habet, niſi meram commemorationem. Quod vero talis fuerit Gavanti mens, liquido eruitur, quoniam *n.* 14. in concurſu Dominicæ privilegiatæ incidentis in diem octavam cum ſequenti ſemiduplici, prius diei octavæ aſſignat commemorationem, quam ſemiduplici, licet hoc in ſequenti die habiturum ſit officium, ubi dies octava nonniſi meram habuit commemorationem in præcedenti, & præſertim quia hanc rationem adjicit: *Quia in pari gradu commemorationis nobilior eſt dies octava, quam feſti ſemiduplicis commemoratio*.

XI. Quod ſi opponas Gavantum in rationem producere, quod *dies octava in die ſequenti non habitura eſt niſi meram commemorationem*, adeoque unice reſpicere ad ſolam commemorationem, quam dies octava habitura eſt in die ſequenti, & non ad eam, quam ſolam habet in iis Veſperis, ad differentiam ſemiduplicis, quod harum inſuper dimidium habet. Namque fas eſt, advertas, quod non dicit *in die ſequenti*, *ſed in toto die ſequenti*; totus autem dies ſequens etiam primas Veſperas comprehendit. Jam vides autem, quod admodum diſpar eſt exemplum, quod Guyetus objicit, quippe in eo caſu in iis Veſperis tam Dominica, quam præcedens ſemiduplex ſolam habent commemorationem, quare cum ſimus in pari caſu ſolius commemorationis, utique commemoratio Dominicæ, quæ præ ſemiduplici feſto præferentiam habet, de quaque diceretur Capitulum, ſi duplex in ea non occurreret, facienda eſt ante eam præcedentis ſemiduplicis.

XII. Quæres 2. Quid ſentiendum ſit, quando in ſequenti feria ſecunda occurrit feſtum novem Lectionum?

XIII. ℟. Veſperas deberi feſto, ſi duplex eſt, cum commemoratione prius Dominicæ, cui dies octava jam ceſſit officium, & poſtea diei octavæ. Si vero feſtum eſt ſemiduplex, Veſperæ erunt de Dominica cum commemoratione primum de die octava, quam ſequentis ſemiduplicis, quia ſumus in caſu ſolius commemorationis de ottaque & conſequenter commemoratio duplicis præferenda eſt commemorationi ſemiduplicis.

XIV. Quæres 3. Cuinam competat dignior locus commemorationi diei octavæ, aut illi de Dominica privilegiata 2. claſſis, quando ob ſimul occurrens feſtum 1. claſſis, illorum utrumque officium æque ad ſimplicem redigitur commemorationem, ut puta ſi in die octava Conceptionis Deiparæ alicubi ſimul occurrat Dominica 3. Adventus, & feſtum duplex 1. claſſis?

XV. Pittonus *lib. 2. de oct. num.* 1345., & 1351. digniorem tribuit locum commemorationi diei octavæ, & ita faciendum videtur, tum quia Rubrica IX. *de comm. num.* 11. commemorationem duplicis præfert commemorationi Dominicæ. Tum quia in tali caſu tam dies octava, quam Dominica ſolam habent commemorationem; in caſu autem ſolius commemorationis commemorationem duplicis præferentia donari præ illa ſemiduplicis ſuperius nos ipſi dicebamus.

XVI. Nos in oppoſitum ſentimus, & primas damus commemorationi Dominicæ; Rubricæ enim, & Tabella occurrentiæ in occurſu diei octavæ, & Dominicæ privilegiatæ, huic officium, illi ſolam dant commemorationem; propterea videtur nobis, quod etſi officium Dominicæ quandoque impediatur, adhuc ejuſdem commemoratio, quæ vices facit officii, & in hujus loco ſubſtituitur, prius ponenda ſit, quam ea diei octavæ, de qua adhuc ſola commemoratio fieret; ſi enim officium diei octavæ, etſi duplex ſit, cedit officio ſemiduplici Dominicæ, cur & illius commemoratio non cedet hujus commemorationi? ſubrogatum enim ſapit, & ſequitur naturam ejus, in cujus locum ſubrogatur.

XVII. Ad primum itaque dicito, duplicis commemorationem ſemper præcedere eam Dominicæ per annum, non tamen illam Dominicæ privilegiatæ, ſed hanc in ſolo concurſu, ut dicemus in Decreto 3., non autem in occurſu. In concurſu quidem, quia officium Dominicæ ſemiduplex eſt, diei octavæ duplex; in concurſu autem duplicis cum ſemiduplici Rubricæ præferentiam exhibent duplici, licet ſemiduplex ſit Dominica privilegiata ſuper officio duplici, quoniam privilegium Dominicæ in favorem ſolius Matutini cum horis factum eſt, nec in Veſperas derivat. In occurſu autem non, quia privilegium, quo gaudet Dominica, facit ſibi cedere quodcumque duplex, præ quo eſt privilegiata, & tale privilegium extenditur etiam ad Veſperas relate ad officium illud, quod ſimul occurrens ad commemorationem redigitur, cum non conveniat officium illud habere Veſperas, quod in ſequenti die ſolam commemorationem habiturum eſt, ut ſuperius dicebamus, & præſens Decretum ſtatuit, dum primas Veſperas dat Dominicæ, non vero diei octavæ ſimul occurrenti. Quod ſi dies octava officium, & Veſperas cedit Dominicæ privilegiatæ, utique & cedet commemoratio, quæ ſtat loco officii, vel Veſperarum.

XVIII. Ad

XVIII. Ad 2. ita quidem ſecluſo privilegio, ſecus autem ſi habeatur privilegium, quod duplici ſemiduplex pręferre facit, uti evenit in caſu. Univerſim ſit itaque verum, quod in caſu ſolius commemorationis prius facienda eſt commemoratio illius, quod ſecluſo impedimento haberet officium, vel loquendo de Veſperis, harum potiorem partem, ſcilicet capitulum; hinc verb. gr. ſi incidat dies octava in feſtum duplex 2. claſſis, & die antecedenti celebratum ſit officium de duplici minori, in Veſperis duplicis ſecundæ claſſis, prius fiet commemoratio diei octavæ, de qua, ſi impedita non foret, diceretur Capitulum, quam pręcedentis duplicis minoris, etſi in antecedendi die habuerit officium, ut magis patens fiet in expoſitione ſequentis Decreti. In noſtro autem caſu adhuc remoto impedimento, quod ex parte duplicis 1. claſſis provenit, officium, vel Veſperæ deberentur Dominicæ.

XIX. Doctrinæ huic obſtare videtur, quod in primis Veſperis duplicis incidentis infra octavam communem prius fit commemoratio præcedentis ſemiduplicis, quam diei infra octavam, etſi hęc, ſi impedita non foret, haberet capitulum. Verum oppoſitionem hanc penitus diſſipat exemplum Dominicæ per annum impeditæ per feſtum duplex, quæ in primis hujus Veſperis prius habet commemorationem, quam pręcedens ſemiduplex; cur autem id, niſi quia alias Dominica haberet Capitulum? Nos infra dicemus, quod attentis dumtaxat motivis rationis feſtum ſemiduplex integras habere deberet Veſperas in concurſu cum die infra octavam, uti olim fiebat in feſto ſemiduplici SS. Joannis & Pauli 26. Junii, quare dum commemorationi feſti ſemiduplicis dignior datur locus, nonniſi fieret, quod de jure faciendum eſt. Quoniam vero in propoſito caſu diviſio Veſperarum per Rubricas diſpoſita manet, dicito, quod pro caſu ſolius commemorationis de utroque, dum prius commemoratin feſti ſemiduplicis præſcripta eſt, nonniſi facta eſt diſpoſitio ejus, quod de jure faciendum erat, licet pro caſu concurrentiæ ex diſpenſatione capitulum tribuatur diei infra octavam. Quod ſi mavis Veſperarum diviſionem in propoſito caſu de jure eſſe faciendam, dicito diſpenſationem ſe tenere ex parte feſti ſemiduplicis, cujus commemoratio pręmittitur; cum tamen de jure prius fieri debuiſſet commemoratio diei infra octavam, de qua diceretur Capitulum, eſſeque hoc unum ex pluribus privilegiis, quibus præ die infra octavam feſtum ſemiduplex tamquam nobilius decoratum extitit. Nonne dies infra octavam etiam cedit officium feſto ſemiduplici occurrenti, & tranſlato ab antecedenti die, in caſu impedimenti per ſolam commemorationem expletur, immo & hanc deperdit ſemper in ſecundis Veſperis duplicis 1. claſſis, & etiam in iis 2. claſſis, quando in ſequenti die habitura non eſt officium, cum tamen nihil hujuſmodi habeat feſtum ſemiduplex? Nonne dies infra octavam nonnumquam & minus habet, quam feſtum ſimplex, cum hujus commemoratio locum habeat in laudibus duplicis 2. claſſis, qua caret dies infra octavam, quinimmo & in ſecundis Veſperis duplicis 2. claſſis, licet de eo in ſequenti die facienda ſit commemoratio? Quid igitur mirum, ſi etiam feſti ſemiduplicis commemoratio priori loco denotata extitit relate ad commemorationem diei infra octavam?

XX. Inferes 1., quod ſi in caſu pręſentis Decreti inſimul occurreret dies altera infra octavam, dummodo itidem non eſſet die ſeptima, & de ipſa in pręcedenti Sabbato recitatum foret officium, Veſperæ non forent de Pſalterio, ſed de ea octava uſque ad Capitulum cum commemoratione prius illius diei infra octavam, quæ habet dimidium Veſperarum, & poſtea diei octavæ, inſtar praxis, quam ſervanda eſſe diximus, quoties in dicto Sabbato occurrit feſtum ſemiduplex; quod enim in memorato caſu Veſperæ ſint de Pſalterio, unice evenit, quia dies ſeptima Veſperas non habet, quibus non carent dies alteræ infra octavam. Diximus *dummodo de ipſa in præcedenti Sabbato recitatum foret officium*, quoniam ſi ipſa non habuiſſet officium, ſed dies ſeptima tamquam dignior, jam nec Veſperas poſſet habere, nec cum hac in tali caſu concurſus foret, ſed cum pręfata die ſeptima.

XXI. Inferes 2. quod ſi dies octava alicujus Sancti occurrat infra octavam alteram, quæ non admittit niſi duplex 1. vel 2. claſſis, ut infra octavam S. Auguſtini apud Auguſtinianos, quæ duplici 1. vel 2. claſſis tantum cedit, officium faciendum non foret de die illa octava, etſi duplici, ſed de die infra octavam ſemiduplici inſtar ejus, quod fit occurrente die octava in Dominicam privilegiatam. Quinimmo hoc in caſu pręcedens dies infra octavam non cederet Veſperas diei octavæ ſequenti, ſed integras eas ipſa haberet, quia concurſus in hoc caſu non eſt cum ſequenti die octava, ſed cum altera die infra octavam, cum ea ſcilicet, quæ diem octavam ad ſolam redigit commemorationem. Ita reapſe bene fit Paravii de die octava Inventionis S. Danielis, quæ apud eamdem Eccleſiam ex legitima conſuetudine occurrit die 10. Jan. Idem dicito in ſimilibus.

XXII. Inferes 3. Commemorationem prius deberi diei infra octavam hoc modo privilegiatam, quam diei octavæ, quando fit de feſto 1. vel 2. claſſis, propter ea, quæ ſuperius dedimus de Dominica privilegiata, quæ æque currunt de octava privilegiata,

DECRETUM II. CAP., IN ORDINE CXXXVIII.

Quando dies octava Dedicationis impeditur per Feſtum majoris ritus, & in ea occurrat Dominica, vel concurrat in primis, aut ſecundis Veſperis ſemiduplex, commemoratio diei octavæ facienda eſt ante commemorationem Dominicæ, & ſemiduplicis cujuſcumque occurrentis. S. R. C. 5. Maji 1736. *in Einſidlen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 310.

I. EXemplum nobis exhibetur diei octavæ impeditæ per feſtum duplex 1. vel 2. claſſis (hujuſce namque rationis ſolummodo eſſe poteſt feſtum majoris ritus, quod diem octavam valet impedire) in quo occurrit Dominica, aut concurrit ſemiduplex aliquod in primis vel ſecundis Veſperis, & edocemur primo commemorationem diei octavæ pręponendam eſſe illi de Dominica. Quæ pręcedens ſtatuit Decretum, & nos ipſi ex Auctoribus produximus in ejuſdem expoſitione, inquiſitioni cauſam dedere, ſed non ſimilem aſſecuta ſunt declarationem, ubi namque ibi pręferentia decernitur Dominicæ, hic tribuitur diei octavæ. Bene tamen in utroque caſu, quoniam ibi ſermo erat de Dominica privilegiata, cujus officium ratione privilegii præferentia donatur relate ad diem octavam, modo autem ſermo procedit de Dominica per annum, cujus officium juxta Rubricas *de Dominicis num.* 1., *de Tranſl. feſt. num.* 2. & 4. *de commem. num.* 2., aliaſque cedit officio diei octavæ, quare & in caſu ſolius commemorationis de ambabus, prior utique diei octavæ, quam Dominicæ adſcribenda venit, unde ad rem Rubrica de comm. num. 11. *Quando contingit fieri plures commemorationes ſervetur hic ordo: De duplici fiat ante Dominicam*; dies autem octava duplex eſt.

II. Edocemur 2. de pręferentia pręſtanda commemorationi diei octavæ ſuper illam de ſemiduplici pręcedenti, vel ſequenti; id enim expoſcit ritus ipſe, conſtanterque monent Rubricæ omnes, nec par eſt ratio de caſu, in quo in pręcedenti Decreto commemorationem ſemiduplicis prętulimus, procedebat ſiquidem ille ratione dimidii Veſperarum, quod ſemiduplex habet, ubi in pręſentia ſumus in caſu ſolius commemorationis de utroque, in quo & ibi dicebamus duplici priorem commemorationem deberi.

III. Digna, quæ ponderentur, ſunt ea verba Decreti, *vel concurrat in primis, aut ſecundis Veſperis ſemiduplex*, quæ in Rubricas peccare videntur, dum ſubdunt, commemorationem diei octavæ prius eſſe faciendam, quam ſemiduplicis, quaſi in primis Veſperis duplicis 1. vel 2. claſſis, per quod impeditur dies octava, locum habere queat ſemiduplicis commemoratio. Verum ſtatim ea vindicas, ſi dicas, conſulto poſitum non extitiſſe *ſe ſemiduplicis*, ſed *ſemiduplicis cujuſcumque*, cujus appellatione indubitanter veniunt etiam dies infra octavas privilegiatas, quæ numquam deperdunt commemorationem, cujuſmodi ſunt dies infra octavas Nativitatis, & Corporis Chriſti. Alia itidem non deeſt reſponſio, & eſt, quod ſcopus Decreti firmare fuit, quod diei octavæ impeditæ commemoratio prius facienda eſt, quam cujuſcumque ſemiduplicis, ſive iſtud pręcedat, ſive ſubſequatur, quatenus tamen, & quoties hæc facienda ſit. Quod ſi hæc minime arrideant, en caſum, in quo hæc omnia locum habent. Fac dies octava aliqua ab altera die octava digniori occupetur, incidat in diem Dominicam, & præcedat feſtum ſemiduplex; cum enim octava illi dignior ritum duplicem minorem non excedat, proculdubio a ſuis primis Veſperis pręcedentis ſemiduplicis commemorationem non expellit.

IV. Verbum *occurrentis* dictum de ſemiduplici, quod concurrit, non videtur accomodum: At alibi jam obſervavimus occurrentiæ vocabulum pro concurrentia perſępe uſurpari, & in pręſenti caſu ſic uſitari, nec dubium eſt, quippe Decretum præcedentia per verba loqui ſe exprimit de ſemiduplici, quod *in primis, aut ſecundis Veſperis concurrit*. Ceterum verbum illud *occurrentis* in rigoroſo ſervatur ſenſu, prout cadit ſuper ſemiduplici occurrente in pręcedenti, vel ſequenti die, in quarum alterutra opus eſt incidat feſtum, quod in Veſperis concurrit.

V. Hactenus de die octava impedita per feſtum altioris ritus, cum qua concurrit ſemiduplex, nunc de ea, cum qua concurrit duplex, ſumimus agere, dicimuſque priorem locum deberi commemorationi illius, de quo octava minime impedita, integræ forent Veſperæ, vel Capitulum ob rationes ſuperius productas. Id ſentit quoque Meratus, quippe in Tabula 35. in concurſu Commemorationis S. Pauli cum octava Corporis Chriſti, per quam impeditur dies octava S. Joannis Baptiſtæ, integræ dantur Veſperæ diei octavæ Corporis Chriſti, & prius præſcribitur commemoratio diei octavæ Sancti Joannis, de qua ablato impedimento dictum fuiſſet Capitulum, quam Commemorationis S. Pauli.

DECRETUM III. CAPITIS, IN ORDINE CXXXIX.

Quæſitum fuit; Dies octava Sancti proprii cadit in Feſtum Conceptionis Beatiſſimæ V. M., & Dominica ſecunda Adventus die 7. Dec., utrum in primis Veſperis B. M. primo loco fieri debeat commemoratio de Dominica Adventus, & poſtea de die octava Sancti proprii? & reſponſum fuit, concurrente Dominica ſecunda Adventus die 7. Dec. cum Feſto Conceptionis B. M. V., & die octava Sancti proprii, debet fieri prius commemoratio de octava Sancti proprii, deinde de Dominica juxta diſpoſitionem Tabellæ ſecundæ de concurrentia Dominicæ majoris, ſive primæ, ſive ſecundæ claſſis cum die octava, ut ibi regula tertia, quemadmodum pręciſe docet Rubrica Breviarii Romani *de commem. num.* 11. S. R. C. 10. Jan. 1693. *in una Galliar.* Ex Merato in Indice Decretor. Brev. num. 180.

I. IN occurſu diei octavæ, & Dominicæ privilegiatæ jam vidimus officium Dominicæ, aut ejuſdem commemorationem juxta caſuum contingentiam prævalere; nunc in concurſu primæ dantur diei octavæ, & diſpoſitionis redditur ratio: *Juxta diſpoſitionem Tabellæ ſecundæ de concurrentia Dominicæ majoris ſive primæ, vel ſecundæ claſſis cum die octava, ut ibi regula tertia*; ibi autem habet Tabella: *Totum de ſequenti*, ſcilicet de die octava, *commemoratio de præcedenti*, nempe de Dominica. Si advertas, quod hic Congregatio ex eo, quod Veſperæ dentur diei octavæ, infert, quod hujus commemoratio prius fieri debet, etiam quando ob impedimentum Veſperas habere non poteſt, ſed ſolam commemorationem, ſtatim edices approbatam iri regulam illam, quam nos in ſuperioribus tradidimus, ſcilicet præferendi commemorationem illius, quod ſecluſo impedimento Veſperas aſſequeretur, aut Capitulum.

II. *Quemadmodum*, ſubdit Decretum, *præciſe docet Rubrica Breviarii Romani de commem. num.* 11., per hęc nimirum verba: *De Duplici fiat ante Dominicam*; dies autem octava duplex eſt, & officium Dominicæ majoris nonniſi ſemiduplex, eo nihilo ad effectum ſuffragante privilegio primæ, vel 2. claſſis, quo reperitur ſuffulta, utpote quod in favorem corporis officii, matutini ſcilicet cum horis, unice ſiſtit, nec in veſperas derivat, ſed has cuicumque pręcedenti, vel ſequenti duplici permittit.

III. Nonnihil utique difficultatis ingerere videtur cauſa, quæ pręſens dubium excitaſſe creditur, videlicet quia dies octava, quoties impedita eſt per occurrentem Dominicam privilegiatam, in Veſperis pręcedentis, vel ſequentis duplicis commemorationi Dominicæ primas cedit. Verum in ſuperioribus id jam abunde diſcuſſum extitit, diximuſque, hoc ideo, quia in caſu juxta Rubricas cedit officium, unde & digniorem locum cedere debet ejuſdem commemorationi, quæ ſtat loco officii; in pręſenti caſu autem juxta Rubricas dies octava, non Dominica integras haberet Veſperas impedimento ſecluſo, & ideo & prius commemorationem debet habere.

IV. Quæ ad inſtitutionem, originem, progreſſum, atque diſcordias hinc excitatas ob Conceptionis feſtum, cujus pręſens meminit Sanctio, in Eccleſiam invectum, hic producenda forent; ſed cum hęc per aureum Benedicti XIV., quem feliciſſime Eccleſiæ ſoſpitem Deus ſervet, *tom.* 1. *annot.*, fuerint fuſe occupata calamum, huic labori ſuperſedemus, quippe nonniſi eadem diceremus ex ſuperfluo. Cum itaque hoc feſtum pluribus in locis celebraretur, anno 1466. Sixtus IV. illud ſub ritu duplici minori Eccleſiæ tradidit univerſali, conceſſitque recitantibus ejuſdem Officium, & Miſſam celebrantibus, uti & hiſce divinis officiis intereſſentibus eaſdem indulgentias, quas ex indulto Urbani IV., Martini V., aliorumque Summorum Pontificum Prędeceſſorum ſuorum conſequuntur illi, qui Miſſas, & horas canonicas in feſto Corporis Chriſti, & per illius octavam celebrant, dicunt, aut iiſdem interſunt, ut videre eſt in Extravag. commun. tit. de Reliq., & venerat. Sanctor. Verum cum hujuſmodi indulgentiæ fuerint ut ſupra conceſſæ Miſſam, & Officium dicentibus, aut audientibus *juxta piam, devotam, & laudabilem ordinationem Leonardi de Nogarolis Clerici Veronenſis*, prędictæ nunc ceſſant indulgentiæ; ex ordinatione quippe Pii V. pręfatum officium non amplius recitatur, ſed aliud, quemadmodum rite advertunt laudatus Bened. XIV. *num.* 27., & ab eo citati Gavantus *ſect.* 7. *cap.* 2. *num.* 8., Baillet *hiſt. hujus feſtiv.*, & Natalis Alexander *hiſt. Eccl. ſæc.* 2. *diſſert.* 16.

V. Ex quo tamen Sixtus IV. pręfatas indulgentias etiam per octavam conceſſerit, nolumus inferas tunc temporis octavam Conceptionis Eccleſiæ univerſali conceſſam extitiſſe, ad quam ſolum extenſam novimus per Innoc. XII. ſua Conſtit. *In excelſa* die 15. Maji 1693., ſed magis Sixtinam Conſtitutionem quoad indulgentias octavæ favorabilem duntaxat extitiſſe iis Eccleſiis, ubi pręfata octava vel ex legitima conſuetudine, aut ex particulari Indulto, vel juxta Rubricas celebrabatur. A Clemente autem VIII. idem Conceptionis feſtum ad ritum duplicem majorem reperitur evectum, ad duplicem 2. claſſis ab Innoc. XII., per hoc quod cum octava fuerit recitari indultum, quæ juxta Romanum ritum talem ad minus involvit ritum; & demum a Clemente XI. ſua Conſtit. *Commiſſi* 6. Decemb. 1708. feſtum de pręcepto redditum fuit.

DECRETUM IV. CAPITIS, IN ORDINE CXL.

Dies octava cujuſlibet feſti quia non transfertur, excludit & & transferri facit quodlibet feſtum duplex ſive majus, ſive minus, ſoliſque cedit feſtis ſolemnibus primæ, vel ſecundæ claſſis, niſi ſit octava privilegiata; qualis eſt octava Epiphaniæ, de qua in Rubricis generalibus; hinc apud Franciſcanos, ubi feſtum S. Eliſabeth Reginæ Hungariæ celebratur cum octava, feſtum B. Delphinæ occurrens in die octava, licet ſit duplex minus, transferri debet in primam diem non impeditam. S. R. C. 1. Martii 1681. ex Merato in Indice Decretor. Brev. num. 121.

I. NOmenjini reſolutio pręſens, quatenus in occurſu diem octavam duplici majori pręferri facit, abſona viſa eſt, & adeo, ut non ſemel adhuc oppoſitum in uſum deduxerit, quin & iteratis interrogationibus conſulere auſerit Sacram Congregationem, quam tamen in deciſis perpetuo perſtitiſſe, Decreta infra exponenda monſtrabunt.

II. Hi autem oriuntur 1., quia dies octava ſolum duplex minus eſt, ergo uti cedit duplici 1., & 2. claſſis, quia hęc altioris ſunt ritus, ita eadem de cauſa cedet duplici majori. 2. Dies infra octavam, etſi ſemiduplex, cedit ſemiduplici occurrenti; quidni igitur & dies octava duplici minori, vel ſaltem majori? 3. Dies octava in concurſu Veſperas cedit duplici majori, ergo & in occurſu cedet officium. 4. Feſtum SS. Nominis B. M. occurrens in die octava Nativitatis ejuſdem, minime transfertur ex Decreto S. R. C. 18. Nov. 1685., ſicuti & Clerus Regienſis ſolam commemorationem agit de die octava S. Proſperi in feſto Viſitationis B. M. ex altero Congregationis Decreto, Gavanto teſte *ſect.* 3. *cap.* 12. *num.* 20., ergo duplex majus a die octava minime depellitur.

III. At pro Decreto ſtat Rubrica X. *de Transl. num.* 2. quæ ita diſponit: *Si in die octava alicujus feſti habentis octavam, occurrat aliquod feſtum duplex ex majoribus ſupra in Rubrica de commemorationibus enumeratis, fiet de feſto cum commemoratione diei octavæ; ſi autem non fuerit ex prædictis feſtis, fiat de octava, & feſtum transferatur*; feſta autem duplicia ex majoribus, quæ Rubrica *de comm.* allegat, ſunt duplicia 1. & 2. claſſis, ut videre eſt *ibidem num.* 5. *&* 6.

IV. Secundo ſe offert Tabella occurrentiæ, quæ in occurſu diei octavæ cum duplici per annum, ſub n. 2. ſignat: *Officium de primo*, nempe de octava, *translatio de ſecundo*, ſcilicet de feſto duplici. Scite autem nos admonet Gavantus *ſect.* 3. *cap.* 18. *n.* 12., cui omnes ſubſcribunt Auctores, duplex per annum in prędicta Tabella utrumque comprehendere duplex, majus nempe, & minus. Et quidem cum in dicta Tabella diſtinctim non ponatur duplex majus, & minus, uti fit in Tabella concurrentiæ, ſed duntaxat duplex per annum, opus eſt, per hoc veniat duplex majus, & minus, alias per eam non eſſet pro omnibus occurrentiæ caſibus adequate proviſum.

V. Tertio accedit auctoritas Octavarii Romani, quod die 8. Maji transfert Apparitionem S. Michaelis Archangeli, die 1. Auguſti feſtum S. Petri ad Vincula, & die 5. ejuſdem feſtum S. Mariæ ad Nives, licet hęc omnia ſint duplicia majora, cauſa faciendi reſpective de diebus octavis SS. Philippi, & Jacobi, S. Jacobi Apoſtoli, & S. Marthæ Virginis. Quibus ſi addas unanimem in Sacris Ritibus peritorum conſenſum, ſcilicet Gavanti *ſect.* 3. *cap.* 8. *num.* 12., Merati *ibid. num.* 17., *& cap.* 10. *num.* 3., Guyeti *lib.* 4. *cap.* 7. *quæſt.* 7. ac aliorum, fallor, niſi fatearis, per pręſens Decretum translationem duplicis etiam majoris rite pręſcribi.

VI. Quæ monumenta, cum indiſtincte diſponant, quinimmo etiam exempla producant in feſtis duplicibus majoribus elevatioris dignitatis, utique vindicant ea verba Decreti, *Dies octava cujuslibet feſti*, per quæ indicatur nobis, diem octavam, cujuſcumque ſit feſti, prędatæ pręferentiæ privilegio donari ſuper quodcumque feſtum duplex majus, licet Domini, aut Deiparæ. Hoc autem eatenus, addit Decretum, *quia non transfertur*, quare alias cum ſola commemoratione deberet expleri, ubi feſtum beneficio translationis integre alia die reſumitur.

VII. Hinc ad primum ex argumentis oppoſitis facilis eſt reſponſio, quippe in favorem diei octavæ ratione intransferibilitatis, aliiſque de cauſis expreſſe facta eſt exceptio relate ad duplex majus, non autem ad duplex 1. vel 2. claſſis, quo ritu cum gaudeant ſolummodo principaliora feſta, haud excogitatum fuit, hęc in ſua ſolemnitate eſſe turbanda. Ad 2. dicimus nullam adeſſe paritatem, quia in oppoſitum ſtat Rubricarum aperta diſpoſitio; dies autem octava ſpeciali privilegio in excluſionem duplicis minoris, & majoris decorata fuit, ut duobus ſaltem diebus fieret officium de Sancto, qui habet octavam; qua de cauſa dies octava altiori etiam ritu inſignita fuit, inſtarque feſti ſolemnites fieri pręſcripta; alias enim octava tota ab occurrentibus feſtis facile deglutiri potuiſſet. Ad 3. diem octavam inſtar ſe habere Dominicæ privilegiatæ, quæ in occurſu expellit duplex, & in concurſu huic Veſperas cedit, de quo in ſuperioribus egimus. Ad 4. reſponſionem ſubminiſtrabunt danda inferius in eorumdem Decretorum explanatione.

D E.

DECRETUM V. CAPITIS, IN ORDINE CXLI.

Queſitum fuit, quando dies octava Sancti proprii eadit in Feſtum Preſentationis B. Mariæ, utrum transferendum ſit officium B. Mariæ, vel ſolum fieri debeat commemoratio diei octavæ Sancti proprii ut in ſimili caſo refert Gavantus fieri Regii de Sancto Proſpero, cujus dies octava eſt Feſtum Viſitationis B. Mariæ? Et reſponſum fuit, transferendum eſſe Feſtum Preſentationis juxta Rubricam *X. de Transl. feſt. num.* 2., & in Tabella de occurrentia, prout monet Gavantus *ſect.* 3. *cap.* 12. *num.* 20., ibi enim alites decrevit, & ſpecialiter indulſit Sacra Congregatio in gratiam feſti Viſitationis B. M. V., quod ibidem colitur de præcepto; unde cum privilegium ſit locale, non poteſt extendi de loco ad locum, ex Decreto Sacræ Congregationis in principio Miſſalis Romani impreſſo. S. R. C. 10. Januarii 1693. *in una Galliar.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 181.

I. PRæſentationis ſolemnitatem olim fuiſſe appellatam, qua Deipara infantem Jeſum in Templo obtulit, & nunc Purificatio dicitur, ex antiquis Ritualibus, & aliis vetuſtis Eccleſiarum monumentis eruit Baronius *in notis ad Martyr. Rom. ad diem* 21. *Novemb.* Hæc tamen non eſt, cujus preſens meminit Sanctio, ne preſentatio, quæ ejuſdem Deiparæ, tamquam primogenitæ, a S. Anna in Templo facta fuerit; lex quippe, & conſuetudo primogenitos offerendi ad maſculos reſtricta erat, nec ad fœminas protendebatur, & magis tunc *Purificatio S. Annæ*, quam *Præſentatio B. Mariæ* dici deberet, inſtar preſentationis Infantis Jeſu, quæ *Purificatio B. Mariæ* appellatur; & hæc denominatio, ut obſervat Suarez *tom.* 1. *de Reg. cap.* 5. *num.* 10. fundamentum tenet in myſterio, quia ſimul cum oblatione primogeniti ſacrificium pro matre offerebatur. Quoniam vero idem Suarez 3. *par. tom.* 2. *diſp.* 7. *quæſt.* 29. aſſerit, quod licet lex ad offerendas filias non obligaret, poterant tamen parentes voluntarie eas offerre, ac Divino muneri conſecrare, huic voluntariæ oblationi Deiparæ per Parentes factæ innixa cogitari poſſet Preſentatio, de qua agimus, quæque ab Eccleſia die 21. Novembris habetur ſolemnis, quam ceteroquin Baillet inſtitutam cenſet in honorem innocentiæ morum, quam Maria ab infantia ad Annunciationem intemerate traduxit. A communi tamen ſententia tu ne diſcedito, quæ coli putat ſacram illam oblationem, qua & ipſa virgo ſeipſam, & Parentes ejus illam Domino in Templo obtulerunt, ac ut ſancte educaretur, quidquid ſit de ætatis tempore, quo ipſa preſentata fuit, aut in Templo remanſit, aliiſque circumſtantiis, de quibus ex ſacris Litteris, & Traditione, & ex antiquis probatæ fidei monumentis nihil compertum, & exploratum habetur.

II. In album Comneni cum referatur iſta feſtivitas, ac de eadem extent ſermones Gregorii Nyſſeni, Germani Conſtantinopolitani, & Georgii Nicomedienſis, apud Græcos antiquitatis laude utique gaudet; ad occidentalem tamen non tranſiit Eccleſiam niſi ſub Pontificatu Gregorii XI., qui inſtante Petro Cypri Rege, Avenione cum eſſet, feſtum predictum precepit, ſeu, ut alii legunt, toleravit, aut permiſit, & coram ſe celebrari fecit, quod quidem eveniſſe aſſerunt anno 1372., alii probabilius anno 1374. Molanus in addit. ad Martyr. Uſuardi Pium II., & Paulum II. auctores facere videtur; tu vero id intellige, quantum ad indulgentias; aſſerit quippe, *Cum indulgentiis inſtituerunt*, quæ, quales, & quotæ fuerint, facile non eſt definire. Ad Gallos tranſiit anno 1375. Carolo V. Francorum Rege, procurante Abbate S. Nicolai in Normandia, & ab his ad Saxones, tum ad Siculos, ut narrat Auctor ligni vitæ *lib.* 5. ſub Pontificatu Pii V. ſublata fuit, deinde a Sixto V. anno 1585. reſtituta. Sub ritu duplici in Breviario 1550. reperitur indicta, a Clemente VIII. ad duplicem majorem evecta, mutato etiam officio, quod olim de Nativitate dicebatur.

III. Viſitatio eſt feſtum aliud in honorem Deiparæ, quando ſtatim poſt Filii conceptionem perrexit ad viſitandam Eliſabeth, ab Urbano VI. inſtitutum, & a Bonifacio IX. anno 1389. evulgatum, ut quemadmodum Maria viſitatione ſua Eliſabeth ſolari dignata eſt, ſic fidèles ab eadem conſolationem univerſalis Eccleſiæ implorarent, quæ luctuoſo laborabat, & diſcerpebatur ſchiſmate Romanorum, & Avenionenſium Pontificum. Eccleſiæ, quæ Urbis Pontificibus obtemperabant, viſitationem peregerunt, ſecus quæ Avenionenſibus. Anno 1441. eamdem Synodus Baſilienſis in Eccleſiam univerſam invexit, nec tamen pervigilii, vel octo dierum uſquam meminit, ſicuti refert Conſtitutio Bonifacii IX., Urbanum VI. in optatis habuiſſe, ut indiceretur. Quoniam vero Baſilienſis Synodus inter legitimas non computatur, dubitare quis poſſet de legitimitate hujus feſti, de qua tamen utique conſtat, cum Urbanum VI. & Bonifacium IX. habeat auctores, & quatenus horum conſtitutiones non fuerint uſu receptæ, eamdem approbavit Pius V. in reformatione Breviarii, cujus & officium, quod prius erat proprium, & in Breviario 1550. ſub ritu duplici indictum, mutavit, & deinde Clemens VIII., dum ejuſdem officium iterum reformavit, & ad ritum duplicem majorem evexit.

IV. Apud Ordinem Minorum ab anno uſque 1263. celebratum fuiſſe hoc feſtum ex Annalibus ejuſdem Ordinis eruit Gavantus *ſect.* 7. *cap.* 9. *num.* 2., & Macro teſte Urbano VI. eſt antiquius in Syriaco Rituali, & parum ante Dominicam Nativitatem celebratur. Quærit Azorius *inſt. par.* 2. *lib.* 5. *cap.* 23. *quæſt.* 2. cur ſecundo die Julii celebretur, cum ex Evangelio conſtet, ſtatim poſt Annunciationem viſitationem fuiſſe peractam? & reſpondet, quod cum Eccleſia certior ſit de tempore, quo finita eſt viſitatio, quam de tempore, quo cœpta, celebrat eamdem poſt Natalem S. Joannis Baptiſtæ, quia tunc, vel paulo ante viſitatio finem habuit, & B. Virgo, quæ Eliſabeth viſitata, quaſi tribus menſibus in domo Zachariæ manſit, domum ſuam redut.

V. Quod feſtum Regii in Ducatu Mutinenſi magna colitur veneratione, & eſt feſtum præceptivum, in eoque turmatim accurrunt Accolæ ad venerandam Dei Genitricem, quæ non ſemel iiſdem experiri dedit ſuum validum patrocinium. At quoniam eadem die inibi occurrit dies octava S. Proſperi Civitatis Protectoris, ad preces Populi cupientis divina officia de Deipara audire, Congregatio indulgendum cenſuit, officium de Viſitationis feſto fieri poſſe cum ſola octavæ commemoratione, licet de hac juxta Rubricas officium eſſe deberet.

VI. Hujus indulti ſub Decreti nomine meminit Gavantus *ſect.* 2. *cap.* 12. *num.* 20. hinc idipſum an præſtari poſſet in occurſu diei octavæ Sancti proprii in Præſentationem Deiparæ, Congregatio conſulta fuit, quæ Præſentationem transferendam eſſe cenſuit, ſubditque rationem, *Juxta Rubricam X. de Transl. feſt. num.* 2., *& in Tabella de occurrentia, prout monet Gavantus ſect.* 3. *cap.* 12. *num.* 20. Quæ monumenta cum a nobis in præcedenti Decreto ponderata fuerint, ab ulteriore examine nos liberant, & eorumdem patet eſſe mentem, quam nos iiſdem fecimus, cum Congregationis munus ſit Rubricas auctoritative interpretari.

VII. Nec dictæ translationis cauſas contenta fuit adducere, ſed inſuper quoad exemplum Regii obſervatum adjecit, quod *ibi aliter decrevit, & ſpecialiter indulſit Sacra Congregatio in gratiam feſti Viſitationis B. M. V., quod ibidem colitur de præcepto*. At quoniam hinc deduci poterat, quid ſimile poſſe attentari, ubi Præſentationis feſtum, aliudve in præcepto foret, ſtatim ſubdidit: *Unde cum privilegium ſit locale, non poteſt extendi de loco ad locum*; & quidem neque ex majoritate rationis, ut notat Fagnanus 2. *part. Decretal. in cap. olim de verb. ſignif. num.* 19. hinc belle Guyetus *lib.* 4. *cap.* 6. *quæſt.* 7. de dicta agens ſpeciali conceſſione, habet: *Stent & ii, qui ſimiles habent declarationes, ceteris in hoc caſu ſervanda eſt Rubrica X. de Transl. feſt. num.* 2. Decretum autem illud, quod per ea verba citatur, *ex Decreto Sacræ Congregationis in principio Miſſalis Romani impreſſo*, credimus eſſe illud, per quod inhibitum venit, Miſſas proprias Religioni alicui, vel loco ſpecialiter indultas, ab aliis reſpective, vel extra locum uſurpari.

VIII. Exemplum itaque Cleri Regenſis in oppoſitum utique non facit, ſed proficit, quam quod maxime; privilegium enim ſpeciale eſt, & locale, quare contra leges, canones, & jura, quibus conſequenter obſtringuntur quicumque, qui in privilegio non ſunt comprehenſi. Decretum autem hoc maximam confirmationem porrigit præcedenti, cui & majus adhuc robur adjicitur per ſtatim danda, & exponenda.

DECRETUM VI. CAPITIS, IN ORDINE CXLII.

Occurrente die octava Dedicationis cum feſto Viſitationis B. M. V., faciendum eſt officium de octava, tranſlato Officio Viſitationis. S. R. C. 21. Auguſti 1688. *in Aquilejen.* Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 244.

I. NON firmat præſens Sanctio, niſi quod duæ precedentes, quare cum in harum expoſitione generatim, & ſpeciatim data ſint, quæ ad ejuſdem explanationem ubertim valent deſervire, æquum haud eſt ulteriora ex ſuperfluo addamus; eadem quippe eſt ratio de die octava Dedicationis, quam ex dictis in capite primo inter feſta Domini contra Gavantum patet non eſſe connumerandam, ac de ceteris quibuſcumque.

II. Duplicem lubet agitare queſtionem, quarum prima eſt, num ſi feſtum duplex majus ſit itidem ex intransferibilibus, cujuſmodi inter cetera ſunt quædam feſta diebus Dominicis affixa, & particularibus locis indulta, officium fieri debeat de dicto duplici cum commemoratione octavæ an magis de die octava cum omiſſione duplicis?

III. ℟. Quod Decretorum verba, ac Rubricarum, cum nullam faciant diſtinctionem, ſolumque duplex 1. & 2. claſſis diei octavæ preferant, in favorem octavæ ſtare videntur; non ſic tamen rationes, quibus ipſa innituntur; ratione enim intransferibilitatis preferentiæ privilegio dies octava donatur, *Quia non transfertur*, unde alias neceſſe foret eamdem cum ſola commemoratione expleri, ubi feſtum beneficio translationis adhuc integre alio die reſumitur, ſupponunt quippe Decreta, atque Rubricæ feſtum ſimul occurrens eſſe ex transferibilibus, unde *illud ad aliam diem eſſe transferendum*, ubique proclamant. Si itaque feſtum ſit quoque intransferibile, videtur corruere diſpoſitio in favorem octavæ, & pronunciandum pro feſto, quod alias majus incommodum, totale ſui pateretur diſpendium, utpote quod penitus omitteretur, ubi dies octava ſaltem habet commemorationem, quinimmo de Sancto, cujus eſt octava, adhuc in die feſto, & per reliquos octavæ dies multum eſt actum. Altior itidem in hujuſmodi caſu inſpici valet ritus, & feſti nobilitas, quæ ceteroquin in ca-

Digitized by Google

in caſu transferibilitatis feſti negliguntur. Hæc eſt opinio Gavanti *ſect. 7. cap. 12. num. 5.*

IV. Altera quæſtio eſt, num idipſum dici debeat de die octava ſimul occurrente cum feſto duplici minori intransferibili? Affirmative concludit paritatis, & identitatis ratio, major nempe nobilitas feſti, totale alias hujus diſpendium &c., ſola excepta ritus majoritate, ubi in præſenti caſu haberetur æqualitas. Negative vero, ſi attendatur, ut ſonat, Rubricarum diſpoſitio, quæ octavæ, & non feſtis tale tribuunt privilegium. Hoc tamen ex dictis facile ruit, quia Rubricæ procedunt in ſuppoſitione feſti transferibilis.

V. His bene perpenſis tu judex eſto, nec noſtrum expecta ſuffragium, nos enim etſi feſtis intransferibilibus multum deferendum eſſe putemus, ita ut in paritate ritus, & dignitatis ceteris cunctis in occurſu præferri debeant, an autem idipſum dici poſſit, & debeat relata ad diem octavam, quam Rubricæ, & Decreta diſtinguunt, tuto affirmare non poſſumus, Fagnano quippe Doctore 2. *part. lib. 5. Decretal. num. 19.* privilegium alicui conceſſum neque ex identitate, neque ex majoritate rationis extendi poteſt de caſu ad caſum. Benigniores magis nos præſtaremus feſto, quod ritu duplici majori foret ſuffultum, aut gauderet aliqua ex dignitatibus a Rubrica *Inter feſta* recenſitis; hæ enim ad altiorem ritum feſta veluti extollunt, eidemque æquipollent, ut alibi dicebamus.

DECRETUM VII. CAPITIS, IN ORDINE CXLIII.

Si in Dominica infra octavam Nativitatis B. M. V., in qua celebratur Feſtum SS. Nominis ejuſdem B. M. V. ſub ritu duplici majori, occurrat alicubi dies octava, translato feſto SS. Nominis, agendum eſt de die octava in ipſa Dominica. S. R. C. 19. Junii 1700. *in Curien.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 216.

I. DEiparæ feſtum eſt feſtum SS. Nominis, & ſub ritu duplici majori reperitur indictum, & tamen transferendum præſcribitur, ut dies octava, ſi alicubi occurrat, ſortiatur officium. Idipſum Decretum extitit 22. Januarii 1707. de eodem feſto apud Franciſcanos incidente in die octava S. Roſæ Viterbienſis. Jam vides itaque ubertim confirmata iri ſuperiora Decreta.

DECRETUM VIII. CAPITIS, IN ORDINE CXLIV.

Si Feſtum SS. Nominis B. M. V., quod ſub ritu duplici majori celebrari debet Dominica infra octavam Nativitatis ejuſdem, occurrit in die octava dictæ Nativitatis, officium erit de dicto SS. Nomine, omiſſa in utriſque Veſperis, & Laudibus commemoratione de prædicta octava Nativitatis. S. R. C. 15. Novembris 1685. annuente Innoc. XI. 24. ejuſdem, *in una officii Nominis B. M. V.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 155.

I. PRecedenter expoſitis adverſari præſens videbitur Sanctio, dum in occurſu cum die octava, SS. Nomini adſcribit officium. Verum benigniorem Decretum expoſcit interpretationem, quam ſtatim aſſequitur, ſi tot præſenti antiquiora, & moderniora conſiderentur Decreta, quæ nedum generatim feſto duplici majori, & majoris etiam dignitatis quamlibet diem octavam præferunt, ſed etiam ſpeciatim, & ſignanter feſto ipſi SS. Nominis B. Mariæ. Quomodo enim rite judicare valet, quod Congregatio deſtruere velit, quod per tot ædificavit Decreta, Rubriciſque aſſeruit eſſe conforme? Dicerem ego magis particularem hic inſpectam fuiſſe rationem, vi cujus in favorem SS. Nominis pro adducto caſu ſpecialis exceptio facta fuit generali regulæ. Quænam ſit iſta ratio, ſi expoſcas? Libens obſequor, dicoque, hoc ideo, quia etiam dies octava, in quam incidit feſtum SS. Nominis, eſt de eadem Deipara, ſcilicet de Nativitate ejuſdem; de duobus enim officiis ad eamdem Deiparam attinentibus, ſatius adjudicavit Congregatio illud ex iiſdem eſſe celebrandum, quod altioris eſt ritus, & ſolemnius, ut ſic currenti ſolemnitati atiam divinum reſpondeat officium. Accedit, quod vix aliquod diei octavæ obvenit incommodum; cum enim feſtum SS. Nominis ſit pro Dominica infra eamdem octavam indictum, unam diem ejuſdem octavæ, vel ſaltem hujus commemorationem nactum eſt perimere; de uno quippe, & eodem officium, & commemorationem ſimul fieri, Romanus uſus abhorret; & hæc eſt cauſa, ob quam Decretum ſtatuit, nullam in caſu de die octava Nativitatis commemorationem eſſe faciendam.

II. Hinc generalis exurgit regula non transferendi feſtum duplex majus occurrens in die octava, quoties utrumque officium ad eumdem attinet Sanctum, vel ſaltem non transferendi feſtum SS. Nominis, ſi incidat in diem aliquam octavam ejuſdem Deiparæ, ut apud Auguſtinienſes in diem octavam B. Mariæ de Conſolatione, ubi hæc eſt Titularis; utrobique enim eſt idem occurſus, inter duo ſcilicet officia ejuſdem Deiparæ, quare diſpoſitum pro uno caſu, & pro alio ſimili cenſetur diſpoſitum, ubi ſiquidem eadem eſt ratio, ibi idem jus eſſe debet, *ff. ad legem Aquiliam L. illud*. Quoniam vero exceptio nonniſi in favorem SS. Nominis uſquemodo legitur facta, & aliunde Rubricæ nullam diſtinctionem agunt, ſed abſolute diſponunt de translatione feſti, generali regulæ illi in tota univerſalitate conceptæ nonniſi formidoloſe noſtrum præſtamus aſſenſum, abſolutum autem, & tutum, ſi feſtum ſit ex iis, quæ diem aliquam octavæ, vel hujus commemorationem inſtituta ſunt perimere; tunc enim undequaque currit paritas, habetque locum integre diſpoſitio Decreti, quod alias cenſeri poſſet, quid ſpeciale dicta de cauſa de feſto SS. Nominis ſtatuiſſe.

III. Quod præſens firmat Sanctio, itidem per alteram de die 23. Junii 1736. in capite de commemorationibus exponendam firmatum extitit; neutra tamen præcedentibus præjudicat, ſed ad ſummum limitionem adhibet, ut non ſit transferendum feſtum duplex majus, ſi ſit de Sancto, de quo eſt octava.

DECRETUM IX. CAPITIS, IN ORDINE CXLV.

Quando duæ octavæ ſimul occurrunt, quarum una ſit Patroni principalis ſub ritu duplici primæ claſſis, altera B. Mariæ Virginis ſub ritu duplici 2. claſſis, recitandum eſt officium de Patrono principali cum commemoratione B. Mariæ Virginis. S. R. C. 19. Junii 1700. *in Curien.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 215.

I. DUas univerſalis recolit Eccleſia octavas B. Mariæ, quarum feſta ſub ritu duplici 2. claſſis celebrantur, Nativitatis ſcilicet, & Conceptionis. His cum octavis, vel aliis ſimilibus, quas apud Religiones, vel Eccleſias ſolemne eſt agere, non ſemel occurrit octava Patroni loci, cujus feſtivitas ſub ritu duplici primæ claſſis reperitur indicta; hinc ortum eſt dubium, de quanam ex dictis octavis officium deberet inſtitui? Quod dubium licet propoſitum exiſtat de occurſu octavæ B. Mariæ, & Patroni principalis, ex ſe tamen univerſale eſt, perinde ac quæreretur, de quanam ex duabus octavis ſimul occurrentibus officium agi debeas, quando una eſt perſonæ dignioris, & inferioris ritus, altera altioris ritus, ſed perſonæ in dignitate inferioris. Quia vero Romanus fert uſus, ut ſolum feſta 1. vel 2. claſſis octavis gaudeant, inquiſitio in eo verſatur, utrum octavæ feſtorum duplicium 1. claſſis in occurſu præferri debeant octavis duplicium 2. claſſis, in dignitate digniorum, ſcilicet Domini, B. Mariæ, Angelorum, & Apoſtolorum, quorum dignitas juxta Rubricam *de concurr. num. 2.* vim habet feſta præferri faciendi? Quod enim habet Sanctio, *Quarum una* (nempe ex octavis) *ſit Patroni principalis ſub ritu duplici 1. claſſis, altera B. Mariæ Virginis ſub ritu duplici 2. claſſis*, non appellat ritum octavis, ſed earum feſtis competens, cum ſub his elevatioribus ritibus uſus omnino abhorreat octavas facere, & ex Rubrica VII. *de octavis nu. 5.* infra octavam fiat officium ſemiduplex, & duplex in die octava. Ceterum alioquin nec quæſtio ipſa locum habere poſſet, cum apud omnes certum ſit, quod officiis quibuſcumque altioris ritus præferentia debetur, ad nihilum ſuffragante majoritate dignitatis, quæ in altero poſſet adinveniri.

II. Valida proculdubio haud deerat dubitandi ratio, quoniam etſi feſta in ritu ſint inæqualia, & ideo juxta ritum præferenda, octavæ tamen ejuſdem exiſtunt ritus, nimirum ſemiduplicis dies infra octavam, & duplicis dies octava, quare cum harum præferentia a majoritata ritu deſumi non poſſit, in dignitate petenda videbatur juxta Rubricam VII. *de octavis num. 3.* & Tabellam occurrentiæ *num. 7.*, quæ in occurſu duarum octavarum, *digniori* ſemper concedunt officium.

III. Attamen in oppoſitum cenſuit Congregatio, & officium adſcripſit octavæ illi, cujus feſtum altiori pollet ritu, etſi in altera eminentior forſitan colluceat dignitas. *Digniori*, ajes, Rubricæ aſſignant officium. Ita quidem, ſed quæ earumdem cenſenda eſt dignior? Quærit Gavantus *ſect. 3. cap. 8. num. 6.*, undenam major octavæ dignitas attendi debeat, præſertim ſi duæ ſimul occurrant celebrandæ, & reſolvit: *Certe penes claſſem feſtorum, nam prima claſſis dignior eſt ſecunda: in eadem vero claſſe attende perſonas hoc ordine, Chriſtum, B. Virginem, Angelos, S. Joannem Baptiſtam, Apoſtolos.* Idem firmat Meratus *ibidem n. 10.*, Guyetus *lib. 4. cap. 6. q. 5.*, Pittonus *ſacr. ritib. n. 225. & 1173.*, *& de oct. to. 2. n. 1136.*, aliique.

IV. Ratio id quoque ſuadet, illa ſiquidem octava alteri præferri debet, cujus feſtum alterius feſto præfertur, ſed feſtum 1. claſſis præfertur cuicumque feſto duplici 2. claſſis, licet hoc ſit dignius illo; ergo & ejus octava præferri debet. Major eſt certa, nam acceſſorium, qualis eſt octava, ſequitur naturam ſui principalis; de minori autem, quæ per omnes adoptata eſt Rubricas, Romanas Deciſiones, atque Doctores, quis dubitat?

V. Duplex itaque diſtinguenda eſt dignitas, ritus una, ſeu claſſis, & perſonæ altera, & uti hæc a feſto in octavam transfunditur, vi cujus in paritate ritus hæc alteri præfertur, ita ritus feſti in ejuſdem octavam veluti derivat, facitque eam alteri præponendam eſſe, tametſi utraque infra octavam nonniſi ſemiduplici ritu gaudeat, & duplici in die octava, in acceſſorio quippe principale inſpicitur. Dignior, ea itaque eſt octava, quæ eſt feſti dignioris ſecundum claſſem, & dumtaxat in paritate ritus attenditur dignitas perſonæ; hinc ad rationem dubitandi ſuperius adductam patet uber ſolutio. Opponi autem poſſet, quod in concurſu dies octava dignior ſecundum perſonam, etſi non dignior ſecundum claſſem, integras habet Veſperas, ut inde erueretur etiam in occurſu eidem præferentiam deberi. At hocce ſolvere argumentum, in ſequenti reſervamus Decreto.

VI. Ex his generalis fit regula ſuper ordine ſervando in octavarum celebratione, ita ut in occurrentia plurium ex iiſdem illæ ſint anteponendæ, quarum feſta in occurrentia præferuntur, translato aliarum feſto. Quæ illatio difficultatem nullam pati-

Digitized by Google

patitur, & veritatem habet tam in octavis feſtorum in ritu æqualium, quam imparium. In paritate autem claſſis pro feſtorum, eorumdemque octavarum præferentia hanc dat regulam Gavantus loco citato: *In eadem autem claſſe attende perſonas hoc ordine, Chriſtum, B. Virginem, Angelos, S. Joannem Baptiſtam, Apoſtolos* (bene hucuſque *& alios juxta ordinem Litaniarum, & Rrubricam de concurrentia officii num.* 3. Verum quoad hos nos etiam alios preferentiæ titulos ex probatis fontibus haurimus, prius obſervandos, puta ſi ſint Sancti proprii, & particulares, cenſemuſque Sanctos aliquos ſecundum eorumdem dignitatem in Litaniis minime recenſeri. Tu ergo conſule, quæ nos alibi tradimus, ut rite Sanctos, eorumque octavas præferre ſcias.

VII. Diſputandum hic foret de præferentia octavarum feſtorum de præcepto quoad forum, Dedicationis, Titularis, ac Patroni loci; aſt de his jam ſatis in propriis reſpective capitibus. Ad octavam quod attinet omnium Sanctorum, tene, quæ dedimus in Decreto 22. Capitis primi, ubi limitationem quandam fecimus rationi illi, qua nos ipſi hic uſi fuimus ad præferentiam inferendam in octavis ex præferentia feſtorum earumdem, ita ut talis illatio quidem ſtet, quoties præferentia competit feſto ratione ritus, vel intrinſecæ dignitatis, quæ hoc ipſo & in octavam, ſive acceſſorium derivat, ſecus vero ſi conveniat extrinſeci vi privilegii, quod feſto poteſt eſſe factum, & non ejuſdem octavæ, & cum a mera concedentis voluntate pendeat hujuſmodi præferentiæ titulus, ex eo quod illo donatum ſit feſtum, haud bene arguitur donatam etiam fuiſſe ejuſdem octavam.

DECRETUM X. CAPITIS, IN ORDINE CXLVI.

Secundæ Veſperæ de die octava non privilegiata concurrentes cum primis Veſperis feſti duplicis, debent dimidiari, & fieri a Capitulo de feſto ſequenti. S. R. C. 12. Julii 1664. *in una Ord. Minor. Obſerv.* ex Meraro in Indice Decr. Brev. num. 88.

I. Octavæ non privilegiatæ ſunt, quæ a Rubricis generalibus uoice reguntur, & in nihilo a communibus earum diſcedunt præſcriptis, cujuſmodi in Breviario Romano ſunt octavæ quæcumque B. Mariæ, S. Joannis Baptiſtæ, SS. Petri & Pauli, Laurentii, & omnium Sanctorum, quæ admittunt feſta quæcumque occurrentia, & ex translatis duplicia, immo & ſemiduplicia, & ab antecedenti die ſint amota. Privilegiatæ vero ſunt, eæ quæ ex privilegio ipſis particulariter facto, vel ex exceptione pro ipſis in Rubricis habita, excludunt feſta aliqua occurrentia, vel translata, & prout magis, minuſve præfata feſta reſpuunt, magis, minuſve privilegiatæ cenſentur; unde octava verb. gr. Corporis Chriſti, quæ ſemiduplex occurrens, & duplex translatum abigit, minus privilegiata eſt relate ad octavam Epiphaniæ duplex 1. claſſis dumtaxat occurrens admittentem, & hæc adhuc minus reſpective ad octavas Paſchatis, & Pentecoſtes, quæ quodcumque recuſant feſtum.

II. Voluerunt aliqui teſte Gavanto *ſect.* 3. *cap.* 8. *num.* 23. diem octavam Principalis Patroni loci poſſe dici duplicem majorem eo fine, ut habeat integras Veſperas in concurſu cum duplici minori. Idipſum putavere alii de die octava Titularis, & Dedicationis Eccleſiæ, quinimmo aliqui Regulares id extenderunt ad dies octavas Sanctorum indigenarum, quorum feſta apud Religiones celebriora eſſe ſolent. Sunt autem octavæ hæ omnes non privilegiatæ, ut ſupponitur, utpote quæ feſta ut ſupra occurrentia, vel translata patiuntur, & licet in oppoſitum cenſuerint aliqui uſu de octavis Titularis, Dedicationis, & Patroni, nos tamen alibi a vero eoſdem abeſſe obſervavimus.

III. Non deſunt tamen rationes aliquæ, quibus horum ſententia inniti poſſe videtur. 1. Quia eorum feſta cum ſint ex iis, quæ in propriis locis, & Eccleſiis ſolemniter celebrantur, juxta Rubricam *Inter feſta* ceteris ejuſdem ritus præferuntur, quidni igitur & eorumdem dies octavæ, quæ non ſunt niſi acceſſorium quoddam, quæ naturam ſui principalis ſapiunt, & ſequuntur?

IV. 2. Dies octavæ B. Mariæ in concurſu cum duplici minori integras habet Veſperas, non ratione ritus, qui æqualis eſt, ſed ratione dignitatis perſonæ, ut dicetur in ſequenti Decreto; ergo & dies octavæ dictorum feſtorum integas ſortientur Veſperas, non ratione ritus, ſed ratione ſolemnitatis, qua earumdem feſta ſuper reliquis coluntur; ſi enim præferentia, quæ ex dignitate petitur, ex feſto in octavam derivat, quare non item petita ex ſolemnitate.

V. 3. Ut dicebamus in præcedenti Decreto, ritus altior feſti vim habet præferri faciendi ejuſdem diem octavam, licet hæc alteri conveniat in ritu, & in dignitate ſit inferior; ergo & ſolemnitas, qua feſtum celebratur, & vi cujus alteri præfertur, potis erit diei octavæ præferentiam præſtare, licet hæc cum ſolemnitate minime recolatur.

VI. 4. Quæcumque dies octava præfertur in occurſu nedum duplici minori, ſed etiam majori, quare igitur & non in concurſu?

VII. His tamen haud obſtantibus Congregatio pro Veſperarum dimidiatione ſententiam protulit, & licet de ſecundis Veſperis dumtaxat Decreti verba loquantur, idem eſto judicium de primis, de quibus Romanæ Rubricæ pariformiter, conſtanter, & ubique diſponunt. Pluribus deciſionem illuſtraremus utique, niſi apertis inniteretur Rubricis, unde *de concur. num.* 7. legitur: *Die octava concurrente cum ſequenti duplici minori, etiam translato, a capitulo fit de ſequenti.* Et in eodem concurſu notat Tabella: *capitulum de ſequenti*, ſcilicet de ſequenti duplici, *commemoratio de præcedenti*, nempe de die octava. Breviarium item Romanum octavam omnium Sanctorum cum ſequenti, & octavam S. Laurentii cum præcedenti ſecat duplici minori: Idipſum oſtendit paritas ritus, quæ inter officia concurrentia reperitur, affirmantque quotquot de ſacris ſcripſere ritibus, magiſque conſtabit ex ſolutione argumentorum.

VIII. Ad primum itaque diſpar eſt ratio, nam ideo in feſtis, quia *ſolemniter* coli ſupponuntur, adeoque habere rationem, neope ſolemnitatem, quæ juxta Rubricas præferri facit. Dies octavæ *ſolemniter* non celebrantur, quare cum iiſdem deſit ratio præferri faciens, cur & præferentia non ſpoliabuntur? Quod ſi & dies octavæ alicubi ſolemnes haberentur, his pari jure nos præferentiam non denegaremus. At axioma dicimus verificari quoad intrinſeca, & eſſentialia, non quoad mere extrinſeca, & accidentalia, cujuſmodi eſt extrinſeca illa ſolemnitas, quæ utique cum principali uniri valet, & non cum acceſſorio.

IX. Ad 2. id evenire, quia cum non minus in feſto, quam in octava officium ſit de B. Maria, tam officium feſti, quam diei octavæ ab eadem dignificatur, ſeu dignitas, quæ eſt intrinſeca feſto, eſt etiam intrinſeca diei octavæ. Cum vero ſolemnitas non ſit intrinſeca, ſed extrinſeca feſto, neceſſe non eſt, quod comitetur octavam, & in feſto haberi poteſt, non in die ejuſdem octava.

X. Ad 3. ritum, quo feſtum donatur, huic intrinſecum eſſe, & licet in diem octavam integre non derivet, ſeu in hac non ſe explicet, eo quod eidem proprius ritus invenitur adſcriptus, cum quo celebrari debet, attamen in hac veluti manet abſconditus, nonnulloſque præſtat effectus, quos inter eſt præferentiæ titulus in occurſu relate ad diem octavam alteram, cujus feſtum, licet dignius forſitan ſit, claſſe eſt inferius; neque enim conveniens eſt, quod ea dies octava officium habeat in occurſu cum altera octava, cujus feſto jam ceſſit illius feſtum. Diximus *in occurſu*, quia quoad concurſum nihil juris habet abſconditus ille ritus, ſed ſervandæ veniunt Rubricæ, quæ Veſperarum diviſionem præſcribunt, vel adhuc eas digniori ſecundum perſonam concedunt. Exemplum Dominicæ privilegiatæ ad rem admodum faciet; hujus enim officium ſemiduplex tantummodo eſt, ſed ne vacet, ſuffultum fuit privilegio primæ, vel ſecundæ claſſis in excluſionem officiorum, quæ non ſunt altioris ritus, quod tamen privilegium, cum in favorem officii tantummodo latum ſit, ſeu ne vacet præfatæ Dominicæ officium, idcirco ſuffragatur unice in occurſu, non in concurſu, in quo officium Dominicæ prædictæ non inſpicitur, niſi juxta ritum, quo ipſum celebratur, adeoque cuicumque ſequenti, vel præcedenti duplici cedit Veſperas. Itaque & officium diei octavæ dumtaxat duplex minus eſt, & in eamdem veluti tranſvehitur ritus feſti in favorem officii, ſeu ad effectum ut habeat officium in occurſu cum aliis diebus octavis, licet dignioribus, quarum feſtum ritus eſt inferioris, ſed quoad concurſum non inſpicitur ritus ille feſti, ſed ſolum ritus, quo ipſa dies octava gaudet, & ſic quantum ad Veſperas ſua ſuis dari debent, attento ordine ritus, & dignitatis.

XI. Quæ diximus de ritu feſti, qui in octavam quodammodo derivat in favorem officii, eadem pronuntiamus de extrinſeca ſolemnitate feſti, quam itidem ad eumdem effectum in octavam tranſvehi credimus, æque ſiquidem abſonum arbitramur octavam, cujus feſtum ratione ſolemnitatis officium habuit, impediri ab octava feſti illius, quod jam ceſſit officium. Hæc dicta ſunto pro caſu occurrentiæ, non concurrentiæ, in hoc quippe nihil relevat ſolemnitas extrinſeca feſti, niſi hæc & in ipſa octava habeatur.

XII. Ad 4. diem octavam in occurſu præferentia ut ſupra donari, quia alias cum ſit ex officiis intransferibilibus, ejus officium ad ſimpliciem redigeretur commemorationem, ubi feſtum beneficio translationis altero die integrum officium aſſequitur. Non ſic autem evenit in concurſu, quia ab octava jam habito officio, in cujus gratiam privilegium factum extitit, convenit, ut ſua ſuis dentur, ut ſuperius exemplo Dominicæ privilegiatæ dicebamus. Ceterum quiſque jam videt, paritatem claudicare: evinceret quippe diem octavam etiam duplici majori eſſe præferendam, quod utpote exorbitans, ac contra omnes officii leges neque adverſarii prætendunt.

XIII. Ex his abunde duplex Decreto limitatio porrigitur, quarum prima eſt, ut dies octava ſequenti feſto Veſperas cedat, ſi ſit ex iis, quæ recenſet Rubrica *inter feſta*, altera vero, quod dies octava integras habeat Veſperas, ſi ſit octava aliqua eorumdem feſtorum per dictam Rubricam recenſitorum, quemadmodum in ſequenti Decrecto dicemus.

XIV. De diebus octavis privilegiatis nunc quæſtio inſurgit, num Veſperarum integritatem in concurſu cum duplici minori debeant habere? Id cenſent nonnulli, qui propterea illas in ſerie duplicium majorum conſtituunt, & id ſignanter uotavit Ordo Eremitarum S. P. Auguſtini pro octava privilegiata ſui Sancti Inſtitutoris in reformatione officiorum Ordinis habita die 25. Maji 1682. Nos tamen in oppoſitum ſentimus, niſi aliter in privilegio expreſſe ſit cautum, & ducimur 1., quia Rubricæ nulla facta diſtinctione, diebus octavis nonniſi ritum duplicem minorem aſſignant, ſecantque Veſperas in concurſu cum duplici minori. 2. Exemplo Dominicarum privilegiatarum, quæ licet in occurſu occurrentia feſta duplicia juxta qualitatem ſui privilegii expellant, in concurſu Veſperas cedunt, earundemque privilegium unice ſe tenet ex parte occurſus. 3. Quia dies infra octavas privilegiatas inſtar non privilegiatarum non exce-

dunt ritum ſemiduplicem, & Veſperas dividunt cum feſto ſemiduplici, ſi quod forte ex privilegio permittunt; ergo idipſum erit de diebus octavis. Ad id vero, quod opponebatur circa Rubricam Breviarii Auguſtiniani, dicito hanc eſſe corrigendam juxta antiquam praxim, quæ rite Veſperas dividebat.

XV. Dices 1. octavæ privilegiatæ plus, minuſve excludunt feſta occurrentia, ergo & plus, minuſve reſpuent Veſperas alterius officii. 2. Decretum dum Veſperarum diviſionem aſſignat, loqui ſe exprimit de diebus octavis *non privilegiatis*; ergo privilegiatæ Veſperas minime divident.

XVI. ℟. Ad primum, quod privilegium totum ſe tenet ex parte occurrentiæ, non concurrentiæ, ut dicebamus de Dominicis privilegiatis, eruiturque diſerte ex privilegii verbis. Etiam dies octava Epiphaniæ excludit feſtum 1. claſſis, & dies octava Corporis Chriſti duplex 2. claſſis occurrens, & tamen utraque in concurſu cum duplici 2. claſſis, huic Veſperas cedit; quare ex occurſu non valet inferri ad concurſum. Equidem dies octavæ Epiphaniæ, Paſchatis, Aſcenſionis, & Corporis Chriſti, teſte Merato *ſect.* 3. *cap.* 2. *num.* 4. gaudent ſolummodo duplici ritu, & hac de cauſa in Tabella duplicium majorum non recenſentur, & tamen in concurſu cum duplici majori integras habent Veſperas. Verum nos monet Gavantus *ſect.* 3. *cap.* 8. *num.* 16. id in poſtrema recognitione Breviarii iiſdem fuiſſe conceſſum, proptereaque in Rubrica *de concurr. num.* 7. pro ipſis factam fuiſſe expreſſam exceptionem; cur autem hoc, niſi quia ceteræ privilegiatæ inſtar non privilegiatarum ſunt regulandæ? & quidem alias nedum duplici minori, ſed etiam majori, ut eædem forent pręferendæ, quod nec adverſarii concedunt. Ceterum difficultatem omnem adimit dies octava Aſcenſionis, quæ non eſt ex octavis privilegiatis, & tamen in concurrentia gaudet pręfato privilegio.

XVII. Ad 2. in Decreto haberi to *non privilegiata*, quia interrogatio erat de octava non privilegiata. Vel quia de octavis privilegiatis juxta verba privilegii loquendum venit, ut dicebamus de diebus octavis privilegiatis Epiphaniæ, & Corporis Chriſti, quæ propterea licet duplices minores, duplicibus majoribus præferuntur.

DECRETUM XI. CAPITIS, IN ORDINE CXLVII.

Dies octavarum Aſſumptionis, Nativitatis, aliarumque Feſtivitatum B. M. V. octavam habentium, concurrentes cum officio duplici minori, habere debent integras Veſperas, ut diſponit Rubrica ultimo poſita in officio octavæ Conceptionis, ſi concurrat cum S. Lucia. S. R. C. 1. Martii 1681. *in una Canonic. Regul. ad* 3. *dub.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 517.

I. EXceptionem, quam precedenti dedimus Decreto, pręſens deſignat Sanctio, dum dies octavas B. Mariæ in concurſu cum duplici minori integris donat Veſperis. Ut autem Decreti expoſitioni facilis ſternatur vis, fas eſt recolere, quod Conceptionis feſtum inductum quidem in Breviarium Romanum dumtaxat fuit ſub ritu duplici 2. claſſis, & octava per Indultum Innocentii XII. 15. Maji 1693., in particularibus tamen locis pluribus, Eccleſiis, & Religionibus jampridem talem ritum, & octavam ſibi vindicabat; hinc ſub die 13. Junii 1665. Venetorum Dominio conceſſum fuiſſe legimus, 21. Octobris 1667. Ditioni Pontificiæ, & 31. ejuſdem menſis, & anni Ordini Eremitarum S. P. Auguſtini. Hos apud privilegiarios quandoque eveniebat feſtum S. Luciæ cum octava Conceptionis concurrere, quando ſcilicet illud ob occurrentem Dominicam in diem 14. transferebatur, quo ſuper concurſu cum pluries conſulta veniret Sacra Congregatio; ad ulteriores dubitationes præfocandas, de ejuſdem mandato in officium octavæ Conceptionis invecta ultimo fuerat Rubrica quædam, quæ diei octavæ integras dat Veſperas, & S. Luciæ ſolam commemorationem. Quæ Rubrica dubium excitavit, num idipſum intelligi deberet diſpoſitum de diebus octavis quibuſcumque, quæ de B. Maria in univerſali, vel particulari aliqua celebrantur Eccleſia? Ad quod affirmative reſpondit Congregatio; ſic enim rationis expoſcebat identitas, quæ parem exigit diſpoſitionem.

II. Nec diſpoſitionis ſolidum in Rubricis deeſt fundamentum, & præcipue *de concurr. num.* 2., ubi talia habentur verba: *Inter feſta æqualis ſolemnitatis ſervetur hic ordo, ut feſta Domini præferantur omnibus aliis, & habeant utraſque veſperas integras, ſicuti feſta B. Mariæ feſtis ſanctorum*. Quod ſi feſta, cur non etiam dies octavæ eorumdem feſtorum? Annon & hæ ritu duplici, & ſolemni, ac more feſtivo, inſtarque feſtorum peraguntur? Jam vides itaque, quod *feſtorum* nomine in pręfata Rubrica veniunt & dies octavæ, quæ inſtar feſti ſe habent. Deinde feſta B. Mariæ ratione dignitatis, quam deſumunt a perſona, cujus ſunt feſta, pręferentiæ gaudent titulo, cur itaque non etiam dies octavæ, cum non minus ſint de B. Maria? Si hęc ſignificat feſta, quæ de ipſa ſunt inſtituta, quidni etiam ſignificabit dies octavas, quæ de eadem celebrantur?

III. Unum adhuc ad intentum ſatis efficax volo perpendas argumentum, videlicet quod prędicta Rubrica in officium Conceptionis inducta non fuit, faciendo dictæ octavæ privilegium aliquod, ſed ſolummodo ſolvendo repetita dubia ſuper quid juris declarari propoſita; declaratio autem novum non facit jus, ſed ſolum jam factum clarius explicat, ut communiter docent Juriſperiti apud Barboſam *axiom.* 66.

IV. Oppones 1. Rubricam *de concurr. num.* 7., Tabellam concurrentiæ, & Rubricam ſub has poſitam, quæ in concurſu diei octavæ cum duplici minori, abſolute, & ſimpliciter ſemper veſperarum diviſionem demandant, ſolaſque excipiunt dies octavas Epiphaniæ, Paſchæ, Aſcenſionis, & Corporis Chriſti; abſolute ſunt itaque etiam intelligendæ, ſtante pręſertim exceptione, quæ firmat regulam in contrarium pro octavis non exceptis.

V. 2. In oppoſitum urget exemplum diei octavæ omnium Sanctorum, in quo præcipuum tenet locum B. Mariæ, & tamen veſperas ſecat cum ſequenti duplici minori.

VI. 3. Uti dies octava, ita dies infra octavam ſunt officia de Deipara, & tamen has integris non gaudere veſperis deſignat nobis exemplum S. Damaſi, qui veſperas dividit cum die infra octavam Conceptionis.

VII. 4. Quia alias hinc fieret eodem pręferentiæ titulo donandas itidem eſſe dies octavas Angelorum, & Apoſtolorum, quorum feſtis non denegatur a pręfata Rubrica *Inter feſta*, & pręſertim quia his pręferentia competit vi dignitatis, quæ conſequenter & in dies eorumdem octavas deberet derivare.

VIII. Ad primum dicito Rubricas illas procedere in caſu paris ritus, & dignitatis, ſecus ſi par ſolum ſit ritus, & diſpar dignitas. Fac, ſequens feſtum ad octavam aliquam ſanctorum ſit feſtum Domini, Deiparæ, aut Angelorum, vel Apoſtolorum, nonne feſto ſtatim integras dabis veſperas, tametſi Rubricæ illæ abſolute veſperarum ordinent diviſionem? Inter duo feſta duplicis minora conſtanter Rubricæ, & Tabella concurrentiæ abſolute, & ſimpliciter dimidiant veſperas, & tamen quis neſcit integras deberi, ſi ex concurrentibus feſtum aliquod ſit Domini, aut Deiparæ, vel Angelorum, ſeu Apoſtolorum? Rubricæ itaque Rubricis concordari debent, & harum una explicat ceteras, earundemque etiam abſolutum loquendi modum; quare cum Rubrica *Inter feſta* quędam excipiat feſta, quæ donat pręferentiæ privilegio, conſequenter explicat reliquas, quæ abſolute veſperarum dimidium aſſignant, facitque, quod harum diſpoſitio in feſtis a ſeipſa exceptis locum haudquaquam habeat.

IX. Dices. Tabella concurrentiæ ſolum in concurſu duplicium altioris ritus ſuper duplicem minorem, *digniori* concedit veſperas, ergo ſignum eſt in officiis inferioris ritus dignitatem non relevare.

X. ℟. per Inſtantiam: Per eamdem Tabellam ex duobus officiis, puta duplicibus 2. claſſis, ſemper *digniori* deſignantur veſperæ; tu autem, ſi inter concurrentia officia paritas dignitatis adſit, cui eorumdem deſignabis veſperas? Nonne tu eas divides, quemadmodum faciendum eſſe cum communi Rubriciſtarum ſenſu nos alibi advertebamus? Quod ſi hoc in caſu locum habet veſperarum diviſio, licet dicta Tabella ſemper *digniori* eas adſcribat, cur in noſtro caſu *digniori* non erunt concedendæ integræ, licet per eamdem Tabellam ſolum dimidiatę aſſignentur? Si autem quęras, cur memorata Tabella ſic fuerit diſpoſita? Ratio in promptu eſt, videlicet quia in duplicibus minoribus ut plurimum major, quæ relevet, non reperitur dignitas bene vero in ceteris, hoc tamen non facit, quod ejuſdem diſpoſitio concordari non debeat Rubricarum exceptionibus, ſi quæ ſunt.

XI. Exceptio autem dictarum octavarum Epiphaniæ &c. haud infert generalem regulam in oppoſitum pro diebus octavis non exceptis; exceptio enim in eo ſita eſt, ut pręfatæ dies octavæ pręferentiam etiam habeant in concurſu cum duplici majori, licet ipſæ dumtaxat duplices minores reipſa ſint. Hoc pręferentiæ privilegium haud competit diebus octavis B. Mariæ, & per exceptionem fieri neceſſe fuit, utpote quod non eruitur ex Rubrica *Inter feſta*, quæ ſolum donat pręferentiæ honore feſta, & conſequenter etiam eorumdem dies octavas relate ad feſta ejuſdem, non altioris ritus.

XII. Ad 2. dicimus in feſto omnium Sanctorum dumtaxat coli Deiparam ſub generico ſanctitatis nomine, nec inſpici, aut explicari particularem ejuſdem dignitatem, & ideo in propoſito caſu veſperarum diviſionem rite pręſcribi, ut dicebamus *in Decr.* 18. *cap.* 1. *num.* 7., & in ſimilibus ſtatim dicturi ſumus.

XIII. Ad 3. reponimus in ſemiduplicium concurrentia non attendi feſtorum dignitatem, ſed ritum dumtaxat; Rubrica enim *Inter feſta* ex qua prędictæ pręferentiæ habetur titulus, conſulto dixit *Inter feſta æqualis ſolemnitatis*, non *æqualis ritus*, ut indicaret factum pręferentiæ privilegium non cuilibet ex recenſitis feſtis ejuſdem ritus eſſe adaptabile, ſed ſolum feſto *ſolemni*, cujus rationis feſta duplicia dumtaxat ſunt, non ſemiduplicis, quæ ſi quandoque ſic appellata inveniuntur, ejuſdem nominis impropria, vel in ſenſu a dicta Rubrica prorſus alieno intervenit uſurpatio. Conſuetudo, quæ eſt optima legum interpres, id ſatis denotat, dum ſemiduplicibus cum diebus infra octavas Dominicę Aſcenſionis, aut B. Mariæ, aut cum officiis votivis Corporis Chriſti, de ſacra ſyndone, de pretioſo Chriſti ſanguine, aut de B. Maria, quæ pluribus in locis conceſſa ſunt celebrari, dimidium veſperarum attribuit.

XIV. Ad 4. ultro concedimus illationem; cum enim non minus feſta Angelorum, & Apoſtolorum recenſeantur a Rubrica *Inter feſta*, & pręferentiæ privilegio donentur, nec dubitamus æque diſcurrendum eſſe de eorumdem diebus octavis, quemadmodum pari ratione ſuperius arguebamus de diebus octavis Deiparæ. Ut dicebamus, B. Marię dies octavæ non vi privilegii alicujus decoratæ extitere pręferentiæ honore, ſed vi dignitatis, & pręfatæ Rubricæ feſtis ejuſdem favorabilis; quidni igitur idem dicendum erit de diebus octavis Angelorum, & Apoſtolorum, in quibus eorumdem elucet dignitas, quibuſque eadem æque ſuffragatur Rubrica? Verum efficax en argumentum alterum. Rubrica poſita in die octava S. Joannis Evangeliſtæ, hinc

inte-

integras concedit veſperas in concurſu cum ſequenti die octava SS. Innocentium, quæ ejuſdem exiſtit ritus, cur autem hoc, niſi ratione dignitatis, qua præ hac gaudet illa? Liceat nobis addere, quod in Rubricis generalibus ipſis *de concurr. num.* 7. per ea verba *& quando aliter in propriis locis notatur*, in favorem octavarum Apoſtolorum pronunciatum extitit. Preſcribit ibi Rubrica dimidium veſperarum in concurſu unius diei octavæ cum altera, ab hac lege excipit diem octavam Corporis Chriſti concurrentem cum die octava S. Joannis Baptiſtæ, & poſtea ſubdit: *& quando aliter in propriis locis notatur*; per hæc autem verba utique nonniſi innuitur caſus (& in eo ceteri caſus ſimiles) diei octavæ S. Joannis Evangeliſtæ, cui integræ aſſignantur veſperæ in concurſu cum ſequenti die octava SS. Innocentium. Jam vides itaque, quod non ſolum per Rubricam *Inter feſta* in dies octavas Apoſtolorum derivat pręferentiæ honos, ſed per expreſſam exceptionem; tunc enim temporis, quo conditæ fuere Rubricæ, nullus alter caſus, neque dierum octavarum Deiparæ, in Breviario Romano occurrebat, nec ſignatus habebatur.

XV. Dices 1. Dies octava S. Joannis Evangeliſtæ primas ſecat veſperas cum ſecundis S. Stephani, qui eſt ex martyrum numero; ergo ex integris ſecundis veſperis perperam eruitur generalis regula in favorem aliarum dierum octavarum Apoſtolorum, ſed magis particulare privilegium, quod in exemplum trahi non poteſt.

XVI. 2. Decollationis feſtum dimidiat veſperas cum ſequenti, & præcedenti duplici minori, licet S. Joannes Baptiſta ſit ex implicite comprehenſis in Rubrica *Inter feſta*, & dignitate præſtet Apoſtolis.

XVII. 3. Dies octava Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ veſperas item dividit cum præcedenti Commemoratione S. Pauli, cum tamen ille dignitate major ſit Apoſtolis, & in memorata Rubrica ſtatim poſt Angelos communiter cenſeatur ponendus.

XVIII. 4. Feſta Titularium, & Patronorum vi Rubricæ *Inter feſta* gaudent præferentiæ privilegio per ea verba, *Et feſta illorum ſanctorum, qui in propriis locis, vel Eccleſiis ſolemniter celebrantur*, & tamen horum diebus octavis nos pręferentiam non fecimus.

XIX. 5. Particularium Eccleſiarum uſus plurimi diei octavæ SS. Petri, & Pauli integras non concedunt veſperas in concurſu cum duplici minori.

XX. 6. Gavantus *ſect. 3. cap. 8. n. 23.* ad longum diſcutit caſum, atque reſolvit pręferentiæ privilegium ſolummodo eſſe concedendum diebus octavis Domini, & nulli Sanctorum, neque B. Virginis, nititurque in eo, quod Rubrica non diſtinguit inter diem octavam, & diem octavam, niſi in feſtis Domini opponitque exemplum feſti omnium Sanctorum, quod licet Deiparam, Angelos, & Apoſtolos in ſuo claudat ſinu, ejus tamen dies octava Veſperas ſecat cum quocumque duplici minori. Quantum vero ad rem noſtram attinet, id expreſſe ſentit Pittonus *to. 2. de oct. nu. 934. & n. 946.*

XXI. Verum ad primum dicito in conceſſione Veſperarum diei octavæ S. Joannis Evangeliſtæ cum ſequenti die octava SS. Innocentium non fieri, niſi quod de jure faciendum eſt, ratione ſcilicet majoris dignitatis, quæ uti in feſto, ita in ejuſdem die octava juxta Rubricam *Inter feſta* explicatur, & attenditur. Privilegium autem particulare, quod in exemplum minime debet trahi, ſe tenet ex parte diei octavæ S. Stephani, quæ diei octavæ S. Joannis Evangeliſtæ integras deberet Veſperas cedere. Diſerte hoc perſpicis in feſto ejuſdem S. Stephani, quod cum revera non ſit niſi duplex 2. claſſis, ſequenti feſto S. Joannis Evangeliſtæ ejuſdem ritus, ſed majoris dignitatis Veſperas deberet cedere, quod tamen ex mandato Rubricæ minime fit. Hanc difficultatem ſenſere nonnulli, qui propterea in ſerie duplicium 1. claſſis pręfatum collocarunt feſtum, quorum tamen ſententiam rite improbat Gavantus *ſect. 6. cap. 6. num. 1.*, uſuſque communis, qui in Directoriis illud ſub ritu duplici 2. claſſis adnotat. Si itaque nihilominus Veſperas non cedit, & commemoratio ejuſdem octavæ in ſequentibus diebus pręponitur illi S. Joannis, mirum eſſe nec debet, ſi ejuſdem dies octava non cedit, ſed dimidiat Veſperas. His autem privilegiis feſtum, & octava S. Stephani donata extitere, quia primitiæ Martyrum in ejuſdem ſanguine dedicatæ, & conſecratæ fuere, uti ponderant Auctores.

XXII. Ad 2. jam diximus *in Decr. 16. cap. 1. num.* 22. in Decollationis feſto nonniſi ut Martyrem conſiderari S. Joannem Baptiſtam, & ideo cum ejuſdem dignitas non attendatur nec haberi poſſe pręferentiam, quæ ex eadem promanat.

XXIII. Ad 3. ſolutio abunde patet ex iis, quæ ibidem dedimus nu. 23. nec ulteriora putamus eſſe addenda.

XXIV. Ad 4. jam in pręcedenti Decreto diximus dies octavas pręfatorum feſtorum pręferentiæ privilegio, quo donantur feſta, non gaudere, quia deſtituuntur extrinſeca illa ſolemnitate, quæ dicti eſt origo privilegii.

XXV. Ad 5. particularium Eccleſiarum uſum, utpote qui eſt Decretis, & Rubricis difformis, nos non morari, ſed eſſe corrigendum, uti moderne in Eccleſia Bergomenſi factum extitit. Ceterum non deſunt uſus frequentiores noſtræ ſententiæ conformes, a quorum recenſione, cum revera non proſint, abſtinere putamus, qui tamen recoli poterunt apud Pittonum *loco cit.*

XXVI. Ad 6. quod Gavantus uti modo indubie pro diebus octavis B. Mariæ corrigiendus venit, ita pro iis Angelorum, & Apoſtolorum; & nec dubitamus, quod nunc nobiſcum ſentiret, poſtquam dies octavas B. Mariæ pręferentiæ privilegio gaudere declaratum extitit, quoniam uſque tunc noſtrarum ſenſit pondus rationum, legitimamque hinc conſequentiam, unde habet: *At eadem fere ratio militaret in Angelis, & Apoſtolis, ut patet*. Quod autem addit de Rubricis non diſtinguentibus inter diem octavam, & diem octavam, & de die octava omnium Sanctorum Veſperas dividente, ſuperius in hoc Decreto ſua non caruit ponderatione.

DECRETUM XII. CAP., IN ORDINE CXLVIII.

Quęcumque dies octava B. Mariæ Virginis debet habere integras utraſque Veſperas in concurrentia cum officio duplici minori. S. R. C. 11. Auguſti 1691. *in Romana dubior.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 167.

I. Rubrica in officio octavæ Conceptionis inſerta, quam in uſum pro quibuſcumque diebus octavis Deiparæ eſſe debere pręcedens mandat Sanctio, de primis diei octavæ procedit Veſperis; quare inſurgebat dubium, an & pro ſecundis poſſet deſervire, quæ teſte Amalario *de Ord. Antiph. cap. 16.*, minus nobiles, & ſolemnes in Eccleſia eſſe ſolent. Congregatio prędictam Rubricam etiam pro ſecundis Veſperis valere aſſerit, dum *utraſque* Veſperas diebus octavis Deiparæ elargitur; non enim diſpoſitio illa Rubricæ pro primis Veſperis, ad majorem prędictam reſpexit primarum Veſperarum nobilitatem, vel ſolemnitatem, quam uſus Romanus minime attendit, ſed ad intrinſecam dignitatem, quæ etiam pro ſecundis militat Veſperis, ac ad Rubricam *Inter feſta*, quæ recenſitis feſtis diſerte *utraſque* aſſignat Veſperas.

II. *In concurrentia cum officio duplici minori*, ergo ſi concurſus ſit cum duplici majori, nec integras, nec dimidias habebunt Veſperas, ſed ſolam commemorationem; ex hoc enim, quod diebus octavis Deiparæ concedantur Veſperæ in concurſu cum duplici minori, cenſendæ minime ſunt ad ritum duplicem majorem evectæ, ut bene notat Halden *par. 3. tit. 6. §. 3.*, quoniam non ratione altioris ritus, ad quem elevatæ cenſeantur, ſed majori ſolum cauſa dignitatis pręferentiam ſortiuntur, alias duplex majus eminentioris dignitatis eveheretur ad ritum duplicem ſecundæ claſſis, & duplex 2. claſſis ad ritum 1. claſſis, quod nemo concedere valet, ut alibi ponderabimus; quare cum major non attendatur dignitas, ubi altior eſt ritus, conſequens eſt, dies octavæ Deiparæ duplici majori cedant Veſperas. Gavantus quidem, dum *ſect. 3. cap. 8. n. 23.* dies octavas B. Mariæ optabat ad ritum duplicem majorem evehi cauſa integras habendi Veſperas, ſenſiſſe videtur per Veſperarum aſſecutionem in ritu duplici majori officium conſtitui; at aut non percepit vim Rubricæ *Inter feſta*, quæ per ea verba *Inter feſta æqualis ſolemnitatis* omnimodam inter concurrentia officia ſupponit æqualitatem, aut duplex minus claſſe, & genere a duplici majori nequaquam diſtinxit. Tu tamen mordicus tene verba Decreti, & duplici dumtaxat majori pręfatas, aliaſque ſimiles prępone octavas.

III. Limita vero Decretum, ſi officium duplex minus, cum quo eſt concurrentia, ſit majoris dignitatis, puta feſtum, aut dies octava Chriſti Domini; tunc ſiquidem huic pręferentia deberetur ratione Rubricæ *Inter feſta*, quæ ſicuti feſta B. Mariæ pręponit iis Sanctorum, ita feſta Domini feſtis Deiparæ. Pari ratione idem dicito in ſimilibus de diebus octavis Angelorum, aut Apoſtolorum, quæ licet pręferri debeant officio duplici minori ſecus tamen ſi hoc eminentioris ſit dignitatis.

IV. Difficilius evadit ſtatuere, quid ſit faciendum, ſi concurſus foret cum officio æqualis ritus, & dignitatis, & inſuper de eodem ſubjecto, puta cum alia die octava, aut feſto de eadem B. Maria. Diximus *& inſuper de eodem ſubjecto*, quia ſi concurſus foret feſti v. g. Angeli Cuſtodis cum Angelo Raphaele, tunc dubium non eſt, quod locum haberet Veſperarum diviſio, quam tamen haud ſervari poſſe credimus, quoties concurrentia feſta ſunt de eodem ſubjecto, videlicet in caſu de eadem Deipara. Ratio hujus eſt, quod de uno, & eodem in eadem parte officii fieri ſimul non poteſt officium, & commemoratio, unde cum pręcedentis duplicis, de quo dicerentur Veſperæ uſque ad Capitulum, officium per commemorationem abſolvi non poſſet, utique nec convenit inchoari. In hujuſmodi itaque concurſu Veſperæ ſint integræ de uno abſque alterius commemoratione; ſi enim inchoarentur v. g. Veſperæ de octava Nativitatis B. Mariæ, & finirentur de officio ſeptem Dolorum ejuſdem, quod in Dominica tertia Septembris Dominium Cęſareum recolit, abſque commemoratione pręcedentis octavæ, profecto nimis abſimiles, & diſcolores eſſent Veſperæ, atque obtruncatæ evaderent contra mandata Rubricarum, quæ nunquam cum ſequenti dimidiant Veſperas, quin pręcedentis commemorationem pręſcribant.

V. Quęres, quorum igitur erunt Veſperæ, cum utriuſque concurrentis officii idem ſit ritus, & dignitas?

VI. ℟. Quod ſi concurſus eſt inter diem octavam, & feſtum, Veſperæ dabuntur feſto, cum ſolemnius eſſe ſoleat, & inſuper ejuſdem officium uno circumſcribatur die, ubi de octava per octo dies agitur. Si eſt inter feſtum, & feſtum, de eo ſint, quod eſt ſolemnius, aut particulare loci, aut de quo in occurrentia fieret officium. Quod ſi undique videantur paria, ut ſi ad diem 25. Septembris transfereretur feſtum SS. Nominis B. Mariæ, quod conſequenter in primis ſuis Veſperis concurreret cum ſecundis B. Mariæ de Mercede, quod ritu duplici majori ſimiliter gaudet, tunc Veſperas concede feſto, quod in propria ſede celebratur, in qua ſolemnius evadit præ feſto tranſlato, cujus ſolemnitas extra propriam diem transferri non

Digitized by Google

aſſolet. Si demum ambo eſſent tranſlata, vel occurrentia, Veſperæ ſint de eo, cujus evadunt primæ, utpote quæ nobiliores cenſentur ſecundis. Ex his autem patet, quid ſit præſtandum, ſi concurſus eſt inter diem octavam, & diem octavam.

DECRETUM XIII. CAPITIS, IN ORDINE CXLIX.

Ex parte Cleri Eccleſiæ Toletanæ quæſitum fuit, an occurrente feſto duplici 2. claſſis octavam habente cum Dominica Septuageſimæ, ſi (ſequentibus feriis occupatis) transfertur ad ſequens Sabbatum, ſecundæ Veſperæ erunt ut in primis, aut in ſecundis Veſperis feſti cum commemoratione Dominicæ in Sexageſima, vel erunt de Pſalterio a Capitulo Dominicæ cum commemoratione diei octavæ? Et quid ſi dies octavus habeat orationem propriam? & S. R. C. Ponente Eminentiſs. Zondodari reſpondit, ſecundas Veſperas feſti fieri debere cum commemoratione Dominicæ in Sexageſima, & in die octavæ eſſe recitandam orationem propriam. Ita die 15. Sept. 1736. *in Toletana*, ex Metato in Indice Decr. Brev. num. 336.

I. INſipiens profecto eſt petitio, & adeo, ut nec umbram teneat difficultatis, & fallor, ſi ex parte alicujus propoſita non fuit, qui nec a longe Rubricas ſalutavit. Præmittendum autem venit, quod Dominica Septuageſimæ feſtum duplex 2. claſſis non patitur, ſed illud ad primam diem non impeditam amandat, ac conſequenter in ſequens Sabbatum, ſi præcedentes omnes feriæ ſint impeditæ. Quoniam vero octava numquam transfertur, adhuc hæc, ſi dictum feſtum eam habeat, occurrit in ſequenti die, quæ in caſu eſt Dominica Sexageſimæ, in qua utpote admittente dumtaxat feſtum 1. claſſis, officium habere non poteſt, ſed per ſolam expleri debet commemorationem. Diximus autem in primo Decreto hujus Capitis, quod occurrente die aliqua octava in hujuſmodi Dominicis privilegiatis, ſi in præcedenti Sabbato actum non ſit de feſto aliquo, ſed de die ſeptima infra eamdem octavam, Veſperæ eſſe debent de Pſalterio a Capitulo Dominicæ cum commemoratione diei octavæ. His ut indubiis præmiſſis, quæ etiam ſupponit Orator, gradus fiat ad dubium, quod declarati exhibetur.

II. *An ſecundæ Veſperæ erunt ut in primis*, ratione ſcilicet diei octavæ, quæ cum occurrat in ſequenti Dominica, in præcedenti Sabbato primæ ejuſdem occurrunt Veſperæ. *Aut ut in ſecundis Veſperis feſti cum commemoratione Dominicæ*, utpote quia feſtum quodlibet duplex ſecundas habet Veſperas, ac præferentiam in concurſu cum Dominicis privilegiatis. *Aut erunt de Pſalterio a Capitulo Dominicæ cum commemoratione diei octavæ*, quemadmodum faciendum venit, quando in Dominicis privilegiatis incidit dies aliqua octava, & in præcedenti Sabbato actum eſt de die ſeptima infra eamdem octavam.

III. Vide quæſo, & attende, ſi inſipientior unquam exhibita fuit, aut exhiberi valet dubitatio. Feſtum eſt duplex 2. claſſis, & eſt principale relate ad diem octavam, quæ dumtaxat eſt duplex minus, & acceſſorium feſti; Unde igitur jure dubitari unquam poterat, num illæ Veſperæ eſſe poſſent de die octava, adeoque *ut in primis Veſperis?* Quando *an ut in ſecundis Veſperis feſti*, cum ritus feſti altior manifeſte hoc indicet, Rubricæ cunctæ diſerte proclament, & quando etiam ritus foret æqualis, de eo ut principali Veſperæ deberent eſſe integræ juxta communem Rubriciſtarum ſenſum? Turpior adhuc eſt pars tertia quæſiti: *Aut de Pſalterio a Capitulo Dominicæ cum commemoratione diei octavæ?* Si eæ Veſperæ recitarentur integræ de feſto adhuc duplici minori, & dimidiatæ uſque ad Capitulum de feſto ſemiduplici, quod in eo celebraretur Sabbato, quomodo in ſanam mentem venire unquam dubitatio potuit, quod fieri deberent de Pſalterio, cujus officium dumtaxat in defectu cujuſcumque alterius ſubrogatur? Et adhuc quomodo de die octava, quæ eas non haberet Veſperas, tametſi in præcedenti Sabbato actum non eſſet de feſto? Plurima utique nobis ſuppeterent, quibus præfatam impeteremus, & irrideremus petitionem, ſed hæc ulteriorem noſtram non meretur conſiderationem.

IV. Erunt igitur Veſperæ de feſto, & ſic *ut in ſecundis Veſperis*, ſicuti optime ſtabilit Decretum, quod ſubdit *cum commemoratione Dominicæ in Sexageſima*, utpote de qua in ſequenti die faciendum eſt officium. Subintrat quæſtio, an etiam de die octava, quæ in ſequenti die occurrit, & habitura eſt commemorationem? Verum ſilentium, quod de ea ſervat Sanctio, ubertim deſignat nobis, eam minime agendam eſſe; fert enim divini officii regula, quod de eodem in eadem parte officii ſimul fieri non poſſit officium, & commemoratio, quod accideret, ſi in Veſperis de feſto, de quo eſt octava, locum haberet commemoratio diei octavæ.

V. Proſequitur quæſitum: *& quidem ſi dies octavus habeat orationem propriam?* An ſcilicet dicenda ea ſit in iis Veſperis, ſive ſint de feſto, aut de die octava, aut pro commemoratione octavæ, quatenus de Pſalterio recitentur. Et reſpondit Congregatio: *In die octava eſſe recitandam orationem propriam*; dies octavus cum in caſu primis careat Veſperis, & in ſequenti die ab officio Dominicæ impediatur, & in hujus dumtaxat laudibus, & ſecundis Veſperis neceſſe ſit per ſolam expleri commemorationem, præfata oratio ſolum adhiberi poterit, & debebit pro præfata commemoratione in iiſdem laudibus, & ſecundis Veſperis, non autem in primis, quæ cum ſint de feſto, iiſdem oratio feſti denegari non poteſt.

CAPUT XIX.

De Octavis in diebus inhibitis.

I. TRia ſunt tempora, quibus Rubricæ Breviarii VII. *de oct. num.* 1., & quæ ſub Tabula occurrentiæ *num.* 6. reperitur poſita, octavas inhibent celebrari, & taliter, ut iiſdem advenientibus diebus ſtatim ab earumdem celebratione ceſſari debeat, quantumvis inceptæ fuiſſent. Sunt autem hæc tempora (audi Rubricam) *De aliis octavis, quæ non ſunt in Kalendario, nihil fit a feria IV. Cinerum uſque ad Dominicam in Albis, & a Vigilia Pentecoſtes uſque ad Feſtum Trinitatis incluſive, & a die 17. Decembris uſque ad Epiphaniam.* Jam vides itaque, quod præter octavas Nativitatis Domini, SS. Stephani, Joannis, Evangeliſtæ, ac Innocentium, Paſchatis, ac Pentecoſtes, quæ iis temporibus in Kalendario notatæ ſunt, & celebrari præſcriptæ, quæcumque aliæ proſcriptæ manent, & interdictæ.

II. Refert Gavantus *ſect.* 3. *cap.* 8. *num.* 8. in poſtrema Breviarii recognitione actum fuiſſe de octavis a toto Adventu excludendis, ſicuti a Quadrageſima, quod non deerant optimæ id decernendi cauſæ, ſed illud poſtea ſaltem congruere viſum fuit, ne ab eo die, videlicet 17. Decembris, fierent amplius, quo incipiunt Antiphonæ Laudum privilegiatæ, ne eiſdem, quæ in Laudibus ferialibus tunc temporis recitari debent, impedimento forent. Cum igitur hujuſmodi Antiphonæ ponantur ſemper in Laudibus diei 17. Decembris, indubium ſit, præfatam diem includi in temporibus, in quibus inhibentur octavæ, ac conſequenter die 16. quaſcumque expirare octavas, ita ut eadem die dicendæ quidem ſint Veſperæ de die infra octavam, quæ occurrit, & nihil amplius in ſequentibus diebus agendum ſit die ea. Limita hoc tamen, ſi ſit dies 7. infra octavam, quia eum hæc Veſperas non habeat, nec conveniat diem octavam, quæ in ſequenti die habitura non eſt officium, nec commemorationem, primas habere Veſperas, eo in caſu de die 7. infra octavam agitur uſque ad Nonam incluſive, & ſubintrabunt Veſperæ de feria currente juxta ea, quæ in Decretorum expoſitione late traduntur. Quoniam vero die 16. modo officium ſemiduplex S. Euſebii fieri conceſſum eſt, hæc amplius quoad officium agendum de occurrente die infra octavam locum non habent, ſuo tamen modo adhuc caſui ſunt adaptabilia, ita ut in officio S. Euſebii fiat commemoratio octavæ in laudibus, & ſecundis Veſperis, niſi ſit dies 7. infra octavam, quo in caſu ſolum in laudibus, & non in ſecundis Veſperis octavæ commemoratio fieret.

III. Vanum ſimiliter, ac inutile, ſubdit Gavantus, reputatum extitit octavas permittere uſque ad Epiphaniam, eo quod dies omnes, & ſinguli proprium habent officium nullo modo omittendum, fieri vero de Octava, quæ non habetur in Breviario, per ſolam commemorationem, viſum eſt modicum quid, quod congruentius omitti poteſt in gratiam infantiæ Chriſti, & octavarum non ſine myſterio comitantium Nativitatem ejuſdem. His addi poteſt, quod in primis poſt Nativitatem diebus Eccleſia in celebrandis octavis eſt ſatis occupata, unde ulterius gravanda non erat; in poſtremis vero Epiphaniam antecedentibus haud conveniens reputat Guyetus *lib.* 1. *cap.* 18. *qu.* 11. feſta admittere celebranda cum octava, de qua nullo die officium fieri poterat; non quidem diebus antecedentibus Epiphaniam, cum ſinguli ſint impediti, nec in ſubſequentibus, quia cum dies infra octavam Epiphaniæ admittant dumtaxat feſtum 1. claſſis occurrens, utique & dies ipſa octavæ per ſolam commemorationem expleri deberet.

IV. Hinc tamen haud inferas, ſubdit Guyetus, pari ratione ab octava celebranda ceſſandum, ſi quando feſtum ita occurrat, ut tota ejus octava deglutiatur, puta ob concurſum octavæ Aſſumptionis B. Mariæ, aut feſti omnium Sanctorum; nam vix unquam id continget, ut non ipſa dies octava (cui utique loco cedit feſtum duplex, niſi ſit ex majoribus) vel etiam una aliqua intermedia libera occurrat. Hucuſque Guyetus, cujus rationem nos minime probamus, facile quippe admodum evenire putamus, ut tota penitus deglutiatur octava, ut ſi feſtum habens octavam incidat in feſtum Aſcenſionis, aut Corporis Chriſti, S. Joannis Baptiſtæ, SS. Petri, & Pauli, Aſſumptionis Deiparæ vel omnium Sanctorum; tunc enim nec dies octava, utpote quæ occurreret in aliqua ex diebus octavis dictorum feſtorum, officium quiret habere.

V. Idipſum foret, ſi feſtum SS. Philippi, & Jacobi alicubi Eccleſiæ eſſet Titulare, & die 8. Maji occurreret feſtum aliquod ex majoribus, tunc ſiquidem eorumdem octava & in diebus intermediis, & in die octava careret officio. Si autem quæ modo diximus, ad alia applices impedita tempora, jam dilucide perſpicies, quod non infrequentes admodum, ſed obvii eſſe queunt caſus, in quibus de octava alicujus feſti nec uno die officium agi queat. Adhuc adjicere liceat, quod ſi adducta potis foret ratio, non a vigilia Pentecoſtes ab octavis celebrandis ceſſandum preſcribi debuiſſet, ſed a Sabbato poſt feſtum Aſcenſionis; feſtum enim occurrens in eo ſabbato nec uno die de ſua octava aſſequeretur officium; cum dies intermediæ ob officio Aſcenſionis, & dies octava a vigilia Pentecoſtes impeditæ forent.

VI. Adducta itaque ratio deſerenda videtur, & inſiſtendum illi, quam Gavantus petit ex eo, quod dies illi ad recolendam Chriſti infantiam, ac octavas non ſine myſterio eam comitantes, unice ſunt deſtinati; eo autem tempore nihilominus de fe-

Digitized by Google

de feſtis occurrentibus agi permiſſum fuit, quia cum una die abſolvantur, non ſicuti octavæ, ad mentis alienationem deſerviunt.

VII. Quoniam vero in gratiam adventus Spiritus Sancti dies a Vigilia Pentecoſtes uſque ad Feſtum SS. Trinitatis adeo privilegiati extitere, ut feſtum etiam 1. claſſis depellant, ſic octavas datum eſt illi reſpuere, ut tota ita noſtra meditatio in tantum feratur myſterium, nec ab occurrenti commemoratione octavæ ad aliena parumper diſtrahatur, quemadmodum ſimili de cauſa ſupprimendam eſſe occurrentis octavæ commemorationem in Dominica Paſſionis dicemus in Decreto quinto hujus Capitis, ubi afferemus etiam diſcrimen, cujus cauſa feſti ſimplicis nihilominus, non octavæ, commemoratio permittitur. Ceſſandum itaque minime venit a celebratione octavæ de feſto, cui de jure ea competit, per hoc quod de eadem nullo die officium agi poſſit, ac per occurrentia feſta tota octava degluctiatur.

VIII. *Uſque ad Epiphaniam* Rubrica octavas inhibet, & accipi debet in ſenſu excluſivo ab ejuſdem octava, quare feſta quælibet Patroni, Titularis, aut Dedicationis, quæ infra octavam Epiphaniæ alicubi occurrere valent, ſua non carebunt octava.

IX. An octavæ ceſſent dumtaxat ad Veſperas Pentecoſtes, an vero etiam in laudibus vigiliæ, potior eſt difficultas, in qua nonnulli arbitrantur ſolum ad præfatas ceſſare veſperas, ac conſequenter in laudibus vigiliæ commemorationem octavæ eſſe faciendam. Nituntur autem, quod Rubrica *de oct. num.* 1. habet: *Et idem ſervetur de octavis nondum abſolutis, quando ſupervenit feſtum Pentecoſtes*; hoc autem ſolum a veſperis incipit, ergo ſolum ab his veſperis octavæ abrumpuntur.

X. Attamen in oppoſitum cenſent Rubriciſtæ omnes, inter quos Gavantus *ſect.* 3. *cap.* 8. *num.* 9., Bauldryus *in man. par.* 4. *cap.* 13. *num.* 5, & Guyetus *lib.* 1. *cap.* 18. *quæſt.* 11. Rubrica quoque poſita ſub tabula occurrentiæ *num.* 6. diſerte hoc edocet: *De aliis octavis, quæ non ſunt in Kalendario, nihil fit a feria quarta Cinerum uſque ad Dominicam in Albis, & a Vigilia Pentecoſtes uſque ad Feſtum SS. Trinitatis incluſive.* Nota dictionem hanc *incluſive*, quæ non ſolum cadit ſuper terminum ad quem, ſcilicet Dominicam in Albis, & feſtum SS. Trinitatis, ſed etiam ſuper terminum a quo, nempe feriam quartam Cinerum, & Vigiliam Pentecoſtes, alias cum in utroque caſu pariformiter loquitur Rubrica, ſi excluſa veniret Vigilia Pentecoſtes, excluſa quoque eſſe deberet feria quarta Cinerum, quod nemo cordatæ mentis admittet; quare cum Rubricæ Rubricis concordari debeant, dicendum eſt, quod in priori illa Rubrica *Feſtum Pentecoſtes* non ſumitur in ſenſu excluſivo, ſed incluſivo vigiliæ, quæ nedum ut communiter ceteræ, tanquam proxima præparatio ad ſuum ſpectat feſtum, ſed peculiari quadam ratione, ob quam præ ceteris contra quodcumque feſtum illam privilegiatam noſcimus, & inſuper in officio Evangelium, & in Miſſa, quæ ad idem ſpectant feſtum, uſurpati.

XI. Etſi autem ex Auctoribus plurimi ad Nonam præcedentis feriæ ſextæ octavas cenſeant terminari, hoc tamen verum dumtaxat eſt in caſu occurrentiæ diei 7. infra octavam, quæ ſecundas non habet veſperas, ſecus autem ſi in ea feria incidant dies aliæ infra octavam, quas ſecundis non deſtitui veſperis in expoſitione Decretorum apparebit, & præſertim in Decreto quinto, per quod in Veſperis præfatæ feriæ ſextæ adhuc octavam perſeverare, ſi non explicite, ſaltem implicite manet idipſum.

XII. Supereſſet modo cauſam afferre, ob quam a quadrageſimali tempore octavæ fuerunt expunctæ, ſed hanc in primo hujus Capitis Decreto producere reſervamus.

DECRETUM I. CAPITIS, IN ORDINE CL.

Sanctæ Eulaliæ officium cum octava, etiamſi veniat in Quadrageſima, juxta antiquam, & immemorabilem conſuetudinem concedit S. R. C. 6. Decemb. 1608. *in Barcinonen.* Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 35.

I. MArtyrologium Romanum S. Eulaliæ martyrium diei 12. Februarii conſignat, quare non ſemel evenit ejuſdem octavam, cum qua Barcinone in Hiſpania, ubi illa glorioſam martyrii coronam accepit, honoratur, vel in inceptam, vel in ſupervenientem incidere Quadrageſimam.

II. Tempori autem quadrageſimali, in quo recolitur ſtatus hominis a juſtitia extorris, ſub peccato captivi, ac ditiſſima ſervitute oppreſſi, quem propterea multum inſudat Chriſtus ſanctiſſimæ ſuæ Paſſionis merito in proximo redempturus, quammaxime propria pœnitentiæ, ac ſalutaria officia adaptavit Eccleſia, quo ſe homo hac arte recognoſceret, & ad Deum ferventius colendum, orandumque, ac ad ſua expianda peccata congruentius incitaretur. Quod ut melius haberetur, prædictum tempus ſuis voluit officiis ſalvis, ac illibatis gaudere, nec a lætitiis, quas ingerunt Sanctorum feſtivitates, perimi, aut abrumpi. Hinc eſt, quod Concilii Laodicienſis Decreto relato *Can. Non oportet* 33. *quæſt.* 5., aliiſque nulla feſta Sanctorum in Quadrageſima celebrabantur.

III. Cum vero temporis tractu Eccleſia Romana non incongruum judicaverit, nonnulla Sanctorum feſta admittere eo tempore, humanæ ſic indulgens debilitati, ut fideles lætitia feſtis Sanctorum adhiberi ſolita, aliquantiſper allevati, ad eximia virtutum facta exemplo, & imitatione eorundem Sanctorum fortius excitarentur, ac a peſſima vitiorum via continuis bonorum operum greſſibus recedentes, ad cœleſtem patriam, cujus ſunt exules, animoſiores contenderent, factum inde fuit, ut nonnulla, quæ intra Quadrageſimam celebrabantur, Sanctorum feſta ſuas ſecum traherent octavas, a quibus adeo nimis quadrageſimale perimebatur officium, ut quantum opus eſſet, ad inditum ipſi ſenſum hominum animis figendum, fovendumque minus valeret.

IV. Huic itaque ut præjudicio occurreretur, in recognitione Breviarii ſub Clemente VIII. habita actum fuit, & captum de excludendis octavis a quadrageſima, Sanctorum feſtivitatibus dumtaxat permiſſis, quæ non adeo ut ſupra evadebant damniferæ. Quare cum S. Eulaliæ octava quadrageſimali tempore per Rubricas Breviarii videretur interdicta, & aliunde antiquæ, & immemorabili conſuetudini inniteretur, an hujus beneficio præfata octava, etiamſi veniat in quadrageſima, celebrari poſſet, Barcinonenſis Clerus Sacram Congregationem conſulendam exiſtimavit, & quatenus opus eſſet, pro gratia exorandam, quæ benigne, ut in Decreto, quod petebatur, indulſit, vel magis fieri poſſe declaravit.

V. Officia Sanctorum poſſe continuari, ſi Bulla Piana ſint antiquiora, jam non ſemel ſtatutum vidimus, præſertim in Capite de Feſtis ex conſuetudine, ubi etiam eadem a Rubricis ipſis elucet eſſe conceſſa. Quidni igitur & eorundem octavæ, quæ non ſunt niſi feſtorum prorogationes, & acceſſoria quædam? At in re hac haud illationibus opus habemus, cum aperti ſtent Rubricarum textus; hinc Rubrica VII. de octavis num. 1. *De octava fit officium in feſtis ſanctorum, quæ apud quaſdam Eccleſias, Congregationes, & Religiones conſueverunt ſolemniter cum octavis celebrari.* Et n. 4. *infra octavam vero Patroni, vel Titularis Eccleſiæ, aut alterius Feſti, quod in aliquibus Eccleſiis conſuevit cum octava celebrari.* Qui Rubricarum textus utique de octavis, quæ ante Bullam Pii V. agnoſcunt originem, debent accipi, ut dicebamus agente de ſimilibus feſtis in memorato Capite.

VI. Hinc jam habes octavam S. Eulaliæ ſolido innixam fuiſſe fundamento, gaudebat quippe *antiqua, & immemorabili conſuetudine*, adeoque ſaltem centenaria, & conſequenter indubie nedum invecta, ſed etiam præſcripta ante Bullam Pianam, quoniam retrocedendo per centum annos a Data præſentis Decreti, ſeu ab anno 1608., ſiſtitur ad annum 1508., cum tamen Bulla Pii V. anno 1568. noſcatur emanata. Quæ tamen etſi indubia ſint quoad octavas per annum occurrentes, non tamen, quantum ad eas, quæ incidunt in Quadrageſimam; vult ſiquidem Rubrica poſita ſub tabula occurrentiæ num. 6., quod de aliis octavis, quæ non ſunt in Kalendario, nihil fiat quadrageſimali tempore, nec aliis diebus prædictis, & Rubrica VII. num. 1. diſerte loquens de octavis, etiam ex conſuetudine, præſcribit celebrandas non eſſe quadrageſimali tempore, nec ſuperveniente Pentecoſte, aut die 17. Decembris, ſed penitus ceſſandum ab earumdem celebratione, licet per aliquot dies de iiſdem jam factum eſſet officium.

VII. At quoniam Sacra Congregatio concedens Sanctæ Eulaliæ octavam, etiamſi veniat in Quadrageſima, id *juxta antiquam, ac immemorabilem conſuetudinem* ſe facere profitetur, diſerte nobis aperit, allegatarum Rubricarum inhibitionem reſtrictam eſſe ad octavas illas, quæ licet conſuetudini Bulla Piana antiquiori nitantur, non tamen talem habent conſuetudinem ſuæ celebrationis in Quadrageſimali tempore, aliiſque vetitis, in quibus uti feſtis, ita eorumdem octavis, quæ legitima fulciuntur conſuetudine, Rubricæ parcere voluerunt. Quo pacto ſi intelligantur Rubricæ intra Quadrageſimam inhibentes octavas, nullam ſane vim patiuntur, quinimmo cum præſenti Decreto maximam concordiam habent, ac admodum congruam ſuſcipiunt interpretationem; ex pluribus enim Sanctionibus Sacræ Congregationis, ac Rubricarum conſtans eruitur earumdem mens, ut conſuetudines circa Sanctorum officia ante Bullam Pii V. invectæ, & præſertim præſcriptæ, ac immemorabiles conſerventur integræ, ac inviolatæ cuſtodiantur. Idipſum præſentis Decreti ipſe, quem tenet, loquendi modus luculenter oſtendit, quoniam dum octavam Sanctæ Eulaliæ in Quadrageſimali tempore *juxta antiquam, & immemorabilem conſuetudinem* concedere fatetur, hujuſmodi conſuetudinem, ut dicebamus, tamquam legitimam approbat, ac declarat validam ab eo tempore tuendas octavas, Rubriciſque ipſis conformem, alias inepte ſane antiquæ, & immemorabilis morem geſſiſſet conſuetudinis, quæ a Rubricis foret proſcripta, atque reprobata.

VIII. Ad Sanctorum feſta tuenda conſuetudinem ante Bullam Pii V. invectam, licet non præſcriptam, in memorato Capite fecimus validam; an autem idipſum de octavis dici debebit? Id affirmare non audeo, cum ſuper hoc taceat præſens Sanctio, quinimmo *immemorabilem* conſuetudinem videatur expoſcere, & alias vel nihil, vel fere nihil operaretur Clementina reformatio, quæ cum Bulla Piana ſolum 34. annis ſit modernior, ſolum hujuſce ætatis, vel circiter octavas proſcriberet. Quoniam itaque præſens Decretum Sanctæ Eulaliæ octavam approbans, immemorabili conſuetudini innititur, & conſuetudo immemorialis numquam cenſetur ſublata niſi expreſſa mentio de ea in lege, vel Conſtitutione habeatur, nec comprehenditur in revocatione conſuetudinis etiam cum dictione univerſali, ut juribus, deciſionibus, exemplis, Doctoribuſque plurimis allegatis docet Barboſa *Clauſ.* 87., haud ambigo, quod Clementina reformatio, licet tollat quaſcumque octavas a Quadrageſimali tempore, non tamen quæ conſuetudini immemoriali ſtant innixæ, atque conſiſtunt. Quinimmo

Digitized by Google

mo cum conſuetudo centenaria immemoriali æquipollere communiter credatur, octavæ itidem, quæ per centum annos obſervantiam habuere, haud forte nutabunt. At unde petenda erit hujuſmodi centenaria conſuetudo? A Datane præſentis Decreti, vel cujuſnam? Nequaquam, ſed ab anno 1602., in quo edita fuit Bulla Clementis Octavi, ac præfata reformatio peracta.

IX. Vides jam igitur, quod ubi ad tuenda feſta Sanctorum pro quocumque tempore ſufficit, & exigitur conſuetudo immemorialis, vel ante Bullam Pianam invecta, & utraque hæc conſuetudo etiam valida eſt ad firmandas eorumdem octavas per annum, ſecus autem pro Quadrageſimali tempore, aliiſque, in quibus per Rubricas ſunt vetitæ, ſed ad id expoſcitur conſuetudo immemorialis, vel ſaltem centenaria in iiſdem temporibus celebrandi prædictas octavas, retrocedendo ab anno 1602., ſeu quæ ſit coæva anno 1502. Quæ autem ſervanda ſint in celebratione hujuſmodi octavarum, dabuntur in expoſitione ſequentium Decretorum.

DECRETUM II. CAPITIS, IN ORDINE CLI.

Qui habent privilegium celebrandi octavas in Quadrageſima, occurrente die infra octavam in Feria IV. Cinerum, nullam debent facere commemorationem de octava, neque in Laudibus, neque in Miſſa. S. R. C. 24. Jan. 1682. *in Marſicana*, ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 123.

I. QUadrageſimali tempore octavas quaſcumque inhibitas eſſe, & taliter, ut illo adveniente ab harum celebratione protinus ceſſandum ſit, tametſi per aliquot dies de iiſdem eſſet actum, diſerte firmat Rubrica VII. *de oct. n.* 1., & nos ipſi diximus exponentes præcedens Decretum. Bene itaque in Decreto dicitur: *Qui habent privilegium celebrandi octavas in Quadrageſima*, licet poſtea ejuſdem diſpoſitio applicanda itidem veniat ad octavas ex legitima conſuetudine, quoniam conſuetudo privilegio æquipollet, & rationis identitas expoſcit, ut diſpoſita pro uno caſu aptentur cuicumque alteri ſimili.

II. Apud hujuſmodi privilegiarios non ſemel evenit, diem aliquam infra octavam incidere in Feriam IV. Cinerum, quæ licet feriale dumtaxat involvat officium, quia tamen ex privilegio habet, ut nec duplici primæ claſſis cedat, ipſa utique officium ſibi vindicat non obſtante majoritate ritus, qua gaudet dies infra octavam. Hujuſmodi caſus multoties accidit apud Ordinem S. Benedicti, qui intra Quadrageſimam etiam ex privilegio celebrat octavam S. Scholaſticæ a die decima ad 17. Februarii, quare ex parte Monialium ejuſdem Ordinis Eccleſiæ SS. Coſmæ, & Damiani Terræ Taliacotii Diœceſis Marſicanæ propoſitum fuit declarari, num in officio prædicto Feriæ IV. Cinerum commemorationem octavæ deberent facere?

III. *Nullam fieri debere commemorationem de octava, neque in Laudibus, neque in Miſſa*, præſens ſtabilit Sanctio, quam nonnulli putant innixam abſurdo, quod alias hinc ſequeretur, faciendi ſcilicet in officio feriali commemorationem de ſemiduplici. At quæ commemorationem hujuſmodi in feriali officio inhibent fieri? Nonne & in officio ſemiduplici, cujuſmodi ſunt Dominicæ omnes privilegiatæ, fit commemoratio de duplici occurrente, ſcilicet de dia octava? Cur igitur & in officio feriali privilegiato fieri non poterit commemoratio de ſemiduplici? Nonne in vigiliis, & in feriis majoribus cadentibus infra octavam dicitur Miſſa de vigilia, aut feria cum commemoratione octavæ? Quare itaque & in Miſſa feriæ IV. Cinerum fieri non poterit octavæ commemoratio? Et ſi in Miſſa feriali fieri valet, cur non in laudibus ferialibus?

IV. Potior videtur ratio ex eo petita, quod alias omitti deberent Preces feriales cum ſuffragiis ratione octavæ, quod abſurdo abſurdius reputat Guyetus *lib.* 4. *cap.* 18. *qu.* 14. ubi hac in re acriter carpit Gavantum, qui *ſect.* 6. *cap.* 8. *num.* 5. in officio feriali Dominicæ ſecundæ poſt Epiphaniam anticipato, Precum, & ſuffragiorum omiſſionem præſcripſerat ratione occurrentis octavæ. Et quidem ſuffragium, ſaltem de Cruce, eſt veluti officii ferialis proprius character, & nota præcipua, ac illius indicium, ſitque ſolum, obſervante Gavanto *ſect.* 5. *cap.* 18. *num.* 2., in officio feriali, præferturque cuicumque alteri, licet majoris dignitatis, etiam ſuffragio SS. Trinitatis.

V. Quoniam itaque hæc omnia commemoratio octavæ non patitur, ſatius adjudicavit Congregatio, quæ ſunt propria officii, quod agitur, illæſa, & intacta relinquere, commemorationemque octavæ, quæ iiſdem obſiſtebat, ſupprimere, perinde ac ſi feria IV. Cinerum infra octavam minime reccureret; ratio enim expoſtulabat utique, ut ſi prædicto officio feriali ratione privilegii cedit dies infra octavam, cederet etiam ejuſdem commemoratio, & quodcumque octavæ adnexum, quod congruam, ac debitam celebrationem ejuſdem officii ferialis valet impedire, uti quia dies infra octavam cedit duplici 1. claſſis, deperdit ſui commemorationem, quam præfatum duplex minime patitur.

VI. *Neque in Laudibus, neque in Miſſa*; at an in Veſperis? Tacet Decretum. Cur? Supponit Veſperas deberi ſequenti diei octavæ, vel infra octavam juxta Rubricam XI. *de concurr. num.* 4., & Tabellam concurr. *num.* 5., in quibus quidem hujuſmodi occurſus officii ferialis cum die infra octavam manet ignotus, ſed cum in concurſu feſti ſemiduplicis cum die infra octavam, Capitulum detur diei infra octavam luculenter eruitur, quod in concurſu feriæ majoris cum die infra octavam, huic integræ debentur Veſperæ, quemadmodum fieret, ſi concurſus foret cum ſequenti feſto ſemiduplici, cui dies infra octavam æquiparatur, ritu.

DECRETUM III. CAPITIS, IN ORDINE CLII.

In Officio Feriæ IV. Cinerum relinquendo commemorationem octavæ, debent Privilegiati dicere Preces, Pſalmos Graduales &c., & ſervare omnino Rubricas Feriæ IV. Cinerum. S. R. C. 24. Jan. 1782. *in eadem Marſicana ad* 2. *dubium*, Ex Merato in Indice Decretor. Brev. num. 124.

I. PRæcedens Decretum nos monuit, in feria IV. Cinerum fieri non debere commemorationem octavæ; nunc ſubintrat quæſtio, num Preces dici debeant, Pſalmi Graduales &c., quæ infra octavam locum non habent. Affirmative reponit Decretum, omneſque ſervandas eſſe Rubricas ejuſdem feriæ; ablata enim commemoratione octavæ, quæ unice in earumdem impedimentum deſerviebat, quis non videt, eaſdem ſtatim urgere?

II. In primis itaque juxta Rubricam 34. *num.* 3. & 4. dicendæ erunt Preces feriales flexis genibus, necnon ſuffragia Sanctorum, & de Cruce juxta Rubricam 25. *num.* 1. Itidem officium parvum B. M., & Pſalmi Graduales, non tamen officium Defunctorum, licet ſit prima dies menſis non impedita, quoniam in Quadrageſima pro hocce officio dicendo feria quælibet ſecunda non impedita ſubrogata extitit loco primæ diei non impeditæ. Hæc certa ſunt ex Rubricis præfixis iiſdem officiis, & Pſalmis, quare ulterius non expoſcunt examen.

DECRETUM IV. CAPITIS, IN ORDINE CLIII.

Octava S. Scholaſticæ (apud Benedictinos) quando de illa fiat officium, impedit Preces &c. Quod ſi occurrat in Feria IV. Cinerum, dicuntur Preces &c., ſed nihil fit de octava, quæ terminatur ad primas Veſperas feriæ IV. Cinerum excluſive. S. R. C. 23. Junii 1736. *in Einſidlen.* Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 324.

I. EJuſdem vi privilegii, cujus cauſa dies infra octavam cedit officium feriæ quartæ Cinerum, illud cedit & dies octava, cujus non minus commemoratio ceſſare debet ob incompatibilitatem cum officio feriali, quod propterea ſuas expoſcit Preces, aliaque cuncta, de quibus in præcedenti Decreto, octava ſolum preces impedit, aliaque ſuperius enumerata, *quando de illa fit officium*, adde, aut commemoratio, quæ ſubrogatur loco officii. Licet autem Decretum procedat de octava S. Scholaſticæ, & ex additione Merati teneat verba illa *Apud Benedictinos*, generalem diſpoſitionem ponit cuicumque ſimili caſui adaptabilem.

II. *Quæ*, ſcilicet dies octava, *terminatur ad primas Veſperas feriæ IV. Cinerum excluſive*. Diei octava primas, & ſecundas habet Veſperas, ſed cum in die ſequenti habitura non ſit officium, nec commemorationem, utique nec primas convenit habere Veſperas, aut in his commemorationem; ut enim dicebamus in Decreto primo præcedentis Capitis, Veſperæ membra ſunt, Matutinum cum horis corpus officii; quod autem corpore caret, & membris careat oportet; aut ſi loco corporis quid aliud ſubſtitutum teneat, ſimile & membrum eſſe debet, ne corpus monſtruoſum evadat; unde quia dies octava incidens in Dominicas privilegiatas, in his non habet officium, nec Veſperas habet, & quia loco Matutini commemorationem aſſequitur; ita loco Veſperarum eamdem commemorationem habet. Quoniam vero dies octava in laudibus feriæ quartæ Cinerum nec officium, nec commemorationem debet habere, idcirco & in Veſperis, & officio & commemoratione careat oportet. Huic ratiocinationi conformis eſt Rubrica XI. *de concurr. num.* 10., quæ ſimplici occurrenti in Cœna Domini in primis Veſperis commemorationem denegat, quia in ſequenti feria eamdem non eſt habiturum.

III. At ſi primæ Veſperæ de die octava non ſunt, ſed hæc terminatur ad Nonam, de quo recitabuntur? Non utique de die 7. infra octavam, quam in ſequenti Decreto ſecundis Veſperis carere dicemus. Non de feſto ſimplici, ſi quod ſequenti die occurrat, utpote quod in ea habiturum non eſt officium. Quid igitur? Erunt de feſto IX. Lectionum, ſi quod ea die recurrat, ſine commemoratione octavæ; ſin autem, de feria, cujus officium ſemper ſuccedit in defectu alterius juxta Rubricam 5. *de feriis num.* 2. quæ ita diſponit: *in feriis per annum inde fit de feria, ubi deſinit officium præcedentis diei*. Sed de qua feria? Tertiane præcedenti, aut ſequenti feria quarta Cinerum? Decretum feriæ quartæ Cinerum eas dare videtur, quoniam dum aſſerit, *octavam terminari ad primas Veſperas Feriæ IV. Cinerum*, utique ſupponit hanc feriam primis Veſperis haudquaquam deſtitui.

IV. At quoniam Rubrica 5. *num.* 2. diſerte nos admonet, officium quodcumque feriale incipere a Matutino, utique eæ Veſperæ de feria ſequenti Cinerum eſſe non poſſunt, a cujus propterea commemoratione communis abſtinet uſus, ſi ea die actum ſit de feſto aliquo, tametſi ea fieri deberet, ſi in dictis Veſperis ejuſdem officium inciperet, cum Quadrageſimales feriæ numquam commemorationem deperdant. A Decreto itaque nonniſi abuſive octava dicitur *ad primas Veſperas feriæ IV. Cinerum* terminari, & ut denotetur ad Nonam præcedentis diei prorſus ceſſare. Supereſt ergo, Veſperæ ſint de præcedenti feria tertia, cujus officium ex allegata Rubrica *ibi incipit*, *ubi deſinit officium præcedentis diei*, quemadmodum Veſperæ etiam dicun-

Digitized by Google

dicuntur de feria, quotieſcumque actum eſt de feſto ſimplici, cujus officium ad Nonam ſimiliter terminatur.

V. Quod ſi Veſperæ non ſunt de feria Cinerum, ſed de præcedenti feria tertia, in his locum non habebunt Preces feriales, quæ ſolum dici præſcribuntur in feriis majoribus, & diebus jejuniorum, dicentur tamen ſuffragia Sanctorum, & Preces Dominicales ad Completorium, quemadmodum in feriis per annum Rubricæ faciendum eſſe diſponunt. Oppones Rubricam 34. *num.* 5., quæ in vigiliis, quæ ante feriam quartam Cinerum celebrantur, ad Veſperas Preces feriales dicendas eſſe demandat, etſi Veſperæ non ſint de vigilia, ſed de dicta feria tertia, & in iiſdem dicatur oratio Dominicæ. At diſpar eſt ratio; tunc enim non dicuntur ratione ſequentis feriæ quartæ Cinerum, alias ſemper dici deberent, quotieſcumque ea die officium actum foret de feria, quod nemo cordatæ mentis admittet, ſed dicuntus ratione vigiliæ, quæ cum dies humiliationis ſit, atque jejunii, eaſdem expoſcit; in noſtro autem caſu nihil hujuſmodi ſupponimus accidere.

VI. Perbellam lubet excitare, quæſtionem, num in ſecundis Veſperis feſti ſemiduplicis, ſi de hoc ea die actum ſit, locum Sanctorum ſuffragia, uti etiam Preces Dominicales ad Completorium? & dicendum videtur, quod ſic, quia octava, quæ ſolum Suffragia, & Preces a ſemiduplici feſto valet abigere, terminatur ad Nonam.

VII. Attamen nos refragamur; cum enim Suffragia in Laudibus locum non habuerint, nec Preces Dominicales ad Primam, utique nec in Veſperis reſpective, & Completorio illum poterunt habere; membrum quippe officii a ſuo corpore diſcrepare, aſſolent reprobare Rubricæ; quinimmo Veſperas, & Completorium ſuo toti volunt eſſe conformia, ne hinc exurgat officium monſtruoſum, diſcolor, atque diſſimile. Hac utique ſolum de cauſa feſto ſimplici Veſperas denegant, ſi poſtridie ſolam commemoratinoem debeat habere, & adhuc etiam commemorationem, ſi die ſequenti nihil agendum ſit de eo, & idipſum reſpective præſtant de die octava, quoties incidit in Dominicas privilegiatas, aut feriam quartam Cinerum.

VIII. Rubricæ itaque, quæ in ſemiduplici extra octavam demandant ſuffragia, & Preces, procedunt de ſemiduplici, cujus potior pars eſt extra octavam, non autem cujus ſolæ Veſperæ ſunt extra octavam; nec par eſt ratio de caſu, in quo ſubintrat officium feriale, quia tunc Veſperæ non ſunt de eo, de quo habitum eſt corpus officii, adeoque ratio uniformitatis minime expoſcit, ut in iiſdem taceantur ſuffragia, eo quod in corpore officii locum non habuerint, ſed magis dici debebunt, ſi officium, quod ſuccedit, illa expoſtulat, uti revera eadem exquirit officium feriale. Eadem de cauſa ante Dominicas Paſſionis, & primam Adventus occurrente feſto ſemiduplici, etſi in hujus Laudibus dicantur ſuffragia, in Veſperis tamen, quæ ſunt a Capitulo de Dominica, abſque ulla abſurditate taceantur, ratione officii, quod ſubintrat; & illa depellit.

DECRETUM V. CAPITIS, IN ORDINE CLIV.

Quæſitum fuit, an conformiter ad Decretum S.R.C. de commemoratione octavæ S. Scholaſticæ in die Cinerum omittenda, etiam in Dominica Paſſionis infra octavam S. Benedicti cadente, & ejuſdem Dominicæ in primis Veſperis ſit omittenda commemoratio octavæ? & reſponſum fuit, in primis Veſperis facienda eſt commemoratio de die infra octavam, quando octava celebratur poſt Dominicam Paſſionis, ſecus autem ſi dies octava incidat in eamdem Dominicam, quia propter Dominicam privilegiatam ceſſat octava. S.R.C. 23. Junii 1736. *in Einſidlen.* Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 325.

I. Dubitandi rationem ut plene aſſequaris, fas eſt, ſupponas, quod ſtatutum extitit, in officio IV. Cinerum locum non habere commemorationem octavæ, hinc quæritur, an idem judicium haberi debeat de officio Dominicæ Paſſionis; immo quia hoc officium præ illo feriæ IV. Cinerum primis gaudet Veſperis, an ab his Veſperis, expellenda itidem ſit præfata commemoratio?

II. Congregatio reponit, quod *in primis Veſperis facienda eſt commemoratio de die infra octavam, quando octava celebratur poſt Dominicam Paſſionis;* & hinc refellitur opinio Cæremonialis Monaſtici, quod officium cujuſcumque diei infra octavam ad Nonam terminari pronuntiat, alias in iis Veſperis ceſſaret commemoratio octavæ, cum in ſequenti die facienda non ſit, & ceſſare decernitur, uti hac de cauſa in iiſdem Veſperis ceſſat commemoratio octavæ, quando dies octava incidit in Dominicam Paſſionis, ut ſtatim dicemus. Ceterum id prius adverterat Guyetus *lib.* 4. *cap.* 5. *quæſt.* 6., & diſerte eruitur ex Rubricis, quæ dum in concurſu diei infra octavam cum ſequenti ſemiduplici, Veſperas dividunt, conſequenter utique edocent, diem infra octavam Veſperas habere, inſtar feſti ſemiduplicis, cujus officium non ad Nonam, ſed ad Completorium abſolvitur.

III. *Secus autem, ſi dies octava incidat in eamdem Dominicam Paſſionis.* Commemorationem octavæ, quam in primis Veſperis concedit Sanctio, *quando dies octava celebratur poſt Dominicam Paſſionis*, vult eſſe tacendam, *ſi dies octava incidat in eamdem Dominicam*, & rationem adjicit, *quia propter Dominicam privilegiatam ceſſat octava;* ſi enim ceſſat octava, ceſſant & ejus primæ Veſperæ, quinimmo & ejus commemoratio, cum non conveniat de eo Veſperas facere, vel in his commemorationem, de quo die ſequenti nec officium, nec commemoratio agi debet. Hinc habes diſcrimen, quod diem ſeptimam infra octavam eſt inter & reliquas, quod hæ 2. Veſperas habent, ſecus illa, ſed hujus Veſperæ ſunt primæ Veſperæ diei octavæ, quæ propterea non ritu ſemiduplici, ſed duplici aguntur.

IV. Jampridem idipſum tenuit Gavantus *ſect.* 3. *cap.* 8. *n.* 9., at in oppoſitum ſenſit Guyetus *lib.* 4. *cap.* 12. *quæſt.* 6., qui officium diei 7. infra octavam, quando dies octava ceſſat, vult eſſe continuandum ritu ſemiduplici in Veſperis, & Completorio, inſtar aliarum dierum infra octavam; diei enim 7. infra octavam ſolum detrahuntur Veſperæ, ejuſque officium dicitur terminari ad Nonam, quia Veſperæ fiunt de ſequenti octava, & ab hac illi abripiuntur; quare ſi dies octava penitus ceſſet, videre non eſt, cur dies ſeptima illas habere non debeat. Nec par omnino, idem ſubdit Auctor, eſt ratio de die octava incidente in Dominicas privilegiatas, quia in eo caſu vere abſurdum eſſet tribuere primas Veſperas diei octavæ, de qua poſtridie fieri debet tantum commemoratio, nec ſubintrare queunt Veſperæ diei ſeptimi, cum permaneant Veſperæ diei octavi, qui non ceſſat penitus, ſed ad commemorationem redigitur, quæ commemoratio ſtat loco officii reſpective, vel veſperarum; ubi ceſſante prorſus & quoad officium, & quoad commemorationem die octava, abſurdum non eſt, immo perquam congruum, officium inchoatum diei infra octavam abſolvere, cum nihil aliunde obſtet.

V. Hæc egregie more ſuo Guyetus, quibus addi poteſt, quod etſi feſto ſemiduplici concurrente cum duplici primæ claſſis, ab hoc illi Veſperæ abripiantur, quinimmo & ejuſdem commemoratio deperéat, ſi tamen alterutrum transferatur, ſtatim veſperas, vel commemorationem recuperat, niſi obſtet officium, cum quo concurrit; quidni igitur & ceſſante die octava, dies ſeptima ſuas non recuperabit veſperas, quæ ſibi ab illa abripiuntur? Demum Rubricæ nulla facta diſtinctione dierum infra octavam, his concedunt concurſum cum die ſequenti; ergo ſupponunt, dies quaſlibet infra octavam, & ſic etiam diem ſeptimam veſperis non carere.

VI. Verum diſpar eſt ratio, nam feſtum IX. Lectionum ex ſui conſtitutione habet veſperas, adeoque hoc ipſo quod ceſſat impedimentum, mox eas recuperat; dies autem ſeptima infra octavam ex ſui conſtitutione veſperas non habet, ſed caret iiſdem, & ideo etſi ceſſet dies octava, a qua in veſperis contenditur impediri, veſperas nequaquam acquirit. Natura octavæ in eo ſita eſt, ut ejuſdem officium prorogetur per octo dies continuos, quorum duo ſunt ſolemniores, & ritu duplici diſtincti, ambaſque proptorea aſſequuntur veſperas; quare ſicuti dies ſecundus numquam habere valet primas veſperas, quia hæ ſunt ſecundæ veſperæ feſti, ita ſeptimus numquam ſecundas, quia hæ ſunt primæ diei octavi; unde cum veſperæ a die octavo per accidens non abripiantur ſeptimo, ſed per ſe, numquam eas recuperare valet, etſi dies octavus penitus ceſſet. Rubricæ autem indiſtincte diebus infra octavam cum ſequenti officio concurſum concedunt, quia ſupponunt, diem ſeptimum cum officio ſequenti ex ſe jam carere concurſu, utpote ad quem ſequitur dies octavus. Quod ſi in eventu aliquo ad eum non ſequatur dies octavus, ſed hic prorſus ceſſet, non propterea plus juris acquirit dies ſeptimus, qui ex ſe terminatur ad Nonam, & ad quam diſpoſitio Rubricarum præfata minime adaptatur.

VII. *Propter Dominicam privilegiatam ceſſat octava.* Quod ſi in Dominica Paſſionis ceſſat dies octava, quæ duplex eſt, etiam, quoad commemorationem, utique etiam ceſſabit dies infra octavam, quæ eſt dumtaxat ſemiduplex. Dum tamen in rationem hujuſce ceſſationis *Dominica privilegiata* adducitur, nolo id intelligas de privilegio excludendi feſtum quodcumque, nam hocce privilegio gaudent etiam Dominica prima Adventus, feſta Aſcenſionis, & Aſſumptionis B. M. &c., quæ tamen octavam minime ceſſare faciunt. Forſitan igitur erit privilegium, quo dicta Dominica jam donata extitit excludendi Sanctorum ſuffragia, quæ non ſunt niſi repetitiones officiorum jam actorum, cujus rationis cum extet etiam octava, quæ non eſt repetitio niſi ejuſdem officii, ideo etiam hæc ceſſare decernitur. In rationem producit Gavantus *ſect.* 6. *cap.* 12. *n.* 1., ut ad Chriſtum hoc tempore ſit unicum refugium noſtrum; hoc enim tempus memoriæ Paſſionis Dominicæ præcipue eſt conſecratum, & ideo ut tota mens noſtra feratur in Chriſti humilitatis, & ſanctitatis exemplum, & ſpes noſtra elevetur ad unicum ejus ſalutare refugium, Sanctorum ſuffragia decreta ſunt ceſſare. Idipſum nos dicimus de octavis, cum hac tamen limitatione, ut id ſolummodo procedat quoad dies, in quibus locum non habent Sanctorum officia, cujuſmodi eſt Dominica Paſſionis, & Dominica Palmarum cum reliquis diebus majoris hebdomadæ, non autem quoad ferias Paſſionis, in quibus uti permiſſum eſt de occurrentibus agere feſtis, ita etiam de octavis, quæ inſtar feſtorum ſe habent.

VIII. His adverſari ajes, quod in Veſperis Dominicæ Paſſionis a nobis admittitur commemoratio octavæ, quinimmo quod etiam in Laudibus ſit commemoratio ſimplicis, ſi quod occurrat. At officium Dominicæ Paſſionis ob aſſertam rationem donatum non fuit privilegio excludendi quodcumque officium, ſed ſolum corpus officii, & ideo etiam ſolum a laudibus, non a veſperis ejuſdem commemoratio octavæ excluditur. Feſti autem ſimplicis commemoratio fit adhuc in Laudibus, quia alias de eo nihil fieret, non ſic octavæ, quia de hac adhuc in feſto & per reliquas dies agitur, ut in ſimilibus alibi dicebamus. Ex his tamen habes aliam eſſe rationem, ob quam a feria quar-

ra

ta Cinerum expellitur commemoratio octavæ, ac a præfata Dominica, ab illa ſiquidem expellitur ratione incompatibilitatis cum officio feriali, ab hac vero ob rationem, quam ſuperius produximus. Ceterum, quæ ſuperius diximus de feria IV. Cinerum, luculenter oſtendunt ad Primam Dominicæ Paſſionis ſolitas dicendas eſſe Preces, quinimmo etiam ad Completorium, ſi in Veſperis non fiat commmemoratio octavæ.

IX. In Dominica tamen Paſſionis non ita ceſſat octava, ut ſi poſt eamdem ſuperſint dies aliqui octavæ, de iiſdem officium fieri non debeat; per ea ſiquidem verba, *Quando dies octava celebratur poſt Dominicam Paſſionis*, aperte deſignatur, poſt dictam Dominicam abſolvi poſſe octavam, quæ præcedenter ad eam fuit inchoata? Secus eſt ad adventum Dominicæ Palmarum, in qua nedum ob allegatam rationem ceſſat octava, ſed etiam in ſequentibus diebus, qui ſunt privilegiati contra quodcumque feſtum, & inſuper commemorationem octavæ ſuſtinere non valent ob eamdem rationem, ob quam abigitur ab officio feriali feriæ quartæ Cinerum.

X. An in 2. Veſperis Dominicæ Paſſionis facienda ſit commemoratio diei infra octavam, ſi de hac poſtridie fiat officium, Sanctio tacet, at loquuntur Rubricæ, quæ in concurſu Dominicæ privilegiatæ cum die infra octavam, huic commemorationem elargiuntur; & idipſum conſequenter erit, ſi ea die fiat de feſto, quod commemorationem octavæ minime excludat. Veſperæ enim prædictæ Dominicæ commemorationem octavæ non reſpuunt, alias nec in primis ejuſdem veſperis facienda foret.

CAPUT XX.

De Semiduplici transferibili infra Octavam.

I. RUbrica VII. *de oct. num.* 3., dum hæc verba pronuntiat, *Infra octavas fit de feſtis duplicibus, & ſemiduplicibus occurrentibus, ac etiam translatis*, nos excitat ad præſentis inſtitutionem Capitis, ut innoteſcat, an ſemiduplicia cuncta translata, aut quænam infra octavas utile ſuæ repoſitionis reperiant ſpatium. Sermo autem eſt de octavis non privilegiatis, quippe de privilegiatis juxta privilegii verba judicandum venit.

DECRETUM I. CAPITIS, IN ORDINE CLV.

Feſtum ſemiduplex incidens in Dominica infra octavam non privilegiatam, debet transferri immediate in Feriam ſecundam non impeditam, licet ſit reponendum quodcumque officium, etiam ex ſolemnioribus. S. R. C. 19. Junii 1700. *in Valentina*, Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 226.

I. DUbietatem non patitur, quod Sanctio ſtabilit de ſemiduplici translato ob occurſum Dominicæ infra octavam, reponendo in feria ſecunda immediate ſequenti non impedita. En Rubricam de Transl. num. 5. *Feſtum ſemiduplex occurrens in Dominicis infra illa octavas, in quibus fit de feſtis occurrentibus, transfertur in ſequentem diem cum commemoratione octavæ. Quæ*, ſcilicet dies ſequens, *ſi fuerit alio feſto duplici, vel ſemiduplici impedita, prædictum feſtum ſemiduplex veniens in Dominica, transfertur poſt octavam, ita ut feſtum ſemiduplex infra octavam non transferatur, niſi in proxime ſequentem diem*. Hinc autem habes ubertim ſemiduplicia infra octavam transferri ſolum poſſe in diem immediate ſequentem, & hac impedita, poſt octavam eſſe rejicienda, & non aliud conſequenter velle Rubricam *de oct. num.* 3., dum infra octavas fieri poſſe ſtatuit de ſemiduplicibus *etiam translatis*, ſubdit ſiquidem ſtatum *ut dicetur infra de Transl. feſt. num.* 5., & hæc Rubrica, dumtaxat ex ſemiduplicibus ab antecedenti die translata admittit infra octavam, & alia poſt octavam differenda ſtatuit. Quatenus vero Sanctio in ſequenti die duplicibus, etiam ſolemnioribus, præfert præfata ſemiduplicia, expoſitionem ſuſcipiet in Decreto 4.

DECRETUM II. CAPITIS, IN ORDINE CLVI.

Si Dominica infra octavam Aſcenſionis occurrat in die 4. Maji, tunc in feria 2. ſequenti recitandum eſt officium de S. Monica, quod in dicta Dominica occurrebat ſub ritu ſemiduplici, non vero reponendum eſt feſtum SS. Apoſtolorum Philippi, & Jacobi, quod ſub ritu duplici 2. claſſis occurrebat die prima Maji. S. R. C. 16. Sept. 1702. *in una Ord. Cæleſtinor.* Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 226.

I. TEmpore emanationis Decreti officium S. Monicæ ſemiduplex erat, ad ritum duplicem die 16. Auguſti 1730. a Clemente XII. dumtaxat evectum, & dies quinta Maji erat quocumque officio libera, per officium S. Pii V. vi Decreti 28. Jan. 1713. nunc impedita. Quoties itaque die 4. Maji currebat Dominica infra octavam Aſcenſionis, reponendum erat feſtum ſemiduplex S. Monicæ per officium Dominicæ translatum, & feſtum duplex 2. claſſis a feſto Aſcenſionis amotum, & primæ dantur feſto S. Monicæ relate ad feriam 2. proxime ſequentem, non obſtante majoritate ritus, & prioritate translationis feſti SS. Philippi, & Jacobi. Equidem reſolutio pro caſu particulari, pro quo lata dignoſcitur, modo amplius deſervire non valet, cum dies quinta Maji nunc ſit impedita, & duplici gaudeat ritu officium S. Monicæ, attamen in ſuo integro perſeverat robore quoad caſus ſimiles, & abunde confirmat, quæ in antecedenti Decreto ſtatuta inveniuntur circa ſemiduplex occurrens in Dominica infra octavam, præferendum cuicumque duplici relate ad diem immediate ſequentem, ut magis ſtatim dicetur.

DECRETUM III. CAPITIS, IN ORDINE CLVII.

Semiduplex occurrens in Dominica infra octavam, juxta Decretum 22. Decemb. 1696. debet in ſequentem diem immediate transferri, non obſtante duplici prius translato. S. R. C. 1. Septemb. 1703. *in Camerien.* Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 226.

I. SAcra Rituum Congregatio 22. Decemb. 1696. in caſu plurium translatorum æqualis ritus, cenſuit ſervato ordine Kalendarii officium de primo translato prius eſſe recitandum, ſolo excepto ſemiduplici cadente in Dominica infra octavam, quod expoliare non voluit privilegio repoſitionis in proxime ſequenti die, eidem per Rubricam *de Transl. n.* 5. conceſſo. Dubium itaque non eſt, quod præfatum ſemiduplex in proxime ſequenti die reponi valet, etiamſi adſint alia Semiduplicia prius translata, non ſic tamen eſt, ſi alia translata duplici gaudeant ritu; exceptio enim, quæ in favorem prædicti ſemiduplicis ſit, de regula eſſe debet, ac conſequenter ſolummodo facit, quod præferri debeat aliis ſemiduplicibus, quorum repoſitio alioquin juxta ordinem Kalendarii regulari deberet, non autem duplicibus, quæ ſemiduplicibus præponenda petitio ipſa ſupponit.

II. Nihilominus Sanctio præfatum donat ſemiduplex præferentiæ privilegio ſuper ipſo duplici prius translato relate ad diem immediate ſequentem, & hoc eſſe aſſerit *juxta Decretum 22. Decemb. 1696.*, non quidem vi ſolius exceptionis ejuſdem ſemiduplicis, quæ cum de regula eſſe debeat, ſolum eidem favorabilis eſſe poteſt relate ad alia ſemiduplicia prius translata, ſed quia per hujuſmodi verba: *ita tamen ut per hanc declarationem nihil penitus circa ſemiduplicia in Dominicis infra octavas occurrentia veniat immutandum, pro quibus generalem Rubricam de Transl. feſt.* tit. 10. *num.* 5. *omnino ſervandam eſſe cenſuit*; poſitive relinquit dictum ſemiduplex diſpoſitioni juris antiqui, & omnino decernit ſervandam Rubricam *de Transl.*, quæ cum illud addicat ſequenti diei, conſequenter in ea etiam illud tuetur contra quodcumque translatum, etiam ex ſolemnioribus, & primæ claſſis.

DECRETUM IV. CAPITIS, IN ORDINE CLVIII.

Ex parte Reverendiſs. Archiepiſcopi, & Capituli Metropolitanæ Hiſpalenſis ſupplicatum fuit pro Declaratione, utrum officia ſemiduplicia, quæ occurrunt in Dominica infra octavam non privilegiatam, die Lunæ ſequentis non impedito officio novem lectionum fieri debeant, in excluſionem alicujus duplicis præcedentis transferendi? Et S. R. C. reſpondit juxta votum Emin. Ponentis, nempe quod in excluſione duplicis præcedentis transferendi, in diem Lunæ immediate ſequentem non impeditam debeat fieri officium de ſemiduplici, quod aliquando occurrit in Dominica infra octavam non privilegiatam, quia eo caſu talis dies eſt aſſignata pro dicto ſemiduplici. S. R. C. 21. Apr. 1736. *in Hiſpalen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 284.

I. EN rationem validam, ob quam ſemiduplex incidens in Dominicam infra octavam, reponi debet in die immediate ſequenti in excluſionem cujuſcumque duplicis, licet primæ claſſis, & præcedenter translati, quæque argumenta omnia, quæ in contrarium adduci unquam poſſunt, vel excogitari, penitus enervat, & diſſipat; *Quia eo caſu talis dies eſt aſſignata pro dicto ſemiduplici*; hoc enim ipſo, quod ea feria eſt illi aſſignata, in hac accidentariam ſubit immutationem, in eaque cenſetur occurrens, unde ab eadem quodcumque translatum abigit. Cui aſſignationis fortaſſe favent ea verba Rubricæ de Transl. num. 5. *Transfertur in ſequentem diem non impeditam*.

II. Privilegii autem hæc eſt ratio. Ne a frequenti ſemiduplicium translatorum, quæ ceteroquin ejuſdem ritus ſunt cum die infra octavam, nimis de facili obruerentur octavæ, ab his illa rejecta fuere, ſolo reſervato caſu diei proxime ſequentis, ad quam jus quoddam vicinitatis habent. Quæ reſervatio ne in irritum recideret ob duplicia translata, ſequens dicta dies ut propria fuit in iiſdem aſſignata, quia alias horum repoſitio uſque poſt octavam differri deberet, ubi duplicia adhuc locum habent in qualibet die infra octavam, & nonniſi per accidens, ratione ſcilicet totius octavæ per feſta impeditæ, ultra octavam protrahuntur.

DECRETUM V. CAPITIS, IN ORDINE CLIX.

Dum ſemiduplex incidit in feſtum habens octavam, vel in Dominicam infra octavam (non privilegiatam) & dies immediate ſequens non eſt impedita, ſed reſtat celebrandum duplex, verb. gr. hoc anno 1736. feſtum Aſcenſionis Domini incidit in die 10. Maji, ſeu in feſto S. Antonini, & remanet celebrandum feſtum S. Petri Martyris, quod eſt duplex: Quæritur, an die 11. Maji, nempe immediate ſequenti, celebrari debeat feſtum ſemiduplex S. Antonini juxta Rubricam *de Transl. feſt. num.* 5., transferendo ulterius feſtum S. Petri Mart.? Et reſponſum fuit affirmative, & juſſum fuit dari Decreta emanata ſub diebus 30. Sept. *1679.*, & 16. Sept. 1702. S. R. C. 23. Junii 1736. *in Brugen.* Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 316., ubi aſſerit idem omnino confirmatum fuiſſe die 16. Febr. 1737. *in Mechlinen. ad 2. dubium.*

I. BIceps eſt reſolutio, & quatenus ſemiduplici incidenti in Dominicam infra octavam, locum parat in die ſequenti in excluſionem duplicis translati, in præcedentibus ſortita eſt explanationem, nunc vere de eadem diſceptatio ſuſcipitur, quatenus id juris tribuit eidem ſemiduplici cadenti in feſtum habens octavam. Talis fuit ſententia Gavanti *ſect. 3. cap. 8. num. 3.*, cui de more ſubſcribit Meratus *num. 9.*, communiterque Rubriciſtas ita ſentire fatetur.

II. Rubrica *de Transl. num.* 5. facto loco ſemiduplici cadenti in Dominicam infra octavam in proxime ſequenti die non impedita, & hac impedita, poſt octavam, ſtatim adjicit; *Ita ut feſtum ſemiduplex infra octavam non transferatur, niſi in proxime ſequentem diem.* Quæ verba univeſalem ſtatuunt diſpoſitionem de ſemiduplici, quacumque de cauſa translato, reponendo infra octavam, & nonniſi in die proxime ſequenti; etſi enim præcedentia Rubricæ verba id tantum ſtabiliant de ſemiduplici ob Dominicam translato, memoratus generalis dicendi modus *Ita ut &c.* ad idem ſemiduplex nequit eſſe reſtrictus, tum quia alias ſuperflue adjectus fuiſſet, cum de dicto ſemiduplici tam diſerta diſpoſitio fuiſſet poſita. Tum quia alioquin non deberet cantare: *Ita ut feſtum ſemiduplex &c*, ſed *ita ut prædictum feſtum ſemiduplex &c.*, ut rectus expoſcit dicendi modus, & eadem præitat Rubrica, quæ ſemiduplicis ob Dominicam translati repoſitinni poſtquam conſuluit, ut deſignet die proxime ſequenti impedita, poſt octavam eſſe rejiciendum, non abſolute ponit *ſemiduplex*, ſed *prædictum ſemiduplex*. Ulteriora recole in ſequenti Decreto.

III. Quæ cum ita ſint, uti dies immediate ſequens cenſetur aſſignata ſemiduplici incidenti in Dominicam infra octavam, ita quoque in feſtum habens octavam, adeoque ab ea depellit quodcumque duplex translatum, quod non minus in altera die infra octavam reponi valet, ubi illud itidem poſt octavam deberet differri.

IV. *Et juſſum fuit*, proſequitur Sanctio, *dari Decreta emanata ſub diebus* 30. *Sept. 1679., & 16. Sept.* 1702. Hinc confirmationem arripiunt hæc Decreta, quorum hoc eſt ſecundum capitis, illud vero, quod modo ſubdimus.

DECRETUM VI. CAPITIS, IN ORDINE CLX.

Feſtum ſemiduplex incidens in feſto duplici infra octavam non privilegiatam, transferendum eſt in diem immediate ſequentem feſto novem Lectionum non impeditam, ut fit de ſemiduplici occurrente in Dominica infra octavam non privilegiatam. S. R. C. 30. Septembris *1697. in una Ord. Cappuccin.* Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 104.

I. IDem repoſitionis jus datur ſemiduplici incidenti in feſto duplici infra octavam (idipſum eſt de ſemiduplici occurrente in alio ſemiduplici, aut officio privilegiato) quod ſuperius conceſſum vidimus ſemiduplici occurrenti in Dominicam infra octavam, adeoque etiam in excluſionem duplicis prius translati. Oppoſitum ſenſiſſe videtur Gavantus *ſect. 3. cap.* 8. *num. 3.*, dum id juris tantum tribuit ſemiduplici cadenti in Dominicam, vel feſtum habens octavam, & diſerte id putarunt Gobat, & Halden apud Meratum *ibidem num. 9.*, quorum ſententiam laudat, quia alioquin imperturbaretur nimis octava, & dierum numero minueretur. Eidem tamen ſeduplici favent Lohner *Inſtruct. pract. 2. par. 1. tit. 3. n. 2.*, & Henricus Piſart *Direct. Canon. tit.* 10. *num.* 7., & præſens, quod exponimus, producunt Decretum.

II. At huic derogatum cenſet Meratus per Decretum generale 22. Decemb. *1696.*, in quo in paritate ritus officium de prius translato mandatur cum ſola exceptione ſemiduplicis incidentis in Dominicam infra octavam; exceptio autem firmat regulam in contrarium pro caſibus non exceptis. Verum undique nutant, quæ de hac derogatione tenet Meratus. Tum quia Decretum *1696.* ſolum præſcribit in repoſitione præferri feſtum ab antecedenti die translatum in excluſionem aliorum prius translatorum, quæ in eadem die utile ſuæ repoſitionis habeant ſpatium, cujuſmodi non ſunt alia ſemiduplicia prius translata, quæ infra octavam reponi nequeunt. Tum quia alias idipſum foret de ſemiduplici cadente in feſtum habens octavam, cum ſolum excipiatur ſemiduplex incidens in Dominicam infra octavam, cum tamen Meratus illi par jus tribuat. Si dicas hoc ideo, quia per poſterius Decretum, nempe 23. Junii 1736., a cujus expoſitione venimus, id juris factum extitit ſemiduplici incidenti in feſtum habens octavam, ac conſequenter Decreto 1696., quatenus opus eſſet, quoad hanc partem derogatum fuit, idipſum nos dicimus de præſenti Decreto, quod per illud dari jubetur; hoc ipſo enim aut numquam derogatum declaratur, aut ſaltem ſuo robori reſtituitur, incaſſum ſiquidem alias dari juberetur Decretum, quod omni vi foret ſpoliatum. Tum quia ut dicebamus in præcedenti Decreto, Rubrica, quæ per Decretum 1696. ſervari ſtatuitur, favorabilis extat omni ſemiduplici, a quocumque contingat eſſe translatum. Tum quia dictum Decretum excipit ſemiduplex incidens in Dominicam infra octavam, ac conſequenter quæcumque alia ſemiduplicia, de quibus eadem currit ratio, ut notat ſiquidem Alex. *conſ.* 103. *in cauſa num. 4. & 6. lib. 4.* caſus ſimiles exceptuatis cenſentur excepti, etiamſi exceptio non ſit adjuncta, quinimmo non continentur per extenſionem ſub exceptione, ſed comprehenſi dicuntur; quare ſicuti hac de cauſa ſemiduplex incidens in feſto habente octavam, cenſetur; quidni idem erit de ſemiduplici cadente in feſto infra octavam, cujus repoſitio non minus tranſit ſine ullo præjudicio ſemiduplicium prius translatorum? Tum denique quia diſerte id ſtatuit S. R. C. 2. *Sept.* 1741., ut videre eſt in Decreto, quod ſubdimus, & in congruentiori loco exponere reſervamus: *Officia translata, quæ tamen ſint ejuſdem ritus & dignitatis, reponuntur juxta ordinem translationis, ut ſcilicet prius celebretur officium ab ante translatum, deinde fiat de alio ſecundo loco translato, & ſic ſucceſſive. Ab hac tamen regula excipitur ſemiduplex occurrens in feſto habente octavam, vel in Dominica infra octavam, vel in feſto duplici infra octavam; quod ſemiduplex in præfatis tribus caſibus transfertur in diem immediate ſequentem (in qua alias agendum eſſet officium de die infra octavam) protrahendo ad aliam diem non impeditam aliud quodcumque duplex, etiam primæ claſſis, prius translatum.*

III. Quæres 1. an id privilegii competat etiam duplici translato ob incidentiam in feſtum habens octavam, aut in aliud duplex majoris ritus infra octavam, relate ad alia duplicia prius translata?

IV. ℞. Nequaquam, id enim ſemiduplici fuit conceſſum, quia alias poſt octavam differri deberet, ubi duplex adhuc infra octavam locum habet in prima die non impedita.

V. Quæres 2. Cuinam repoſitio in ſequenti die debeatur, ſi verb. gr. a feſto habente octavam duo officia, quorum unum ſemiduplex ſit, duplex alterum, abigantur? Uſquemodo enim allegata Decreta nihil decidunt, quippe quæ loquuntur de ſemiduplici relate ad duplex *prius* translatum, non ſimul occurrens.

VI. ℞. Semiduplici, quod privilegiatum extitit præ duplici, ne illius repoſitio poſt octavam differenda foret; quare etſi Decreta reipſa ſolum procedant relate ad duplex prius translatum cauſa petitionum, quæ ſupra eodem dumtaxat fuerunt exhibitæ, Decretorum tamen ratio, cui manent innixa, diſpoſitionem protendunt etiam relate ad duplex ſimul occurrens, quod itidem ultra octavam ſemiduplex rejiceret, & ipſum infra octavam adhuc locum habet, vel habere poteſt,

DECRETUM VII. CAPITIS, IN ORDINE CLXI.

In Eccleſiis, in quibus celebratur feſtum S. Bartholomæi Apoſtoli die 25. Auguſti cum octava, vel quia eſt Titulare earumdem Eccleſiarum, vel ex alia ratione, & ſic per neceſſe feſtum S. Ludovici ſub ritu ſemiduplici venit celebrandum die 26. dicti menſis Auguſti, ſecunda die infra octavam S. Bartholomæi, quæſitum fuit, quando dies 26. ſit dies Dominica, quæ non admittit ſemiduplicia, an in tali caſu officium S. Ludovici ſit transferendum ad diem Lunæ immediate ſequentem licet ſit impedita alio officio ſemiduplici, nempe die 3. infra octavam S. Bartholomæi, vel potius veniat transferendum poſt octavam ejuſdem S. Bartholomæi? & reſponſum fuit: *Servetur Rubrica* 10. *num.* 5. *de Transl. Feſtorum.* S. R. C. 23. Martii 1709. *in Peruſina*, Ex Merato in Indice Decr. Breviar. num. 246.

I. FEſtum S. Bartholomæi quiſque juxta ſuæ regionis conſuetudinem celebrare tenetur, conſultus ſiquidem Innoc. III. *lib. 3. Decretal. tit. 96. de obſerv. jejun. cap.* 2. Epiſcopo Braccarenſi per hæc verba reſpondet: *De feſtivitate vero B. Bartholomæi Apoſtoli, de cujus celebratione dubietas oritur apud quoſdam, reſpondemus, quod in hac conſuetudinem tuæ regionis obſerves;* quam conſuetudinem item laudat Breviarium Romanum per Rubricam in idem feſtum invectam. Sunt, qui ſentiunt, S. Bartholomæum die 24. Auguſti fuiſſe excoriatum, & die 25. obiiſſe, hinc alicubi coli diem martyrii, alibi diem mortis; & ſane excoriatio adeo truculentus cruciatus eſt, ut ſecum trahere jure queat præcipuam Sancti feſtivitatem, etſi ad ſequentem diem mors dilata fuerit. Coſignant tamen alii mortem ejuſdem S. Bartholomæi diei 24., & die 25. recoli volunt translationem Corporis ejuſdem ab Othone II. factam anno 983. in Romanam Inſulam Licaoniam, in tumbam porphireticam, Qua de re videri poſſunt Baronius *in notis martyr. ad diem 25. Aug.*, Gavantus, *ſect. 7. cap. 10. n. 24.*, Fagnanus *in 2. part. Decretal. cap. Conſilium n.* 28., & Belethus *div. off. c.* 11.

II. Romæ itaque, & ubi celebratur die 25. officium S. Ludovici, quod ſub ritu ſemiduplici eadem die recurrit, perpetuo tranrlatum evadit, & ſequentem diem, quæ in Breviario Romano eſt inimpedita, tamquam propriam, & perpetuam ſedem acquirit, etiam ubi S. Bartholomæus habet octavam, cum hæc

patia-

pariatur ſemiduplex ab antecedenti die tranſlatum. Ortum eſt autem dubium, an ſi die 26. occurrat Dominica, prædictum officium transferri poſſet in ſequentem diem nempe 27., nullo quidem feſto, ſed tertia die octavæ occupatam, an magis poſt octavam differri deberet? *Servandam eſſe Rubricam* 10. *num.* 5. *de Tranſl. feſt.* Congregatio reſpondit, cujus reſponſio interrogationi æque obſcura fortaſſe videbitur; Rubrica enim præfata infra octavam non admittit niſi feſtum ſemiduplex ab antecedenti proxime die translatum, ubi feſtum S. Ludovici non a die 26., ſed 25., in quo recurrit, in caſu videtur amotum; Aliunde vero cum diei 26. ſit inibi perpetuo addictum, ejuſdem translatio petenda videtur ab eadem die, & non ab antecedenti, quam penitus deſeruit, quare utrumque ex Rubrica, quæ ſervanda mandatur, æque etui poſſe videtur.

III. Verum poſterior hæc ratio difficultatis nodum utique extricat; feſta enim, quæ perpetuam immutationem ſubeunt, diem, cui addicuntur, tamquam propriam ſedem priori penitus abdicata reſpiciunt, quare cum feſtum S. Ludovici diei 26. in perpetuum ſit conſignatum, dies 27. eſt dies proxime ſequens, perinde ac ſi in Breviario Romano die 25. minime recurreret. Dubium itaque non eſt, quod dum allegata Rubrica ſervanda indicitur, feſtum S. Ludovici die 27. celebrari mandatur, ac inſimul traditur generalis regula in ſimilibus obſervanda. Confirmat id uſus communis, qui feſtorum immutatorum antiquitatem translationis non petit a die natalitia, ſed a die aſſignata, conſideratque feſta in eadem die tamquam occurrentia.

DECRETUM VIII. CAPITIS, IN ORDINE CLXII.

In Feria VI. poſt octavam Aſcenſionis poteſt fieri de officio ſemiduplici translato. S. R. C. 11. Auguſti 1691. *in Romana dubiar.* Ex Merato in Indice Decretor. Brev. num. 169.

I. DOminus Jeſus, poſtquam a mortuis reſurrexit, per quadraginta dies terram hanc inhabitare dignatus eſt, quibus & præbuit ſe ipſum vivum Apoſtolis in multis argumentis, apparens eis, & loquens de Regno Dei. Conſpicuum autem illis ſe præbuit, ut exhibitis tot illuſtribus exemplis, & ſanctiſſimis præceptionibus eos erudiret, ac virtutum ſtudia tam altas in illis radices agerent, ut exemplis etiam, & corporis præſentia ſublatis, omni opera in earum officiis eniterentur. Quoniam vero operæ pretium erat, ut Chriſtus hinc in cælum proficiſceretur, ne hominum mentes Divini Spiritus expertes forent: *Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos. Quum aſſumptus fuero a vobis, mittam vobis ſpiritum veritatis*, ipſis videntibus Apoſtolis elevatus eſt, & in cælum conſcendit. Tunc Apoſtoli ſanctius Deum colere, & diligere cœperunt, quum in eum ipſis conſpicuum oculorum aciem intendere minime potuerunt; *hinc adorantes regreſſi ſunt in Jeruſalem, & omnes erant perſeverantes unanimiter in oratione.*

II. Quæ cum ita ſint, abſimile vero non eſt, ut docet Auguſtinus *Ep. 44. alias* 118. *cap. 1.*, Aſcenſionis feſtum Apoſtolicæ eſſe inſtitutionis; ſatis enim veriſimile eſt, quod ſtatim ab Apoſtolis coli cœperit dies ille, quo tantum Chriſti triumphum meruerunt intueri. *Quadrageſima* appellatum legitur ab eodem Auguſtino, *Teſſeracoſtus* a Macro, quod quadraginta diebus poſt Paſcha celebretur. *Epitome*, hoc eſt *Dies ſalutis* a Gregorio Nyſſeno, *Finis Œconomiæ*, ideſt Incarnationis Chriſti ab Auctore Conſtitutionum Apoſtolicarum, *& conſummatio, & adimpletio reliquarum ſolemnitatum, & felix clauſula itinerarii Filii Dei* a Divo Bernardo. Habet præcedentem vigiliam ſine jejunio, de qua egimus in Capite de vigiliis, inter feſta 1. claſſis, & feſtiva de præcepto recenſetur, ac quodcumque feſtum expellit.

III. Habet octavam, & in Dominica infra eamdem officium partim de octava eſt, partim de Dominica. Quæ Dominica Romæ appellabatur olim *Dominica Roſarum*, non quod ea die benedicerentur Roſæ, ut adhuc fit in Dominica 4. Quadrageſimæ, ſed quia ſicuti hoc tempore Roſæ floreſcunt, ſic per Eccleſiam, ubi ſtatio erat, ſpargebantur, ut tradit Baldaſarius in Libro *La Roſa d'oro* cap. 3. §. 1. Hujus octavæ vetuſtiora quidem monumenta deſiderantur, ejuſdem tamen meminit Radulphus *prop.* 19., quo antiquiorem eſſe non ambigimus, etſi haud putemus in hocce argumento eſſe immorandum. Communibus regitur Rubricarum legibus, a quibus dumtaxat recedit dies ejuſdem octava, quæ licet duplex minus tantummodo ſit, Veſperas tamen non cedit duplici majori, ſed ſolum duplici 1. vel 2. claſſis, ut diſponit Rubrica 11. *de concurr. num.* 7., necnon poſita, ſub Tabella concurrentiæ *num.* 2. Duplicem majorem una cum octavis Epiphaniæ, Paſchatis, & Corporis Chriſti, hanc diem octavam facit Gavantus *ſect.* 3. *cap.* 2. *num.* 6., cui ſubſcribit Kalendariſtarum praxis. Verum cum dies octavæ hæ omnes in Tabellam duplicium majorum minime connumerentur, nos maluimus Gavantum deſerere, quam diminutionis nota eamdem Tabella incuſare; hinc & Meratus hac in parte *ibid. num.* 3. Magiſtrum ſuum deſtituit: *Octavæ Epiphaniæ, Paſchatis, Aſcenſionis, & Corporis Chriſti non ſunt revera duplicia majora, ſed in concurrentia ſunt ad inſtar duplicium majorum.*

IV. *Ad inſtar duplicium majorum*, quatenus ſcilicet iiſdem factum eſt privilegium Veſperas non cedendi niſi duplicibus 1. vel 2. claſſis, & in hoc ſenſu tamquam duplicia majora a Gavanto fortaſſe notantur, & certe a ſciris Kalendariſtis, ne ſcilicet Clerus, dum obſervat dictas octavas ritu duplici minori ſignari, in particularibus concurrentiis cum duplici majori eaſdem Veſperis defraudaret. Dum autem diximus, *has dies octavas nonniſi duplicibus 1. vel 2. claſſis Veſperas concedere*, id univerſim ſit verum, cum concurſus eſt cum feſtis Deiparæ, aut Sanctorum, ſecus ſi ſit cum feſto duplici majori, quod de Deo, aut Chriſto Domino foret inſtitutum; illæ enim dies octavæ pluſquam inſtar duplicis majoris cenſeri non poſſunt privilegiatæ, quare cum tunc major non relevet dignitas, cum concurſus ſupponatur cum æquali, aut ſuperiori, reſpective vel integræ, vel dimidiæ Veſperæ feſto tribuendæ videntur.

V. Sunt, qui privilegium harum octavarum ad ceteras cunctas dies octavas de Deo, aut Chriſto alicubi inſtitutas extendunt, puta ad diem octavam SS. Redemptoris, Inventionis S. Crucis, SS. Trinitatis, Transfigurationis &c., ſed aperte falluntur; Rubricæ enim, dum id privilegii faciunt, diſerte loquuntur de illis octavis, nec verbum tenent, quod aliis poſſit eſſe favorabile; nos autem ſcimus, quod privilegia neque ex majoritate rationis valent extendi, quare alibi vidimus, quod etſi octava Corporis Chriſti rejiciat ſemiduplicia occurrentia, & duplicia translata, pluribuſque aliis gaudeat privilegiis, nihil tamen hujuſmodi habet octava SS. Trinitatis, licet hæc ſit dignior illa. Ceteræ itaque dies octavæ Dei, aut Chriſti erunt duplices minores, nec plus præferentiæ habebunt, quam tribuit illis ritus, aut dignitas. Etenim etiam Rubrica *Inter feſta feſtis* ipſis Domini præferentiam non præſtat, niſi in caſu æqualitatis in ritu: unde itaque nos unquam eorumdem diebus octavis plus juris concedere poſſumus.

VI. Hoc præ ceteris habet octava Aſcenſionis, quod licet revera in ſequenti feria quinta abſolvatur, unde in eo officium duplex inſtituitur, adhuc duobus diebus ſequentibus, ſcilicet feria ſexta, & Sabbato, eadem veluti prorogatur, cum ex Rubricæ mandato officium fiat ſicut infra octavam Aſcenſionis, nonnullis dumtaxat depromptis ex Dominica infra octavam ejuſdem. Fortaſſe per decem prorogatur dies, quia tot fuerunt Apoſtoli poſt Aſcenſionem perſeverantes unanimiter in oratione, poſt quos Paraclitum accipere meruerunt.

VII. De præfata feria 6. dubium emerſit, num admittat ſemiduplicia translata, non quidem a die immediate præcedenti, quæ nec reſpuuntur a die infra octavam Aſcenſionis, ſed ſemiduplicia ab ulteriori die translata? & videbatur, quod non. Tum quia ea feria reputatur *tamquam dies infra octavam*, dicitur *prorogatio octavæ*, & in ea fit officium *ut infra octavam Aſcenſionis*. Tum etiam quia Rubrica habet: *Si feria 6. occurrat feſtum 9. lectionum, fit de feſto;* ſi autem admitteret etiam ſemiduplex translatum, hujus etiam meminiſſet Rubrica.

VIII. In eadem tamen feria ſemiduplicibus translatis locum faciunt Biſſus *Hierurg. tom.* 1. *verb. feria num.* 26. §. 2., Guyetus *lib.* 4. *cap.* 8. *quæſt.* 8. Gavantus *ſect.* 6. *cap.* 17. *num.* 7., & Meratus *ibidem num.* 5., & nunc id indubium redditur, cum in præſenti Decreto diſerte ſit declaratum. Ratio hujus eſt, quia hæc feria non eſt dies rigoroſe infra octavam, cum dies octava in feria quinta terminetur; ratio enim, ob quam ſemiduplicia translata ab octavis rejiciuntur, ne ſcilicet plures his dies detrahantur, minus valet pro præſenti feria, quæ octavam ultra ſolitum dilatat. Verbum Rubricæ *ſi occurrat*, intelligunt nonnulli per additionem infiniti, & legunt, *ſi occurrat fieri*, quo in ſenſu non excluditur ſemiduplex translatum. Alii quod Rubrica de occurrenti aſſerit, ſed de translato non negat, alias nec de duplici translato in eadem fieri poſſet; aſſerit quippe Rubrica, *ſi occurrat feſtum 9. lectionum*, cujus nomine non minus venit duplex, quare ſi de hoc translato adhuc agitur, cur non etiam de ſemiduplici? Alii denique, quod ponit exemplum in feſto occurrente dumtaxat ad deſignandum, quod de dicta feria, & quandonam commemoratio fieri debeat, quare ſubdit: *Fit de feſto cum commemoratione officii ejuſdem diei, niſi illud feſtum fuerit ex ſolemnioribus? &c.*

IX. *Poteſt fieri de officio ſemiduplici translato.* Verbum *Poteſt* arbitrium, non neceſſitatem facere videtur; mirius tamen verbum illud *Poteſt* petitio in Decretum invexit, quæ fuit, *an fieri poſſet;* hoc ipſo tamen, quod *poteſt*, etiam *debet* fieri, quia ſtatim feria illa non eſt impedita relate ad dictum ſemiduplex, & feſtum quodlibet ad primam diem non impeditam a Rubricis rejicitur. Unde privilegium eſt officii ad libitum, poſſibile, & non neceſſarium officiis reponendis præſtare impedimentum, ſed hoc privilegium dumtaxat ſe tenet ex parte recitantis, quatenus de officio ad libitum poteſt, & non poteſt recitare; id autem non evenit in officio dictæ feriæ 6., a cujus recitatione Clerus non ſe valet eximere.

X. Non levis nunc difficultas emergit, quomodo ſint regulandæ ſecundæ Veſperæ feſti ſemiduplicis, de quo actum eſt in dicta feria ſexta? Gavantus *ſect.* 6. *cap.* 17. *n.* 7. feſto integras concedit Veſperas, eo quod potius eſt occurrentia feſti, & feriæ, quam concurrentia cum Sabbato ſequenti, quod neque eſt feſtum ſemiduplex, neque dies infra octavam, ſed officium repetitæ Dominicæ uſque ad nonam incluſive. In eamdem opinionem deſcendit Bauldryus *in man. part.* 4. *cap.* 3. *quæſt.* 3., & noviſſime Pittonus *lib.* 2. *de oct. num.* 737., eique communior adhæret praxis, quæ ut plurimum Gavanti opinionibus cœce ſubſcribit.

XI. Guyetus *lib.* 4. *cap.* 3. *quæſt.* 3. capitulum aſſignat feriæ cum commemoratione ſemiduplicis, & ſuper adducta Gavanti ratione inquit; *Recte omnino, neque nos inde etiam ſumimus, quod ſit concurrentia cum Sabbato; ſed cum ſit occurrentia feſti in ipſa feria ſexta, & ipſa feria ſexta more dierum infra octavas celebretur, certe præſtandum idem videtur, ac ſi eſſet dies infra octavam; in tali autem caſu a capitulo fieret, ergo &c.*, putat enim Guyetus, quod dum ſemiduplici occurrente infra octavam, a capitulo fit de die infra octavam, non fiat

de

Digitized by Google

de die infra octavam ſequenti, quæ primis caret Veſperis, ſed de die infra octavam, quæ ſimul cum feſto occurrit.

XII. Etſi nos Guyeti opinioni ſtatim refragabimur, quatenus die infra octavam occurrenti in feſto ſemiduplici, non ſequenti diei infra octavam capitulum concedit, eidem tamen refragari non poſſumus, quatenus in præſenti caſu capitulum concedit feriæ; cum enim hæc feria 6., & ſequens Sabbatum inſtar ſe habeant dierum infra octavas, & ſolum exceptis iis, quæ in oppoſitum expreſſe ſancita ſunt, tamquam dies infra octavam regulari debeant, qua de cauſa non admittunt preces Dominicales, nec commemorationem de Cruce, quæ tamen alias dici deberent, videre non eſt, cur capitulum dicendum non ſit de feria 6., in qua feſtum occurrit, ſive de ſequenti Sabbato, uti reipſa fieret, ſi tale feſtum infra octavam recurreret.

XIII. Verum quoniam ad rem admodum facit, hic nobis liceat excitare quæſtionem, num occurrenti infra octavam feſto ſemiduplici, dum juxta Rubricas fit a capitulo diei infra octavam, quoties de hac in ſequenti die fit officium, capitulum ſit de die, in qua ſemiduplex occurrit, an vero de ſequenti die infra octavam? Ut dicebamus, arbitratur Guyetus dies infra octavas paſſivam non ſuſcipere concurrentiam, nec primas habere Veſperas, ſed earum officium incipere a Matutino; quare dum in ſecundis Veſperis feſti ſemiduplicis fit a capitulo de octava, aſſerit id non fieri, quaſi tunc incipiat officium diei ſequentis infra octavam, ſed potius quod diei ipſiuſmet præſentis officium a capitulo reſumatur dimiſſo feſti ſemiduplicis officio.

XIV. Verum hæc opinio profecto undique nutat; quis enim dare umquam poteſt dimidium Veſperarum illi diei, qui in laudibus ſolam commemorationem eſt aſſecutus? Nonne Rubricæ, atque Decreta, quoties dies ipſa octava in laudibus ſolam commemorationem poteſt habere, etiam in Veſperis, licet hæ integræ de eadem eſſe poſſent, ſolam commemorationem volunt eſſe habendam? Nonne idipſum præſcribunt de ſimplici occurrente in feria 4. Cinerum? Quæ cum a Guyeto ipſo doceantur, utique ſibimetipſi parum conſonam hanc ejuſdem opinionem demonſtrant. Deinde ut in propoſito caſu a capitulo fiat de octava, expoſcitur, quod die ſequenti de ea fiat officium; unde autem umquam hoc poſſet exquiri, ſi capitulum foret de die occurrenti, non de die ſequenti? Verum dubium quodlibet amovet Tabella concurr., dum aſſignat concurſum feſti cum die infra octavam, & de hac præſcribens reſpective capitulum, vel commemorationem, notat capitulum, vel commemoratio *de ſequenti*. Idipſum ſignat Rubrica 11. *de concurr. num.* 4. Si itaque Rubricæ ipſæ diſerte dicunt *de ſequenti*, quis umquam dicere valet, quod capitulum, aut commemoratio, quæ de die infra octavam aſſignantur, ſint de die, in qua feſtum occurrit, & non de die ſequenti?

XV. Indubium igitur eſt, quod dies infra octavam primas habens Veſperas, & paſſivam ſuſcipiunt concurrentiam; habent autem etiam ſecundas Veſperas, & concurrentiam activam, exdemque quippe Rubricæ faciunt dies infra octavas concurrere cum ſequenti feſto, & dum de illis aſſignant vel dimidium Veſperarum, aut commemorationem, notant itidem *de præcedenti*. Quoniam vero videtur hinc ſequi, quod quando duobus diebus continuis fit de diebus infra octavam, deberet fieri a capitulo de ſequenti, reponimus hoc quidem, licet poſtea non fiat, quia utrumque officium eſt de eodem, numquam quippe de aliquo inchoantur Veſperæ, quando cum ejuſdem commemoratione finiti non poſſunt; in propoſito autem caſu commemoratio præcedentis diei fieri non poſſet, alias de uno, & eodem ſimul fieret officium, & commemoratio. Uti igitur cum ſimul ſuccedunt duo officia de eodem Sancto, numquam fit Veſperarum dimidiatio, ſed de alterutro recitantur ſine commemoratione alterius, ita fit, quando duo dies infra eamdem octavam ſucceſſive habent officium. Quando vero concurſus eſt cum feſto extraneo ab octava, ſtatim ſe explicat concurſus octavæ, ita ut hic ſit paſſivus, ſi feſtum præcedat, activus vero, ſi feſtum ſequatur; adeoque ſi concurſus eſt paſſivus, capitulum, vel commemoratio ſint de ſequenti die infra octavam, ſi vero eſt activus, dimidium Veſperarum, vel commemoratio ſint de præcedenti die, ceſſante commemoratione diei per feſtum impeditæ, cujus loco ſtat commemoratio alterius diei, quæ eſt de eodem feſto. Bene vero in concurſu cum feſto extraneo ſe explicat concurſus octavæ, qui quando eſt cum altera die ejuſdem octavæ, ſolummodo latitat, quia in hoc per commemorationem perfici non valet, bene autem in illo.

XVI. Duo ſunt, quæ his poſſunt obſiſtere, & primo, quod ſi dies infra octavam primis gauderent Veſperis, ut in primis Veſperis deberet recitari, cum a capitulo fit de iiſdem, uti reipſa fit die ſeptimo, quia dies octavus primas habet Veſperas. 2. Quod ceſſante die octavo, ob occurſum puta in feria 4. Cinerum, dies ſeptimus ſuas deberet recuperare Veſperas, quæ ſibi a die octavo abripiuntur; hoc autem eſt contra Decreta, & ea, quæ dedimus in eorumdem expoſitione.

XVII. Ad primum dicimus, quod ſolum diei octavo, utpote qui ritu ſolemni, & feſtivo recolitur, ſuaſque ſemper primas explicat Veſperas, datum eſt, in primis ejuſdem Veſperis recitari ut in primis Veſperis feſti, non autem diebus intermediis, qui ſolemnes non ſunt, omnibus communi ritu peraguntur, & quaſi unum continuatum forent officium, celebrantur, nec commodum primarum, & ſecundarum ſuarum Veſperarum locum habent; ſed in his ſe mutuo impediunt, quandoque ſolum primas, quandoque tantum ſecundas, quandoque utraſque Veſperas aſſequuntur, & quoties ſe mutuo conſequuntur, præcedens dies ſecundas ſemper integras habet Veſperas, quas cum ſequenti die, quæ eſt de eodem officio, non convenit dividi. Cum itaque dies infra octavam, dum ſucceſſive celebrantur, ſolum ſecundas explicant Veſperas, rite infra octavam ut in ſecundis Veſperis præſcriptum eſt recitari, & hoc extenſum fuit etiam ad primas, quas ſolum quandoque, & per accidens, ratione ſcilicet concurrentis feſti, explicant, ne cum diſformitate a communi, & veluti ſibi connaturali ritu tales dies tunc videantur celebrari.

XVIII. Ad 2. naturam octavæ ferre, quod per octo dies continuetur, quorum primus primis, quæ ſunt ſecundæ feſti, & ſeptimus ſecundis, quæ ſunt primæ octavi, careat Veſperis, unde numquam eas recuperare queunt. Ceteri dies, non excluſo ſeptimo, primas habent Veſperas, licet hæ minime explicentur, dum illi inter ſe ſe concurrunt, bene vero, quoties concurrunt cum feſto extraneo, praxis inſtat, quæ ſervatur in duobus feſtis ejuſdem Sancti ſe ſe conſequentibus, ut dicebamus. Præfata autem feria 6., & Sabbatum inſtar dierum infra octavam ſe habent unde de iiſdem pariformiter eſt loquendum.

XIX. En ad rem argumentum aliud: Si in dicta feria occurrat feſtum duplex 2. claſſis, in laudibus tacetur commemoratio feriæ, non in 2. Veſperis. Hæc commemoratio eſſe nequit de feria 6., cum contra Rubricas, & Decreta ſit in Veſperis commemorationem agere de eo, de quo acta non eſt in laudibus; ergo eſt de ſequenti Sabbato; ergo hoc primis gaudet Veſperis. Adde, quod alias Tabella occurrentiæ diminuta foret, cum de hoc concurſu proviſionem non feciſſet, quam tamen per particulam *O* egit etiam de iis, quæ concurſum non habent.

XX. An officio dictæ feriæ 6. præferri debeat dies aliqua infra octavam, ſi quæ occurrat, affirmat Pittonus *lib.* 2. *de oct. num.* 727., negat Guyetus *lib.* 4. *cap.* 12. *quæſt.* 7., cui nos aſſentimur, quia officium dictæ feriæ eſt de octava Aſcenſionis, quæ per duas dies ultra ſolitum prorogatur; octavæ autem Aſcenſionis, cum ſit de myſterio præcipuo, nulla particularis, licet Chriſti, eſt præferenda, ut communiter docent Auctores. Futilis autem omnino eſt ratio Pittoni, quia alias octavæ ceſſarent in laudibus dictæ feriæ, de qua conſequenter dicerentur reliquæ horæ, cum tamen illæ communiter cenſeantur ceſſare in Veſperis. Verum jam alibi diximus, octavas etiam in Veſperis dictæ feriæ locum habere, niſi occurrat dies ſeptimus, qui caret 2. Veſperis. Ceterum etſi ab iiſdem Veſperis commemoratio octavæ excluderetur, adhuc ceſſaret in Veſperis, non in Laudibus, quia commemoratio, quæ fit in Laudibus, ſtat loco officii uſque ad Nonam, ſicut commemoratio, quæ fit in Veſperis, ſtat Veſperarum, & Completorii loco, unde ſi officium, de quo commemoratio habita eſt in Veſperis, habeat hymnorum terminationem propriam, hæc prorogatur in Completorio, & uſque ad Nonam de eo, quod eam habuit in Laudibus.

CAPUT XXI.

De Duplici transferendo infra octavam.

I. A Semiduplici gradum facimus ad duplex transferendum infra octavam, & uti in priori capite, ita in præſenti circa octavam non privilegiatam ſermo conſiſtit. Abs re tamen non eſſe putamus, curſim nonnulla tradere de octavis privilegiatis. Hæ in Breviario Romano quinque ſunt, nempe Corporis Chriſti, & de hac jam ſatis in proprio Capite, Paſchatis, & Pentecoſtes, & hæ cum ſint privilegiatæ contra quodcumque feſtum occurrens, aut translatum non ſuppetunt, quæ ſuper iiſdem dicantur, Nativitatis Dominicæ, de qua in Decreto ultimo Cap. 14., & ibi dictis dumtaxat addimus, quod cum eidem privilegium nullum excludendi duplicia translata logatur factum, ſi Dominica occurrat in die 31., & die 30. agi conſequenter debeat de die infra octavam, in hanc nihil vetat intrudi feſtum aliquod duplex, quod alicubi poſſet eſſe translatum. Secus eſt, quoties die 30. ponitur officium Dominicæ, licet ea die non occurrat, quia eo in caſo illud eſt officium ſemiduplex, quod ex Rubricarum mandatis inſpiciendum eſt, tamquam ſi eadem die Dominica occurreret, adeoque haud aptum eſt ſuſcipere quodlibet officium aliud translatum.

II. Ultima ex octavis privilegiatis eſt illa Epiphaniæ, de qua Rubrica in eodem feſto poſita: *Infra octavam Epiphaniæ ſi occurrat feſtum duplex, vel ſemiduplex, transfertur poſt octavam, niſi fuerit Patroni, vel Titularis Eccleſiæ, vel Dedicatio ejuſdem*; hinc Auctores omnes eruunt, quod de duplicibus dumtaxat primæ claſſis occurrentibus infra eamdem octavam fieri valet, & controvertunt de iiſdem translatis, quibus Guyetus *lib.* 4. *cap.* 8. *quæſt.* 6. *&* 8, per hæc verba item locum facit: *Cum octava Epiphaniæ admittat occurrens feſtum* 1. *claſſis, nihil obeſt, quin admittat etiam translatum*. Puſilla eſt iſta ratio, nec tanto digna Auctore, & ne ad aliena digrediamur, eam elidat octava Corporis Chriſti, quæ duplex minus occurrens admittit, & reſpuit translatum. Inſiſtendum eſt itaque Rubricis, quæ de duplicibus 1. claſſis occurrentibus loquuntur, & translatorum etiam meminiſſent, ſi ea voluiſſent comprehenſa, ut bene advertunt Piſcara *Carem. lib.* 3. *cap.* 6. *n.* 5., Halden *Ephem. par.* 2. *tit.* 1. *n.* 6., & Pittonus *lib.* 1. *de oct. n.* 240.

III. Quæ octava numquam commemorationem deperdit, non ſic tamen eſt de Dominica infra eamdem, quæ ſive in propria Dominicali ſede celebretur, ſive anticipetur in Sabbato, regitur per Rubricas Dominicarum communium; hoc ſolum intercedente diſcrimine, quod officium non cedit, niſi occurrenti duplici primæ claſſis, non quidem ratione ſui, ſed ratione octavæ, infra quam recurrit. Quando eadem Dominica occurrit in die octava, anticipatur in Sabbato; cum enim huic octavæ con-

tra

Digitized by Google

tra conſuetum morem ſolum quinque dies infra octavam aſſignati fuerint, alias deficeret officium, quod recitaretur in Sabbato. Macrus *in Hierolex. verb. octava* prædictæ diſpoſitionis hanc dat cauſam, ut ſcilicet ſervetur ordo vitæ Chriſti, nam in Dominica deſcribitur ætatis annor. 12., in die octava vero cum ejus celebretur baptiſmus, inſpicitur in ætate 30. annor. *Quæ ratio*, ait Pittonus, *adeo eſt vera, ut nullum habere debeat contradictorem, niſi illum, in quo nullus ordo, ſed ſola confuſio actionum inhabitet*. Verum etſi admodum congrua ſit iſta ratio, qua, vel conſimili nos ipſi uſi fuimus ad deſcribendam inconvenientiam, quam Feſtum SS. Nominis Jeſu habet ad quadrageſimale tempus, haud tamen adeo eam arbitramur eſſe magnificandam, quoniam in eadem Dominica licet deſcribatur annor. 12., adhuc ſimul inſpicitur puer paucorum dierum per commemorationem Epiphaniæ, quæ in eadem agitur Dominica, & in Dominica 2. poſt Epiphaniam una cum nuptiis Canæ Gallileææ celebratur SS. Nomen Jeſu, etſi in hoc ſignetur Jeſus puer octo dierum, in illis vero jam vir plurium annorum; quidni igitur & ſimul recoli potuiſſet Chriſtus in baptiſmo tamquam vir 30. annorum, & in officio præfatæ Dominicæ ut adoleſcens 12. dumtaxat annorum?

IV. Quod in feſto Epiphaniæ Matutinum inchoetur ab Antiphona primi Pſalmi, omiſſis Invitatorio, Hymno, & Domine labia, teſte Grancola *lib. 2. cap.* 30. reliquia eſt moris antiqui quodlibet inchoandi Matutinum, adhuc retenti, ne Pſalmus *Venite*, qui ad tertium nocturnum dicitur, bis diceretur. Addit Durandus *lib. 6. cap.* 16. ad denotandam promptitudinem Gentium in Magis præſignatam, qui ſtatim ſtella apparente venerunt, muto nuntio, non loquente, ut ſimul hinc incutiatur erubeſcentia iis, qui tarde credunt, cum multos habeant prædicatores. Vel quia ipſa res nos invitat, ſcilicet ſtella, per quam ſignificatur fides, quæ ducit nos ad Deum, & nos illuminat in nocte hujus ſæculi. Sive ad deteſtandam fraudolentam Herodis invitationem, qui fingens ſe velle adorare Chriſtum, cum vellet perdere, dixit Magis: *Ite, & interrogate diligenter de puero, ut & ego veniens, adorem eum*. Quem tamen Magi in ſomnis admoniti, deluſerunt, per aliam viam in regionem ſuam revertentes. Pſalmus invitatorius dici relictus eſt in tertio nocturno, quia in tertio tempore, ſcilicet gratiæ, per tertium nocturnum ſignificato, invitata eſt Eccleſia de Gentibus per Magos, & ſtellam, & nullus ſe excuſare poteſt, quia in omnem terram exivit ſonus eorum; ſæpius autem repetitur antiphona *Venite adoremus*, ut confluant undique omnes. Infra octavam dicitur invitatorium nomine Magorum, alios invitantium ad adorandum Chriſtum; ne autem bis dicatur, tacetur in tertio nocturno.

V. Primum reſponſorium *Hodie in Jordane*, quod eſt de Chriſti baptiſmo, dicitur in feſto, eo quod reapſe die 6. Jan. Chriſtus baptizatus fuit, ut contra Epiphanium, qui ſexto idus Novembris dictum baptiſmum aſſignat, communis, & antiqua traditio teſtatur. Dicitur quoque in Dominica infra octavam, quod cum Chriſtus baptizatus fuit, dies 6. Jan. in Dominicam inciderit, ſicuti ex Auguſtino eruit Baronius *ad annum Chriſti* 31. *n.* 34., & demum in die octava Epiphaniæ, quod huic diei adnexa ſit ſpecialis memoria baptiſmatis Chriſti Jeſu, de quo olim totum erat officium, nunc eſt Evangelium tantum, ut obſervat Grancolas *lib. 2. cap.* 31. Infra octavam vero ſubrogatur reſponſorium *Tria ſunt munera*, eo quod cum ſit de donis, & Magorum adoratione, principalius reſpicit dictæ feſtivitatis ſubjectum.

VI. Converſionem aquæ in vinum factæ ad Nuptias Canæ Galilææ hoc die itidem celebrare profitetur Eccleſia, quam die 6. Jan. eveniſſe inter alios aſſeverat D. Thom. *lect. 1. in cap. 2. Joan.*, quos tamen refellit Baronius, eique adhærent plurimi, qui diverſis eam tradunt diebus, aſſeruntque, illud *Hodie*, quod habetur in antiphonis, non referri ad tempus rei geſtæ, ſed ad commemorationem prædicti myſterii. Certe cum ex Auguſtino advertat Baronius, miraculum illud accidiſſe die Dominico, haud ſubſiſtit D. Thomæ opinio, qui poſt Chriſti baptiſmum die ſexta revoloto anno illud eveniſſe aſſerit; nam ſi baptiſma die ſexta, quæ foret Dominica, evenit, ſequenti anno feſtum Epiphaniæ in alteram incurrat diem, neceſſe eſt.

VII. Etſi Magorum adorationem diei 6. Jan. cum D. P. Aug. *ſerm. 202. de temp.*, & Eccleſiæ praxi communior conſignet opinio, non deſunt tamen, qui illam protrahunt ad dies 30., vel 40., & uſque ad annos poſt Chriſti Nativit.; tum quod plures ex Patribus e Perſia regione remotiſſima a Jeruſalem Magos veniſſe faciunt, unde nec beneficio Dromedariorum ſpatio 13. dierum tantum iter perficere potuiſſe creduntur, quando etiam orta ſtella, quæ Chriſti Nativ. communiter non ſit vetuſtior, ſtatim iter aggreſſi fuiſſent, præſertim quia in Jeruſalem parumper morari putantur. Herodes itidem a Magis illuſus *Matth.* 2. occidit pueros *a bimatu, & infra, ſecundum tempus, quod exquiſiverat a Magis*; a bimatu autem, & infra Herodes temporis Nativit. Chriſti per Magos conſcius factus, haud perdidiſſet pueros, ſi Magi tam cito veniſſent. Ad primum tamen facilis eſt reſponſio, non e Perſia, ſed ab Arabia Felice, quæ octo circiter diebus a Jeruſalem diſtat, & relate ad hanc ex parte Orientali extat, Magos profectos eſſe, ut ponderant plurimi ſuper illud: *& dabitur illi de auro Arabiæ*; & ſuper aliud: *Reges Arabum, & Saba dona adducent*; quare dubium non eſt quod ſpatio dierum 13. beneficio Dromedariorum pervenire potuerunt, tametſi in Jeruſalem aliquantiſper morati, & non ſtatim profecti putentur. Ad 2. reponit Chryſoſtomus, quod id egit Herodes pro abundantia cautionis, & licentia perſecutionis.

DECRETUM I. CAPITIS, IN ORDINE CLXIII.

Feſtum duplex occurrens ante octavam non privilegiatam, ſi eſt transferendum, transferri debet in diem infra octavam. S. R. C. 30. Septemb. 1679. *in una Cappucin.* Ex Merato in Indice Decret. Brev. num. 105.

I. NOS hæc inſtruit Sanctio, dies infra octavam ſuſcipere duplicia tranſlata ante octavam, & triplici innititur Sanctio Rubricæ, quarum prima eſt *de Tranſl. n.* 1., quæ duplicia transferenda edicit *in primam diem feſto duplici, vel ſemiduplici non impeditam*; ad rem autem notat Guyetus *lib. 4. cap. 7. quæſt.* 2., quod *feſti nomine hic non veniunt dies infra octavam*. Secunda ex Rubricis eſt eadem ſub n. 3. *Si aliquod feſtum duplex infra octavam occurrens, alio majori feſto impediatur, transferatur in primam diem ſimiliter non impeditam, & in eo fiat commemoratio octavæ*. Si in eo facienda eſt commemoratio octavæ, proculdubio intra octavam eſt transferendum, ultra octavam quippe non extenditur commemoratio octavæ. Dies itaque infra octavam non cenſetur impedita pro ſuſceptione duplicis tranſlati, quia licet officium 9. lectionum ſit, non tamen feſtum novem lectionum, quo dumtaxat impedita dies cenſetur inepta ſuſcipere duplicia tranſlata, ut communiter Auctores explicant to *ſimiliter* prædictæ Rubricæ, ſcilicet ſimili feſto 9. lectionum. Equidem hæc Rubrica procedit de duplici e die infra octavam tranſlato, ſed nil prohibet extendi etiam ad tranſlatum ante octavam, quinimmo ex ſeipſa protenditur, dum diem infra octavam impedimentum ut ſupra non præſtare declarat. Tertia eſt Rubrica *de oct. n.* 3., quæ ita diſponit: *Infra octavas fit de duplicibus, & ſemiduplicibus, occurrentibus, ac etiam tranſlatis*. Nec refert, quod ex ſemiduplicibus, quæ ab antecedenti die ſunt amota, dumtaxat infra octavam locum habent; nam quantum ad ſemiduplicia attinet, eadem Rubrica expreſſe ſe refert ad Rubricam *de Tranſl. num.* 5., quæ ſolum favet ſemiduplicibus e die proxime præcedenti tranſlatis, ubi quoad duplicia ad nullam aliam Rubricam limitantem diſpoſitionem abſolutam ſe refert. Fortaſſe vero datum non fuit ſemiduplicia univerſim infra octavam rejicere, quia dies infra octavam ejuſdem extant ritus, bene vero duplicia, utpote quæ altiori gaudent ritu.

DECRETUM II. CAPITIS, IN ORDINE CLXIV.

Feſtus dies S. Caroli transferendus eſt juxta Rubricam de Tranſl. feſt. ob occurrentiam cum octava Dedicationis Eccleſiæ, ad diem ſequentem. S. R. C. 5. Martii 1695. *in Sabinen.* Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 188.

I. SAncti Caroli feſtum recurrit ſub rito duplici die 4. Novembris, quæ eſt dies 4. infra octavam Omnium Sanctorum, & impeditum transferendum edicitur in diem ſequentem, quæ eſt quinta dies infra eamdem octavam. Nunc itaque inſtruimur duplex tranſlatum e die infra octavam transferendum eſſe in aliam proxime ſequentem diem infra octavam, quæ feſto novem lectionum impedita non ſit, cujuſmodi in Breviario Romano eſt dies quinta Novembris. Rubricas, quæ ad rem faciunt, recole in præcedenti Decreto.

DECRETUM III. CAPITIS, IN ORDINE CLXV.

Feſtum duplex ante octavam non privilegiatam, vel infra eam occurrens, alio majori feſto duplici impeditum, eſt transferendum ad diem infra octavam proxime feſto duplici, vel ſemiduplici non impeditam. S. R. C. 22. Sept. 1703. *in Vien. in Auſtria*. Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 225.

I. DIctis in duabus præcedentibus, quæ nunc confirmantur, præſentem deferimus reſolutionem, quas omnes, quatenus duplex ante octavam tranſlatum, intra octavam rejiciunt, limitamus, ſi ante octavam adſit dies libera, ſicut Decretum ipſum ſatis ſe explicat de illo non transferendo infra octavam, ſi hujus dies omnes ſint per feſtum 9. lectionum impeditæ.

II. In medium nunc prodeat Decr. S. R. C. 10. Januar. 1698. apud Indicem Merati n. 174., & eſt: *Quæſitum fuit a S. R. C. declarari: Si officium duplex Romanum de præcepto cadat in die, quo fit officium de Sancto proprio alicujus Diœceſis, vel Religionis, & tale officium proprium habeat octavam, utrum Romanum transferendum ſit poſt octavam officii proprii, vel de eo fieri infra octavam, & ei aſſignari dies fixus? Sacr. Congr. reſpondit: In occurrentia duplicis Kalendarii Romani cum officio proprio habente octavam, de eo (ſcilicet de duplici Romano) fieri debere infra octavam prima die alio feſto duplici, vel ſemiduplici non impedita, juxta Rubricam 7. Breviarii Romani de octavis num. 3., & 10. de Tranſl. feſt. num.* 3., Jam non confirmantur, niſi ea, quæ dedimus in hoc capite.

III. *Si Romanum ſit ſemiduplex, utrum debeat idem ſervari?* Et reſpondit: *De officio ſemiduplici fieri debere die immediate ſequenti, ſcilicet 2. die infra eamdem octavam, qua ſi fuerit alio feſto duplici, vel ſemiduplici impedita, prædictum officium transferendum eſſe poſt octavam juxta Rubricam 10. de Tranſl. n.* 5. Quid unquam frequentius, & diffuſius a nobis actum eſt in præcedenti Capite? Potiorem expoſceret conſiderationem, quod ſubditur, nempe *Neutrum tamen transferri debere in diem fixum, niſi aliter indultum fuerit a Sede Apoſtolica*, ſed de hoc jam ſatis in cap. 8., & alibi adhuc ſermo redibit.

IV. Si

Digitized by Google

IV. *Si Romanum ſit ſemiduplex ad libitum, utrum transferri poſt octavam, vel locus fixus infra octavam ei aſſignari poſſit?* Et reſpondit; *Officia ad libitum, ſive ſub ritu ſemiduplici, ſive duplici infra dictam octavam occurrentia, non poſſe transferri, ſed debere omitti ex Decreto generali de officiis Sanctorum ad libitum non transferendis edito ſub die 24. Jan. 1682.* Recole, quæ dicuntur in Cap. de feſtis ad libitum.

V. *Si Romanum, & proprium ſint ejuſdem claſſis, & neutrum habeat octavam, de quo fieri debeat officium, de Romano, vel proprio, ſi occurrant eodem die?* Et reſpondit: *Si officium Romanum, & proprium ſint ejuſdem ritus, ſervari debere Rubricam de Transl. feſt. num. 6. vide cap. de occurr.*

C A P U T XXII.

De Feſtis Sanctorum ad libitum.

I. FEſta Sanctorum ad libitum teſte Guyeto *lib. 1. cap. 12. quæſt. 9.* antiquiora non ſunt Paolo Papa V., qui primus omnium eadem in Eccleſiam invexit, dum ſub die 27. Sept. 1608. feſtum S. Angeli Cuſtodis ad libitum Cleri celebrandum indulſit prima die non impedita poſt feſtum S. Michaelis Archangeli; quod & poſtea præſtitit de feſtis S. Caroli Borromæi, & Impreſſionis Stigmatum in corpore S. Franciſci pro ſuis reſpective diebus, & deinde id alii egere Summi Pontifices de aliorum Sanctorum feſtis. De Sanctis ad libitum nihil quidem expreſſe diſponunt, & ſtatuunt Rubricæ generales Breviarii, ſed non deſunt Decreta plurima, ex quibus abunde eorumdem eluceſcit natura, atque conditio, ac dubia quæcumque, quæ hinc exoriri valent, dirimuntur ubertim. Ad horum Decretorum traditionem, una ac explanationem modo deſcendimus, ut habeantur generales Regulæ præfatorum feſtorum celebrandorum, ad quorum examen nos vocat uber ſermo, qui identidem de octavis debet incidere.

DECRETUM I. CAPITIS, IN ORDINE CLXVI.

Quamvis S. R. C. die 18. Julii 1671, annuente Clem. X. die 26. Sept. ejuſdem anni, ad dubium, an de Sanctis ad libitum fieri poſſit translatio, ſicut fit de aliis Sanctis, qui non ſunt ad libitum, ſimiliter translatis, reſponderit affirmative; nihilominus eadem Sacr. Congr. habita 2. Decemb. currentis cenſuit, prædicto Decreto non obſtante, in futurum officia Sanctorum ad libitum non eſſe transferenda, quando dies eorum feſtivitatum ſunt impediti Dominico, aut alio die Feſtorum mobilium. S. R. C. 20. Decemb. 1673. *in una Urbis, & Orbis*, ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 98.

I. UTI officia de præcepto ſunt ea, quorum celebratio in præcepto eſt poſita, Clerumque adſtringit, ita officia ad libitum erunt ea, quorum celebratio in Cleri relicta eſt arbitrio, qui propterea eadem æque poterit recitare, & omittere. Quæ tamen ſi recitet, nonniſi ſub ritu, & die in Indulto expreſſis ea valet exolvere, nec integrum eſt, eadem altiori, vel depreſſiori ritu, aut alia die celebrare. Duplicis ſunt generis, alia ſcilicet ad libitum ubique, ut ſunt feſta SS. Canuti, Laurentii Juſtiniani, & Remigii Eccleſiæ univerſali conceſſa; alia vero ſolum alicubi, ut feſtum S. Juliani in toto Dominio Regis Catholici. Officia hæc ſub ſemiduplici ritu reperiuntur conceſſa, olim tamen non defuere ſub ritu duplici minori indulta, ut feſta S. Angeli Cuſtodis, & S. Falicis de Valois; quæ vero altiori ritu gaviſa fuerint, obſervare non licuit.

II. Communis olim erat ſententia, feſta ad libitum poſſe transferri, & eidem adhæſit Gobat *tract.* 5. *n.* 650. qui cum caſum Romæ conſuluiſſet, anno 1668. 20. Jan. in reſponſum habuiſſe fatetur: *Praxis Romana habet, ut etiam transferantur feſta ad libitum, ſic enim reipſa anno ſuperiori verb. gr. feſtum S. Thomæ a Villanova* (tunc erat ſemiduplex ad libitum) *quod in Dominicam inciderat, in communi Romano Directorio translatum eſt in vigeſimum ſecundum his verbis: Vel ad libitum de S. Thoma de Villanova Epiſcopo, & Confeſſore, fuit 18. hujus.* Potiſſimum vero nitebatur hic Auctor, eo quod nullum Decretum aderat talem inhibens translationem, & aliunde Rubrica de translatione eſt generalis, quinimmo adducit Decretum quoddam 9. Junii 1668. in quo officiorum ad libitum translatio declaratur licita. Quibus ſi addas Decretum 18. Julii 1671., cujus præſens meminit Sanctio, indubium redditur, quod feſta ad libitum translationem patiebantur.

III. Quamvis tamen ſic olim Congregatio cenſuerit, in præſenti Decreto a deciſis recedit, feſtaque ad libitum in futurum voluit non transferri poſſe, quoties a Dominico, vel alio die Feſtorum mobilium dies eorumdem impeditur, prædicto Decreto non obſtante, cui propterea expreſſe derogat, & implicite quibuſcumque aliis, in quibus translatio feſtorum ad libitum declaratur licita. Quibus Decretis univerſim non derogatur, ſed ſolum pro caſu, in quo feſta ad libitum per Dominicam, aut diem aliam feſtorum mobilium impediantur, quæ cum uno anno in una die, altero in altera occurrant, non perpetuum, ſed duntaxat accidentarium inferunt impedimentum. An autem Sanctorum ad libitum translatio ſit itidem vetita, quando impedimentum eſt perpetuum, in ſequentibus Decretis late traditur.

IV. Hoc Decretum toto in Capite pluries videre eſt confirmatum, innovatum, declaratum, & extenſum.

DECRETUM II. CAPITIS, IN ORDINE CLXVII.

Cum alias S. R. C. decreverit, officia Sanctorum ad libitum non eſſe tranferenda, quando dies eorum feſtivitatum ſunt impediti die Dominico, aut aliquo alio Feſtorum mobilium; quæſitum fuit declarari, quæ regula ſervanda ſit, quando occurrunt eadem die cum officiis Sanctorum Kalendarii proprii, vel translatis, vel demum ſemel per hebdomadam, vel per menſem recitari conceſſis? Et Sacra eadem Congr. reſpondit, prædicta officia Sanctorum ad libitum, etiam duplicia, occurrentia in diebus Dominicis, Octavis, & Natalitiis Sanctorum alicujus Religionis, vel Diœceſis ex vi Kalendarii proprii a Sede Apoſtolica approbatis, quantumvis ſub ritu ſemiduplici celebrandis, non eſſe transferenda, ſed omitti debere. Si autem occurrant eodem die, in quo alias aliquod feſtum translatum poni deberet, tunc liberum fore declaravit, eadem officia ad libitum recitare, & officium translatum ulterius ad aliam diem non impeditam transferre, prout etiam omiſſo officio, quod ſemel per hebdomadam, aut per menſem ex Apoſtolico Indulto recitari conceſſum eſt, officium ad libitum eodem die occurrens recitari poſſe decrevit. Et ita ab omnibus, qui ad horas canonicas tenentur, ſervari mandavit. S. R. C. 24. Januarii 1682. *in Decreto generali*, ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 122.

I. CUM *alias &c.* Alluditur ad præcedens Decretum, in quo cum duntaxat vetita ſit translatio feſtorum ad libitum, in propria die impeditorum per dies Dominicos, aliosque mobiles, licita videbatur, quoties a ſtato feſto alio ſimul occurrente in perpetuum expelluntur; quod enim per legem poſteriorem diſpoſitum non eſt, relictum cenſetur diſpoſitioni juris antiqui; hoc autem transferebat feſta ad libitum, etiam per feſtum ſtate occurrens in perpetuum impedita. E contra vero ob rationis identitatem diſpoſitio ut ſupra inhibitiva videbatur extendi etiam ad feſta ad libitum per officia immobilia in ſuo die impedita; hinc cum in varia Rubriciſtæ ſinderentur placita.

II. *Quæſitum fuit declarari, quæ regula ſervanda ſit, quando occurrunt eodem die cum officiis Sanctorum Kalendarii proprii, vel translatis, vel demum per hebdomadam, vel per menſem recitari conceſſis?* Hæc enim ſunt officia, quæ impedire poſſent celebrationem feſtorum ad libitum, ut magis patebit ex reſponſione uberiori, ſeu diſtinctiori per Sacram Congregationem eidem porrecta dubio.

III. *Et Sacra eadem Congregatio reſpondit, prædicta officia Sanctorum ad libitum, etiam duplicia, occurrentia in diebus &c., quamvis ſub ritu ſemiduplici celebrandis, non eſt transferenda, ſed omitti debere.* Hæc verba nos admonent officia ad libitum, licet duplicia ſint, non eſſe transferenda, ſed omittenda, quantumvis incidant in feſta, ſeu officia de præcepto ſolum ſemiduplicia; ſecus vero eſt, ſi occurrat feſtum ſimplex de præcepto, quo in caſu integrum eſt, officium ad libitum recitare; quare die 19. Januarii in Kalendario Romano in recitantium arbitrio ponitur de feſto ad libitum S. Canuti agere cum ſola nona lectione, & commemoratione feſti ſimplicis de præcepto S. Marii, & ſociorum Martyrum; verba enim illa, *quamvis ſub ritu ſemiduplici recitanda*, cum ſit odioſa, & reſtrictiva gratiæ, ultra eorumdem proprietatem, & importantiam non ſunt extendenda.

IV. *Occurrentia in diebus Dominicis*, adde, *& in quibuſcumque aliis diebus Feſtorum mobilium*, quæ ſunt quæcumque, quæ non ſtato aliquo die, ſed nunc uno, nunc altero occurrunt. Hoc jam deciſum vidimus in præcedenti Decreto, & inquiſitio ipſa ſupponit; præſens vero Sanctio, ut completam undequaque exhibeat reſponſionem, exemplum ponit in diebus Dominicis, ut hinc arguatur ad alia officia mobilia.

V. *Octavis.* Ut quamcumque etiam adimat dubitandi rationem, addit *Octavis*, licet de his quæſitum non interroget. Ad quas autem octavas, & an ad ſolam diem octavam, vel etiam ad dies infra octavas extendatur, in ſequentibus Decretis dicere reſervamus.

VI. *Et Natalitiis Sanctorum*, quorum nomine veniunt nedum officia in memoriam pretioſæ eorumdem mortis inſtituta, ſed officia quæcumque de præcepto; non enim verba ſtricte, & rigoroſe, ſed late, & ample accipienda ſunt, quoties conſtat de intentione Legislatoris, cui verba debent deſervire, non illa verbis; *Natalitia* autem notantur, quia ut plurimum officia de iiſdem reperiuntur indicta.

VII. *Sanctorum alicujus Religionis, vel Diœceſis.* Exemplificative, non limitative ſtant iſta verba, & ideo idem eſto judicium, ſi dies, in quos feſta ad libitum incidunt, impediti ſint per officia Reliquiarum, Titularis, Regnorum, Ditionum &c. Deſcribitur vero omiſſio Sanctorum ad libitum per eorumdem incidentiam in feſta particularia, quia agitur de officiis ad libitum Eccleſiæ univerſalis, quæ numquam ſimul occurrunt cum officiis univerſalibus de præcepto immobilibus, ſed ſolum mobilibus; cæterum ſi die, quo occurrit feſtum aliquod ad libitum, concedi eveniret, feſtum aliud Romanum, & non illi ſedes altera aſſignata veniret, ſtatim non minus vacaret feſtum ad libitum per occurrentiam cum feſto Romano, ut reipſa nonnumquam evenit feſta particularia ad libitum eſſe omittenda per conceſſionem feſti Romani pro eodem die, quo illa occurrunt, uti accideret feſto verb. gr. Sancti Juliani in Dominio Regis Catholici, ſi in Breviarium Romanum die 28. Januarii feſtum aliquod 9. lectionum de præcepto inveheretur.

VIII. Quæ

VIII. Quæ tamen ſint dicta, ita ut officia ad libitum ſint omittenda, quoties officia, in quæ incidunt, ſunt de præcepto, ſecus ſi ea pariter ſint ad libitum, tunc enim de utrolibet recitari valet, & illud, quod magis placuerit, omitti, licet inter ipſa diſparitas foret in ritu; ea ſiquidem officii ad libitum natura eſt, atque conditio, ut ejuſdem celebratio a mero Cleri pendeat arbitrio.

IX. *Ex vi Kalendarii proprii a Sede Apoſtolica approbatis.* Officia hoc modo approbata ſunt, quæ per Sedem Apoſtolicam, vel Sacram Congregationem, aut Rubricas conceduntur, necnon quæ ſunt innixa conſuetudini antiquiori Bulla Piana, vel Apoſtolicæ approbationi Kalendarii, vel Conſtitutionum, a quibus demandabantur; cum enim alias hujuſmodi officia licite recitari non valeant, proculdubio nec officia ad libitum ceſſare facere queunt.

X. *Si autem occurrat eodem die, in quo alias aliquod feſtum translatum poni deberet, tunc liberum fore declaravit eadem officia ad libitum recitare, & officium translatum ulterius ad aliam diem non impeditam transferre*, ut jam ſentiunt Gobat *tr.* 5. *num.* 620. *lib.* 6. aliique. Quam libertatem facit hæc ratio, quod inde translato nullum obvenit incommodum, quippe quod jam a proprio die amotum eſt, & adhuc in altero æque bene, & integre reſumitur, ad differentiam feſti ſimul occurrentis, quod alias e proprio die deberet expelli.

XI. At quid ſi nullus ſuperſint anni dies, in quo translatum poni queat, ſed juxta Decreta noviſſima alias ad ritum ſimplicem redigi debeat? Omitterem officium ad libitum, & eo die de translato agerem; ſupponit namque Decretum, quod dies adſit libera pro translati repoſitione: *& officium translatum ulterius ad aliam diem non impeditam transferre*; quare ſi nulla adſit anni dies, in quam transferri queat, haud locum habet diſpoſitio Decreti, quæ liberam facit celebrationem feſti ad libitum cum ulteriore protractione feſti translati. Et quidem ſi officium ad libitum penitus omitti debet, ne officium de præcepto ſimul occurrens, quod ceteroquin adhuc alio die integre reſumeretur, ſolum ſubeat incommodum amotionis e proprio die, multo magis omitti debebit, ſi feſtum translatum nullam reperiat diem utilem pro ſui repoſitione, ſed alias neceſſe foret, idem ad ſimplicem redigi commemorationem, vel penitus omitti.

XII. Accedit, quod ad effectum parandi locum translatis, moderationem octavarum, licet de præcepto hæ ſint, permiſſam vidimus in capite ſexto; quinimmo quæ dedimus in cap. 14., ſupprimunt officium ad libitum, licet duplex ſit, cauſa faciendi ſpatium Dominicæ anticipandæ, quod tantummodo ſimplex eſt, & feriale, quidni omitti etiam debebit officium ad libitum, ut locus fiat ſemiduplici, vel duplici translato? Quæ ſaltem ut minimum tamquam Congruentiora proculdubio præſtanda ſunt, ſi adhuc ſalvum velis arbitrium.

XIII. Dices. Feſta translata juxta Rubricas in prima die non impedita debent reponi, ſed dies, in qua occurrit feſtum ad libitum, non poteſt dici impedita, quia illud non præſtat impedimentum, quod a libero pendet arbitrio, *arg. leg. qui poteſt facere* 13. *ff. de reg. juris*, ergo ſemper omitti debet officium ad libitum cauſa reponendi translatum de præcepto.

XIV. ℞. Feſtum ad libitum non præſtare impedimentum prohibens, ne feſtum de præcepto transferatur in diem, quo feſtum ad libitum occurrit, bene vero impedimentum permittens, ut in dictam diem non transferatur; & nihil plus ex dicto eruit axiomate.

XV. *Prout etiam omiſſo officio, quod ſemel per hebdomadam, aut per menſem recitari conceſſum eſt, officium ad libitum eodem die occurrens recitari poſſe decrevit.* Hujuſmodi officia vel ad libitum itidem ſunt, vel ex privilegio, & certe Indultarios ad ſui celebrationem per ſe non cogunt, quare integrum manet eadem omittere, & officio currenti ad libitum indulgere. Verum hanc libertatem verior facit hæc ratio, quod ſint recitari conceſſa pro die non impedita, & feſta ad libitum ſufficiens, licet non neceſſarium præſtant impedimentum.

XVI. *Et ita ab omnibus, qui ad horas canonicas tenentur, ſervari mandavit*; quare generale eſt Decretum, & ab omnibus rigoroſe ſervandum, dummodo tamen ſpeciale non habeatur Indultum, ut dicemus ſequentia exponentes Decreta.

XVII. Hoc Decretum præcedenti confirmationem adhibet, & extenſionem, a ſequentibus vero confirmationem accipit, & declarationem. Verum neceſſe eſt, recolatur Decretum hujus capitis pro Sanctis ad libitum perpetuo impeditis, pro quibus diſpoſitio altera modo emanavit.

DECRETUM III. CAPITIS, IN ORDINE CLXVIII.

Circa dubium Decreti ſub die 24. Januarii anno 1682. emanati, in quo habetur, ut officia Sanctorum ad libitum etiam ſub ritu duplici in diebus Dominicis, & octavis occurrentia, non poſſint transferri, ſed omitti debeant, quæſitum fuit: An illa verba *In octavis* intelligi debeant die proprio octavæ, vel de tota octava, & an de qualibet octava, vel ſaltem de octavis privilegiatis? S. R. C. reſpondit verba illa intelligenda eſſe de tota octava, & de quacumque octava. Ita 28. Novemb. 1682. *in Faventina*, & idem confirmatum fuit die 30. Maji 1699. *in Uliſſiponen.* Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 132.

I. VIX præcedens emanaverat Decretum, de Sanctis ad libitum *in octavis* fieri inhibens, quod dubitatio plurima facta eſt ſuper intelligentia verbi illius *In octavis*; ad diem enim octavam, vel ad octavas privilegiatas videbatur reſtricta, cum in Breviario ipſo Romano non deeſſent exempla feſtorum ad libitum infra octavas communes celebratorum, Sanctæ ſcilicet Eliſabeth Reginæ Portugalliæ infra octavam SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac S. Caroli Borromæi infra octavam omnium Sanctorum.

II. Quam ad dubitationem Sacra Congregatio reſpondit, præfata verba de tota octava, & de quacumque octava eſſe intelligenda, adeoque nedum de die octava, ſed etiam de diebus infra octavam, ac etiam de octavis non privilegiatis. Et cum eidem repropoſitum fuerit dubium, die 30. Maji 1699. perſtitit in deciſis, quod etiam non ſemel alias præſtitiſſe videbimus ſequentia exponentes Decreta. De die autem octava dubium eſſe non poterat, cum ritu duplici gaudeat, & id habeat privilegii, ut a ſe abigat etiam duplex majus ſimul occurrens, ſolumque cedat duplici 1. vel 2. claſſis, cujus ritus officis ad libitum non ſolent concedi. Minus profecto dubium cadere poterat ſuper octavis, quæ ex privilegio feſtum quodlibet excludunt, aut ſolum duplicia 1. vel 2. claſſis admittunt; quinimmo cum octavæ privilegiatæ eſſe nequeant, niſi ſaltem ſemiduplicia reſpuant, utique pati non poſſunt officia ad libitum, licet duplicia, quæ dictis ſemiduplicibus de præcepto cedunt.

III. Ceterum verba illa *In octavis*, ſuper quibus interrogatio proceſſit, cum abſolute, & ſimpliciter in Decreto ſint poſita, abſolute, & ſimpliciter de tota, & de quacumque octava videbantur intelligenda, præſertim quia ſuffragatur & intentio Decreti, quod ſi non permittit translationem feſti ſemiduplicis cauſa faciendi de Sancto ad libitum, licet illud adhuc altera die integra reſumeretur, multo minus velle poterat omiſſionem officii ſemiduplicis, cujuſmodi eſt dies infra octavam, vel ejuſdem reductionem ad ſimplicem commemorationem, ut de Sancto ad libitum inſtitueretur officium.

IV. Ad exemplum, quæ ex Breviario Romano in oppoſitum producta ſunt, dicimus ea fuiſſe particularia Indulta, quæ regulæ generali minime officiunt, quin magis hanc firmant, & roborant, quemadmodum magis trademus in Decretis 7., & 8. hujus Capitis.

V. Exhibet hæc Sanctio expoſitionem verbi illius *In octavis* in præcedenti poſiti, & per tria Decreta mox danda majus robur acquirit, & declarationem.

DECRETUM IV. CAPITIS, IN ORDINE CLXIX.

In die infra octavam non poteſt fieri officium, licet occurrens, de Sancto ad libitum. S. R. C. 2. Decemb. 1684. *in una Canon. Regul. Lateran.* Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 154.

I. ÆGRE nonnulli credere poterant id vetitum, cujus exempla inſunt in Breviario Romano; quod pro norma, & regula in ſimilibus ſemper deſerviit. Prædicta autem exempla Officiorum ad libitum S. Eliſabeth, & S. Caroli Borromæi infra octavas celebratorum, in favorem ſimilium occurrentium, & in ſolum præjudicium translatorum inhibitiva Decreta interpretari videbantur. At quoniam hac de re jam egimus in Decreto 2., & infra debet itidem ſermo redire, idcirco tu pro certo tene, officia ad libitum, licet occurrentia, in diebus infra octavas celebrari non poſſe.

II. Non continet præſens Decretum niſi præcedentium confirmationem, & cum ſequentibus conſonantiam omnimodam.

DECRETUM V. CAPITIS, IN ORDINE CLXX.

Officia ad libitum occurrentia infra octavas non privilegiatas, etiam particulares, & propriæ Religionis, omittenda ſunt. S. R. C. 11. Auguſti 1691. *in Romana dubior.* Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 168.

I. IN octavis particularibus difficultatem reperit inquiſitio; cum enim per verba mere facultativa ſoleant concedi, ſcilicet *fieri poſſe*, *recitari poſſe*, nonniſi itidem ad libitum eſſe videntur juxta Decretum 20. Novemb. 1683., quod Indulta officiorum ut ſupra cantantia, non ſignificare niſi officia ad libitum, diſerte declarat. Quod ſi octavæ de præcepto non reſpuunt officia de præcepto infra eaſdem occurrentia, quidni idipſum erit de octavis ad libitum relate ad officia ad libitum? Verum ſi verba Decreti ſecundi, quæ omiſſionem feſtorum ad libitum incidentium *in octavis*, *& Natalitiis Sanctorum alicujus Religionis, vel Diœceſis* demandant, rigoroſiori ſubjeciſſet examini, utique eruiſſet præſcriptam iri omiſſionem Sanctorum ad libitum, etiam incidentium infra octavas particulares, & propriæ Religionis, aut per verba facultativa conceſſas; hujuſmodi enim verba haud deſignant officia ad libitum, niſi inſuper habeant notulam *Ad libitum*, & ideo & penitus nutat, ac corruit ratio propoſita. Quid autem verba illa reapſe deſignent, in ſequenti capite dabimus.

II. Ceterum ſi darentur octavæ ad libitum, haud refragamur infra eas fieri poſſe de Sanctis ad libitum, quinimmo & de præcepto cum commemoratione octavæ; dum enim Decreta omiſſionem officiorum ad libitum inducunt ob eorumdem occurrentiam in feſtis de præcepto, loquuntur non de octavis ad libitum, quas non noſcunt, ſed de feſtis novem lectionum; hoc eſt autem diſcrimen octavas inter & feſta novem lectionum, quod illæ natæ aptæ ſunt per ſolam commemorationem expleri, quoties impediuntur, non autem feſta, & ideo hæc

cum

Digitized by Google

eum transferri nequeant, neceſſe eſt omitti, illæ vero poterunt per commemorationem ſeppleri, commemoratio namque officii ad libitum haud pugnat fieri in officio de præcepto, unde officium S. Canuti commemorationem habet in utriſque veſperis, etſi hæ ſint de Sanctis de præcepto. Idipſum eſt de officiis ſimplicibus ad libitum, quæ ſi concederentur, in officiis de præcepto commemorationem poſſent habere.

III. Quoniam vero non ſemel diximus, officia ad libitum ad arbitrium Cleri recitari poſſe, vel omitti, generali huic regulæ limitationem quamdam adhibendam eſſe putamus, ut quatenus ad octavas attinet, poſſint quidem pro libito omitti, vel celebrari, ſed ſi celebrari incipiantur, neceſſe ſit eaſdem continuari, aut has incipi, ſi de iiſdem die aliqua officium fieri intendatur; etiam enim ea, quæ libera ſunt, facta aliqua ſuppoſitione perſæpe evadunt neceſſaria, quare etſi liberum ſit de S. Canuto officium agere, ex ſuppoſitione tamen quod de eo agatur, die 18. Januarii in veſperis liberum non eſt de ejuſdem commemorationem omittere. Ratio eſt, quia ſi officium ad libitum celebretur, celebrari non poteſt, niſi prout ferunt Rubricæ, atque Decreta; uti autem feſtum quodlibet novem lectionum juxta Rubricas primis, & ſecundis debet gaudere veſperis, ita octava per octo durare dies. Recole Decretum hujus capitis, & ea, quæ in ejuſdem expoſitione dicuntur.

DECRETUM VI. CAPITIS, IN ORDINE CLXXI.

Feſta ad libitum, quæ ſemper cadunt infra octavas Sanctorum, celebrari non poſſunt, attento Decreto ſan. mem. Innocentii XI. 24. Januarii 1682. emanato, prohibente talia feſta ad libitum celebrari infra octavas. S. R. C. 15. Martii *1698. in Herbipolen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. *196.*

I. O Quot in varios excogitandi modos, ac multiplices dubitandi formas humana ſcinditur conditio! Nunc dubitatur de Sanctis illis ad libitum, qui *ſemper* infra octavas occurrunt; de his enim ſpecialis ratio videtur habenda, utpote quorum laudes alioquin perpetuo in divinis tacerentur officiis, cauſa faciendi non quidem de feſto, cujus officium una circumſcribitur die, ſed de octava, quæ per octo dies prorogatur. Verum S. Congregatio eoſdem non minus ſubjicit omiſſioni, & ut nihil novi ſe denotet definire, adducit Decretum 24. Januarii 1682., quod dicitur Innocentii XI., quatenus ab eodem confirmatum fuit, & approbatum. Hoc Decretum eſt ſecundum hujus capitis, & ex ejuſdem expoſitione luculenter eruitur, feſta ad libitum etiam perpetuo impedita, omiſſioni eſſe obnoxia.

II. Quibus haud obeſt ratio, quæ in contrarium relevabatur; ſic enim fert natura officii ad libitum, quare ſicut ſimplex de præcepto hac ipſa de cauſa totaliter deperditur, quoties incidit in feſtum duplex 1. claſſis, licet hujuſmodi occurrentia ſit perpetua, ita idipſum erit de officio ad libitum incidente, licet ſemper, in officium aliquod de præcepto. Adſunt & plura Sanctorum millia, de quibus nulla fit mentio in divinis officiis, cum tamen de nonnullis & feſta plurima, & octavæ reperiantur indicta; hujuſmodi enim decernendi ſuas Eccleſia habet rationes, & efficaces cauſas, abſque eo quod hinc argui queat abſurdum ullum, aut quod illorum parvipendat merita, quæ in uno Sanctorum omnium feſto contenta eſt excolere. Modo autem de hujuſmodi officiis ad libitum ſemper impeditis, alia diſpoſitio proceſſit, quam videre eſt alibi.

DECRETUM VII. CAPITIS, IN ORDINE CLXXII.

Ex prædictis Decretis non intelligitur, neque eſt revocata conceſſio, prout aſſeritur, Civitati Neapolitanæ particulariter facta, recitandi ſcilicet ad libitum officium S. Mariæ Ægyptiacæ die 2. Aprilis, quamvis occurrat in feſto natalitio S. Franciſci de Paula, quod ob hanc cauſam in aliam diem in proprio Kalendario tranſlatum fuerat. Verum ſi præfatum officium S. Mariæ Ægyptiacæ eo die aliquando juxta Rubricas recitari nequeat, tunc ex ea cauſa non eſſet transferendum, ſed omitti deberet. S. R. C. 28. Novembris 1682. *in Neapolitana*, ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 131.

I. CIvitas Neapolitana Sacræ Congregationis exponit, factam ſibi fuiſſe particularem conceſſionem recitandi officium ad libitum Sanctæ Mariæ Ægyptiacæ die 2. Aprilis, quamvis occurrat in feſto Sancti Franciſci de Paula, quod propterea in aliam diem in proprio Kalendario tranſlatum extitit; & ſimul inquirit, an hujuſmodi conceſſio cenſenda ſit revocata ex Decretis, quæ feſta ad libitum occurrentia in feſtis de præcepto, omiſſioni faciunt obnoxia?

II. Negative Congregatio reſpondit; ſpeciales enim conceſſiones alicui particulariter factæ, non tolluntur per Decreta generalia, quantumvis poſteriora, niſi in his ſpecialium earumdem conceſſionum derogatio expreſſa habeatur; ut enim advertunt Juriſperiti cum Fagnano *in* 1. *part.* 3. *lib. Decretal.* lex generalis poſterior non tollit legem ſpecialiter loquentem, quin potius diſtinguitur, & limitatur per legem antiquam, quare cum conceſſio præfata ſpecialis ſit, & ſpecialiter loquatur de officio agendo de Sancta Maria Ægyptiaca non obſtante occurſu cum feſto Sancti Franciſci de Paula, profecto non tollitur per aſſerta Decreta generaliter id inhibentia, ſed magis hæc per illam diſtinguuntur, & limitantur, ita ut non intelligantur procedere, quoties alicubi habeatur ſpecialis conceſſio in oppoſitum.

III. Quoniam vero hujuſmodi ſpecialis conceſſio non extrahit officium Sanctæ Mariæ Ægyptiacæ a ſerie officiorum ad libitum, ſequitur alterum, quod ſtabilit Decretum, nempe transferri illud non poſſe, ſed debere omitti, ſi die 2. Aprilis juxta Rubricas recitari non poſſit. At quandone juxta Rubricas celebrari non poterit? Certe quando incidit in diem aliquam a Dominica Palmarum uſque ad Dominicam in Albis excluſive, in Dominicam Paſſionis, quæ contra officium quodlibet privilegiatæ exiſtunt. Idipſum eſt, ſi eo die occurrat feſtum aliquod elevatioris ritus, vel dignitatis, nam digniori Rubricæ ſemper tribuunt officium. Huic tamen extenſioni, ſeu expoſitioni dictio *Aliquando*, quam habet Decretum, obeſſe videtur, deſignat quippe omittendum quidem eſſe, dum impedimentum eſt accidentarium, & una, vel altera vice contingens, non autem quoties eſt perpetuum, ac conſtanter eveniens. At ſatis ſuperque patens eſt intentio Decreti, quod tale feſtum numquam transferatur; dictio autem *Aliquando* in Decretum invecta extitit per petitionem, quæ erat de accidentario prædictarum dierum mobilium impedimento, quod unice evenit relate ad totam Civitatem præfatam, nec cogitavit de perpetuo impedimento, quod in aliqua ejuſdem Civitatis Eccleſia accidere valet, quod ceteroquin ex deciſione jam præſtita, & generalibus Decretis officia ad libitum, cujus rationis dictum feſtum perſtat, transferri inhibentibus, facilem habet reſolutionem. Quod ſi Decretum pro omni caſu mavis generale, non reſtagabor admodum, dummodo to *Aliquando* pro *Umquam* ſtare aſſeras, quo in ſenſu dictionem illam a Cicerone legimus uſurpatam *lib. 6. epiſt. 6., & pro Cælio*, ac 1. *Academic. quæſt.*

IV. Quod ſi ſimul occurrat feſtum alterum de præcepto ejuſdem, vel inferioris ritus, ulterius hoc protrahe, & officium age de Sancta Maria Ægyptiaca, quod ſolum eſt omittendum juxta Decretum, quando *juxta Rubricas ea die recitari nequit*; juxta Rubricas autem dumtaxat recitari non poteſt, quando cum eo ſimul occurrit feſtum aliud altioris ritus, vel dignitatis. Indultum quid tantummodo expreſſe favet Sanctæ Mariæ Ægyptiacæ in occurſu Sancti Franciſci de Paula, ac ut dicebamus, quia hic eo die in generali Kalendario recurrit, & in generale impedimentum deſervit, ceterum cum officium Sanctæ Mariæ Ægyptiacæ hoc ipſo privilegiatum evadat contra officium duplex minus de præcepto ſimul occurrens, jam quiſque videt, ſtatim idipſum fieri debere, ſi ſimile feſtum aliud in aliqua Eccleſia occurrat, præſertim quia ſumus in favorabilibus, in quibus lata interpretatio eſt habenda.

V. Ex hoc Decreto, licet particulare ſit, jam habent, quomodo ſe gerere debeant, qui ſimilia habent indulta, & limitationem ſuſcipiunt generalia Decreta, quæ officiorum ad libitum, quoties incidunt in feſta de præcepto, omiſſionem demandant, ut videlicet non procedant, ſi in oppoſitum ſpecialis habeatur conceſſio, ut magis dicetur in Decreto, quod ſubdimus.

DECRETUM VIII. CAP., IN ORDINE CLXXIII.

Quæſitum fuit declarari, an per Decreta de non transferendis, ſed omittendis officiis Sanctorum ad libitum, quando dies eorum feſtivitatum ſunt impediti alio officio novem lectionum de præcepto, nempe diebus Dominicis, octavis, & natalitiis Sanctorum &c., comprehendantur, & revocentur conceſſiones officiorum ad libitum ab Apoſtolica Sede particulariter factæ, & fixæ diebus, qui ab eadem jam alteri feſto, & officio novem lectionum in Kalendario Romano erant aſſignati, recitandi ſcilicet ad libitum officium S. Eliſabeth Reginæ Portugalliæ die 4. Julii officio octavæ SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli in Kalendario Romano jam impedito? S. R. C. reſpondit, prout alias in Neapolitana die 28. Novembris 1682., non comprehendi. Verum ſi prædictum officium eo die juxta Rubricas recitari nequeat, tunc eo caſu non eſſe transferendum, ſed omitti debere. Ita S. R. C. 20. Octobris 1683. *in una dubior.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 143.

I. URbanus VIII. anno 1630. Officium S. Eliſabeth Reginæ Protugalliæ ſub ritu ſemiduplici ad libitum Eccleſiæ univerſali conceſſit pro die 4. Julii, impedita eſt officio octavæ SS. Petri, & Pauli, ſed cum anno 1682. emanaverit Decretum inhibens infra octavas fieri de officiis ad libitum, ortum eſt dubium ſuper revocatione, necne prædictæ conceſſionis? Sacra Congregatio reſpondit, prout alias in Neapolitana, caſum in prædictis Decretis non comprehendi, adeoque feſtum S. Eliſabeth die 4. Julii eſſe celebrandum, tametſi occupata ſit officio octavæ Apoſtolorum. Et quidem cum tale feſtum prædictæ diei affixum fuerit ab Apoſtolica Sede, non ignara, ſed conſcia, quod ab octava Apoſtolorum erat occupata, dubium non eſt, quod conceſſum extitit ea die celebrandum non obſtante tali impedimento. Decretum *in Neapolitana*, cui præſens innititur, eſt illud, a cujus vix venimus expoſitione; in eo autem jam ſtatutum extitit ſpeciales conceſſiones, cujuſmodi eſt facta in favorem S. Eliſabeth, ab oppoſitis generalibus Decretis non lædi.

II. At cum hujuſmodi caſus minus peritis offendiculum foret, ac cauſa erroris, eadem Congregatio 18. Decemb. 1694. a Breviario Romano removendum exiſtimavit, & nedum contenta fuit præfatum feſtum ad ritum ſemiduplicem de præcepto evehere, ſed inſuper illud tranſtulit ad diem 8. Julii, ut & memoriam, quod in Eccleſia univerſali infra octavam officium ad libi-

libitum actum fuerit, expungeret a Breviario Romano, ne hinc nonnulli quid ſimile abſque ſpeciale conceſſione attentari poſſe arbitrarentur.

III. Quæ licet ita ſint, haud tamen hinc derivat præjudicium aliquod particularibus indultis, ſi quæ ſunt, ſed adhuc in integro ſuo manent robore, nec ea tollere Congregatio putavit, eo quod particularia Kalendaria non deſerviunt, ut Romanum, in exemplum ceterorum, adeoque valida haud ſunt in errorem reliquas inducere Eccleſias, & ſi quod unquam exoriri valet, per particulare indultum, oppidanis aut notum, vel obvium, ab advenis de facili excogitatum, ſtatim de medio tollitur, ac corrigitur, præſertim cum probe ſciantur generalia Decreta obnitentia, nec quod ſimile videatur in Eccleſia univerſali, aut particulari in uſum deduci.

IV. Verba, quæ ſubdit Decretum, *Verum ſi prædictum officium &c.*, haud quidem nunc procedunt de feſto, pro quo lata ſunt, cum ſemiduplex de præcepto redditum ſit, & extra octavam celebrari indictum, ſuo tamen non deſtituuntur robore pro ſimilibus, quæ alicubi occurrere poſſent, & uberem expoſitionem habent in præcedenti Decreto, cujus præſens eſt expreſſa confirmatio, & innovatio, dum prout in eo reſpondetur, & pronuntiatur.

DECRETUM IX. CAPITIS, IN ORDINE CLXXIV.

Conſuevit Clerus Sacri Ordinis Hiroſolymitani transferre in ſolam ſequentem diem, dummodo non impeditam, feſtum S. Laurentii Juſtiniani, aſſignantum pro Eccleſia univerſali die 5. Septembris ſub ritu ſemiduplici ad libitum, eo quia eadem die celebratur officium de die octava Decollationis S. Joannis Baptiſtæ, unde petit, ut poſſit ſolitum ſervare, quibuſcumque non obſtantibus. Et reſponſum fuit juxta mentem, quæ eſt, quod ſupplicent pro aſſignatione diei fixæ. S. R. C. 11. Sept. 1730. *in una Ord. Hieroſol., ſeu Meliten.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 274.

I. SAcer Ordo Hieroſolymitanus die quinta Septembri celebrabat diem octavam Decollationis S. Joannis Baptiſtæ, in ſolam ſequentem diem translato feſto S. Laurentii Juſtiniani ſemiduplici ad libitum; & cum hujuſmodi translationi Decreta viderentur obſiſtere, petit, ut nihilominus poſſit ſolitum ſervare. Sacra Congregatio audiendam cenſuit in ſacris ritibus peritorum mentem, & fuit: *Poſſe quidem eidem Clero concedi, ut in die ſequenti non impedita celebret præfatum officium tamquam in die fixa, ſed non approbari, ut petebatur, ſolitum, utpote quod diſſonum erat ab aliis Decretis, & ideo memoratum debere Clerum prius ſupplicare pro aſſignatione diei fixæ ejuſdem officii:* hinc *juxta mentem* eadem Congregatio reſpondit, nimirum, quod prædictus Clerus *ſupplicet pro aſſignatione diei fixa.*

II. Quæ reſponſio, etſi nullum præſeferat, ſuis non caret commodis; hinc inferes primo, officia ad libitum neque in proxime ſequentem diem poſſe transferri, tametſi ad id conſuetudo ſuum non denegaret ſuffragium, quæ cum diſſona ſit Decretis, & antiquior non eſſe queat Bulla Piana, qua poſteriora ſunt officia ipſa ad libitum, valida haud eſſe poteſt ad prædictam tuendam translationem. Decretum itaque illud Congregationis 30. Martii 1693. quod ſub his terminis communiter circumfertur exaratum: *Feſta ad libitum poſſunt transferri in ſolam ſequentem diem non impeditam feſto duplici, vel ſemiduplici, vel in quo non ſit reponendum aliquod feſtum translatum cujuſcumque ritus*, apocryphum eſt, alioquin eidem non obniterentur Decreta, utpote antoriora, quinimmo his illud præfatam porrigeret limitationem; aut eidem fuiſſet derogatum, & quatenus opus ſit, per præſens adhuc derogaretur.

III. Inferes 2. ſine ſpeciali facultate, uti Sanctorum ad libitum translatio licita non eſt, ita nec immutatio, quæ ſine translatione non fit, ad differentiam officiorum de præcepto, quorum quia translatio permiſſa eſt, quin juſta, ita & immutatio. Ita quidem de jure antiquo, ſed ſecus eſt de jure novo, ut infra videbitur.

DECRETUM X. CAPITIS, IN ORDINE CLXXV.

Cum in univerſo Ordine S. Benedicti officium ſemiduples ad libitum S. Canuti Martyris die 19. Januarii ob occurrentiam alterius officii S. Agathonis Papæ, & Confeſſoris recitari minime valeat, ut idem officium die fixa in Ordine prædicto recitari poſſit, nempe die 20. Februarii, concedit S. R. C. 15. Martii 1721. *in una Ord. S. Benedicti*, ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 261.

I. DEcretum expoſitione non indiget; aſſignat enim diem alteram, nempe 20. Februarii, officio ad libitum S. Canuti, quod ob occurrentiam cum officio S. Agathonis apud Ordinem S. Benedicti perpetuo vacabat, & inſimul nos inſtruit, ſine ſpeciali facultate feſtis ad libitum, licet perpetuo impeditis, diem alteram non poſſe aſſignari. Quoniam vero aſſignatur dies 20. præfata in ſpecie, ejuſdem officii natura immutata, fit, quod in ea adhuc officium ad libitum perſiſtet, ac conſequenter ſit omittendum, ſi quandoque, & ubi eamdem diem per aliud officium impediri contingat; favor enim Decreti cum ad diem 20. Febuarii reperiatur reſtrictus, ad alteram diem extendi non valet, etiam ubi illa perpetuo manet impedita. Nunc ſine recurſu ad Sacram Congregationem officiorum ad libitum, quoties ſunt perpetuo impedita, aſſignatio ad alias diem fixam fieri poteſt; quomodo autem ſi eadem dies tractu temporis evadat perpetuo impedita, adhuc ea officia ad libitum alteri diei valeant in perpetuum affigi, infra dicere reſervamus.

DECRETUM XI. CAPITIS, IN ORDINE CLXXVI.

De officiis, quæ ab Apoſtolica Sede conceſſa ſunt, vel concedenter recitanda ad libitum a toto Clero tam Sæculari, quam Regulari utriuſque ſexus in aliquo Regno, Provincia, Diœceſi, vel loco, in quibus dicti Religioſi morantur, poſſunt quidem ad libitum de ipſis recitare, ſed ſi aliquod ipſorum occurrat in die in eorum Kalendario impedita feſto novem lectionum, debent illud ad libitum omittere, & recitare de Sancto in eorum Kalendario occurrente ad formam Decreti declarativi alterius Decreti de Sanctis ad libitum non transferendis, emanati die 24. Januarii 1682. S. R. C. 13. Junii 1682. *in una Ord. Minor. de Obſerv.* ex Merato in Indice Decr. Brev. nu. 125.

I. PArs altera, quæ præſentem integrat Sanctionem, in Decreto 8. cap. 3. noſtram non ſubterfugiit conſiderationem. Quod autem Clerus Regularis de dictis officiis agere queat, dubium eſſe non poteſt, ſi in conceſſione expreſſe nominatus exiſtit. An autem & quando conceſſio Clerum tacet Regularem, opus non eſt diſquirere, cum in Decreto 1. cap. 8. hujuſmodi quæſtio fuerit agitata. Quantum denique attinet ad omiſſionem eorumdem officiorum, quoties incidunt in diem impeditam, ſe ſinat Lector remitti ad Decretum hujus capitis ſecundum. Modo tamen, ſi impedimentum ſit perpetuum, poſſunt in diem alteram immutari.

DECRETUM XII. CAP., IN ORDINE CLXXVII.

In occurſu non licet transferre officium proprium Ordinis, vel Diœceſis cauſa faciendi ad libitum aliud. S. R. C. 2. Decembris 1684. *in una Canon. Regul. Lateran.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 153.

I. NIhil frequentius in toto capite actum eſt, quam quod officia ad libitum occurrentia in feſtis propriis Religionum vel Diœceſum, prorſus ſunt omittenda; ut itaque fiat de officiis ad libitum, transferre non licet præfata feſta. Nunc tamen ſi talis occurſus foret perpetuus, poſſunt officia ad libitum in diem alteram immutari, in eaque celebrari; ſecus, ſi occurſus accidentarius eſſet, & temporaneus.

DECRET. XIII. CAPITIS, IN ORDINE CLXXVIII.

Si officium ad libitum non potuerit celebrari, & habuerit etiam ritum ſimplicem de præcepto, eo anno non omittatur, ſed celebretur ritu ſimplici. S. R. C. 13. Junii 1682. *in una Ord. Min. de Obſerv.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 126.

I. EX Sanctis, qui ad libitum Cleri officio novem lectionum honorantur, aliqui ſunt, quorum nulla memoria præcedenter fiebat in divinis officiis, alii vero ritu ſimplici de præcepto gaudebant. Prioris generis olim extitere feſta duplicia Sanctorum Angelorum Cuſtodum, & Sancti Felicis de Valois ſemiduplicia Sancti Thomæ de Villanova, Eliſabeth Portugalliæ Reginæ &c., & nunc ſunt officia Sancti Canuti, & Sancti Laurentii Juſtiniani. Poſterioris vero generis pridem fuere feſta Sancti Joannis Gualberti, Sancti Alexii, Sancti Wenceslai &c., & nunc in Kalendario Romano adhuc ſupereſt officium Sancti Remigii, quod præcedenter ad ritum ſemiduplicem ad libitum, ad quem a Clemente IX. die 26. Novembris 1668. evectum extitit, ritu ſimplici de præcepto in univerſa colebatur Eccleſia.

II. De his ſtatuitur, quod *ſi non potuerint celebrari* propter incidentiam ſcilicet in aliquod officium de præcepto, *eo anno non omittantur, ſed celebrentur ritu ſimplici*, videlicet penitus non omittantur, ſed ſolum quoad ritum duplicem, vel ſemiduplicem, quem habent ad libitum, non tamen quoad ritum ſimplicem, quem habent in præcepto. Cedo, poteſtne ſanctior eſſe Sanctio iſta? Ritus duplex, vel ſemiduplex ad libitum in favorem Sanctorum inducitur, quare in eorumdem damnum retorqueri non poteſt, uti accideret, ſi etiam officium ſimplex, quod antea habebant in præcepto, abiret in nihilum, quando ritus duplex, vel ſemiduplex impeditur; quinimmo cum a mero Cleri pendeat arbitrio agere officia ad libitum, quilibet arbitratu ſuo poſſet penitus laudes illius Sancti tacere, de quibus præcedenter obſtrictus erat memoriam facere.

III. *Si non potuerit celebrari*, habet Decretum, tu adde, vel *non placeat deo recitare*, quia cum ritus ſimplex ſit de præcepto, prætermitti non valet, quacumque de cauſa ceſſetur a celebratione illius tamquam officii 9. lectionum. *Eo anno*, quatenus impedimentum ſupponitur accidentarium; quod ſi ſit perpetuum, in perpetuum ritu ſimplici debebit exolvi; niſi ei aſſignetur dies alia, ſicuti nunc fieri poſſe infra dicemus. *Ritu ſimplici*, non quidem per accidens, qui ritus in uſum non erat tempore emanationis præſentis Decreti, efformaturque ex feſtis duplicibus, vel ſemiduplicibus, quæ intra annum utile ſuæ repoſitionis ſpatium minime reperiunt, quemadmodum late diximus in Capite ſexto, ſed ſimplici per ſe, qualiter duntaxat erant præcedenter ad ritum 9. lectionum ad libitum.

Non

Non ſortientur itaque commemorationem in ſecundis Veſperis, ſed ſolum in primis, & in laudibus cum nona lectione eorumdem, ſi propriam habeant, ex duabus, aut tribus unam faciendo, ut tota Sancti legatur hiſtoria, uti ſancitum eſt de ſimplicibus per accidens. Quoniam tamen nonniſi antiqua reviviſcit obligatio, utique in præcepto legis eſſe non poſſunt, niſi una, vel ad ſummum duæ lectiones, quas ſimplicia antiquitus habebant, non vero eæ, quæ invectæ eſſe poſſent, quando ad ritum 9. lectionum ad libitum fuerunt evecta, licet hæ omnes, utpote quæ diſtinctius, & completius Sanctorum enarrant facta, ad modum unius legi convenientius eſſe putemus. Quæ dicta ſunto, quatenus lectiones eorumdem mutationem aliquam, aut additionem paſſæ forent, quoniam quoad S. Remigium attinet, qui ex iis, qui ritu ſimplici præcedenter gaudebant, in Breviario Romano dumtaxat ſupereſt, nonniſi unam, & eamdem adhuc propriam lectionem habet.

IV. *Sed celebretur ritu ſimplici*, ſunt poſtrema verba Decreti, quibus hanc limitationem adhibe, ut nona lectione, vel commemoratione feſta prædicta haud ſint defraudanda, quatenus officium, per quod impediuntur, haudquaquam id reſpuat, pro quo recolendæ veniunt Rubricæ ſimplicium, & juxta has illa regenda.

CAPUT XXIII.

De Feſtis de non præcepto.

I. MUltiplici licet formula reperiantur expreſſa officiorum Indulta, reapſe tamen dumtaxat triplex eſt, ad quam reliquæ vel ſpectant, vel facile reducuntur. Sunt, quæ præceptivis terminis conſtant, puta *Recitari debere cenſuit*, *fieri debeant*, *recitare teneantur*, *celebrari mandavit*, *agant &c.*, & cum verba, quibus ſunt expreſſa, præceptum, ac mandatum important in concedente, obligationem, & debitum in iis, quibus officia committuntur, dubium non eſt, quod deſignant officia de præcepto, ad quorum recitationem in proprio die, vel hoc impedito in primo non impedito Clerus manet adſtrictus. Alia ſunt, quæ terminis facultativis ſunt concepta, & inſuper adnexam habent notulam *Ad libitum*, videlicet *Indulſit fieri ad libitum Cleri*, *celebrari poſſe ad libitum conceſſit &c.*, & cum hujuſmodi expreſſio indulgentiam denotet in concedente, & libitum, ſeu placitum in Clero, habeaturque in ea diſerte notula *Ad libitum*, quis umquam ambigeret, ſic conceſſa officia ad claſſem feſtorum ad libitum non eſſe revocanda? Sunt denique, quæ per verba quidem dumtaxat facultativa exarata inveniuntur, ſed ſine additione notulæ *Ad libitum* cujuſmodi ſunt, ver. gr. *Fieri poſſe conceſſit*, *Recitari poſſe cenſuit*, & de his dubitatio procedit, ad quam claſſem feſtorum attineant, ad libitumne, an de præcepto, an vero tertiam quamdam conſtituant ſpeciem, quæ mediet inter feſta de præcepto, & ad libitum. Equidem nec deſiderantur officiorum Indulta, quæ præceptivis, & facultativis terminis ſcatent, ver. gr. *Recitari poſſe*, *& debere cenſuit &c.* at cum eadem officia ad duas claſſes attinere nequeant, per verba præceptiva ad claſſem feſtorum de præcepto trahuntur, nec obſtant verba facultativa, non ſtat ſiquidem neceſſitas ſine facultate.

DECRETUM I. CAPITIS, IN ORDINE CLXXIX.

Quando in Indultis, & Decretis ſuper conceſſione officium leguntur verba illa *Recitari poſſe*, *Fieri poſſe*, ita intelligenda ſunt, ut nihil ſignificent præter officia ad libitum, quibus omnino competit Decretum die 24. Januarii 1682. pro Sanctis ad libitum emanatum. S. R. C. 20. Novemb. 1683. *in Lauden.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 146.

I. CIrca officia per terminos mere facultativos conceſſa, in diverſa Rubriciſtæ ſciſſi inveniuntur placita. In claſſe officiorum ad libitum eadem collocant nonnulli, & his præſens favet Decretum, alii in claſſe officiorum de præcepto, & nihil aliud ſtatuere videtur ſequens Sanctio; alii vero diſtinguunt, & pro diverſitate ſtatuum ad utrumque genus eadem ſpectare arbitrantur, prævie ſcilicet ad acceptationem ad genus officiorum ad libitum, & poſt acceptationem ad illud de præcepto, nec diſſimiliter ſentire videtur Decretum hujus Capitis tertium, quod conſequenter cum hoc, & ſequenti Decretis facilem invehit concordiam, ſi præſens intelligatur de præfatis officiis prævie ad acceptationem, ſequens vero de iiſdem poſt acceptationem. Nos tamen mentem noſtram in expoſitione memorati Decreti tertii aperire reſervamus.

DECRETUM II. CAPITIS, IN ORDINE CLXXX.

Clerus Sacri Ordinis Hieroſymitani ſupplicat declarari, an ſub nomine Sanctorum ad libitum comprehendantur officia duplicia, & ſemiduplicia Sanctorum recitari conceſſa aliquibus Regnis, Provinciis, Civitatibus, & alicui particulari Ordini abſque expreſſa notula *Ad libitum*, ſed tantum cum ſequenti clauſula, nimirum *Recitari poſſint*, vel *Recitari poſſe cenſuit?* Aſſeritur enim emanatam fuiſſe quamdam declarationem ab hac Sacra Congregatione tenoris ſequentis, videlicet: Ex voto S. R. C., ut conſtat ex reſponſo Illuſtriſs., & Reverendiſs. Archiepiſcopi Appameni ejuſdem S. C. Secretarii: *Sub nomine Sanctorum ad libitum non comprehenduntur officia duplicia Sanctorum aliquibus Regnis, & Provinciis recitari conceſſa, idemque occurrentia in Dominicis, non debent omitti, uti etiam ſi cadant in diebus impeditis, juxta Rubricas transferantur.* Et S. R. C. dubio propoſito reſpondit *negative* die 16. Sept. 1730. *in una Ord. Hieroſolym.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 278.

I. OFficia, quæ non univerſali Eccleſiæ, ſed Regnis, vel cuicumque alteri particulari loco reperiuntur conceſſa, fere cuncta per terminos facultativos abſque expreſſa notula *Ad libitum* noſcuntur indulta. Præcedens Decretum aderat, quod ea inter officia ad libitum rejicit, at aſſerebatur quædam Congregationis declaratio, quæ præfata officia in caſu impedimenti donabat beneficio translationis, quin cum incapacia ſint officia ad libitum, bene vero ea de præcepto, in horum conſequenter numero, non illorum videbantur recenſenda. Hinc ſupplicatum eſt declarari, num ſub nomine Sanctorum ad libitum veniant, quoties per verba facultativa ſunt quidem conceſſa, ſed abſque expreſſa notula *Ad libitum?*

Negative Congregatio reſpondit; & quidem merito, quoniam cum memorata notula in conceſſione Sanctorum ad libitum apponi ſoleat, conſulto credi debet omiſſa, nec unquam ſubintelligi valet, ſumus quippe in favorabilibus, & in iis, quæ ad laudem, & honorem vergunt Sanctorum, quare reſtrictio locum habere non poſſe videtur, ſed magis ampliatio. Verum non eſt; hac in re immoremur, ſunt ſiquidem propemodum infinita Decreta, quæ prædicta officia occurrentia cum aliis de præcepto, celebranda edicunt, aut eorumdem translationem demandant, quare dubium non eſt, quod ad libitum eſſe non poſſunt. Sed ſi ad libitum non ſunt, cujus rationis erunt officia? Tacet Decretum, non tacet tamen ſequens Sanctio, ad quam amandamus Lectorem.

DECRETUM III. CAPITIS, IN ORDINE CLXXXI.

Frater Michael Angelus a Gallipoli Procurator Generalis Ord. Minor. Obſ. Reformator. ſupliciter exponit, quatenus recenter a S. R. C. conceſſa ſunt quædam officia Sanctorum, alia Urbis, & Orbis, alia aliquibus Regnis, Ditionibus, Statibuſque peculiaribus recitanda, tum a Sæcularibus, tum a Regularibus, qui ad horas Canonicas tenentur, quæ conceſſiones exprimuntur his verbis: *Recitari poſſe*, *Fieri poſſe*: & cum ex Rubricis noſtri novi Breviarii approbatis a s. m. Innocentio pp. XII. per Bullam, quæ incipit *Exponi nobis &c.*, ſtatuatur, ut quotieſcumque ſit hæc expreſſio, *Recitari poſſe*, *Fieri poſſe*, nihil aliud intelligatur, niſi officia ad libitum; hinc humiliter petit ab EE. VV., ut dignentur declarare, an prædicta officia cum tali expreſſione expreſſa, ſi incurrant in die impedita ab aliis officiis de præcepto Breviarii prædicti, non obſtantibus Decretis S. R. C. de non transferendis officiis Sanctorum ad libitum, a nobis poſſint transferri ad alium diem, vel debeant omitti? Sacra autem Congregatio, audito prius voto Apoſtolicarum Cæremoniarum Magiſtri, declaravit, prædicta officia acceptata, ſi occurrant diebus impeditis, non reputari debere, tamquam mera officia ad libitum, ſed de præcepto, adeoque omnino transferenda. Die 6. Sept. 1738. *in una Ord. Minor. Obſ. Refor.* Habetur apud nos in authentica forma exaratum.

I. QUod Sacræ Congregationi declarari exhibetur, expoſitione non indiget, quare ad reſponſionem ſtatim accedimus. *Declaravit prædicta officia acceptata, ſi occurrant diebus impeditis, non reputari debere, tamquam mera officia ad libitum, ſed de præcepto, adeoque omnino transferenda.* Notatu dignum eſt, quod ut præfata officia cenſeantur de præcepto, & transferibilia, expoſtulat Congregatio, quod ſint *acceptata*, ac conſequenter nos edocet, prævie ad acceptationem eadem ſpectare ad officia ad libitum, & de his in hoc ſtatu procedere Decretum primum, necnon Rubricas memorati Breviarii, dum in claſſe officiorum ad libitum eadem collocant; poſt acceptationem vero transferibilia eſſe, & de præcepto, & in hoc ſenſu ſecundum intelligendum eſſe Decretum una cum declaratione, quæ in eodem a Sacra Congregatione aſſeritur emanata, quæque memorata officia faciunt transferibilia, ac per conſequens de præcepto. Et en quam facili negotio Decreta cuncta ad concordiam revocentur.

II. Hac itaque in parte Sacra Congregratio adoptaſſe videtur opinionem Henrici Piſart *in Direct. canon. tit.* 11. *n.* 21., Euſtachii a S. Ubaldo *de Dei benedict. obſerv. 9. ſect. 3. n.* 180., *&* 198. atque Merati *ſect. 3. cap.* 10. *n.* 11., qui non alio ſenſu ad libitum prædicta feſta cenſeri aſſerunt, quam quod liberum fuerit Epiſcopis, Superioribus Ordinum, aut Capitulis generalibus ea acceptare, vel non; ſemel autem admiſſa a Superioribus, liberum non eſſe ſubditis ea dimittere, vel non ſervare.

III. Quæres, num hujuſmodi officia hoc ipſo quod ſunt acceptata ab iis, ad quos ſpectat, ita de præcepto reddantur, ut amplius renuntiari non valeant, neque dimitti, & quidem nec ab iis, a quibus fuerunt acceptata?

IV. ℟. 1. a Subditis renuntiari non poſſe, neque dimitti, ut tradunt Euſtachius a S. Ubalbo, aliique Auctores, quoniam uti Superioribus dumtaxat competit acceptatio, ita & renuntiatio, & ſubditis ſolummodo obſequendi facultas.

V. ℟. 2. nec a Superioribus poſſe amplius renuntiari, quoniam cum conceſſa ſint, ut recitentur, hoc ipſo quod acceptantur, acceptatur etiam onus ea recitandi, ac conſequenter ad

Digitized by Google

eadem recitanda ſe utique adſtringunt; & ſic ſuppoſita acceptatione recitatio fit neceſſaria, cum tamen prius foret libera, uti idem Euſtachius a S. Ubaldo proſequitur. Quæ argumentatio Decreto videtur conſona, quod dum poſt acceptationem illa *de præcepto* nuncupat, conſequenter irrenuntiabilia facit, cum officia de pręcepto ejus ſint rationis, ut a nemine dimitti, vel renuntiari queant.

VI. Hæc utique verior apparet expoſitio Decreti, nobis tamen aliam lubet adjicere, quam excogitabamus, & priuſquam pręſentis nobis innoteſceret emanatio Sanctionis. Ubi communiter nonniſi duo admittuntur officiorum genera, unum ad libitum, de pręcepto alterum, nos tertium agnoſcimus, ſcilicet officiorum *de non præcepto*, ſeu ex privilegio. Tuto id credimus poſſe affirmari, cum Congregatio ipſa præfatum tertium officiorum genus non ſemel agnoverit, *de non præcepto* inſcripſerit, & officiis, quæ per terminos facultativos conceditur, accommodaverit. Eo ejuſdem Decretum 9. Junii 1668., quod in ſuo Indice Decretorum Miſſalis n. 434. ſub his verbis a Meraro producitur: *Sacerdos Sæcularis, ſive Cappellanus, ſive non, qui recitavit officium ſemiduplex, vel ſimplex, vel feriale, illo die celebrans in aliqua Eccleſia Regularium, in qua recitatum eſt ab ipſis Regularibus eadem die officium duplex de non præcepto, prout de aliquo Sancto ſui Ordinis, non poteſt dicere Miſſam de Requiem.* Jam itaque vides, quod Officia Ordinum, quæ ſunt ex iis, quæ per terminos facultativos ſolent concedi, officia *de non præcepto* nuncupantur; non ſunt itaque de præcepto, quare cum nec ſint ad libitum, utpote quæ ex propemodum infinitis Decretis tranſlationem patiuntur, nec omiſſioni ſunt obnoxia, quoties in officia de præcepto incidunt, ſolum ſupereſt, quod ſint tertia quædam ſpecies, quæ *de non præcepto*, ſeu *ex privilegio* inſcribitur.

VII. Et quidem cum verba facultativa, quibus eorumdem conſtat conceſſio, obligationem non faciant, ſed poteſtatem, utique non invehunt officia de pręcepto, quorum celebratio non eſt libera, ſed neceſſaria; & cum in conceſſione deſit notula *Ad libitum*, cum qua officia ad libitum exprimi ſolent, nec officia ad libitum eſſe poſſe videntur. Erunt itaque officia ex privilegio, per quod quæ fieri conceſſa ſunt, apte *fieri poſſe* dicuntur. Quæ officia ex privilegio quid medium ſunt inter officia ad libitum, & officia de præcepto, & cum medium participet de extremis, ita & prælata officia participant & de officiis ad libitum, & de officiis de pręcepto, & quid in ſe habent, per quod ab utriſque diſcrimen depromunt. Participant de officiis ad libitum, quatenus eorumdem celebratio a Cleri pendet arbitrio, cum nemo uti ſuo privilegio cogatur, ſed privilegiis utamur, ſi, & quando volumus; ab iiſdem vero diſcrimen habent, quatenus in occurrentia cum feſtis de præcepto celebrari, vel transferri poſſunt, ubi illa neceſſe eſt omitti. Hinc habes & eorum participationem de officiis de pręcepto, atque diſcrimen. Participationem, quatenus in occurrentia cum feſtis de pręcepto celebrari, vel transferri queunt, diſcrimen vero, quia hujuſmodi celebratio, vel tranſlatio eſt Clero libera, ubi officiorum vere de pręcepto eſt neceſſaria.

VIII. Quoniam autem privilegium ex cap. *Abbate de verb. ſignific.* lex quędam privata eſt, ſpeciale aliquod indulgens, uni ſcilicet præ altero, compertum eſt, quod officia ex privilegio Eccleſiæ univerſali concedi non poſſunt, cum officia univerſalis Eccleſiæ omnibus ſint communia; hinc ſi quæ ex officiis per terminos facultativos Eccleſiæ univerſali reperiuntur conceſſa, ad claſſem officiorum ad libitum ea revocabamus, nec ulterius cenſebamus progredi Decretum hujus capitis primum, quod facit officia ad libitum, quæ aſſerto modo facultativo manent conceſſa; Decretum vero ſecundum jam ex ipſius verbis quiſque videt eſſe reſtrictum ad officia particularibus locis, aut Religionibus indulta, quæ propterea, cum ex privilegio eſſe queant, merito depellit a ſerie officiorum ad libitum, ſi notula *Ad libitum* in conceſſione deſit, ceterum nec ea collocat in claſſe officiorum de pręcepto, ſed ſolum beneficio tranſlationis gaudere declarat, quo, ut dicebamus, haud privata veniunt officia ex privilegio, to *Transferantur* haud ſumpto de actuali tranſlatione, ſed habitudinali.

IX. Hęc meditabamur, & ad longum proſequebamur, priuſquam pręſens Sanctio prodiret; an autem adhuc ſtare queant, non refragamur. Acceptatio quidem neceſſaria eſt, ut hujuſmodi recitentur officia, cum privilegia non conferantur in invitum; ſed non videre eſt, quomodo per acceptationem preſſe officia de pręcepto evadere queant, & in ſua natura invariata non perſiſtent; intendit enim Congregatio favorem facere, non onus imponere; & licet prędicta concedat officia, ut recitentur, concedit tamen illa, ut recitentur ex privilegio; & ſic non neceſſario, ſed ad placitum recitantium; quare ſicuti officia ad libitum, ſi quæ particularibus locis conceſſa ſunt, etſi conceſſa ſint, ut recitentur, & a Superioribus acceptata veniant, & in Kalendarium inducta, adhuc ſuam naturam minime deperdunt, ita proculdubio erit & de officiis ex privilegio; novum ſiquidem omnino foret, ac alienum, ut per privilegii acceptationem, quod in favorem conceditur, onus, & obligatio aſſumatur; & pręſertim in caſu noſtro, in quo privilegium in indultis expreſſum, ſiſtit aperte, ut conceſſa officia *recitari queant*, non acceptari, unde acceptatio, quæ cuicumque privilegio communis eſt, neceſſitatem recitationis profecto non invehet, ſed facultatem.

X. Admodum ad rem faciunt ea verba, quæ ſubdit Decretum de his officiis acceptatis, *non reputari debere tamquam mera officia ad libitum*, ſi occurrant diebus impeditis. Quid ſibi vult hoc? Niſi quod & ad libitum ſint, quatenus eorumdem recitatio pendet ab arbitrio, ſed tamen naturam officiorum ad libitum omnino non ſapiant, quatenus in propria die impedita, in aliam transferri valent. *Sed de præcepto.* Dictio *Tamquam* pręcedenter poſita, cadit, & ſuper hæc verba, unde legendum venit, ſed *tamquam de præcepto*, cui lectioni & conſonant pręcedentia verba *reputari debere*, quæ veritatem non dicunt, ſed ſimilitudinem. Dictio autem *Tamquam* regulariter, & de ſui natura denotat improprietatem, & quandoque ſimilitudinem; quare ſolummodo fit, quod dicta officia vere, & preſſe de pręcepto non ſint, ſed late, & improprie, ac ſimilitudinarie, quatenus in proprio die impedita, non continuo omittenda ſunt, ſed in alium transferri queunt, propterea que ſubditur, *adeoque omnino transferenda*, ideſt transferibilia, vel ſi iſta lectio haud tibi arrideat, & mordicus textui adhærere cupis, to *omnino* ſume pro *libere*, ut accipi poſſe notat Barboſa *dict.* 240. & lege, adeoque *libere* transferenda.

XI. Alia nec deeſt ſatis congrua Decreti expoſitio, ſi dicatur per acceptationem a ſuperioribus habitam, imponi præceptum ſubditis ea officia recitandi; ſic enim hujuſmodi officia, quæ vi ſuæ conceſſionis erant liberæ recitationis, evadunt neceſſariæ, fiuntque per accidens de pręcepto, nec ab eorumdem recitatione, & tranſlatione in caſu impedimenti ſe ſubditi valent eximere. Verum hoc modo accepta, non ſunt preſſe de pręcepto, & per ſe, ſed late, & per accidens, adeoque a Sacra Congregatione *de non præcepto* appellantur, & dicuntur *tamquam de præcepto reputanda*, & ratione præcepti a reſpectivis ſuperioribus lati, a ſubditis eſſe *omnino transferenda*, ſi cadant in dies impeditos. Sic autem integra periſtant omnia Congregationis Decreta, & facili negotio, quęcumque in contrarium objici queunt, diſſolvuntur.

XII. Una tamen adhuc occurrit difficultas, & eſt, quod petitio comprehendit etiam officia per terminos facultativos Eccleſiæ univerſali conceſſa, *Alia urbis, & urbis*, & ideo utique etiam reſponſio per verba illa, *prædicta officia acceptata &c.* dictio enim *prædicta* ita eſt relativa pręcedentium, ac ſi omnia pręcedentia nominatim, & ſpecifice forent expreſſa. Verum nos non videmus, a quonam hujuſmodi officia valeant acceptari, & per acceptationem in pręcepto conſtitui. Forſitanne hæc acceptatio Ordinariis locorum intererit, Clero, aut reſpective Regularium Prælatis? At unus acceptabit, alius non; hinc qualis enormis difformitas in officiis ipſis Eccleſiæ univerſalis? Nonne hoc ipſo Eccleſia una in pręcepto ea ſervaret, ad libitum altera, nullatenus alia? Deinde ea officia prævie ad acceptationem cujus rationis erunt? Non ex præcepto, cum talia ſupponantur fieri per acceptationem. Non ex privilegio, quod ex ſui natura uni præ altero aliquod ſpeciale indulget, ergo ad libitum; officia autem ad libitum per acceptationem ſuam naturam non amittunt, ſed ſemper ad libitum perſtant.

XIII. Quæ nos credere faciunt, ſub dictione *Prædicta* minime includi officia univerſali Eccleſiæ conceſſa, etſi in petitione fuerint expreſſa, & quatenus jura juribus concordari debeant, & legum correctio vitari, dicendum foret, quod Decretum primum capitis legem ferat de officiis Eccleſiæ univerſalis, & ſic hæc erunt ad libitum, & difformitas quęcumque ablegabitur in eorumdem celebratione; Decretum ſecundum de officiis Regnorum, Religionum, & particularium locorum, & ſi in his deſit notula *Ad libitum*, erunt officia ex privilegio, de quibus itidem procedet pręſens Decretum, quod poſt acceptationem tamquam de pręcepto ea facit; de præcepto autem utro ex duobus noviſſimis dicendi modis, quorum poſtremus ſi magis arrideat, patet, quod privatis haud liberum erit, dicta officia non recitare, ſi autem primus, idipſum videtur, quia cum privilegium factum ſit Communitati, & a ſola Communitate relinqui poſſe videtur, non autem a privato quolibet, quem conveniens eſt a ſuo toto non diſcrepare. Ceterum licet id verum ſit de renuntiatione privilegiorum Communitati factorum, non tamen de non uſu eorumdem, cum privati alicujus non uſus nec Communitati, cui principaliter conceſſa ſunt, nec cuilibet alteri, cui poſſent eſſe communia, nec ſibi, ad quem mediate, & ſecundario derivant, præjudicare valeat, cum privilegia gratioſa per non uſum etiam ipſius Communitatis non deperdantur, ſed privilegiatis liberum ſit iiſdem uti, ſi, & quando volunt.

XIV. Haud refragamur autem, quod ſi Decreti verba rigide accipienda ſunt, dictorum officiorum recitatio poſt acceptationem privatis non amplius videtur libera, ſed neceſſaria, ſive poſtea id fiat per præceptum a Superioribus acceptantibus explicite, vel implicite latum, aut per inhibitionem ab iiſdem factam de non uſu privilegii, ſive ob uniformitatem, quæ valde commendabilis eſt, præſertim in iis, quæ ſunt communia; Certum enim eſt, quod adſunt propemodum infinita Decreta, quæ de prædictis officiis per terminos facultativos conceſſis Statibus, Religionibus, aut locis particularibus, firmant vel celebrationem in occurrentia cum aliis de præcepto, vel tranſlationem, quæ licet forſitan aliqualem ſuſcipere queant interpretationem, verius tamen denotare videntur, ſaltem poſt acceptationem ea non amplius liberæ, ſed neceſſariæ eſſe recitationis. Quantum vero ad hujuſmodi officia, quæ non ſunt Sanctorum indigenarum Religionum, ſed locorum, quæ inhabitant, attinet relate ad Regulares, recolantur, quæ data ſunt in Decr. 2. cap. 8., e quibus nullatenus recedere intendimus, ſed ex privilegio eſſe, prout ibidem diximus. Quantum vero ſpectat ad officia Sanctorum Ordinis, de Regularibus idem ſit ju-

Digitized by Google

ſit judicium, ac ſoperius factum extitit de officiis ſimilibus per reſpectivos Prelatos, alioſve, ad quos ſpectat, acceptatis.

XV. Quidquid tamen ſuperius juxta allegatorum Auctorum ſententiam a nobis dictum fuerit, uos opinamur juxta probabiliores duos dicendi modos, quos modo recenſuimus; Superioribus, quibus officiorum predictorum competit acceptatio, integrum eſſe ab acceptatione recedere, privilegiiſque renuntiare; per conceſſionem enim privilegiorum non onus, nec obligatio, ſed favor, & gratia intenditur communicari; quare non eſt, cur huic renuntiari non poſſit; facta autem renuntiatione cum favor expiret, ejuſdem uſus amplius eſſe non poteſt, ſolviturque obligatio, quæ ſuper uſum ejuſdem a Superioribus potuiſſet eſſe inducta. Quibus autem interſit, hujuſmodi officia acceptare, jam traditum extitit in Decr. 2. cap. 8.

C A P U T XXIV.

De Officiis votivis.

I. QUemadmodum univerſalis Eccleſia de Deipara totius Mundi ſpeciali Advocata, ſingulis diebus Sabbati non impeditis officium inſtituit, ſic Patronos ſuos ſemel, vel pluries in menſe, aut hebdomada colere induxere particulares Eccleſiæ, & Religiones, tatæ ſibi eorumdem aſciſcere patrocinium validius, dum ſpeciali hoc cultu eos non deſinunt venerari. Sic non deſunt Eccleſiæ, quæ de principalibus Protectoribus ſuis officium ſemel agunt qualibet hebdomada, ut Bituricenſis de S. Stephano, Ambianenſis de S. Firmino &c., & vix reperire eſt Religionem aliquam, quæ de ſuo Fundatore idipſum non præſtet, quinimmo & de inſignioribus Filiis, quos felis cælo parturiit. Laudabilis hujuſmodi uſus ad Dominia ipſa pertranſiit, hinc in Ducatu Mantuano de pretioſiſſimo Chriſti Sanguine, in Pedemontano de Sacratiſſima Sindone, & alibi de SS. Sacramento ſemel in hebdomada noſcimus officium inſtitui.

II. Radulphus *prop.* 20. carpit hunc uſum: *Quamvis in ſeprimanis vacantibus ſervari poſſit Miſſa de Patrono, tamen hujuſmodi laudatio extendi non debet ad horas principales, ne officio feriali præjudicium nimium generetur, nec ſcripturam, nec exemplum habemus, hoc licite fieri.* Equidem incommoda plurima, quæ ex officiorum numeroſitate inducta ſunt, recenſuimus in cap. 6., ſed & ibidem adduximus rationes validas, ob quas nihilominus Eccleſia in feſtorum & hujuſmodi officiorum conceſſionibus benigniorem ſe exhibuit. An vero præfata officia fiant legitime? Fiunt equidem interveniente privilegio, ſecus eo ſecluſo, reclamantibus acriter tum Bulla Pii V., tum Congregationis Decretis, tum Breviarii Romani Rubricis, a quibus omnibus propria auctoritate officium aliquod inſtitui, ſevere manet inhibitum. Privilegio æquipara conſuetudinem laudata Bulla Piana vetuſtiorem, quæ juxta alibi dicenda potis eſt tueri feſta, quæ aliunde nutarent.

III. Ad quam claſſem officiorum ſint revocanda hujuſmodi officia diſſident Auctores. Meratus *ſect.* 3. *cap.* 10. *num.* 11. illa facit officia ad libitum, Bordonus *reſol.* 30. *num.* 24. ex privilegio, & Euſtachius a S. Ubaldo *de Dei bened. ſect.* 3. *obſerv.* 9. *num.* 198. de præcepto, ſuppoſita tamen eorumdem acceptatione. Quilibet ex his dicendi modis alicui ex Decretis præcedentis capitis inniti valet; at cum hujuſmodi officia per terminos facultativos non minus reperiantur conceſſa, & in eorumdem conceſſione deſit notula *Ad libitum*, de iiſdem pronuntiandum eſſe non credimus, perinde ac in præcedenti capite fuimus elocuti. Erunt itaque officia de non præcepto, ſeu ex privilegio, & poſt acceptationem de precepto, non quidem preſſe, ſed late, ut ibi dicebamus. Fortaſſe quis dubitabit, quia hæc officia cedunt feſtis tranſlatis vigiliis, & feriis majoribus, cum nihil hujuſmodi habeant officia præcedentis capitis; at hæc, & ſimilia ruunt, eo quod eorumdem indulta cum hiſce clauſulis fuerunt expreſſa, aut per Sacram Congregationem auctoritative interpretata.

IV. *Votivorum* appellatio, qua hujuſmodi inſcribuntur officia, ea quidem liberæ facere videtur recitationis, & talia reipſa ſunt, quatenus in claſſe officiorum ex privilegio ſunt conſtituta, a qua nec extrahuntur per acceptationem, licet tunc ſubditi adſtricti cenſerentur ad eorumdem recitationem, quia hujuſmodi obligatio ſolummodo per accidens iiſdem conjungitur officiis, & a Prælatis tolli valet, aut non imponi. Ceterum tametſi in præcepto forent, *Votiva* dici poſſent, eo quod ex devotione fuerunt aſſumpta, ſicuti hac de cauſa a nonnullis *Votivum* dicitur officium S. Mariæ in Sabbato, etſi in præcepto ſit conſtitutum, ut alibi ponderabimus.

DECRETUM I. CAPITIS, IN ORDINE CLXXXII.

Ubi habetur, quod prætermiſſo officio ſemel in hebdomada, vel in menſe ex Indulto Apoſtolico recitando, recitari poſſit officium ad libitum eadem die occurrens; quæſitum fuit, an illud verbum *Prætermiſſo* intelligi debeat de intermiſſione illius diei, quo occurrit, vel prætermittendum ſit omnino infra totum illum menſem? Et reſponſum fuit, conſideranda eſſe verba Indulti Apoſtolici, eaque ſervanda, prout ſonant. S. R. C. 28. Novembr. 1682. *in Faventina*, ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 133.

I. FIrmat Decretum ſecundum Capitis de Feſtis ad libitum, omitti poſſe officia ſemel in hebdomada, vel in menſe recitari conceſſa, cauſa faciendi de occurrenti officio ad libitum, & ortum eſt dubium, num intelligi debeat to *Prætermiſſo* de omiſſione tantummodo pro illa die, an vero de omiſſione totali, per illum ſcilicet menſem, vel hebdomadam? Et Congregatio reſpondit, *conſideranda eſſe verba Indulti Apoſtolici, eaque ſervanda, prout ſonant*; cum enim facultas agendi de præfatis officiis ab Indultis Apoſtolicis unice habeatur, & pendeat, a verbis utique, quibus eadem concepta ſunt, an præfata officia, quæ in gratiam faciendi de officiis ab libitum prętermittuntur, intra hebdomadam, vel menſem reſumi queant, judicium dependet, atque deciſio.

II. Adſunt officia, quæ certæ diei, aut feriæ ſunt alligata, ut SS. Sacramenti feriæ quintæ, & hęc intra hebdomadam, in qua omittuntur, amplius reſumi non poſſunt, cum in ea hebdomada non occurrat alia feria quinta, poterunt tamen in aliis feriis quintis menſis recitari, ſi quæ libeta occurrat, quia pro ſingulis feriis quintis liberis ſupponuntur conceſſa. Quod ſi conceſſa forent, pro prima puta feria quinta menſis, tunc cum hac ſimul expitaret facultas de dictis officiis agendi, quemadmodum & expiraret, ſi occurreret quodcumque officium aliud. Non expiraret vero, ſi conceſſio cantaret pro una vice in feria quinta, tunc quippe etſi dicta officia omittantur cauſa faciendi de officiis ad libitum, adhuc feria quinta alia ejuſdem menſis, ſi quæ ſit libeta, utilis eſſe poteſt pro eorumdem officiorum recitatione.

III. Sunt ex officiis, quæ ſemel in hebdomada, vel menſe conceſſa ſunt recitari, ut apud Auguſtinienſes ſemel in hebdomada de S. Auguſtino, & ſemel in menſe de S. Monica abſque alligatione ad certam aliquam diem, & de his dubium eſſe non poteſt, quod ut ſupra omiſſa, alio die hebdomadæ, vel menſis valent reſumi, cum totam hebdomadam reſpective, vel menſem inutile habeant ſpatium. *De officiis pro prima die menſis, aut hebdomada non impedita recitari indultis*, potior difficultas urgeret, quam tamen diſſipant, quæ dedimus exponentes memoratum Decretum ſecundum, nempe quod officia ad libitum impedimentum ſufficiens præſtant, licet non neceſſarium, quare favorabile Indultum in die, in qua de officiis ad libitum agitur, jure cenſeri non poteſt expirare, ſed in ſequenti proxima impedita æque bene locum habere poterit. Idem eſto judicium de officiis conceſſis pro prima puta feria ſexta non impedita.

DECRETUM II. CAPITIS, IN ORDINE CLXXXIII.

Cum ex privilegio Apoſtolico Religio Servorum B. M. V. poſſit, & valeat recitare officium SS. Sacramenti qualibet feria quinta, & illud B. Virginis qualibet die Sabbati ſub ritu ſemiduplici, dummodo dicti dies non ſint impediti officio novem lectionum, & exceptis Adventu, Quadrageſima, & Vigiliis; & cum multoties eveniat, quod ſit remittendum officium alterius Sancti, aliis de cauſis tranſlatum, ideo Rector, & Patres Montis Senarii in Etruria ejuſdem Ordinis ad tollenda multorum dubia ſupplicarunt Sacram Rituum Congregationem pro declaratione: An dictis diebus dicendum ſit officium tranſlatum, vel potius SS. Sacramenti, & B. Virginis ex dicto privilegio, prout hactenus conſueverunt? Et eadem S. R. C. reſpondit: *Tranſlatum ulterius protrahi, & officium fieri juxta privilegium, ſtante præſertim laudabili conſuetudine.* Ita S. R. C. 22. Novemb. 1664. *in una Etruria*, ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 342.

I. GRadimur illico ad difficultatis nervum, & ſiſtit, num feſta tranſlata impediant apud Ordinem Servorum celebrationem officiorum SS. Sacramenti, & B. Virginis, quorum illud pro qualibet feria quinta, hoc pro quolibet Sabbato *non impeditis officio novem lectionum*, conceſſa ſunt recitari? Congregatio reſpondit, *Tranſlatum ulterius protrahi, & officium fieri juxta privilegium, ſtante præſertim laudabili conſuetudine*. Cujus reſolutionis, quatenus declaratio eſt, ratio eſſe poteſt, quod prefata officia, cum in ſui conceſſione ſint feriis quintis, & Sabbatis addicta, in his veluti occurrentia cenſentur, ac per conſequens prędictas dies impeditas reddunt *officio novem lectionum*, & ſic ineptas ad ſuſcipienda officia tranſlata, quæ juxta Rubricas in prima die non impedita locari debent. Differens eſt ratio de officiis votivis nulli certæ diei addictis, ſed pro die aliqua vage, aut feria non impedita recitari conceſſis, qui hæc in nulla determinata die cenſeri queunt occurrentia, adeoque nullam diem impeditam reddunt, & ineptam ad ſuſcipienda tranſlata, quæ in prima die non impedita reponi debent, ſed magis feſta tranſlata impediunt diem, eamque reddunt non idoneam ad ſuſcipienda officia votiva, quæ in diebus non impeditis duntaxat locum habent.

II. Congruam hanc dedimus rationem preſentis Decreti, *quatenus declaratio eſt*, haud enim putamus de ſpeciali gratia ſapere, ſubdit ſiquidem. *& officium fieri juxta privilegium*; fert igitur privilegium, quod tranſlatum ulterius protrahi poſſit, & officium votivum fieri. Sed digna, quæ advertantur, ſunt ſequentia verba Decreti, *ſtante præſertim laudabili conſuetudine*. Conſueverant Patres Servitæ ita interpretari ſibi factum privilegium, unde in interrogatione, *Prout hactenus conſueverunt*, & Decretum probat interpretationem, immo eam *laudabilem* nuncupat; quis itaque ſuper data interpretatione adhuc nobis litem itentabit? Si conſuetudo agendi de officiis votivis cum ulteriori protractione tranſlatorum *laudabilis* eſt, quomodo privilegio non erit conſona?

III. Nec dicas laudari conſuetudinem, quatenus ipſa licitam reddi-

reddidit celebrationem dictorum officiorum, quæ vi privilegii mutabant. Nam conſuetudo potis tueri officia, antiquior Bulla Piana eſſe debet, cujuſmodi non eſt conſuetudo Patrum Servorum, quare laudari non potuit tamquam titulus firmans officia, ſed ſolum tamquam congrua interpres privilegii, a quo dicta tuentur officia. Dictio *Præſertim*, quam Decretum adhibet, omnem adimit dubitationem; ea enim dictio in legibus, & ſtatutis poſita, oſtendit Legiſlatorem aliis de cauſis motum fuiſſe ad deciſionem, vel declarationem, ſolumque majorem eſſe rationem in caſu, in quo reperitur poſita, quare deſignat in noſtro caſu, quod Congregatio ex privilegio mota fuit, non ex conſuetudine, quam dumtaxat conſequenter laudat tamquam conſonam privilegii interpretationem, qua ſtante caſus utique minus dubitabilis redditur.

IV. An adhuc id in uſum eſſe queat non obſtantibus poſterioribus Decretis expreſſe inhibentibus officia votiva fieri in die, in quo ponendum inſtat translatum aliquod, difficilius eſt ſtabilire. Verum adhuc ſubſiſtere privilegium, utpore particulari innixum declarationi, & laudabili conſuetudini, infra trademus exponentes Decretum ſextum, ubi & dabitur, an, & quando Religiones aliæ ſimiliter indultariæ in uſu prædicto continuare queant.

V. Quæres 1. Num a Patribus Servitis de prædictis agi poſſit officiis cum ulteriori protractione etiam duplicium translatorum?

VI. ℞. Utique, tum ratione verborum Decreti, quæ abſolute, & ſimpliciter firmant *translatum ulterius protrahi*, & *officium fieri juxta privilegium*; tum cauſa rationis, quam producimus, ex eo petitæ, quod præfata officia in illis diebus cenſentur occurrentia. Ceterum hac in re habenda eſt ratio plurima conſuetudinis, quæ tanquam privilegii interpres a Decreto laudatur; quod ſi hæc difformis fuerit, favori verborum, & rationis, cui Decretum innititur, inſiſti poſſe putamus.

VII. Quæres 2. Utrum Religio Servorum hoc eodem privilegio uti queat relate ad alia officia votiva eidem poſtmodum conceſſa?

VIII. ℞. negative; vel enim hujuſmodi officia non ſunt certæ diei, vel feriæ addicta, & tunc nec ſuffragatur declaratio, nec ejuſdem ratio, ut patet. Vel ſunt conceſſa pro ſtata die, aut feria, ut officium 7. Dolorum pro qualibet feria ſexta, & tunc quidem id identitas rationis expoſceret, ſed quia poſtea Congregatio in oppoſitum generaliter ſtatuit, idcirco hujuſmodi officia regulanda erunt juxta ea, quæ infra trademus.

DECRETUM III. CAP., IN ORDINE CLXXXIV.

Officium commemorationis S. Auguſtini, quod ex privilegio fit a Congregatione Canonicorum Regularium Lateranenſium ſemel ſub ritu duplici in prima die menſis, in qua feſtum alicujus Sancti non occurrit, fieri non poteſt infra octavas non privilegiatas, etiamſi aliter fieri nequeat. S. R. C. 7. Decembris 1680. *in una Canon. Regul. Later.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 111.

I. LAteranenſium Canonicorum Regularium Congregatio ex privilegio officium facit ſemel ſub ritu duplici de S. Auguſtino *in prima die menſis, in qua feſtum alicujus Sancti non occurrit*. Evenit non ſemel totum aliquem menſem per occurrentia officia occupari; hinc ortum eſt dubium, num infra octavas non privilegiatas fieri poſſet, quando aliter intra menſem locum non haberet? Et videbatur, quod ſic, eo quod octava, ut alibi non ſemel diximus, vere *feſtum* non eſt. Attamen Congregatio in oppoſitum cenſuit; præfatum enim officium conceſſum eſt pro die, in qua *non occurrit feſtum alicujus Sancti*, ubi to *Feſtum* ſtat pro officio, alias de eodem fieri poſſet etiam in Dominicis, aliiſque diebus privilegiatis, quæ ſtricte feſta non ſunt, nec a verbis privilegii exceptæ; dies autem intra octavam ſunt officia novem lectionum, & licet forſitan in omni rigore feſta non ſint, feſti tamen nuncupationem nec effugiunt, quatenus ſunt continuatio feſti, & omnes dies octavæ pro una feſtivitate computantur, ut ajunt Radulphus *prop. 19. & 25.*, Gavantus *ſect. 3. cap. 8. num. 5.*, & Guyetus *lib. 2. cap. 12.*

II. Id commodi univerſalis fert præſens Decretum, ut officia votiva infra octavas locum non habeant, etiamſi aliter vacare deberent. Denotant & nobis ea verba Decreti, *etiamſi aliter fieri nequeat*, quod officia votiva, conceſſa pro aliquo menſe, in ſequentem transferri non poſſunt, etſi in illo ſpatium non habeant. Sua nec ſunt ponderatione deſerenda illa verba ejuſdem Decreti, *In prima die menſis non impedita*; deſignant enim nobis, quod præfatum officium, & quæcumque alia votiva, quæ ex vi conceſſionis diei alicui ſunt alligata, ſi in ea non celebrentur, non amplius integrum eſt, in altera die, licet libera, illa perſolvere; pluries enim Congregatio ſancivit, officia Sanctorum celebranda eſſe eo die, quo cadunt, ſeu pro quo ſunt conceſſa, nec liberum eſſe quidquam hac in re immutare.

DECRETUM IV. CAP., IN ORDINE CLXXXV.

Idem officium Commemorationis S. Auguſtini fieri poteſt, quando habentur officia ſemiduplicia translata. S. R. C. 7. Decemb. 1680. *in eadem Canon. Regul. Later.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 111.

I. CAntat Indultum hujuſce officii pro die, in qua *feſtum alicujus Sancti non occurrit*, quare cum officia translata, hoc ipſo quod translata ſunt, non ſint occurrentia, utique eidem impedimentum eſſe non poſſunt. Amplia Decretum etiam ad duplicia translata, quoniam altior ritus, quo gaudet, ea occurrentia non reddit. Quam ad extenſionem haud te terreant ea verba Sanctionis *officia ſemiduplicia translata*, hæc quippe in eamdem petitio invexit, cum tamen diſpoſitionis ratio etiam de duplicibus translatis æque procedat.

II. *Fieri poteſt*, ait Decretum, ut te doceat, præfatum officium præferri quidem poſſe, ſed non debere translatis, quæ quatenus ea die juxta Rubricas poni inſtant, late dici poſſunt occurrentia, etſi non preſſe, & ſtricte. Hinc id commodi habes, quod etſi illud translatis non præferas, non expirat favor indulti, ſed adhuc in altera die libera præfatum officium agere vales, quamvis primæ diei, in qua feſtum alicujus Sancti non occurrit, conceſſum reperiatur.

III. Inane autem foret inquirere, num præſenti Sanctioni per poſteriora Decreta fuerit derogatum, ſiquidem ut in eorumdem expoſitione dicemus, hæc non derogant ſpecialibus declarationibus, & conceſſionibus, cujuſmodi eſt præſens Decretum. Hinc ediſcant, quotquot ſimilia habent Indulta, quomodo in conceſſorum officiorum celebratione ſe gerere poſſint, & debeant.

IV. Hactenus de officio commemorationis S. Auguſtini, quod ſub duplici ritu celebratur a Canonicis Regularibus Lateranenſibus, nunc de eodem, quo ſub ritu ſemiduplici ab Eremitis Auguſtinienſibus idem Sanctus Doctor honoratur. Hoc autem duplex eſt, menſtruum unum, hebdomadarium aliud. Hoc innititur Indulto Sacræ Congregationis 3. Septembris 1672., illud vero Rubricis Breviarii ejuſdem Ordinis, quæ *de comm. hebdom. num. 6.* officium obligationis illud nuncupant, ac faciunt in præcepto iis pro menſibus, in quibus aliquod peculiare feſtum ejuſdem Sancti non occurrit. Hebdomadarium conceſſum cum ſit pro prima die non impedita extra Adventum, & Quadrageſimam, iis, quæ generaliter inferius trademus de hujuſmodi Indultis, deferendum eſſe arbitramur, ſermonemque convertimus ad menſtruum, quod plurimam conſiderationem expoſcit.

V. Quæres 1. de jure licitæ recitationis, & præcepti præfatæ commemorationis menſtruæ? Nutare autem videtur, quod nullo peculiari innitatur Indulto, ſed ſolum Rubricis, & hæ Conſtitutionibus Ordinis, quibus tamen jus nullum nova officia inducendi.

VI. ℞. Licite fieri, & tamquam de præcepto conſiderari. 1. Quia ita notat memorata Rubrica, quæ approbante Clemente X. 15. Novembris 1670. facta extitit. 2. Quia cum idem Pontifex ſua Conſtit. *Ex injuncto* 28. April. 1673. ſupplendo quoſcumque defectus, rigoroſe mandet Hieronymi Valvaſſorii Prioris Generalis patentes litteras diei 20. April. 1673. ſuper officiorum, inter quæ eſt prædicta commemoratio tamquam de præcepto, recitationem obſervari, aliiſque Apoſtolicæ firmitatis robur adjiciat, jam quiſque videt perinde eſſe, ac ſi ab eodem Clemente dicta commemoratio fuiſſet indicta. 3. Quoniam præcipitur a Conſtitutionibus Ordinis 1. *par.* c. 1. §. 4., quæ confirmatæ fuerunt a Paulo V. In Conſtit. *Sacri Apoſtolatus* 5. Maji 1620. teſte Euſtachio a S. Ubaldo *de Dei bened.* n. 125. A Capitulo itidem Generali anno 1486. Senis celebrato reperitur præſcripta, & poſtmodum ſumma religione ſemper obſervata, quare cum antiquior ſit Bulla Piana, ſola conſuetudo illam tueretur, quando etiam ex adductis capitibus ſolidum non adipiſceretur fundamentum. Ex his autem abunde patet ad rationem dubitandi ſuperius productam; etiam enim Rubricæ, & Conſtitutiones peculiarium Ordinum vim habent officia tuendi, quoties per Sedem Apoſtolicam ſunt approbatæ, ut ſuperius dicebamus, & Congregatio ipſa decidit in Decr. 9. cap. 3.

VII. Quæres 2. de menſibus, in quibus præfata commemoratio locum habet, & eſt de præcepto?

VIII. ℞. In menſibus Januario, Martio, Aprili, Junio, Julio, Novembri, & Decembri, non autem Auguſto, Februario, Majo, Octobri. Ratio eſt, quia ex præfata Rubrica eſt de præcepto iis menſibus, quibus nullum feſtum ejuſdem Sancti occurrit; in illis autem nullum occurrit, bene in his, ſcilicet in Auguſto feſtum Natalitium, Majo feſtum Converſionis, & Februario, & Octobri feſtum Translationis. De menſe Septembri dubium eſſe poſſet, quod in eo nullum occurrat S. Auguſtini feſtum; at occurrunt quatuor dies octavæ ejuſdem, quæ idem cum feſto reputantur, & ratio ipſa inſtitutionis ejuſdem officii, quæ ſita in eo eſt, ut laudes tanti Doctoris quolibet menſe a Filiis recenſeantur, præfatum menſem explodit. In univerſum autem difficultatem omnem adimunt Breviaria antiqua, quæ pro menſibus Februario, Majo, Auguſto, Septembri, & Octobri prædictum non aſſignant officium, quod quidem in recentiora fuit invectum, ſed ratione commemorationis hebdomadariæ poſtmodum conceſſæ, non quia in iiſdem menſtrua locum habeat.

IX. Notabilis eſt Rubrica antiquiorum Breviariorum pro menſe Februario: *Si ſecunda Translatio S. P. N. Auguſtini, quæ celebratur ultima Februarii transferatur in menſem Martii, tunc primas dies menſis Februarii non impedita fit de commemoratione S. P. N. Auguſtini*; in cujus conſequentiam Rubricæ eidem officio præfixum legitur *menſe Martio, vel Februario*; hoc autem fiebat, ut in quolibet menſe ſemel de Sancto Inſtitutore ageretur. An hujuſmodi Rubrica etiamnum obedientiam expoſcat, in negativam nos partem propendimus, quia nunc non antiquæ Rubricæ, ſed novæ, & reformatæ, ac a Clemente X. approbatæ debent attendi: hæ vero nihil hujuſmodi notant, cum

tamen

tamen ſignare debuiſſent, ut non infrequenti caſui proviſionem facerent. Clementinæ Rubricæ in præcepto illud ponunt iis, in quibus feſtum aliquod *non occurrit*: feſtum autem preſſe non dicitur occurrens, niſi in eo menſe, cui eſt addictum, non autem in eo, in quo quandoque per accidens ratione translationis recolitur. Nec refert, quod tunc bis de eodem ageretur in menſe Martio, & in Februario fortaſſe nec ſemel, quod eſt contra finem inſtitutionis: feſtum enim Tranlationis nonniſi per accidens in Martio recolitur, per ſe in Februario, gerítque vices officii, quod in Februario deberet celebrari, quare perinde eſt, ac ſi in Februario recoleretur; ut enim ſtatim dicemus, fini præfatæ inſtitutionis dumtaxat obſiſtit duplex officium, quorum utrumque ad eundem menſem ſit addictum, ſecus vero ſi alterutrum officii alterius menſis vices gerat.

X. Hinc belle in parte verna noviſſimorum Breviariorum in fine Februarii notâta extitit commemoratio S. Auguſtini, quæ hebdomadaria eſſe non poteſt, cum hæc locum non habeat in quadrageſima, a qua incipit memorata pars verna. Erit itaque menſtrua, non menſis Februarii, in quo vacat ratione Feſti translationis, ſed menſis Januarii, in quo eſt de præcepto, & in eo celebrari non valet ob perpetuum impedimentum occurrentium feſtorum, adeoque menſi proxime ſequenti in perpetuum rite conſignata, uti fit de aliis officiis de præcepto in propria die ſemper impeditis. Uti autem officia, quæ certæ diei in ſui conceſſione reperiuntur addicta, in certam diem alteram immutantur, ita præfatum officium, quod vage toti menſi fuit addictum, bene alteri toti menſi fuit traditum, quare inſpiciendum venit, perinde ac ſi foret commemoratio menſis Februarii. Differens eſt ratio de officiis diei Dominicæ aſſignatis, quæ impedita, diei alteri Dominicæ tradi non poſſunt, quia cum dies Dominica ſit officium novem lectionum, uti obſiſtit feſtis, quæ in ea transferantur, ita quæ immutentur.

XI. Quæres 3. Num commemoratio menſtrua translationem patiatur, cum in proprio menſe locum non habet?

XII. ℞. Rem eſſe ambiguam. Id probat natura officiorum de præcepto, confirmatque immutatio commemorationis Januarii in Februarium, quæ ſine translatione haberi non poteſt. Renuit ejuſdem commemorationis addictio ad ſtatum menſem, & finis addictionis, ac hebdomadaria commemoratio translationem menſtruæ indicat ſuperfluam. Nos affirmanti potius parti, quam neganti adhæremus; non enim obſtat addictio, cum nihilominus & cetera transferantur feſta, licet ſtatæ diei affixa; non finis addictionis, quia adhuc deſervit pro menſe, pro quo eſt conceſſa; non denique hebdomaria, quia ratione temporis, puta quadrageſimalis hæc quandoque locum non habet, licet quando hæc poni poteſt, opus non ſit illam transferre, ſed ſolum præcedentis menſtruæ lectiones in eadem legere. Quæ tamen limita, ut in ſequentem menſem dumtaxat transferri queat, & præcedenter poni ad commemorationem ejuſdem menſis, ne invertatur ordo in eorumdem commemorationum celebratione tenere præſcriptus, & plura alia ſequantur incommoda, quæ loci hujus non eſt exerere. Exemplum Feſti 7. Dolorum Deiparæ te inſtruat, quod licet de præcepto ſit, ob quamdam incongruitatem in ſolam ſequentem diem translationem patitur. Objici poſſet Decretum tertium, ſed hoc procedit de commemoratione S. Auguſtini, quæ apud Canonicos Regulares Lateranenſes de præcepto non eſt.

XIII. Quæres 4. Cur Rubrica excipiens menſes, in quibus dicta commemoratio vacat, notat eos, in quibus *peculiare* feſtum occurrit, & non magis *feſtum* ſimpliciter?

XIV. ℞. Ne menſis Novembris intelligeretur excluſus, in quo in feſtis omnium Sanctorum tum univerſalis Eccleſiæ, tum Ordinis implicita etiam agitur de S. Auguſtino, cujus tamen talia feſta *peculiaria* non ſunt. Feſtum autem omnium Sanctorum quemadmodum non excludit peculiarem commemorationem Sanctorum, licet omnes in eo comprehendantur, multo minus a menſe valet depellere officium eorumdem menſtruum.

XV. Quæres 5. Utrum in eadem hebdomada ſimul fieri queat de commemoratione menſtrua, & hebdomadaria?

XVI. ℞. Quod id tenet Euſtachius a S. Ubaldo *de Dei benedict. n.* 200., tum quia in eadem hebdomada fieri poteſt de feſto, & de commemoratione hebdomadaria S. Auguſtini; quidni igitur & de commemoratione ſimul menſtrua, & hebdomadali? Tum quia privilegium menſtruæ non excludit hebdomadam, in qua agitur de hebdomadaria, & hujus privilegium latum eſt pro omni hebdomada. Attamen id fieri diſerte vetat Rubrica Breviarii præfati Ordinis, cujus diſpoſitioni omnino ſtandum eſt, non quia privilegium hebdomadariæ excludat menſtruam, ſed quia hæc ſtatim ceſſat, quando actum eſt de hebdomadaria, cum conceſſa ſit pro menſibus, in quibus non occurrit feſtum aliquod S. Auguſtini, cujus rationis etſi vere non ſit commemoratio hebdomadaria, hanc tamen talem facit eſſe privilegii ratio, quam in eo ſitam diximus, ut ſemel in menſe de laudibus tanti Doctoris agatur; de his autem agitur etiam in hebdomadaria, quamvis feſtum ejuſdem vere non ſit, ſed officium, pro quo ſtat revera to *feſtum*, quod antiquior Rubrica ideo poſuit, quia officium hebdomadariæ nondum erat conceſſum, modernior vero retinuit, ſed diſerte ſe explicuit, non propterea in eadem hebdomada utramque commemorationem ſimul locum habere poſſe. Contraria tamen hæc minime ſunt ſuperius traditis de duplici commemoratione menſtrua, aut de commemoratione ſimul & feſto in eodem menſe agendis, quia hæ in caſu diverſis pro menſibus deſerviunt, ubi illæ pro eodem menſe forent.

XVII. Quæres 6. num commemoratio menſtrua locum habeat in Quadrageſima, Adventu, aliiſque feriis majoribus, & vigiliis?

XVIII. ℞. affirmative. Conſtat id tum ex Rubricis antiquis, tum reformatis, tum ex fine inſtitutionis, tum ex laudabili conſuetudine prævia ad Bullam Pianam, & deinde ſemper cuſtodita; tum denique quia præfatæ feriæ cedunt officiis de præcepto, cujuſmodi eſt dicta commemoratio, cui propterea non obſiſtunt inhibitiva Decreta.

XIX. Quæres 7. qua die menſis poni debeat?

XX. ℞. in prima non impedita; ſic enim habet Rubrica Breviarii antiqui: *Prima die cujuslibet menſis feſto duplici, vel ſemiduplici non impedita celebratur*, cui conſonat Rubrica Breviarii reformati: *In adventu autem, & Quadrageſima officium de hujuſmodi commemoratione fiat tantum ſemel in menſe prima die non impedita*. Ubi Rubrica antiqua primam diem non impeditam generatim aſſignat, reformata id præſtat ſolum in caſu Adventus, & Quadrageſimæ, quia extra hæc tempora poſtmodum factum extitit indultum hebdomadariæ; ex utraque tamen habes, quod prima dies non impedita eſt aſſignata commemorationi menſtruæ, ac conſequenter quod etiam extra Adventum, & Quadrageſimam in ea poni debet, quoties in menſe dumtaxet ſemel poni poteſt, aut lubet. Hinc volo duo inferas, & primum eſt, præfatum officium non poſſe in ulteriorem diem differri, ut in præcedenti v. g. agatur de occurrenti feſto ſimplici; alterum vero, quod ſi die prima non impedita de illo non agatur, non amplius de eo fieri poteſt, ut univerſim de officiis quibuſcumque, quibus dies determinata eſt traditur in cap. de additione Breviario inhibita.

XXI. Quæres 8. num neceſſe ſit eamdem præponi officiis aliis votivis, quæ idem Ordo celebrat de Conceptione Deiparæ, SS. Sacramenti, S. Monicæ &c.?

XXII. ℞. Negative. Ex his officiis ſunt, quæ ſtatæ feriæ ſunt aſſignata, ut officium SS. Sacramenti feriæ quintæ, Conceptionis Sabbato, & de his jam Rubricæ dicti Ordinis diſponunt, dictæ Sancti Auguſtini commemorationi poſſe præponi. Alia vero quæ ſemel in menſe generatim ſunt recitari indulta, ut S. Monicæ, S. Nicolai &c., & pro his, & illis hæc ratio facit, quod cum integrum ſit, quamlibet diem menſis pro eorumdem celebratione ſeligere, hoc ipſo quod ſeligitur prima dies non impedita, hæc redditur impedita officio ſemiduplici, ac conſequenter inepta dictam commemorationem, quæ pro prima die non impedita eſt conceſſa, ſuſcipere; præfata enim officia inſtar ſe habent officiorum ad libitum, quæ licet non neceſſarium, ſufficiens tamen præſtant impedimentum, quare etſi præponantur, minime fit, quod adhuc præfata commemoratio non fiat in prima die non impedita.

XXIII. Oppones Rubricas Ordinis, quæ in rationem præferentiæ eidem commemorationi præſtandæ adducunt, quod *officium obligationis ſemper præferri debet officio devotionis*? quinimmo aſſignantes ordinem in hujuſmodi officii recitandis, diſerte primas tribuunt illi S. Auguſtini. Verum primum procedit pro caſu, in quo alias menſtrua commemoratio vacare deberet, ut diſerte eruitur ex Rubricis eiſdem, quæ ceteroquin in oppoſito caſu pro reſpectivis feriis præferentiam decernunt officiis SS. Sacramenti, & Conceptionis; lubentes autem hanc limitationem etiam nos approbamus. Secundum vero eum præſcribit ordinem tamquam de congruo, non ex neceſſitate tenendum, ut ex motivis majoris antiquitatis, & venerationis, quæ ad rem producuntur, facile colligi poteſt; quare ſi ſuppetat ratio aliqua, laudabile forſan & erit alias commemorationes præferre, puta ſi hæ alias vacare deberent, ubi ea S. Auguſtini adhuc utile haberet ſpatium. Hinc cum primis diebus Decembris, etiam intra Adventum, locum habeant commemorationes S. Monicæ, & S. Nicolai, ſecus in poſtremis, quæ tamen non reſpuunt illam S. Auguſtini, ideo nil obſtat in illis illas ponere ad hanc hac reſervata. Idipſum dicito de diebus præviis ad Quadrageſimam, vel Vigilias, aliaſque ferias majores relate ad eas commemorationes ejuſdem Ordinis, quæ iiſdem diebus locum non habent; anticipari enim poterit earumdem celebratio, rejecta commemoratione S. Auguſtini ad præfata tempora, quæ adhuc juxta Rubricas celebratur prima die non impedita, præfatis commemorationibus præcedentes impedientibus, ut ſupra dicebamus. Demptis his, ſimilibuſque caſibus congruum eſt, commemorationem S. Auguſtini ceteris præferre.

XXIV. Quæres 9. Num præferri debeat translatis, quoties alias vacaret.

XXV. ℞. Utique; eſt enim officium menſi affixum; in eo occurrens, habenſque ſedem ſuam, non determinatam quoad diem, vagam tamen, & indeterminatam pro aliqua die, quæ ſit fixa, & determinata pro ultima die non impedita, quando ceteræ ſunt, vel impeditæ venerunt; officium autem occurrens præfertur translato, etiam altioris ritus. Nec officiunt Decreta inferius exponenda, procedunt ſiquidem de officiis menſtruis, quæ non ſunt de præcepto, ſed arbitrariæ recitationis. Objiciebat quidam, quod quando duo officia imparis ritus poni inſtant, præferendum eſt, quod eſt ritus altioris; at id verum eſt, quando utrumque eſt æque translatum, ſecus vero, ſi quod inferioris ritus eſt, cenſeatur occurrens.

XXVI. Hanc itaque ſerva œconomiam, ut prius ponantur translata, quæ ſi totum menſem occupent, in ultima die præfatam age commemorationem, ulterius protracto ultimo translato, quod ea die poni deberet. Quod tamen limita, ſi ultimum translatum ſit eminentioris ritus, quam priora translata, quæ in eodem menſe reponuntur; hoc enim in caſu ultimum translatum inferioris ritus ulterius protrahatur, & ea die agatur offi-

cium S. Auguſtini, quoniam quoties aliquod ex pluribus cedat oportet, aut cedat minus nobile, æquitatis ratio ſuadet. Quæ dicta ſunto, dummodo tranſlatum, quod ulterius protrahitur cauſa faciendi de dicta commemoratione, intra annum locum reperiat, in quo reponi poſſit, & celebrari, ſecus vero, ſi alias ad ſimplicem commemorationem redigendum foret; tunc enim magis reponendum eſſet prædictum tranſlatum cum omiſſione prædictæ commemorationis quæ cum non ſit, niſi repetitio ejuſdem, magis decens eſt, eamdem omitti, quam præfatum tranſlatum, quod uno officio dieque circumſcribitur, ſicuti eadem de cauſa ſuo loco vidimus magis demandari decoctionem octavarum.

DECRETUM V. CAPITIS, IN ORDINE CLXXXVI.

Feſta duplicia, & ſemiduplicia tranſlata præferenda ſunt officio S. Benedicti ſemel in hebdomada conceſſo ſub ritu ſemiduplici omnibus Congregationibus S. Benedicti. S. R. C. 7. Febr. 1699. *in Tarviſina*, Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 211.

I. OFficium S. Benedicti cum ſit ex officiis ſtatæ feriæ alligatis, ſingulis ſcilicet feriis tertiis, Sanctio præſens, dum eidem præfert feſta tranſlata, contraria diſponere videtur iis, quæ firmat ſecundum hujus capitis Decretum, de corpore quippe Chriſti, ac de B. Virgine hoc ſtatuit fieri poſſe in ſuis reſpective feriis aſſignatis cum ulteriori tranſlatorum protractione. Verum in expoſitione Decreti ſecundi Congregatio ſe tenuit probabili dumtaxat ſenſui privilegii, ſtante præſertim conſuetudine, quæ in ea amplitudine jam illud fuerat interpretata; hic autem procedit juxta probabiliorem privilegii ſenſum, & præſertim quia conſuetudo ipſa in Ordine S. Benedicti communiter recepta, ſibi factum privilegium cum aſſerta acceperat limitatione. Vide, quæ ſtatim daturi ſumus explanantes duo ſequentia Decreta.

DECRETUM VI. CAP., IN ORDINE CLXXXVII.

Dies impeditus feſto duplici, vel ſemiduplici pro officiis ſemel in hebdomada, vel in menſe recitandis, intelligitur etiam dies, in quo ponendum eſt officium de feſto duplici, vel ſemiduplici tranſlatum, necnon dies octava eſt dies impeditus reſpectu talium officiorum. S. R. C. 20. Martii 1706. *in Decreto generali*, Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 237.

I. INdulta memoratorum officiorum cantant pro die *non impedita*, & dubitabatur, num ſolum officia occurrentia impeditam diem redderent, an vero etiam tranſlata, adeoque utrum de præfatis officiis hebdomadariis, vel menſtruis fieri poſſet, tametſi poni inſtarent feſta aliqua tranſlata. Congregatio cenſuit impeditam etiam diem illam, in qua ponendum eſt feſtum aliquod tranſlatum, & ſic inutilem pro eorumdem officiorum recitatione. Rubricæ ſuffragantur admodum; dum enim feſta tranſlata ad primam diem non impeditam rejiciunt, hanc per illa impeditam efficiunt, & taliter, ut quoties plura poni inſtant tranſlata, tranſlatum inferioris ritus, aut poſterioris tranſlationis locati cenſeatur in prima die non impedita, etſi alia feſta tranſlata majoris ritus, vel anterioris tranſlationis prius extiterint repoſita. Cedo, cur ita? Niſi quia dies illi, in quibus potiora tranſlata alia fuerunt repoſita, per hæc juxta Rubricas impediti cenſentur. Quæ cum ita ſint, dubium non eſt, quod dies illa, in qua ponendum eſt officium tranſlatum, favorabilis eſſe non poteſt repoſitioni officiorum ſemel in hebdomada, vel in menſe recitari conceſſorum *pro die non impedita*.

II. Verior hæc eſt intelligentia hujuſmodi privilegiorum, & ad minus locum habet in præfatis officiis, quæ ſemel in hebdomada, vel menſe ſunt recitari conceſſa pro die ſimpliciter non impedita; an vero locum itidem habeat in iiſdem officiis, quæ ſtatæ feriæ, puta feriæ quintæ, aut Sabbato ſunt alligata; dubium aliquod ingerit Decretum ſecundum hujus Capitis una cum iis, quæ in ejuſdem expoſitione tradidimus, dum enim hocce Decretum officium fieri poſſe ſtatuit juxta privilegium, & tranſlata ulterius protrahi, officia ut ſupra ſtatæ feriæ alligata ab hac lege eximere videtur. Verum cum præſens Decretum non ſit, niſi reſponſio ad ſecundum dubium, & relationem ſervet ad primum, ſine quo plena illius notitia haberi non poteſt, & aliunde utrumque in efformatione Decretorum defectuoſe fuerit a Merato relatum, putamus hic fideliter utrumque cum ſuis reſponſionibus exhibere, unaque exponere. Habentur autem exarata in principio Breviarii.

DECRETUM VII. CAP., IN ORDINE CLXXXVIII.

Cum Sacrorum Rituum Congregationi demiſſe ſupplicatum fuerit ſequentia dubia declarare. Primum. An, cum multis Congregationibus, Religionibus, ſive Eccleſiis, vel Nationibus conceſſum ſit a Sancta Sede Apoſtolica, ut ſemel, vel pluries in ſingulis hebdomadis, vel menſibus celebrentur varia officia per annum, verb. gr. de SS. Sacramento, vel de Sanctis in diebus non impeditis aliquo feſto duplici, vel ſemiduplici, liceat ejuſmodi officia facere etiam in diebus ſanctæ Quadrageſimæ, Adventus, Vigiliarum, & Quatuor Temporum, etiamſi de his diebus nulla ſit facta ſpecialis mentio in aliquibus officiorum conceſſionibus. Secundum. An dies impeditus feſto duplici, vel ſemiduplici pro dictis officiis recitandis, intelligatur etiam dies, in quo ponendum eſt officium de feſto duplici, vel ſemiduplici tranſlato, quemadmodum dicitur reſponſum fuiſſe olim a Sacra Congregatione; quod ſcilicet feſtum duplex, vel ſemiduplex etiam tranſlatum, necnon dies octavæ ſit dies impeditus reſpectu talium officiorum? Et Sacra Rituum Congregatio reſpondit, ad primum *negative, & hujuſmodi Indulta non habere locum in feriis Adventus, Quadrageſimæ, Quatuor Temporum, Vigiliarum, ſive cum jejunio, ſive abſque jejunio, nec in feria ſecunda Rogationum, nec in illa feria, in qua ſecundum Rubricas ſit reponendum officium Dominicæ*. Ad ſecundum vero *affirmative*, Ita die 20. Martii 1706. *in Decreto generali*.

I. MEratus in ſuo Indice Decr. Brev. num. 236. ſub his terminis refert Congregationis reſponſionem ad primum dubium: *Cum multis Congregationibus, Religionibus, ſive Eccleſiis, vel Nationibus conceſſum ſit ab Apoſtolica Sede, ut ſemel, vel pluries in ſingulis hebdomadibus, vel menſibus, celebrentur varia officia per annum, verb. gr. de SS. Sacramento, vel de Sanctis in diebus non impeditis aliquo feſto duplici, vel ſemiduplici, hujuſmodi Indulta non habent locum in feriis Adventus, Quadrageſimæ, Quatuor Temporum, Vigiliarum, ſive cum jejunio, ſive abſque jejunio, nec in feria ſecunda Rogationum, nec in illa feria, in qua ſecundum Rubricas ſit reponendum officium Dominicæ*. Hæc utique rite, atque concinne nobis produnt Congregationis mentem, ad quam magis inſinuandam deſiderantur verba illa, quæ in exaratione Decreti, utpote in dubio propoſita, exprimi debuiſſent: *Etiamſi de his diebus nulla ſit facta ſpecialis mentio in aliquibus officiorum conceſſionibus*; deſignant enim, quod in aſſertis diebus locum non habent memorata officia, tametſi horum conceſſiones aut non illas, vel ſolum earum aliquas excipiant. Hactenus ad litteras veter Decreti expoſitio; nunc ad te ſpudaſtes mi, qui talia verba in petitione abſurde cenſes fuiſſe poſita, propterea a Merato tamquam ſuperflua rite in Decreto omiſſa, & abſit jurgium aliquod ſit inter nos, ſed malo juvare intelligentiam tuam doctrinæ jam traditæ planiori trituratione. Hujuſmodi officiorum indulta alia ſunt omnimode abſoluta ſine ulla temporum exceptione; alia vero, quæ quidem aliqua excludunt tempora, puta Adventum, & Quadrageſimam, ſed non poſtea v. gr. vigilias, & quatuor tempora. Cum verba, quibus conſtant indulta, ſint menſura extenſionis officii conceſſi, utique quis, niſi omnino bardus, umquam proponere poteſt dubium, num talia officia locum habere poſſint in iis temporibus, quæ in ſui conceſſione expreſſe fuerunt excepta. Non ſic eſt de indultis, quæ cum nulla tempora excipiant, rite dubitare poteſt, num generaliter ſint accipienda, cum lex generaliter loquens, etiam generaliter ſit intelligenda; an vero adhuc excipiendæ ſint illæ feriæ, quæ ſanctiores ob cauſas in conceſſionibus hujuſmodi officiorum excipi ſolent. Idipſum eſt de indultis, quæ Adventum, & quadrageſimam v. g. dumtaxat excipiunt; hoc enim ipſo dubitare quis facile poteſt, num item exceptas ſimul faciant memoratas ferias de quibus fere eadem procedit exceptionis ratio, an vero magis locum habeat proloquium illud exceptio facit regulam in contrarium pro caſibus non exceptis. De hujuſmodi indultis, quæ vel nullam temporum exceptionem faciunt, vel ſolum aliquorum, non omnium, quorum petitio meminit, dubium modo procedit; unde vide, quam admodum quadrant tam petitioni, quam reſponſioni memorata verba *etiamſi de his diebus nulla*; deſignant etiam officia ejuſmodi votiva non habere locum in memoratis feriis, quamvis eorum indulta abſolute, & ſine ulla exceptione fuerint concepta, aut ſi tum exceptione aliquorum ex aſſertis diebus, non tamen omnium in re adeo notiſſima nos pudet ulteriora addere.

II. *Cum multis Congregationibus, Religionibus, ſive Eccleſiis, vel Nationibus*. Nimis ampla eſt expreſſio, ut non ſinu omnia hujuſmodi officia, quibuſcumque conceſſa, in ſuo claudere, nos arbitremur; quæ enim Regularibus Ordinibus, vel adhuc Cleri Sæcularis Congregationibus indulta eſſe queunt, per to *Congregationibus, vel Religionibus* apte veniunt, quæ particularibus Eccleſiis, Diœceſibus, vel Provinciis, per to *Eccleſiis*, & quæ Nationibus, Dominiis, Civitatibus &c., per to *Nationibus*, niſi mavis, venire per to *Eccleſiis*, quod nos refragari non poſſumus; patens eſt enim admodum intentio Decreti comprehendendi cuncta hujuſmodi officia, quare in rigoroſa verborum ſignificatione plus æquo inſiſtendum non eſt. Fallit hoc tamen in iis officiis, de quibus jam declaratum foret in omnibus, vel in nonnullis ex dictis diebus locum habere, lex quippe non trahitur ad præterita jam deciſa, & declarata. *L. Cauſas C. de tranſact.* Nec Decreta generalia, cujuſmodi eſt præſens, unquam derogant particularibus conceſſionibus, vel declarationibus, ut aperte eruitur ex Decretis 7. & 8. cap. de Officiis ad libitum.

III. *Conceſſum ſit ab Apoſtolica Sede*, adde, vel *a Sacra Congregatione*, cujus conceſſiones nonniſi per Apoſtolicam auctoritatem ſibi factam ab eadem promanant, & ſic univerſalem habes diſpoſitionem ut ſupra inhibitivam de celebratione dictorum officiorum in memoratis feriis. An autem comprehendantur etiam officia, quæ conſuetudini antiquiori Bulla Piana reperiuntur innixa? Non credimus; hæc enim, etſi per Apoſtolicam Sedem in valido ſtatu ſint declarata, ab hac tamen primigeniam originem minime trahunt, ſed a conſuetudine, quæ ſicuti valida eſt ad eadem officia firmanda, quæ aliunde nutarent, ita ad eadem tuenda in prædictis temporibus. Nos ſcimus octavas intra Quadrageſimam eſſe inhibitas, & tamen eas, quæ prædictæ conſuetudini manent innixæ, continuari nihilo-

minus

Digitized by Google

minus poſſe cenſuit Congregatio 6. Decemb. 1608. quidni igitur, & officia, de quibus agimus?

IV. *Ut ſemel, vel pluries in ſingulis hebdomadibus, vel menſibus* exprimit officia, quæ in dictis feriis non vult recitari, & ſunt, *quæ ſemel, vel pluries in ſingulis hebdomadibus, vel menſibus* ſunt celebrari conceſſa. Decretum eſt gratiarum, & privilegiorum reſtrictivum, adeoque quis credet, offendere officia, quæ pluries in anno forent conceſſa, ut apud Servitas de S. Joanne Evangeliſta quater in anno? Quis item illa, quorum Indulta diſerte excipiunt menſes aliquos, ut apud Eremitas Auguſtinienſes, faciendi ſemel in menſe de S. Auguſtino, de S. Monica, de S. Nicolao Tolentinate, *exceptis menſibus, in quibus aliquod peculiare feſtum eorumdem Sanctorum occurrit*? Si enim Decretum diſerte ſermonem inſtituit de officiis ſemel vel pluries *in ſingulis hebdomadibus, vel menſibus* recitari conceſſis, cur nos arbitratu noſtro illud extendere volumus ad officia, quæ pro ſingulis menſibus non inveniuntur conceſſa? Et quidem licet petitio nihil habeat de feria ſecunda Rogationum, de feria, in qua anticipatur officium Dominicæ, & de Vigiliis ſine jejunio, Decretum etiam has expreſſas voluit, & fecit, quidni & ſimiliter egiſſet circa to *ſingulis menſibus*, ſi etiam officia pluries in anno, vel cum exceptione aliquorum menſium conceſſa, comprehendere voluiſſet?

V. Sunt ex hiſce officiis quorum Indulta excipiunt *Adventum, & Quadrageſimam*, non tamen reliquas ferias, & cum pro ſingulis menſibus hoc ipſo conceſſa non ſint, in reliquis feriis ea locum habere quis arbitrabitur? fallitur tamen, non quia pro ſingulis menſibus ſint conceſſa, ſed quia per exceptionem Adventus, & Quadrageſimæ implicite exceptæ manent & reliquæ feriæ, de quibus eadem, vel fere eadem currit ratio, ut infra dicemus. Non minus itidem falleretur, qui ex a nobis ſuperius productis argueret, Decretum non lædere officia, quæ cum exceptione aliquarum hebdomadarum forent conceſſa; hoc ipſo enim, quod adhuc in ſingulis menſibus ſolum ſemel locum haberent, hac una de cauſa exploſa manerent a Decreto, quod in præfatis feriis perimit etiam officia ſemel in menſe conceſſa.

VI. *Celebrentur varia officia per annum verb. gr. de SS. Sacramento, vel de Sanctis*. Ponuntur hæc exempli gratia, quare quæcumque alia ſimilia officia non minus manent incluſa; & quidem nedum ea, quæ vage pro die non impedita ſunt conceſſa, ſed etiam quæ alicui ſtatæ feriæ ſunt alligata; productum enim exemplum SS. Sacramenti, quod feriæ quintæ communiter reperitur addictum, etiam de officiis ſtatæ diei alligatis Decretum procedere ſatis oſtendit. Verum hac in re conjecturis haud egemus, cum id diſerte ſtatuerit Congregatio 1. Martii 1681., ut videre eſt in ſequenti Decreto.

VII. *In diebus non impeditis aliquo feſto duplici, vel ſemiduplici*. Idipſum eſt, ſi Indultum cantaret *pro prima die non impedita*, vel quacumque alia ſimili expreſſione, conſtaret, ſecus vero, ſi pro aliqua die, *in qua feſtum alicujus Sancti non occurrit*, conceptum foret, aut conſimili alia expreſſione, quæ celebrationi dictorum officiorum a ſolis occurrentibus feſtis deſignet impedimentum præſtari, qualiter cantat Indultum officii menſtrui S. Auguſtini, cui propterea locum etiam fecimus in excluſionem tranſlatorum in Decretis 3. & 4., tametſi præſens Decretum ad 2. dubium officiis votivis tranſlata præferat. Hujuſmodi enim officia uti non cedunt tranſlatis, ita nec cedent præfatis temporibus, quibus præferuntur tranſlata: Quæ tamen adhuc limita, ſi in conceſſione Adventus, vel Quadrageſima fuerint exceptæ, ut in ſimilibus dicebamus in Decreto 2., tunc ſiquidem, etſi præferantur tranſlatis, nulli tamen ex memoratis feriis, quæ per Adventum, vel Quadrageſimam implicite fuerunt exceptæ.

VIII. *Hujuſmodi Indulta*, quæ ut ſupra cantant, & per terminos facultativos manent expreſſa, ſecus, ſi per præceptivos; officiis enim præſſe de præcepto ſive occurrentibus, ſive tranſlatis cedunt memoratæ feriæ, unde & hujuſmodi officiis hebdomadariis, vel menſilibus, quæ hoc ipſo, quod de præcepto ſunt, vi ſuæ conceſſionis, etiam *votivorum* nomen effugiunt.

IX. *Non habent locum in feriis Adventus, Quadrageſimæ*. Plurima utique haberemus exaranda momenta exceptionis horum temporum, quæ cum hujus loci non ſit exerere, pro nunc dumtaxat dicimus, quod ſunt congruæ præparationes ad proxima ſolemnia Nativitatis, & Reſurrectionis Dominicæ, ſatis adaptata habent officia, quæ ne omitti eveniant, in Quadrageſima prorſus, & in Adventu a die 17. Decembris inhibitæ ſunt octavæ, rariora indicta ſunt feſta, & in Quadrageſima olim nulla celebrabantur, quocumque occurrente feſto numquam commemorationem deperdunt, & Quadrageſima nec nonam lectionem homiliæ, nec ultimum Evangelium in Miſſa: immo nec Miſſam ipſam, quæ ultra eam feſti cantanda præcipitur in Cathedralibus, & Collegiatis Eccleſiis. Reſpuunt itidem quæcumque officia ſimplicia, etiam B. Mariæ in Sabbato, licet particularis venerationis ſit in Eccleſia Dei &c.

X. *Quatuor Temporum*. Uti eæ Adventus, & Quadrageſimæ, ita feriæ Quatuor Temporum inter ferias majores computantur, ſanctas habent ſuæ inſtitutionis cauſas, eademque privilegia præter octavarum excluſionem.

XI. *Vigiliarum*. Feriæ majores iſtæ non ſunt, ſed quaſi inſtar earumdem ſe habent, quatenus ſimplicibus feſtis non cedunt, & quoties impediuntur (niſi occurrat feſtum primæ claſſis) Commemorationem, Homiliam, & Miſſam ut ſupra expoſtulant. Verum de his in Capite de Vigiliis jam dedimus, quantæ ſint dignæ venerationis, & obſequii.

VII. *Sive cum jejunio, ſive abſque jejunio*. Vigilias petitio dumtaxat nominat, reſponſio addit, *ſive cum jejunio, ſive abſque jejunio*, ne quæ ex vigiliis a jejunio exciderunt, exciſſe etiam cenſeantur a jure excludendi officia votiva, cum tamen quoad ea, quæ ad officium attinent, cum vigiliis jejunatis univoce conveniant, iiſdemque gaudeant privilegiis. In Eccleſia univerſali duæ ſunt vigiliæ a jejunio immunes, ſcilicet Epiphaniæ, & Aſcenſionis, in particularibus vero Eccleſiis adſunt & aliæ, ut diximus in eodem capite de vigiliis, & de omnibus par eſt procedat diſpoſitio Decreti.

XIII. *Nec in feria ſecunda Rogationum*. Addita itidem fuit per reſponſionem hæc feria, quod inter ferias majores recenſeatur, iiſdemque, quibus Quadrageſima, privilegiis potiatur præter octavarum excluſionem. Feria tertia non item, quod feria major non ſit, immo & feſtis ſimplicibus cedat, cujus rationis etiam foret feria quarta, niſi vigiliam Aſcenſionis includeret. Alibi de Rogationibus longior inſtituetur ſermo.

XIV. *Nec in illa feria, in qua ſecundum Rubricas ſit reponendum officium Dominicæ*. Reſponſio hanc feriam exceptam itidem fecit, de qua cum jam in capite de Dominicis late egerimus, ab ulteriori ſermone abſolvimur; ea enim quæ ibidem dedimus, eamdem etiam vigiliis præſtare evincunt, adeoque potiori jure etiam præfatis officiis.

XV. Cum itaque feriæ hæ omnes ſanctis, ac aliis innitantur cauſis, maximis decoratæ ſint prærogativis, & privilegiis, merito putatum extitit, ſupprimi non debere per officia votiva, quæ non ſunt, niſi frequentes ejuſdem officii repetitiones, & repetitiones officii de Sanctis, de quibus jam ſatis agitur in eorumdem feſtis, ac per octavam, quam ſolent habere, necnon infra annum per eadem officia votiva. Sunt itidem officia humiliationis, & pœnitentiæ, quæ levi de cauſa haud decet infringi.

XVI. *Etiamſi de his diebus nulla ſit facta ſpecialis mentio in aliquibus officiorum conceſſionibus*. Hæc ſunt verba a Metato omiſſa in exaratione Decreti, & deſignant nobis, præfata tempora in exceptis cenſeri poſita, tametſi eorumdem temporum exceptionem non faciant officiorum Indulta; a fortiori autem ceteræ ex dictis feriis cenſeri debent exceptæ, ſi Adventus, aut Quadrageſima, ut ſæpe uſuvenit, ab aliquorum conceſſionibus in exceptis fuerit poſita, utpote quia de illis eadem, vel fere eadem, aut conſimilis procedit ratio, ut ex ſuperioribus conſtat. Hoc autem totum factum extitit, non media derogatione Indultorum, ſed media eorumdem interpretatione, quia in generali conceſſione non veniunt ea, quæ in ſpecie quis veroſimiliter non eſſet conceſſurus, ut jura clamant, & concordes tradunt Auctores.

XVII. Ex quibus ſoluta ſunt, quæ in oppoſitum communiter producuntur. Primum quidem ex eo petitum, quod inferior cujuſmodi eſt Sacra Congregatio, non poteſt tollere, aut limitare Apoſtolicas conceſſiones; Congregatio enim nec tollit, nec limitat, ſed ſolum interpretatur, & declarat Apoſtolica Indulta, & horum latentem patefacit mentem, ut liquet ex verbis, quæ in fine habet Decretum. *Et ita declaravit*; qui autem declarat, novum jus non facit, ſed ſolum antiquum obſcurum clare explicat. Ad rem itidem apprime facit verbum illud, *etiamſi nulla ſpecialis mentio &c.*, ro ſiquidem *ſpecialis*, quod æquipollet *expreſſæ*, deſignat latentem hujuſmodi in Indultis haberi exceptionem. Quod vero Apoſtolica ipſa Indulta, inconſulto adhuc Summo Pontifice, declarare queat, abunde indicant munera, ad quæ fuit erecta. Ex quibus corruunt ſecundum, & quæcumque alia, quæ petuntur ex favoribus ampliandis, ex exceptionibus aliquorum temporum, puta Quadrageſimæ, aut Adventus, factis in conceſſionibus, quæ in caſibus non exceptis regulam in contrarium firmare videntur &c., quoniam in interpretatione legum non verba nude inſpici debent, ſed magis mens Legiſlatoris, & ratio, quæ legum ſunt anima.

XVIII. Dubium autem non eſt, quod ſi adſit alicubi conſuetudo antiquior Bulla Piana celebrandi in præfatis feriis officia, de quibus agimus, retineri utique poteſt, eſt quippe talis conſuetudo valida firmare officia ipſa, quæ aliunde non habent titulum ſuæ ſubſiſtentiæ, multo autem magis interpretari officiorum Decreta, quare Sacra ipſa Congregatio 6. Decembris 1608. declaravit, vi præfatæ conſuetudinis continuari poſſe octavas in quadrageſima, in qua ſunt inhibitæ; quidni itaque & memorata officia? De conſuetudine moderniori potior eſt difficultas, quoniam certum eſt nec inducere, nec tueri poſſe officia, quia tamen Decretum 2. hujus Capitis *laudabilem* nuncupat eamdem conſuetudinem, quæ officia votiva præfert tranſlatis, eamque probat ut conſonam probabili privilegii ſenſui, idcirco & nos laudamus eamdem conſuetudinem, quæ interpretata foret indulta præfatorum officiorum habere locum in iiſdem feriis, certe enim cum dicta Indulta cantent *pro die non impedita*, magis nobis videtur non eſſe impeditam diem illam, in qua occurrunt aliquæ ex iiſdem feriis, quam in qua ponendum eſt tranſlatum aliquod. Ut autem dicebamus exponentes laudatum Decretum, in hoc caſu, aliove ſimili non eſſet conſuetudo, quæ inveheret, & tueretur officia in præfatis feriis, cum ad id ſolum ſit potis conſuetudo antiquior Bulla Piana, ſed privilegium a conſuetudine, quæ eſt optima legum interpres, probabiliter quoad vim ſuam expoſitum.

XIX. Attamen his duas volo adhibeas limitationes. Prima eſt, ſi Indulta excipiant *Adventum, & Quadrageſimam*, ut eſt Indultum factum Ordini Servorum, de quo in Decreto ſecundo, quoniam hoc ipſo & ceteræ feriæ implicite manent exceptæ. Secunda, quod talis conſuetudo ad minus inducta ſit ante diem 1. Martii 1681., in quo Congregatio declaravit,

officia

Digitized by Google

officia ſemel in hebdomada conceſſa, non habere locum in Adventu &c., quoniam conſuetudo modernior laudabilis eſſe non poſſet, nec conſona ſenſui privilegii, utpote quæ hoc exponeret contra auctoritativam interpretationem ipſius Congregationis. Quia vero laudatum Decretum ſolum loquitur de officiis ſemel in hebdomada conceſſis, non ſemel in menſe, quæ dictis feriis minus ferunt præjudicium, an adhuc modernior conſuetudo officiis menſilibus favorabilis eſſe queat, tu judicium facito.

XX. Hora eſt, deſcendamus ad reſponſionem factam dubio ſecundo, ad quod cum Congregatio reſponderit *affirmative*, his terminis efformari debet Decretum, ut petitioni conſonet: *Dies impeditus feſto duplici, vel ſemiduplici pro officiis ſemel, vel pluries in ſingulis hebdomadis, vel menſibus recitandis, intelligitur etiam dies, in quo ponendum eſt officium de feſto duplici, vel ſemiduplici tranſlato*. Jam vides itaque, quod in expoſitione Merati deficit vox illa *vel pluries*, quæ itaque inſeri debet, cum petitio procedat de *dictis* officiis, particula autem *Dictis* refertur ad officia jam memorata, quæ interſunt etiam *pluries* in ſingulis hebdomadis, vel menſibus conceſſa.

XXI. Quatenus hæc Decreti pars firmat tranſlata præferenda eſſe præfatis officiis, jam expoſitionem habuit in præcedenti Decreto, quare reliquum ſolum eſt, nunc eidem adhibeamus fallentias, quas patitur. Sunt autem, ut non procedat diſpoſitio Decreti, ſi habeatur particularis conceſſio, aut declaratio, vel conſuetudo ut ſupra in contrarium. 2. Si Indultum cantet pro die, in quo feſtum aliquod *non occurrit*. 3. In iis ex iiſdem officiis, quæ ſunt preſſe de præcepto. 4. In iiſdem officiis, quæ ſemel, vel pluries ſolum in anno ſunt conceſſa, vel in iis, quæ non pro ſingulis menſibus. Harum fallentiarum, & aliarum, de quibus ſupra, jam rationes dedimus; quoad ultimam tamen, etſi Decretum eamdem utique patiatur, haud conſulimus in uſum deduci, juxta Rubricas ſiquidem videtur pro poſitione dictorum officiorum, etiam impedita dies illa, in qua poni inſtat tranſlatum aliquod, ut in præcedenti Decreto dicebamus.

XXII. Secunda itidem ejuſdem Decreti pars habet, quod *dies octavæ eſt dies impeditus reſpectu talium officiorum*. Id intellige etiam de diebus infra octavam, ut dicebamus in Decreto tertio. Satis autem evidens fit, quod hiſce officiis Sacra Congregatio accomodari voluit Rubricam officii S. Mariæ in Sabbato, quod itidem eſt officium Eccleſiæ univerſali ſemel in hebdomada recitari conceſſum.

DECRETUM VIII. CAP., IN ORDINE CLXXXIX.

Officia conceſſa ſemel in hebdomada, ut de Conceptione B. Mariæ in Sabbato, vel SS. Sacramenti in feria V., non ſunt celebranda in Adventu, Quadrageſima, IV. Temporibus, nec in Vigiliis. S. R. C. 1. Martii 1681. *in una Canon. Regul. Later.* Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 119.

I. EN Decretum, quod officis ſtatæ diei alligata, ſtabilit locum non habere in Adventu, Quadrageſima, IV. Temporibus, & vigiliis, etſi nulla horum temporum exceptio habeatur in illorum conceſſionibus. Tu id extende etiam ad alias ferias, quarum præcedens meminit Decretum.

DECRETUM IX. CAPITIS, IN ORDINE CXC.

Officium ſemel in hebdomada conceſſum, non poteſt recitari in vigiliis ordinariis, & quatuor Temporibus juxta alia Decreta jam emanata. S. R. C. 7. Febr. 1699. *in Taruiſina*, Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 202.

I. DUbitatio orta eſt ex dictorum officiorum conceſſionibus, quæ Adventus ſolummodo, & Quadrageſimæ exceptionem cum facerent, locum iiſdem concedere videbantur in vigiliis, & quatuor Temporibus, ex eo quod exceptio juxta commune proloquium firmat regulam in contrarium in caſibus non exceptis. Congregatio cenſuit in oppoſitum, cujus reſolutioni productum non reſiſtit axioma, quod non procedit, quoties aliquid excipitur conſiderata ratione aliqua, quæ in aliis itidem invenitur; nam caſus ſimiles exceptuatis cenſentur excepti, etiamſi exceptio non ſit adjuncta. Alex. *conſ.* 103. *in cauſa num.* 4. *&* 6. *lib.* 4., ubi quod non continentur caſus ſimiles per extenſionem, ſed comprehendi dicuntur. Hac de cauſa exceptas itidem intellige ceteras ferias, de quibus in Decreto 7., in quo uberem habes explanationem una ſuis cum limitationibus.

DECRETUM X. CAPITIS, IN ORDINE CXCI.

Officium ſemel in hebdomada conceſſum, recitari poteſt die Sabbati, ſi tota hebdomada ſit impedita, & in tali caſu omittendum eſt officium B. Mariæ in Sabbato. Prima autem die menſis non impedita feſto duplici, vel ſemiduplici, & in qua occurrit recitari officium Defunctorum, poteſt recitari ſupradictum officium ſemel in hebdomada conceſſum, transferendo, vel etiam aliquando omittendo officium Defunctorum. S. R. C. 27. April. 1697. *in Panormitana*, Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 192.

I. FIrmat primo, quod officia ſemel in hebdomada conceſſa (idem eſt de officiis menſilibus) recitari poſſunt die Sabbati, & dubium non eſt, quia ſunt conceſſa pro die non impedita *feſto duplici, vel ſemiduplici*, cujuſmodi non eſt officium S. Mariæ in Sabbato, quod propterea erit omittendum, ut bene dicit Decretum, cum ejuſdem celebratio, utpote diei Sabbati alligata, transferri non poſſit, inſtar ejus, quod in uſum deducitur, dum in Sabbato occurrit feſtum aliquod novem lectionum, vel in illud transfertur. Addit, *ſi tota hebdomada ſit impedita*, at hæc verba conditionem non crederem facere, ſed magis, ratione petitionis, quæ fortaſſe erat, *num officium ſemel in hebdomada conceſſum, recitari poſſit die Sabbati cum omiſſione officii S. Mariæ in Sabbato, ſi tota hebdomada ſit impedita*, in reſponſionem dumtaxat fuiſſe invecta. Ceterum & conditionem facere queunt relate ad ea officia, quorum Indulta ſunt *pro prima die non impedita*; cum enim hujuſmodi officia ſint alligata primæ diei non impeditæ, in Sabbato reſervari non poſſunt, ſi præcedens dies aliqua hebdomadæ feſto novem lectionum ſit libera. Secus vero eſt, ſi ſint celebrari conceſſa ſemel in hebdomada pro die non impedita, quia cum tunc conceſſio diem minime determinet, ſed illam deferat arbitrio recitantium, his integrum eſt, quam voluerint, determinare. Hujuſmodi Indulta habet Ordo Eremitarum S. Auguſtini pro officio hebdomadario ejuſdem S. Auguſtini, & officiis menſilibus S. Monicæ, & S. Nicolai, ad quæ propterea celebranda non tenebitur in prima reſpective die non impedita hebdomadæ, vel menſis, ſed pro eorumdem celebratione diem ſibi viſam poterit ſeligere, dummodo officio novem lectionum occurrenti, vel tranſlato non ſit impedita. Quæ tamen volo ut limites in officiis ſtatæ diei alicui affixis, ut SS. Sacramenti, quod conceſſum eſt pro feria quinta; hoc enim, & alia ſimilia celebrari debent in ſua reſpective feria non impedita, & hac impedita, in alia reponi non poſſunt, ſed debent omitti.

II. Firmat 2., quod præfatum officium poni poteſt in prima die menſis non impedita, in qua juxta Rubricas recitari deberet officium Defunctorum, hoc transferendo ad aliam diem ejuſdem menſis, ſi quæ adhuc ſit libera, quæ tunc evadit prima dies menſis non impedita, vel adhuc illud aliquando omittendo, quoties ſcilicet nulla alia menſis inimpedita reperitur. Claret diſpoſitio, quatenus ſtatuit præfatum Defunctorum officium non obſtare officio ut ſupra hebdomadario, utpote quod eſt conceſſum pro die non impedita feſto duplici, vel ſemiduplici, cujus rationis non eſt officium Defunctorum: quatenus vero ſtabilit, in caſu transferendum eſſe officium Defunctorum, vel aliquando omittendum, Rubricis innititur, quæ illud conſignant primæ diei non impeditæ feſto novem lectionum, quare indubie transferendum venit ad primam ſequentem diem liberam, ſi quæ eſt ejuſdem menſis, & omittendum, ſi nulla adſit inimpedita. Decretum primam diem menſis non impeditam dumtaxat nominat, quia ſupponit hæc non fieri officia intra Adventum, & Quadrageſimam, in quibus loco primæ diei menſis non impeditæ ponitur officium Defunctorum in qualibet feria ſecunda libera; tu vero, ſi quæ ex dictis hebdomadariis officiis, vel menſilibus in dictis temporibus locum habent, Decretum extende, ut de iiſdem officiis agere poſſis in feria ſecunda, non quidem transferendo officium Defunctorum ad primam diem non impeditam, quod juxta Rubricas in Adventu, & Quadrageſima fieri non poteſt, cum feriæ ſecundæ ſit alligatum; ſed illud omittendo, perinde ac fit, quando feria ſecunda per feſtum aliquod eſt impedita, idemque dumtaxat recitando in aliis feriis ſecundis liberis, & ſi nullæ ſint inimpeditæ, illud prorſus omittendo.

III. Etſi autem fecerimus liberum, officium S. Mariæ in Sabbato perimere, cauſa ponendi præfata officia, id tamen agere, quando illa æque bene alia die recitari queunt, conſulere non poſſumus, ad id inducti a veneratione, quam Deiparæ profitemur, & a totali præjudicio, quod inde exurgit ejuſdem officio, quod in caſu omnimode ſupprimitur ad differentiam illius de Sanctis ſimplicibus, quod adhuc cum commemoratione, & nona lectione expletur. Quia tamen etiam Sanctis ſimplicibus præjudicium aliquod obvenit, iiſdem etiam quis parcere, quando præfata officia in alia die poni queunt; cum alieno enim incommodo conſulendum non eſt alicujus commodo, quando hoc æque bene poteſt haberi. Fallat hoc tamen, ſi officia votiva pro primo die non impedito ſint conceſſa.

IV. Multo minus noſtrum expectent ſuffragium officii prolixioris oſores illi deſidioſi, qui præfata officia in feriis longioribus reſervarent; etſi enim iiſdem libertatem denegare minime poſſumus, hujuſmodi turpe ſtudium, eorumdem ipſa conſcientia dictante, fallimur, ſi eos non condemnet, aut fœdæ deſidiæ non incuſet. Conſultius igitur erit primis diebus non impeditis præfata agere officia, nonnullis dumtaxat protractis cauſa parandi, ſi lubet, locum præcedentibus ſimplicibus occurrentibus. An autem id etiam, ne differatur menſile Defunctorum officium? Jam Sanctio negative reponit, quia cum ex duobus unum cedat oportet, congruum eſt, minus nobile cedat. Nec par eſt ratio de ſimplici officio, quia hoc alias ad ſolam redigeretur commemorationem, ubi Defunctorum officium alia die integre reſumitur. Quod ſi nulla alia in menſe adſit dies libera, in qua poni valeat, eſt omittendum, ſicuti parcendum non eſt officio ſimplici, ſi pro officiis votivis alia dies minime ſuperſit. Crederemus magis in Adventu, & quadrageſima per officia votiva, quoties hæc alia die poni queunt, non eſſe occupandas ferias ſecundas, ne hinc exurgat omiſſio ſupplicationis pro Defunctis. Verum relictum hoc ſit pietati recitantium, nos quippe turpe dumtaxat illorum ſtudium, qui conſulto ad vitandum officium Defunctorum, ferias ſecundas per dicta officia impedirent, laudare non poſſumus.

DECRETUM XI. CAPITIS, IN ORDINE CXCII.

In officiis per annum ſemel in menſe recitandis de SS. Bonaventura, Antonio Patavino, & Clara, non eſt attendendus ordo dignitatis. S. R. C. 27. Sept. 1698. *in una Cappuccin.* Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 209.

I. PErinſignis Franciſcanus Ordo ſemel in menſe tamquam de celebrioribus Filiis ſuis officium inſtituit de SS. Bonaventura Epiſcopo, Antonio Patavino Confeſſore, & Clara Virgine; quod & in uſum ceteræ habent Religiones de ſuis reſpective germinibus inſignioribus, quæ felici partu enixæ fuerunt Deo, quare Auguſtiniana Religio ſemel in menſe recolit merita SS. Monicæ Viduæ, Nicolai Tolentinatis, & Thomæ de Villanova. Factum eſt dubium, quinam ordo ſervandus foret in celebratione hujuſmodi officiorum? Ex videbatur dignitatis, ita ut officium illius, qui in ordine hierarchico nobiliorem tenet locum, prius recitari deberet. Sunt præfata officia in ritu paria, in celebritate, & ſolemnitate, major quippe ſolemnitas, quæ uni præ altero fortaſſe competit, in principali feſto unice ſiſtit, nec in officia votiva derivat, & in ſola dignitate reperiuntur diſparia, quare itaque major dignitas ſufficientem non invehet præferentiæ rationem? Hanc agendi methodum prope innumera probant Decreta in capite de occurrentia late expoſita, laudat ordo, quo in Breviario diſtributa ſunt Sanctorum communia, commendant Juris regulæ, dictatque naturalis ratio.

II. Regula 54. Juris in 6. *Qui prior eſt tempore, potior eſt jure*, in favorem antiquioris ex dictis officiis facere poſſet; at in laudato capite jam pluribus evicimus, eamdem, quatenus ad divinum attinet officium, haudquaquam procedere, niſi in defectu cujuſcumque alterius diſparitatis, etiam in dignitate accidentali, remque extra omnem dubitationem ponit Decretum tertium capitis tertii, dum Patronorum præcedentiam a majori antiquitate non deſumit, niſi quando ſunt ejuſdem ordinis hierarchici.

III. Non eſſe ſervandum ordinem dignitatis, nihilominus cenſuit Congregatio, de neceſſitate ſcilicet, ita quod neceſſario prius celebrari debeat officium dignius, non ex libertate, ita ut ſi placeat, id fieri non poſſit. Liberum itaque erit & dignitatis ſervare, & non ſervare ordinem, & hanc libertatem ineluctabilis hæc facit ratio. Hujuſmodi officia conceſſa ſunt recitari ſemel in menſe pro die non impedita; nulla aſſignata die, nec ullo præſcripto ordine inter eadem officia celebranda quare igitur nos ordinis neceſſitatem fingere volumus, ubi nihil hujuſmodi præſcribunt eorumdem officiorum Indulta, ſed magis eadem faciunt liberæ recitationis in qualibet die menſis non impedita.

IV. Hinc quæ in oppoſitum ſupra producta ſunt, omnimode ruunt, procedunt ſiquidem de feſtis ſtatæ alicui diei aſſignatis, in quorum utique ſimul occurrentium celebratione ritus, dignitas, aliæque rationes penſandæ ſunt; par autem ratio non eſt de officiis votivis, quorum omnium utile ſpatium integer menſis eſt, nec unum præ alio potius jus ſuæ repoſitionis habet, ſed a mero Cleri pendet arbitrio. Dubitandum propterea non eſt, idipſum fore, ſi eorum aliquod adhuc duplicis eſſet ritus, vel ſi per minus digni poſitionem præriperetur locus digniori. Quæ autem Sanctio de officiis menſilibus ſtabilit, pari jure currunt de hebdomadariis. Limita tamen hæc omnia, ſi ex officiis votivis aliquod preſſe ſit de præcepto, ut apud Auguſtinienſes illud S. Auguſtini, quoniam hoc tunc præferri debet, quoties ſaltem alias in menſe vacaret.

V. Quæ licet ut ſupra in libertate ſint poſita, in arbitrio tamen valde abundandum non eſt, ſed congruit, quod ſervetur dignitatis ordo, niſi celebritas major, quæ ex alibi dictis accidentali prævalet dignitati, aliter fieri ſuadeat, quare officium Inſtitutoris Ordinis, etſi inferioris in ordine hierarchico, tamquam celebrius præponendum erit officiis aliorum Sanctorum, & ſic etiam inter Sanctos indigenas, ſi qui ſunt celebriores, & peculiaris venerationis in Religione, ceteris præferendi erunt, etſi in dignitate nobilioribus; quare verb. gr. in Ordine S. Auguſtini poſt officium ejuſdem S. Auguſtini primas habebit S. Monica Mater præfata S. Doctoris, poſtea S. Nicolaus Tolentinas, & noviſſimum tenebit locum S. Thomas a Villanova, eſto hic illis præſtet in dignitate.

VI. Æquum ſimiliter eſt, ut ita diſtribuantur hujuſmodi officia, ut viciſſim de omnibus æque fiat, nec ut ſervetur dignitatis, vel ſolemnitatis ordo, congruit, quod aliorum parvipendantur laudes, & merita; quare ſi officium verb. gr. hebdomadarium S. Auguſtini officia aliorum Sanctorum minime impediat, ſervari utique poterit, ſi autem impediat, iis dumtaxat vicibus de eo fiat, quibus locus non præripitur reliquis officiis, quibus congruit, ſatisfiat, etiamſi ſemel dumtaxat in menſe officium votivum S. Auguſtini fieri contingeret, immo nec ſemel iis in menſibus, in quibus aliquod ejuſdem Sancti Doctoris occurrit feſtum, iis numero computando, quatenus opus ſit, etiam ejuſdem feſtum. Pariformiter loquere relate ad totum annum, ita ut ſi quæ ex officiis in uno menſe locum non habuere, in altero recitentur, etſi digniora, vel celebriora in eo ſpatium non habeant, ad effectum, ut cuncta in anno æqualem, vel quaſi æqualem celebrationem aſſequantur. Dum autem cuncta, vel fere cuncta in menſe locum habent, adhuc præfatus ordo ſervari debebit; minus tamen dignum, aut ſolemne præponi poterit digniori, vel ſolemniori, quando alias illud loco minime gauderet, quare officium, quod in Quadrageſima, Adventu, aut Vigiliis fieri non valet, licet minus dignum, aut celebre, ante dicta tempora agi poterit, rejecto digniori in illa, in quibus locum habet.

VII. Hebdomadariis Officiis Sanctiſſimi Sacramenti, aut Conceptionis Beatæ Mariæ, aliiſque Domini, aut Deiparæ, quamvis plurimum deferamus, ita ut primum deſæviendum eſſe putemus in expunctione officiorum de Sanctis, quæ intra menſem repetuntur, quo ceteris paretur locus, adhuc hunc ad effectum, ſi aliter fieri nequit, non dubitamus præfata expungi poſſe officia, computando, quatenus opus ſit, etiam eorumdem feſta, quæ in eo menſe celebrantur. Ne tamen hoc nimis ſcrupuloſe, volumus, facias, quia tanti Sacramenti, ac Dei Genitricis laudibus numquam ſatis incumbit homo.

DECRETUM XII. CAPITIS, IN ORDINE CXCIII.

In officio SS. Sacramenti, quod recitatur ſingulis quintis feriis in Germania, & in officio Immaculatæ Conceptionis, quod ex indulto S. R. C. recitatur in Germania ſub ritu duplici in Sabbato, quoad commemorationes in his faciendas, ſervetur Rubrica de commemorationibus; & commemoratio S. Benedicti (a PP. Benedictinis) fiat in ſemiduplici, ſimplici, & feriis. Et quoad officia S. Benedicti, SS. Scholaſticæ, & SS. Sacramenti, & Immaculatæ Conceptionis ſervetur Decretum diei 20. Martii 1706., quo prohibentur hujuſmodi officia celebrari intra Quadrageſimam, Adventum, quatuor Tempora, ferias Rogationum, & Vigilias omnes ſive cum jejunio, ſive ſine jejunio. Ita S. R. C. 23. Junii 1736. *in Hiſpalen.* Ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 333.

I. BRevi ſunt percurrenda calamo, quæ præſens firmat Sanctio, cum vel Rubricis, vel Decretis innixa maneant. Statuit primo, quod in officiis votivis SS. Sacramenti, & Immaculatæ Conceptionis, ac conſequenter aliis ſimilibus ſervanda ſit Rubrica de commemorationibus quoad commemorationes in iiſdem faciendas; & ſermo eſt de commemorationibus ſeu communibus, ſeu Sanctorum ſuffragiis, ita ut hæc in iis ex præfatis votivis officiis, quæ ſemiduplicia ſunt, locum habeant, ſecus vero in iis, quæ ritu duplici peraguntur, perinde ac fit in officiis feſtivis; præfata enim Rubrica per hæc verba, *Niſi officium ſit duplex*, a quocumque duplici officio removet Sanctorum ſuffragia.

II. In conſequentiam utique venit, quod ſtatuit ſecundo, videlicet quod ſuffragium S. Benedicti apud Benedictinos, & ſic ſui itidem inſtitutoris apud Religiones ceteras, faciendum eſt dumtaxat in officio ſemiduplici, ſimplici, & feriali, non autem in officio duplici, licet ſit ex votivis, quæ ſemel, vel pluries in hebdomada, vel menſe conceſſa ſunt recitari.

III. Statuit 3., quod circa officia votiva S. Benedicti, S. Scolaſticæ, SS. Sacramenti, & Conceptionis, licet eorumdem aliqua ritu duplici conceſſa ſint celebrari, & cum nulla temporum exceptione, ſervandum eſt Decretum 20. Martii 1706., quod eſt ſeptimum hujus Capitis, in cujus expoſitione dedimus, quæ huc attinere queunt. Quoniam vero hic cum aliqua diverſitate referuntur, quæ laudatum tenet Decretum, duo inſurgunt dubia, quorum primum eſt, num in feria, in qua anticipatur officium Dominicæ, utile ſuæ poſitionis ſpatium aſſequi valeant præfata officia, & depellantur a feriis quibuſcumque Rogationum, & non tantum a ſecunda? Ratio dubitandi eſt, quia præſens Sanctio illius feriæ non meminit, harum vero in plurali numero, qui ſaltem dualitatem requirit, nec uno contentatur, ut obſervat Barboſa *axiom.* 159. *num.* 1., cum tamen Decretum 20. Martii 1706. a feria, in qua anticipatur officium Dominicæ, prædicta diſerte abjiciat officia, & a ſola feria ſecunda Rogationum.

IV. Verum quoniam primario ſervari mandatur Decretum 20. Martii 1706., & in hoc ſola feria ſecunda Rogationum reperitur excepta, non item tertia (quarta namque comprehenſa manet ſub nomine *Vigiliæ ſine jejunio*, quam habet adnexam) & aliunde feria, in qua anticipatur officium Dominicæ, in exceptis diſerte eſt item poſita, nec dubitamus ab hac feria, & a ſola ſecunda Rogationum prædicta rejici officia, non obſtantibus iis verbis præſentis Sanctionis, *Quo prohibentur hujuſmodi officia &c.*, in quibus etſi aſſeria eveniat diverſitas, attendenda non eſt, ſed quæ habet Decretum, quod ſervari mandatur; relatum enim eſt in referente cum omnibus ſuis qualitatibus, ita quod terminus referens cenſeatur continere idem, quod eſt in termino relato, & relatio intelligenda ſit ſecundum qualitates in relato expreſſas, & reſtringenda, limitanda, aut ampliandа ad illud, quod in relato continetur, & taliter, ut ſi relatum aliter ſe habeat, diſpoſitio referens tamquam erronea corruat, & non attendatur, ut juribus, & Doctoribus allegatis idem advertit Barboſa *axiom.* 201. Feria itaque, in qua anticipatur officium Dominicæ, cenſetur comprehenſa, & ſola ſecunda Rogationum, uſurpato plurali numero pro ſingulari, niſi mavis deſignari etiam feriam quartam, quæ ceteroquin venit appellatione *vigiliæ ſine jejunio*, numquam vero tertia excepta eſſe poterit, quæ nullo privilegio, nec ſpeciali aliqua prærogativa reperitur ſuffulta, ceditque officio ſimplici, & regitur more aliarum feriarum communium.

V. Potius inſurgis dubium, an in indultis hujuſmodi officiorum poſterioribus Decreto 20. Martii 1706., in quibus nulla fit exceptio temporum, vel ſolum aliquorum, puta Adventus, aut Quadrageſimæ, cenſeri debeant exceptæ feriæ omnes, a

qui-

quibus laudatum Decretum abigit officia votiva. Caſus evenit in Ordine Eremitarum S. Auguſtini, cui anno 1738. conceſſum fuit ſemel in menſe recitare de S. Thoma a Villanova, *exceptis Adventus, quatuor Temporum, Quadrageſima, & vigiliarum temporibus*, nulla mentione facta feriæ ſecundæ Rogationum, & in qua anticipatur officium Dominicæ, nec vigiliarum ſine jejunio. Et videtur, quod non, quia cum Indultum ſit poſterius, cenſetur non obſtante allegato Decreto conceſſionem facere pro omni feria, quam non excipit.

VI. ℟. Affirmative. Tum quia Decretum 20. Martii 1706. vult a dictis feriis memorata abigi officia, licet nullas ferias, vel ſolum aliquas excipiant eorumdem Indulta; quod & non ſemel per alia Decreta Sacram Congregationem declaraſſe ſuperius vidimus. Tum quia eadem ratio, ob quam hujuſmodi lata ſunt Decreta, militat pro feriis illis omnibus; id autem expreſſum cenſetur, quod virtualiter ineſt, vel ſub ratione comprehenditur, aut ex eadem ratione deducitur, ut bene Barboſa *axiom.* 89., nec melius Indulta exponi poſſe videntur, quam ſecundum intelligentiam, quam Sacra ipſa Congregatio ſimilibus conceſſionibus non ſemel adhibuit.

DECRETUM XIII. CAPITIS, IN ORDINE CXCIV.

In officio S. Mariæ in Sabbato a Patribus Benedictinis facienda eſt commemoratio S. Benedicti, non vero S. Scholaſticæ. Rurſus in officio de S. Benedicto, quod iidem Monachi celebrare ſolent infra ſingulas hebdomadas, non eſt facienda commemoratio S. Scholaſticæ. Ita S. R. C. 23. Junii 1736. *in Einſid.* Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 332.

I. QUamvis Sanctio Patribus Benedictinis particularis appareat, etiam pro ceteris Religionibus, & Eccleſiis proculdubio ſuis non caret commodis; quatenus enim in officio S. Mariæ in Sabbato (& conſequenter & in reliquis, quæ ſuffragia patiuntur) commemorationem, ideſt ſuffragium, a Benedictinis edicit eſſe faciendam, reliquas inſtruit Religiones, idipſum facere debere de ſuo particulari reſpective Inſtitutore, quinimmo & quaſcumque alias Eccleſias de particulari Patrono loci, intra cujus fines ſunt conſtitutæ, non enim illæ ſuffragium agere jubentur de ſuo Inſtitutore, niſi quia Religionis principalior cenſetur Protector. Quatenus vero S. Scholaſticæ ſuffragium proſcribit, de uno duntaxat, & principaliori Patrono, etiam ubi plures principales habentur, indicat ſuffragium eſſe faciendum. Hæc omnia cum in Decreto 14. Cap. 3. longam aſſequuta fuerint diſcuſſionem, noſtram ulterius haud digna ſunt conſiderationem morari, quam propterea vertimus ad præſens iterum Decretum, quatenus nihil habet de ſuffragio S. Benedicti faciendo in hebdomadario ejuſdem officio, ut in claris ſit poſitum, ſuffragium de eo, de quo fit officium, licet aliunde ſit debitum, minime eſſe faciendum, ne de eodem ſimul agatur officium, & commemoratio, ut dicebamus in capite de ſuffragiis Sanctorum. At ſi in officio Patroni non eſt ejuſdem ſuffragium addendum, nec vice ſuffragii principalioris Patroni ſuffragium alterius ex principalioribus Patronis ſubrogandum eſſe edocet Sanctio, dum in officio hebdomadario S. Benedicti, commemorationem S. Scholaſticæ edicit non eſſe faciendam; per hoc enim quod in officio principalioris Patroni taceatur hujus ſuffragium, Patronus minus reſpective principalis, principalior non evadit, quare hujus ſuffragium ſubſtitui non debet, utpote quod de ſolo principaliori Patrono eſt faciendum.

II. Ultra commemorationem principalis Titularis propriæ Eccleſiæ, faciendum eſſe ſuffragium de principaliori loci Patrono, in cujus locum apud Regulares ſubſtituitur Ordinis Inſtitutor, dicebamus exponentes Decretum 14. cap. 3., & cum apud nonnullas Diœceſes invaluerit mos faciendi ſuffragium de Titulari propriæ Parochialis Eccleſiæ, tacito illo de principaliori loci Patrono, quæritur, an mos iſte ſit ſecundum ſcientiam? Et reſpondetur negative. Recolenda hic ſunt, quæ dedimus exponentes Decretum 14. Cap. primi, ubi diximus iis, qui non ſunt de Clero Parochiali, licet ſub Parochia degant, fas non eſſe officium, & octavam facere de Titulari Parochialis Eccleſiæ, ſed de eodem ut in Breviario, quatenus in hoc ſit inductum, duntaxat officium agere poſſe; Quis autem unquam credere poteſt, eoſdem teneri ad ſuffragium illius, ad cujus officium, & octavam minime tenentur, immo nec facere poſſunt? Uti igitur certum redditur non teneri ad ſuffragium Titularis Parochiæ, ita e contra adſtringi ad ſuffragium Patroni principalis loci. Hic autem erit ille Civitatis, ſi proprium non habeant, proprius vero, ſi hoc gaudeant; in hoc enim caſu ad officium, & octavam de proprio Patrono tenentur, & nihil agere de Patrono Civitatis, vel de eodem attenta conſuetudine ſub ritu duplici majori tantum ſine octava, in illo autem Patronum principalem Civitatis ut proprium etiam principalem Patronum agnoſcere, & venerari adſtringuntur, quemadmodum late traditum fuit in capite tertio. Quinam vero ſint, & cenſeantur de Clero Parochiali, quæ data ſunt in eodem Decreto 14. Capitis primi, dilucide oſtendunt.

III. Proportione ſervata idipſum dicito de Clero Civitatis per diverſas Parochias diſtributo, ita ut qui non ſunt de Clero Parochiali, ſicuti non tenentur ad officium, & octavam Titularis Parochiæ, ſub qua degunt, ita nec ad ejuſdem ſuffragium, bene vero ad ſuffragium principalioris Patroni Civitatis, qui itidem omnium Parochiarum Civitatis exiſtit principalis Protector, nec iiſdem datum eſt proprium principalem Patronum diſtinctum ab eo Civitatis habere. Qui vero ſunt de Clero Parochiali, & officium, octavam, & ſuffragium de Titulari Eccleſiæ Parochialis tamquam de Titulari propriæ Eccleſiæ facere tenentur, ſive in Diœceſi, ſive in Civitate ſint conſtituti, non propterea eximuntur a ſuffragio ſui reſpective principalioris Patroni loci, cujus officio, & octavæ ſimiliter incumbunt, cum utrumque ſuffragium ſit in præcepto juxta tradita in memorato Decreto 14. Cap. 3., idque approbat communis uſus Regularium, qui ſuffragium agunt & de Titulari Eccleſiæ, quam incolunt & de ſuo Inſtitutore ut Patrono. Ex his fit, quod Clerus adſcriptus Choro Cathedralis Eccleſiæ, de hujus Titulari ſuffragium non minus addere debet ultra illud de principaliori Civitatis Patrono, non tamen Clerus aliarum Eccleſiarum, qui de harum Titulari ſuffragium inſtituit, quia ſicut apud habentes proprium Patronum ceſſat ſuffragium Patroni Civitatis, ita ſuffragium Titularis Eccleſiæ Cathedralis apud habentes proprium Titularem, ut ex iis, quæ in laudato Decreto data ſunt, facile erui poteſt. Dubium inſurgit, num ii ſive de Civitate, ſive de Diœceſi, qui nulli particulari Eccleſiæ addicti ſunt, ad ſuffragium Titularis Eccleſiæ Cathedralis teneantur? Equidem Rubrica id innuere videtur, dum abſolute, & ſimpliciter ſuffragium Titularis Eccleſiæ injungit, cujus appellatione apud non habentes Eccleſiam propriam merito venire poteſt Cathedralis Eccleſia, quæ univerſalis Matris inſtar omnes in ſinu ſuo complectitur, unde æquum eſt, hi ejuſdem Titulari id obſequii præſtent, præſertim quia ut alibi diximus, & omnium patrocinium gerit. Accedit, quod Titularis Eccleſiæ Cathedralis per totam Diœceſim cum octava honoratur; quidni igitur & cum ſuffragio ab iis, apud quos per ſuffragium aliud particularius non impeditur? Congruæ, haud refragamur, ſunt rationes iſtæ, an autem ad effectum cogant, judicent alii; nos enim onus iſtud iiſdem imponere formidamus, præfatam Rubricam de Titulari in ſtrictiori acceptione ſumentes, quo qui carent, conſequenter & carent onere ſuffragii, uti hoc carent, qui itidem carent Patrono loci.

DECRETUM XIV. CAPITIS, IN ORDINE CXCV.

Recitantes ex legitima conceſſione officium SS. Corporis Chriſti in qualibet feria v. per annum non impedita feſto novem lectionum, illud perſolvere debent ut in die ejuſdem ſolemnitatis; Miſſam vero debent celebrare, quæ eſt votiva de SS. Sacramento. S. R. C. 12. Julii 1664. *in una Ord. Minor. de Obſerv.* Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 87.

I. NUNC diſpoſitio fertur de qualitate officii recitandi in officio votivo SS. Sacramenti, & ſtatuitur quod perſolvi debet *ut in die ejuſdem ſolemnitatis*, videlicet recitandum eſt officium, quod ab Eccleſia univerſali recitatur feria quinta poſt Dominicam SS. Trinitatis. In officiis votivis Sanctorum, etſi hi habeant officium proprium in die ſuæ ſolemnitatis, regulariter recurritur ad reſpectivum commune, fere numquam recitatur ut in eorumdem feſto, & nonnihil duntaxat habetur proprium, ut antiphonæ ad Benedictus, & Magnificat, ac hymni una cum lectionibus, quæ apud Religiones aliquas per menſes diſtributæ, longiori ſermone proſequuntur hiſtoriam Sanctorum, quæ in die feſti compendioſe enarratur. Bene quidem, quia cum officium proprium ſolemnitatem deſignet, haud congruit adhiberi in officio per annum, quod ſolemne non eſt. Fallit hæc regula in officio votivo SS. Sacramenti, quod ut in die ſolemnitatis ejuſdem præſcriptum eſt recitari duplici de cauſa, quarum potiſſima eſt defectus communis, unde officium deſumi poſſet, altera vero, ut non vulgaribus encomiis recoleretur adeo non vulgare beneficium, & excellentiſſimum Sacramentum.

II. Dictio *ut* ſtat ſimilitudinarie, denotatque omnimodam ſimilitudinem in ſubſtantia, & qualitate, quare dubium non eſt, quod recitari debet officium, prout in memorata feria quinta reperitur exaratum. Non adeo tamen omnimodam ſimilitudinem importat, ut in quibuſdam accidentibus varietatem non ſubeat, Indultorum cauſa, aut temporum, vel rationis, ob quam illa fuerunt invecta. *Indultorum* cauſa officium votivum ritu ſemiduplici agetur, aut duplici minori, prout fert reſpectiva conceſſio, & non duplici primæ claſſis, ac conſequenter ubi ſemiduplex tantummodo eſt; patietur ſuffragia, & preces dominicales. *Temporum* gratia a Dominica Septuageſimæ ad Paſcha in eo tacendus erit verſus *Alleluja*, & e contra toto Paſchali tempore addendus ad Invitatorium, Antiphonas, Reſponſoria &c., ubi non habetur, & duplicandus erit ad reſponſoria brevia horarum, etiam Primæ, & Completorii, ac tres pſalmi cujuslibet nocturni dicentur ſub prima tantum antiphona, qualiter ferunt Rubricæ horum temporum. Infra annum vero quænam omittenda ſint, ſequens edocebit Decretum. *Rationis* ergo, ob quam invectæ ſunt in feſtum, nempe ſolemnitatis, qua caret officium votivum, lectiones primi nocturni non erunt illæ feſti, ſed de ſcriptura occurrente; ſi enim infra octavam ejuſdem feſti leguntur de Scriptura, etſi ſit ex octavis ſolemnibus, & unum veluti faciat cum feſto, multo utique magis non diſſimiliter erit in officio votivo.

III. Lectiones 2. & 3. nocturni non item ſemper erunt ut in feſto, ſed ad varietatem in uſum erunt etiam illæ, quæ infra octavam recitantur; quare hæ omnes pro diverſis menſibus diſtribui poterunt, qualiter de facto diſtributas fuiſſe ſcimus in officio, quod pro Indultariorum commodo impreſſum eſt. In hoc advertere eſt non fuiſſe diſtributas lectiones 2. nocturni feriæ v. infra eamdem octavam, quæ incipiunt *Convenit*; mi-

minus

Digitized by Google

nus enim aptæ cenſitæ ſunt pro officio votivo, utpote quæ agunt de cauſa inſtitutionis ſolemnitatis Corporis Chriſti in feria v. poſt Dominicam SS. Trinitatis, necnon de indulgentiis conceſſis perſonaliter intereſſentibus divinis officiis in eadem ſolemnitate, & per ejuſdem octavam. Præfatæ autem diſtributioni non refragatur Decretum, quia etſi officium fieri mandet *ut in die ſolemnitatis*, dies omnes octavæ una, & eadem feſtivitas cum ſolemnitate reputantur, & aliunde Rubricæ ipſæ de præfata varietate delectari videntur, dum in Dominicis IV. poſt Paſcha, & infra octavam Aſcenſionis aſſignant lectiones feriæ ſecundæ, quando pridie ob occurrentiam SS. Philippi, & Jacobi, aut S. Joannis ante Portam Latinam lecta fuerint initia, quæ in iiſdem Dominicis aſſignantur. Gavantus iiſdem *ſect. 7. cap. 9. num.* 1. ſuum non denegat ſuffragium, dum diei octavæ S. Joannis Baptiſtæ laudat aſſignari homiliam de aliqua die infra octavam, de qua eo anno non legitur; etſi in præfata die octava notetur homilia feſti.

IV. Hac de cauſa ſi in menſe aliquo pluries officium fieri eveniat de Corpore Chriſti, admodum erit laudabile; non ſemper recitare lectiones eaſdem, ſed ad varietatem ſumere eas, quæ in altero menſe locum non habent, vel minus recitantur. Quoniam vero etſi hujuſmodi lectiones per menſes ſint diſtributæ, nullum inter ſe ſe habent neceſſarium ordinem, aut connexionem, nil vetat in poſterioribus menſibus ad varietatem legi lectiones primorum, quæ lectæ non fuerunt, etſi in menſibus intermediis lectæ fuerint illæ, quæ iiſdem ſunt aſſignatæ. Oppoſitum evenit in lectionibus hiſtoriam alicujus Sancti continentibus; tunc enim lectis lectionibus intermediis fas non eſt legere anteriores, ne prius legi contingat mortem, & facta poſteriora, & poſtea nativitatem, & facinora priora ejuſdem Sancti cum magna hiſtoriæ confuſione, & perturbatione, ut in ſimilibus decrevit Sacra Congregatio 5. Maji 1736. ut dicemus de hymnis. Si itaque de Sancto aliquo, qui habeat lectiones proprias juxta hiſtoriæ ordinem per menſes diſtributas, pluries in aliquo menſe fiat, vel ſemper legi debebunt lectiones eidem menſi aſſignatæ, vel ſatius ſumi poterunt lectiones etiam præcedentium menſium, vel ſequentium, quæ lectæ non fuerunt, vel legendæ non ſunt, dummodo ordo non perturbetur hiſtoriæ. Quem ad effectum nihil refert, ſi v. g. in menſe majo, in quo fit officium de Sancto, non recitentur lectiones eidem aſſignatæ, ſed lectiones alterius menſis, propriis ad effectum præfatæ varietatis, & ordinis vel anticipatis, vel protractis. Si autem toties in anno non fiat de Sancto, quot ſunt menſes, in quibus lectiones tenet diſtributas, omittantur lectiones illius, vel illorum menſium, in quibus de eo non fit, ut fit, quando octava aliqua per officia Sanctorum interrumpitur. Secundus agendi modus, ſcilicet ſumendi prout ſupra lectiones aliorum menſium, quando pluries in menſe aliquo fit de Sancto, etiamſi anticipatio, vel poſtpoſitio lectionum ſit neceſſaria, laudabilior eſt, & conſultior, & eumdem, etſi poſtea neceſſarius non ſit, teneri poſſe non refragamur in lectionibus communibus, vel juxta hiſtoriæ ordinem non efformatis. Hinc autem abunde habes, quid præſtari poſſit, & debeat in ſimilibus quibuſcumque officiis.

V. Privilegium excludendi nonam lectionem occurrentis ſimplicis, quo donata fuit octava Corporis Chriſti, in officium votivum minime derivat, ad majorem namque celebritatem ultimate reperitur conceſſum, uti & privilegium excludendi Miſſas de Requiem, & votivas, officia ſemiduplicia occurrentia, & duplicia tranſlata; cenſetur enim, & eſt ſolemnior octava illa, quo minus apta eſt per aliena officia, & Miſſas interdici; quare nihil hujuſmodi habet officium votivum, quod ſolemnitate illa eſt expoliatum, quando etiam privilegia ex identitate rationis extenderentur. In integrum itaque ſervandæ erunt Rubricæ, quæ mandant nonam lectionem ſimplicis, & ſi præjudicio, quod hinc obvenit, nempe ſilentio lectionis loquentis de SS. Sacramento, cui innixum alibi diximus privilegium præfatum, conſulere lubet, nonam lectionem jungito octavæ, ambaſque ad modum unius lege, quemadmodum facere, quotieſcumque nona lectio, quæ ſilenda foret, agit de eo, de quo fit officium, collaudant Auctores, noſque ipſi tamquam Rubricis conformius alibi approbamus admodum.

VI. *Miſſam vero*, addit Decretum, *debent celebrare*, *quæ eſt votiva de SS. Sacramento*. Miſſa feſti habet ſequentiam; quæ eſt nota ſolemnitatis, ac inſuper additionem verſus *Alleluja* inſtar Paſchalis temporis, quare jure cenſita fuit minus apta dici per annum, ſed magis votiva, quæ ceteroquin in reliquis convenit cum ea feſti. Stricte tamen votiva non eſt, ſed feſtiva, cum conveniat cum officio, & ideo in ea dicendus erit *Gloria in excelſis*, non tamen *Credo*, cum ſolemnis non ſit, ſed ſemiduplex, Præfatio vero erit ut in feſto. Tres in ea dicentur orationes; ſed ſecunda, & tertia non erunt, quæ dicuntur infra octavam, ſed pro temporis diverſitate, ut ſancivit Sacra Congregatio 4. Julii 1705. Tempore denique Paſchali, & poſt Septuageſimam ſervabuntur, quæ his temporibus ſervari ſtatuta ſunt.

VII. Advertere lubet, quod nonnullæ Religiones, ut Auguſtiniana, tacent primum reſponſorium, incipit *Immolabit hædum*, quod in feſto aſſignatur poſt primam lectionem, & ſubrogant aliud, incipit *Melchiſedech Rex*, forſitan quia in feſto repræſentatur, quod fiebat tempore, quo a Chriſto facta fuit cœna, & minus congrue in ejuſdem officio votivo per annum repræſentaretur; alii tamen uſus reſponſorium *Immolabit* ſine difficultate uſurpant, & quidem conformius ad Decretum, quod officium *ut in die ſolemnitatis* indicit, & quidem ſine ulla abſurditate ratione ejuſdem repræſentationis, quam nihil prohibet etiam in officio votivo haberi. Si attendatur rigoroſa inhibitio aliquid addendi, vel mutandi in iis, quæ integrant divinum officium, utique præfata ſubrogatio nutaret, at credere lubet, quod ſine particulari conceſſione præfatæ Religiones eamdem non attentaverint.

DECRETUM XV. CAPITIS, IN ORDINE CXCVI.

In officio SS. Sacramenti conceſſo ex Indulto Apoſtolico, extra tempus Paſchale non poteſt dici *Alleluja* in Reſponſoriis Matutini, & Laudum, Reſponſoriis brevibus Horarum, & Verſiculis ad Magnificat, ut recitatur in Feſto SS. Sacramenti. S. R. C. 10. Dec. 1740. *in Salisburgen.* ex Regeſtis ejuſdem S. R. C.

I. OFficium SS. Sacramenti, quod in ejuſdem feſto, & per octavam inſtitutum eſt recitari, in ſignum maximæ ſolemnitatis, ac ſummæ exultationis, qua inſtitutio tam celeberrimi, ac ſalutiferi Sacramenti, convenit, celebretur, quaſi temporis inſtar paſchalis pluribus *Alleluja* reperitur compactum, & ſignanter ad verſiculos, qui poſt hymnos dicuntur ad Benedictus, & Magnificat in utriſque Veſperis, necnon ad eos, qui poſt Pſalmos dicuntur ad quodlibet nocturnum, uti & ad Reſponſoria brevia Horarum, ad quæ duplicatur, & ad verſiculos, qui ad eaſdem horas in fine adduntur, ſemel dumtaxat dicitur, exceptis ſolummodo Reſponſoriis brevibus Primæ, & Completorii, quæ prorſus ſine ullo *Alleluja* recitantur. Antiphonæ itidem laudum, & ad Benedictus, ac ad Magnificat, in ſecundis Veſperis cum *Alleluja* terminantur, reliquum vero totum officium ſine *Alleluja* abſolvitur.

II. Nobilioribus idipſum, vel ſimile conceſſum reperitur feſtis, ſcilicet Natali Domini, Circumciſioni, Epiphaniæ, & Transfigurationi, & hujuſce additionis Gavantus *ſect.* 5. *cap.* 14. *num.* 5. adducit cauſam, nempe ad pleniorem lætitiam indicandam; hinc cum ea, quæ feſtis ſolemnioribus, & nobilioribus tamquam nota præcipua ſunt reſervata, ad officia votiva apte non traducantur, extra tempus paſchale *Alleluja* ut ſupra tacendum eſſe cenſuit Congregatio in officio votivo SS. Sacramenti; paſchali autem tempore per exceptionem dici præſcribitur, non ratione officii, quod recitatur, ſed ratione temporis, in quo recitatur. Conſonat hæc Sanctio præcedenti, quæ eadem de cauſa Miſſam votivam, non eam, quæ feſto aſſignatur, dici voluit, dum infra annum officium agitur de SS. Sacramento, necnon Decretis 5. Julii 1698., & 20. Januarii 1705., quæ in repoſitione Sanctiſſimi Sacramenti ad verſiculum *Panem de Cælo* addi ſinunt *Alleluja* ſolo paſchali tempore, & infra octavam Corporis Chriſti.

III. Supereſt, videamus modo, ubinam verſus *Alleluja* tacendus præcipiatur, & indubium eſt, ſilendum eſſe in verſiculo *Panem de Cælo* in utriſque Veſperis ad Magnificat, necnon in Reſponſoriis brevibus Horarum, ac conſequenter etiam in verſiculis, qui ad eadem attinent Reſponſoria, & in eorumdem fine ſubduntur; hæc enim diſerte indicantur per ea verba Decreti: *In Reſponſoriis brevibus Horarum*, *& verſiculis ad Magnificat*. Præcedentia Decreti verba, nempe *In Reſponſoriis Matutini*, *& Laudum*, difficile eſt explicare; ad Laudes enim nullum Reſponſorium habetur, & nullum in toto Matutino præter Reſponſoria, quæ poſt lectiones dicuntur; at cum hæc in fine *Alleluja* non habeant, neque in feſto ipſo, de iiſdem procedere non poteſt diſpoſitio, utpote quæ intendit indicere ſilentium verſus *Alleluja*, qui in feſto dicatur, ſubdit namque, *ut recitatur in Feſto SS. Sacramenti*. Patens eſt itaque, quod *Verſiculorum* vice *Reſponſorium* nomen in Decretum irrepſit, niſi fortaſſe Reſponſoria appellentur, eo quod poſitiva parte verſiculi, per partem alteram eidem reſpondetur. Ceterum utraque pars cenſetur eumdem verſiculum efformare, *verſiculi* appellatione venit juxta Rubricas, & a præſenti Decreto ipſo *verſiculus* dicitur, dum *in verſiculis ad Magnificat* tacendum eſſe *Alleluja* mandatur.

IV. Quod autem *Reſponſoriorum* vice *verſiculi* ſubſtitui, & legi debeant, ineluctabile en argumentum. In Matutino nonniſi verſiculis additus in feſto habetur verſus *Alleluja*, in laudibus vero & antiphonis, & verſiculo. Si Reſponſoriorum loco *Antiphonas* ſubſtitui magis arrideat, jam vides, quod perperam in Decretum invecta ſtatim eſt vox *Matutini*, utpote quod nullas habet Antiphonas cum additione *Alleluja*; hinc cum ſoli verſiculi, qui poſt pſalmos in quodlibet nocturno dicuntur, teneant *Alleluja*, & hinc verſus addatur etiam verſiculo, qui ad laudes poſt hymnum ante Antiphonam ad Benedictus recitatur, proculdubio luce meridiana eluceſcit, quod *Reſponſoriorum* nomine veniunt, vel ſubſtitui debent *verſiculi*.

V. At quid dicendum de *Alleluja*, quando in fine antiphonarum habetur? Tacenduſne erit verſus hic, vel retinendus? Præſens Sanctio ejuſdem ſilentium non indicit, adeoque eſt retinendus; ut enim habet præcedens Decretum, recitandum eſt, *ut in die ſolemnitatis ejuſdem*, quod intelligi debet in iis omnibus, quæ per Rubricas, aut Decreta non ſunt aliter diſpoſita; ſi autem Sanctio præſens id voluiſſet, utique expreſſiſſet, uti expreſſit de verſu *Alleluja*, qui in verſiculis, & Reſponſoriis habetur.

CAPUT XXV.

De Feſtis affixis Diebus mobilibus.

I. EX hujuſce rationis feſtis alia ſunt, quæ univerſali Eccleſiæ ſunt conceſſa, & hæc priorem noſtram ſortientur conſiderationem, poſteriorem vero, quæ ex iiſdem conceſſa ſunt Regnis, Ditionibus, & adhuc particulari alicui Civitati, vel loco.

Google

loco. Cum Dominicis ſint affixa, aut feriis, & hæ ſint officia mobilia, quatenus non ſtato aliquo die ſemper recurrunt, ſed modo uno, modo altero, prout fert Eccleſiaſticus annus, eadem de cauſa & feſta, de quibus agimus, inter feſta mobilia computantur. Quæ Eccleſiæ univerſali reperiuntur conceſſa, ſunt Feſta SS. Nominis Jeſu, ejuſdemque SS. Matris Mariæ, S. Joachim Patris Deiparæ, & Roſarii ejuſdem B. Mariæ, quæ vero particularibus locis, & ditionibus, plurima admodum, a quorum recenſione propterea abſtinemus. De Feſtis SS. Nominis Jeſu, & Mariæ plura jam egimus, & nonnulla adhuc infra tractabuntur, de Feſto S. Joachim in capite de Sanctis veteris Teſtamenti reſervamus agere, & de Roſarii feſto ſermo ſuſcipietur. Quaſi inter feſta ad libitum, quatenus impedita in proprio die, cenſita ſunt in alium transferri non poſſe, & adhuc eorumdem aliqua ex conceſſis particularibus locis translatione non gaudent, rejecta fuere feſta diebus mobilibus affixa, & ſane quæ ex iiſdem particularibus locis extant conceſſa, termini facultativi, quibus conſtant eorumdem Indulta, officiis de non præcepto, ſeu ex privilegio aggregare videntur; & hæc eſt cauſa, ob quam, videlicet ad dictorum pleniorem notitiam, de præfatis feſtis nunc ſumpſimus agere.

DECRETUM I. CAPITIS, IN ORDINE CXCVII.

Officium proprium SS. Nominis Jeſu ab omnibus Chriſtifidelibus, qui ad horas canonicas tenentur, ſub ritu duplici 2. claſſis Dominica 2. poſt Epiphaniam recitari, & Miſſam reſpective celebrari debere induſit S. R. C. 29. Novemb. 1721. *annuente Innocentio XIII. 20. Decembris ejuſdem anni*, Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 263.

I. SOlemne apud Hebræos fuiſſe, octavo die, quo circumcidebatur puer, nomen imponere, ex cap. 1. Lucæ luculenter eruitur; *Et factum eſt in die octava venerunt circumcidere puerum, & vocabant eum nomine Patris ejus Zachariam. Et reſpondens Mater ejus dixit: Nequaquam, ſed vocabitur Joannes*. Certius adhuc id eſt de Chriſto, cui eodem tempore, & occaſione venerabile *Jeſus* nomen impoſitum fuiſſe. Lucæ 2. diſerte traditur: *Et poſtquam conſummati ſunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum eſt nomen ejus Jeſus, quod vocatum eſt ab Angelo, priuſquam in utero conciperetur*; Angelus enim, qui Mariæ annuntiavit Divini Verbi incarnationem, & nomen præſcripſit, quo natus Filius eſſet appellandus: *Ecce concipies in utero, & paries Filium, vocabis nomen ejus Jeſum*.

II. Noſtrum non eſt, hic referre plurima, quæ de admirabili hoc nomine, in quo juxta Pauli monitum *Philip.* 2. omne genuflecti debet Cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, a Sanctis Patribus, Doctoribuſque paſſim exarata inveniuntur, quare ad ponderandum nos duntaxat facimus, quod in Circumciſionis feſto una & præfatum nomen veniebat excultum, & hæc eſt cauſa retardatæ feſtivitatis in ejuſdem honorem inſtitutæ. Quoniam autem ea die in celebratione octavæ Nativitatis Dominicæ, & puerperii Deiparæ, de quo cum parum in Nativitate actum fuerit, plura in divino illius diei immixta ſunt officio, admodum occupata eſt Eccleſia, non immerito putavit aliam ejuſdem præcipuo cultui diem deſtinare, uti idipſum ſimili de cauſa præſtitit de feſto Corporis Chriſti. Hunc ad effectum dies 14. Januarii, utpote quæ eſt prima non impedita poſt officia octavarum tunc occurrentium, primum delecta fuit, in primam Dominicam poſt eaſdem octavas poſtea immutata, quando idem feſtum a particularibus locis, & Religionibus ad univerſalem tranſiit Eccleſiam, ut ratione occurrentis feriationis feſtivitas celebrior fieret, atque ſolemnior.

III. Tametſi non deſint, qui Bernardino de Buſtis antiquius faciunt hoc feſtum, ut refert Bollandus *tom.* 1. *Jan. pag.* 993., nos tamen eumdem credimus fuiſſe auctorem, quatenus omnem navavit operam, ut tanti nominis cultus particulari officio in Eccleſia haberetur, officium ipſum compoſuit, hoc Sixto IV. & Innoc. VIII. pro approbatione obtulit, idque obtinuit a Clem. VII., qui die 25. Febr. 1530. a Religione Seraphica, cujus ille alumnus erat, pro die 14. Januarii recitandum indulſit, & Wadingo teſte *in Annalibus ad annum* 1530. *num.* 10. *&* 11. *tom.* 8. Ab hoc Regulari Ordine ad alios, Eccleſias plurimas, & Dominia, & tandem procurante Carolo VI. Imperatore, ſub Innocentio XIII. ad univerſalem devenit Eccleſiam pro Dominica 2. poſt Epiphaniam, in cujus celebratione tam quoad diem, quam quoad qualitatem officii cum eadem Eccleſia univerſali ſe ſe conformare debere præcedentes indultarios jam dicebamus exponentes Decretum ultimum capitis 12.

IV. Quod feſtum ita affixum non eſt prædictæ Dominicæ ſecundæ, ut ſi hæc per ſupervenientem Septuageſimam anticipanda ſit, una itidem anticipari debeat, ſed magis transferendum (idem eſt, ſi in dicta Dominica occurrat feſtum altioris ritus) ſit in alteram diem, & in quam, & an in hac immutationem ſubeat, late oſtendunt, quæ exponentes Decr. 1. cap. 10. tradebamus.

DECRETUM II. CAPITIS, IN ORDINE CXCVIII.

Quando ob Feſtum SS. Nominis Jeſu contingat transferri aliud officium duplex 2. claſſis inferioris dignitatis, de eo debet fieri prima die non impedita. S. R. C. 23. Junii 1736. *in Einſidlen.* Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 330.

I. PRoculdubio extraneum Capiti exiſtit Decretum, nihilominus hic exponi ſuſceptum ob affinitatem quamdam cum SS. Nomine Jeſu, cujus privilegium, quod ſuæ repoſitionis habet in die 28. Januarii in caſu tranſlationis, crediderе nonnulli participari poſſe ab officio duplici 2. claſſis inferioris dignitatis, dum in caſu ſimultaneæ occurrentiæ a feſto ejuſdem SS. Nominis contingit expelli. Sacra tamen Congregatio transferendum hoc eſſe cenſuit in primam diem non impeditam juxta Rubricarum mandata, nec privilegium præfatum eidem voluit eſſe commune. Et quidem cum hujuſmodi privilegium SS. Nomini fuerit factum ob inconvenientiam, quam habet cum Quadrageſimali tempore, intra quod alias quandoque transferri deberet, alteri non debuit fieri feſto, quod talem inconvenientiam non habet. Videantur, quæ dicta ſunt in Decreto 1. cap. 10.

DECRETUM III. CAPITIS, IN ORDINE CXCIX.

Feſtum Nominis B. M. V. celebrari Dominica infra octavam Nativitatis ejuſdem B. M. V. ſub ritu duplici majori quotannis in Eccleſia univerſali ab omnibus utriuſque ſexus Chriſtifidelibus tam Sæcularibus, quam Regularibus, qui ad horas Canonicas tenentur, demandavit S. R. C. 20. Novembris 1683. *approbante Innocentio XI. die* 25. *ejuſdem menſis, eodemque anno*; ſub die vero 5. Febr. 1684. approbavit eadem S. R. C. Miſſam propriam, necnon officium, Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 148.

I. A Recenſione eorum, quæ in laudem SS. Nominis Mariæ paſſim congeſta inveniuntur, ſuſceptum inſtitutum nos cohibet abſtinere, ad quod ut proprius accedamus, noſcimus in ejuſdem honorem ab anno uſque 1513. Conchæ feſtum, Apoſtolica interveniente approbatione, ſub ritu duplici celebratum fuiſſe magna devotione, & ſolemnitate. Pius V. in ſua reformatione & hoc ſuſtulit feſtum, inibi propterea deinceps ſub una commemoratione excultum, quod poſtea procurante Petro Deza Cardinali a Sixto V. litteris ſub datum 16. Januarii 1587., ab Hyppolito Maraccio *in Purpura Mariana cap.* 14. §. 14. per extenſum relatis, ſub ritu duplici, ac proprio officio, ad novam precandi formam accomodato, reſtitutum fuit pro die 17. Septembris, tanquam prima non impedita poſt octavam Nativitatis Deiparæ, haud idonea reputata die ipſa octava Nativitatis, in qua Conchæ præfatum feſtum celebrabatur. Ad Toletanam exinde tranſiit Eccleſiam, poſtea ad Ditiones Hiſpaniarum Regis, & hinc ad plura alia loca, & Religiones, ſed in poſtremis his coli conſueverat die 20. ejuſdem menſis, attenta opinione eorum, qui a Judæis nomen fœminis cenſebant imponi conſuetum die quintodecimo ab earumdem nativitate. Ab Auguſtinenſibus tamen ex indulto Clem. X. die 20. Octobris colebatur, utraque ex memoratis diebus per officia Sanctorum indigenarum occupata.

II. Innocentius denique XI. in memoriam inſignis victoriæ ab armis Chriſtianis ſub ejuſdem Virginis præſidio de Turcis reportatæ, & Civitatis Viennæ in Auſtria ab arctiſſima eorumdem obſidione ſolutæ, præfatum feſtum pro Dominica infra octavam Nativitatis ejuſdem ſub ritu duplici majori extendendum eſſe cenſuit ad Eccleſiam univerſalem die 20. Novembris 1683., Sacra Rituum Congregatione Miſſam, & officium approbante die 5. Februarii 1684. ſuper cujus feſti celebrationem quoad diem, qualitatem officii, & Indulgentias, cum quibus Hiſpaniarum Regnis fuerat conceſſum, cum anni præcedentes Indultarios exortum fuiſſet dubium, a Sacra eadem Congregatione & diremptum fuit, ut in Decreto 1. cap. 12.

III. Non defuere tamen, qui Innocentianæ Conſtitutioni oblocuti ſunt, quaſi nomen Mariæ æquaret Nomini Jeſus, illique decerneret latriæ cultum, qui ſolus nominibus præſtari poſſe videtur, ſolique Deo debitus eſt, creaturis, earumque nominibus penitus incommunicabilis, cum *nullum aliud nomen*, quam Jeſus, *ſit ſub Cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri*. Act. 4. 12. Verum has oblocutiones diſſiparunt ſtatim reſponſiones validæ, per quas invicte demonſtratum extitit, rationes omnes illas, quæ Sanctorum invocationem, & cultum licitum, nobiſque faciunt proficuum, etiam venerabile efficere Mariæ nomen, non quidem vi Divinitatis, aut operatæ redemptionis, cujuſmodi venerabile eſt nomen Jeſus, & nullum creaturæ eſſe poteſt, ſed vi validioris interceſſionis præ ceteris Sanctis, vi cujus præ iſtis & inſtitui decuit ſpeciale feſtum in honorem ejuſdem SS. Nominis. Hac de re agunt egregie Battaglini *tom.* 4. *Annal. ad annum* 1683., & Baillet *ad diem* 8. *Septemb.*

DECRETUM IV. CAPITIS, IN ORDINE CC.

Si Feſtum Exaltationis SS. Crucis occurrat in Dominica infra octavam Nativitatis B. M. V., in qua celebrandum eſt Feſtum SS. Nominis B. M. V., tunc officium Nominis B. M. V. transferendum eſt ad primam diem feſto novem lectionum non impeditam. S. R. C. 20. Julii 1686. *in una dubior.* Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 153.

I. FEſtum Exaltationis SS. Crucis cum in ritu æquet feſtum SS. Nominis, & in dignitate præcellat, dubium non eſt, quod in occurſu præferentiam debet habere. Non tamen propterea Feſtum SS. Nominis omittendum eſſe, nos edocet Sanctio, ſed *transferendum*; hinc volumus eruas feſta univerſalis Eccleſiæ, licet diebus Dominicis affixa, tranſlationem ſubire, quoties in propria Dominica impediuntur; & præfer-

tam

Digitized by Google

tim quia nedum præſens translationem ſtatuit Decretum, ſed etiam alia propemodum infinita, tum ſpeciatim de eodem feſto SS. Nominis, ut vidimus in capite de octavis, tum etiam generatim de quibuſcumque aliis feſtis Eccleſiæ univerſalis, quæ diebus Dominicis ſunt addicta, ut ſuperius, & alibi non ſemel ponderavimus. Et quidem cum per terminos præceptivos reperiantur demandata, exceptio fieri non poteſt Rubricis, quæ officiorum hujuſmodi in caſu impedimenti indiſcriminatim committunt translationem.

DECRETUM V. CAPITIS, IN ORDINE CCI.

Quotieſcumque occurrerit apud Franciſcanos dies octava S. Roſæ Viterbienſis in Dominica infra octavam Nativitatis B. M. V., fiat officium de dicta die octava, protracto ulterius feſto SS. Nominis ejuſdem B. M. V. S. R. C. 22. Januarii 1706. *in una Jan.* Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 244.

I. PRimæ dantur diei octavæ in occurſu cum Feſto SS. Nominis, & quid unquam frequentius in capite de octavis? Translatio autem conceditur feſto SS. Nominis, & en confirmata iri, quæ dicebamus in præcedenti Decreto da translatione feſtorum Eccleſiæ univerſalis affixorum diebus Dominicis.

DECRETUM VI. CAPITIS, IN ORDINE CCII.

Feſtum, & officium SS. Roſarii B. M. V. Clemens XI. extendit ad Eccleſiam univerſalem ſub ritu duplici majori de præcepto, quolibet anno recitandum in prima Dominica Octobris, ut videre eſt in ejuſdem Pontificis Bulla, quæ incipit *Cum alias &c.*, & habetur ſub num. 25. in Bullario particulari dicti Pontificis. Ita die 3. Octobris 1716. Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 258.

I. PIUS V. in Martyrologio Romano Commemorationem S. Mariæ ſub titulo *de victoria* quotannis fieri juſſit die 7. Octobris, ut perinſignis victoriæ apud Enchinadas Inſulas eadem die anno 1571. Deipara adjuvante de Turcarum Tyranno reportatæ, perenne foret monumentum. Gregorius XIII. eamdem ponderans victoriam fuiſſe relatam Dominica prima Octobris, qua ſodalitates SS. Roſarii ſupplicationes pro Principibus Chriſtianis contra Turcas agebant, his precibus pia cenſuit adſcribere acceptam, quare ut pro tam ſingulari beneficio Beatæ Virgini ſub appellatione Roſarii perennes gratiæ ubique terram haberentur, in Eccleſiis omnibus, in quibus Altare Roſarii foret, prima quaque Octobris Dominica officium ritu duplici majori celebrandum indixit die 1. Aprilis 1573. Clemens X. die 26. Septemb. 1671. ad loca omnia Hiſpaniarum Regi ſubjecta, etiam pro Eccleſiis, in quibus Altara Roſarii non eſſet conſtructum, præfatum axtendit officium, quod deinde per Sacram Congregationem propagatum extitit ad alias plurimas Provincias, Ditiones, & Eccleſias.

II. Leopoldo Imperatore procurante a S. R. C. Decretum prodiit pro extenſione ajuſdem officii ubique terrarum, ſed Innocentio XII. tunc Romano Pontifice e vivis ſublato, ſubſtitit Decreti executio, cui & reſtitit ejuſdem ſucceſſor Clemens XI., donec ab exercitu Caroli VI. Imperatoris reportata in Hungariæ Regno de Turcis inſigni victoria, Inſulaque Corcyrenſi ab obſidione ſoluta, ulterius reſiſtendum non eſſe exiſtimavit, ſed Decretum approbans, univerſali Eccleſiæ prædictum tradidit officium, cujus lectiones, cum ex quodam ſermone S. P. Auguſtini forent depromptæ, Benedictus XIII. in alias proprias immutavit.

III. *Feſtum, & officium* memorat Sanctio; hinc cum nomine *feſti* venire nequeat *officium*, alias abſurda fieret locutio, redderet quippe *officium, & officium*, appellatione *feſti* accipe *ſolemnitatem*, uti non infrequenter *feſtum* uſurpatur, & in noſtro caſu quadrat admodum, in quo ſolemnitas, quæ ob victoriæ diem fieri deberet die 7. Octobris, & in Martyrologio Romano reperitur adnotata, ad Dominicam primam Octobris in perpetuum eſt aſportata. Contendet quis forſitan *feriationem* venire, quod Gregorius XIII. ut ſupra feſtum Roſarii concedens, in Dominica præfata *ſanctificandam* indixerit; at ſuper hac re immorari non ducimus, quoniam cum Roſarii feſtum ſit Dominicæ affixum, ejuſdem feriatio adhuc in numero non eſſet, nec ad ajuſdem translationem transfereretur, inſtar aliorum feſtorum de præcepto, quæ dum incidunt in diem Dominicam, quæ ex ſe feſtiva eſt, nec feſtivationem multiplicant, nec eamdem protrahunt ad diem, ad quam ipſa quandoque transferuntur.

IV. An Dominica, cui eſt addictum, ſit, quæ prima in menſe recurrit, an vero, quæ eſt proximior Kalendis Octobris, quæ juxta officii ordinem prima menſis dicitur, quæſtio ſuccederet, at in capite de Sanctis Angelis jam ſtatuitur, hujuſmodi Dominicarum numerum quoad ſimilia officia ponenda, petendum eſſe a Dominicis, quæ in menſe recurrunt. Et quantum ad præſens attinet, ineluctabile en argumentum. Gregorius XIII. primam Dominicam Octobris delegit, quia in eam tunc incidit dies 7. Octobris, utique autem eſſa non potuit Dominica proximior Kalendis, ſed prima, quæ in menſe recurrit.

V. Gavantus *ſect. 7. cap.* 12. *num.* 1. refert Congregationis Decretum 6. Februarii 1638. determinans omiſſionem officii Roſarii, inhibenſque ejuſdem translationem, quando in propria Dominica impeditur. Verum hoc ideo, quia tunc non erat officium Eccleſiæ univerſalis, cujus rationis feſta, licet Dominicis addicta, gaudent translationis commodo. Quatenus vero dictum Decretum tangit intransferibilitatem hujuſmodi officiorum Eccleſiarum particularium, ſua ſtatim non carebit ponderatione.

DECRETUM VII. CAPITIS, IN ORDINE CCIII.

Quando aliqua ex officiis conceſſa, ſunt recitanda in diebus Dominicis, verb. gr. de B. M. V. de Mercede, de SS. Roſario, de Patrocinio B. M. V., & ſi quæ alia ſunt ſimilia, ſi aliqua ex dictis Dominicis impediatur aliquando ab alio officio majoris ritus, vel dignitatis, in tali caſu dictum officium ex ſupra conceſſis, non poteſt transferri ad aliam Dominicam, vel ad primam diem non impeditam, ſed debet omitti. S. R. C. 20. Martii 1683. *in una Ord. Minor. Obſerv.* Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 139.

I. ELegantior, emendatior, atque conformior eſt exaratio hujuſce Sanctionis, cujus meminit Meratus *ſect. 3. cap.* 10. *num.* 11., Pittonus *de ſacr. rit. num.* 968., ac Fagioli *Kalen. perp. ration. ad menſem Octobr. ſub* 2. ✠ *pag.* 261., videlicet: *Officia conceſſa pro aliquibus locis, quibus aſſignata eſt dies aliqua Dominica, ſi ſit impedita alio feſto altioris ritus, vel dignitatis, non ſunt transferenda, ſed omittenda.* Lectioni igitur Indicis, etſi ceteroquin alteri quoad rem concordet, ne acquieſcas, ſed mox adductæ adhære, & præſertim quia iiſdem terminis legitur expreſſa in Rubricis Breviarii Franciſcani *tit. 4. de Dominicis num.* 55., ad cujus Ordinis petitionem Decretum emanavit.

II. Ab officiis affixis diebus Dominicis, & Eccleſiæ univerſali conceſſis, gradum facimus ad eadem officia, quæ particularibus locis reperiuntur indulta, tempore quippe emanationis præſentis Decreti nullum aderat ex officiis Eccleſiæ univerſalis diebus Dominicis addictum, ac officia qualibet, in quibus Decretum ponit exemplum, particularibus locis erant conceſſa, quando etiam lectio, quam dicebamus eſſe ſequendam, diſerte non diceret *Conceſſa pro aliquibus locis*. Uti autem præfatis officiis Eccleſiæ univerſalis in caſu impedimenti beneficium translationis conceditur, ſic beneficium iſtud denegatur officiis iiſdem particularium locorum. Quod tamen nolumus univerſim accipias, ſed cum limitationibus, quas eidem exporrigunt Sanctiones ſtatim exponendæ, & nos unitim tradamus exponentes Decretum decimum hujuſce capitis.

III. Operæ pretium ducimus adnotare, quod tunc temporis Feſtum B. M. de Mercede erat ex officiis addictis diebus Dominicis, nempe Dominicæ proximiori Kalendis Auguſti, nunc factum eſt feſtum Eccleſiæ univerſalis, & diei ſtatæ, ſcilicet 24. Septembris eſt addictum, quare de eodem duplici de cauſa non amplius procedit Decretum, & qua nempe non eſt ex officiis affixis diebus Dominicis, & qua eſt officium Eccleſiæ univerſalis; qua de cauſa ſubtrahitur a diſpoſitiona Decreti etiam Feſtum Roſarii, licet diei Dominicæ ſit addictum, unde ex exemplis, quæ producit, locum dumtaxat nunc habet Sanctio in Patrocinio Deiparæ, ubi addictum eſt diei alicui Dominicæ, non ubi ſtatam aſſequitur diem menſis.

DECRETUM VIII. CAPITIS, IN ORDINE CCIV.

D. Bartolommeo Calimani Piovano della Chieſa Parrochiale, Collegiata, a Matrice di S. Maria Zebbenigo di Venezia, umilmente rappreſenta all' Eminenze Voſtre, come è ſtato conceſſo dalla Santa Sede alla Sereniſſima Repubblica di Venezia l' indulto di celebrare la Meſſa, a recitare l' offizio del SS. Redentore ogni anno nella terza Domenica di Luglio; e perchè in detta Domenica è ſempre aſſegnato il giorno della Dedicazione della ſua Chieſa, eſſendo doppio di prima claſſe, a l' offizio ſuddetto doppio ordinario, ſupplica, a domanda all' Eminenze Voſtre, *ſe deve trasferire il ſuddetto offizio del Redentore in altro giorno non impedita*. Et S. R. C. reſcribendum cenſuit, *transferendum eſſe officium SS. Redemptoris juxta Rubricas*. Die 27. Febr. 1723. Hoc Decretum indicatur a Merato in Indice Decr. Brev. num. 265., & apud nos habetur in authentica forma.

I. CUM Populus Venetiarum dira peſtilentia vexaretur, voto facto inviſendi quotannis Templum in honorem SS. Redemptoris a fundamentis Publicæ magnificentia pietatis extructum, anno 1576. extincto morbo ſumma totius Civitatis lætitia, priſtinæ incolumitati ſe vidit reſtitutum. In accepti beneficii monumentum, & gratias Dominica tertia Julii quotannis in memorata Eccleſia cum magna pompa, & ſolemnitate celebrabatur feſtum ejuſdem SS. Redemptoris, quod ut celebrius fieret, cultuſque erga Servatorem noſtrum augeretur in dies, ad inſtantiam Sereniſſimæ Venetiarum Reipublicæ Sacra Congregatio 25. April. 1722. officium ſub titulo SS. Redemptoris a toto Clero prædictæ Civitatis in prædicta Dominica ritu duplici minori recitari poſſe indulſit. Quod feſtum 26. Auguſti 1724. ad totum Dominium fuit extenſum, 27. Jan. 1729. ad ritum duplicem majorem, & 15. Sept. 1731. ad ritum duplicem 2. claſſis evectum, ac demum 6. April. 1737. cum octava in prædicto toto Dominio recitari conceſſum.

II. Apud Eccleſiam S. Mariæ Zebbenigo impediebatur quotan-

tannis hoc feſtum ab officio Dedicationis, hinc quia dubitabatur, num quia Dominicæ affixum, jure translationis gauderet, Congregatio Rituum conſulta fuit, quæ reſcripſit, *eſſe transferendum juxta Rubricas*. Arbitratur Pittonus *num.* 140. ſpeciale hoc eſſe Indultum, adeoque hinc nihil commodi poſſe reportari in favorem translationis feſtorum Dominicis addictorum; at fallitur profecto, quia petitio non proceſſit pro gratia, ſed ſuper jure translationis: *ſupplica, e domanda, ſe deve trasferire il ſuddetto officio del Redentore in altro giorno non impedito*; quare dum *transferendum eſſe* reſcribitur, ſpecialis non fit gratia, ſed ſolum declaratur, quid jure fieri debeat, unde conſulto & additur *Juxta Rubricas* niſi mavis, id denotare, transferendum eſſe in primam diem non impeditam ſicuti diſponunt Rubricæ, & non in ſubſequentem Dominicam.

III. Supereſt perſcrutemur deciſionis cauſas, ut quid in ſimilibus attentari queat, inde inferamus. Prima eſſe poteſt *perpetuum impedimentum*, vi cujus alias de feſto numquam fieret, & Indultum redderetur inane. Approbari videtur hæc cauſa a præcedenti Decreto, quod dum omiſſionem demandat, tenet dictionem *Aliquando*, fortaſſe ut denotet, ſolum ea officia, quæ accidentario, non quæ perpetuo impediuntur, omiſſioni eſſe obnoxia, unde & ſequens Decretum Patrocinium S. Joſeph perpetuo impeditum donat beneficio translationis.

IV. Sit ſecunda, quod eſt ex officiis *ad petitionem Principum* conceſſis, quæ juxta Decretum 2. cap. 8. ſunt de præcepto, & ſic translatione gaudentia. Quod Decretum diſerte quidem non loquitur de officiis affixis diebus Dominicis, bene vero implicite, cum de officiis ad petitionem Principum conceſſis univerſim diſponat, nec refragentur duo ſtatim exponenda Decreta.

V. Tertia, quod *communi de cauſa* eſt inductum, ad gratiarum ſcilicet actionem pro communi beneficio; æquum enim non eſſe videtur, quod hujuſmodi deperdantur officia, nec integrum, ſi impedimentum ſit apud omnes Indultarios, ut communia vota exolvi queant, nec in partem, ſi impedimentum duntaxat afficiat Eccleſiam aliquam, ne dum ceteræ loci Eccleſiæ in debitas ſe profundunt laudes, ipſa ſola quaſi beneficii immemor taceat. Reliquum foret definire, cui ex hiſce cauſis innitatur Sanctio, ac illationes facere; ſed de his agere in Decreto decimo Capitis reſervamus, contenti pro nunc adnotare, quod translatione donatur feſtum tempore, quo nondum erat officium Dominii, ſed ſolius Civitatis Venetiarum, ut ex Datis Decretorum quiſque facile colliget.

DECRETUM IX. CAPITIS, IN ORDINE CCV.

Cum in tota Hiſpania ſit conceſſum, ut tertia Dominica poſt Paſcha celebretur Feſtum Patrocinii S. Joſeph ſub ritu duplici, ex parte Reverendiſs. Archiepiſcopi, & Capituli Eccleſiæ Metropolitanæ Hiſpalenſis quæſitum fuit, ſi cadat illa die Feſtum majoris ritus, an Feſtum Patrocinii ſit transferendum ad aliam diem? Et reſponſum fuit, transferri poſſe; ita tamen ut pro dicto feſto Archiepiſcopus aſſignet certam aliam diem, quæ non ſit Dominica fixa. S. R. C. 26. Novembris 1735. *in Hiſpalen.* Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 279.

I. TRanslationis favor declaratur Patrocinio S. Joſeph, etſi ſit ex officiis addictis diei Dominicæ. Ubi autem Feſtum Redemptoris erat officium ſolius Civitatis, Patrocinium S. Joſeph eſt officium totius Hiſpaniæ, quare translationis beneficio donari videmus etiam officia Regnorum, & Dominiorum. An in caſu autem accidentarii, vel ſolum perpetui impedimenti? Si petitio attendatur, *Si cadat illa die &c.*, utrumque caſum apta eſt amplecti, ſi reſponſio, *Ita tamen, ut aſſignet certam aliquam diem &c.*, patens eſt, pro caſu ſolius perpetui impedimenti procedere, cum aſſignandam edicat dicto feſto certam diem aliam, quod regulariter non præſtatur niſi officiis perpetuo translatis, & nonniſi particulari de cauſa, quam in Patrocinio S. Joſeph non agnoſcimus, privilegium accidentariæ immutationis, aut repoſitionis in certa die aliqua feſtis conceditur, ut feſtis SS. Nominis Jeſu, Purificationis, & Septem Dolorum Deiparæ, videlicet ob inconvenientiam, quam illa ſervant cum Quadrageſimali tempore, hoc cum Paſchali. Idipſum eſt de Feſtis SS. Annunciationis, S. Benedicti, ac S. Joannis Baptiſtæ, quæ immutatione accidentaria quidem gaudere diximus, ſed particularem ob cauſam, quæ immutationis privilegium ceteris feſtis incommunicabile reddit ſine ſpeciali Decreto.

II. Fallimur tamen, ſi non ſit, qui contendat, verba illa *Ita tamen, ut pro dicto feſto aſſignet certam aliquam diem*, importare conditionem, ſine qua beneficium translationis in Patrocinium S. Joſeph non derivet; at ſciendum eſt, quod dubium aliud ex parte Archiepiſcopi, & Capituli Hiſpalenſis, de quo egimus in Decr. 11. cap. 9., ſimul declarari propoſitum fuerat, nempe ſuper facultate aſſignandi diem fixam Sanctis perpetuo translatis, quæ cum conceſſa fuerit, ſubdendum exiſtimavit Congregatio, *ita tamen, ut pro dicto feſto Archiepiſcopus aſſignet certam aliam diem, quæ non ſit Dominica fixa*, ne putaret Archiepiſcopus, fas ſibi eſſe, Patrocinio S. Joſeph, quod in conceſſione ſua Dominicæ eſt alligatum, Dominicam alteram pro ſtatione perpetua aſſignare.

III. Ex quo per Decretum aſſignanda decernatur *certa alia dies*, non *prima non impedita*, liberum apparet, Sanctorum immutationem in quamlibet diem facere, & non neceſſario in primam non impeditam. At ſufficienter id non eruitur ex Decreto, quod eatenus *certam diem* notat, quatenus cum ageretur de immutatione feſti affixi diei Dominicæ, quæ modo una, modo altera die occurrit, in individuo determinari non poterat prima dies non impedita. Attamen non refragamur, primæ diei inimpeditæ alligatam non eſſe Sanctorum immutationem, ſed & in altera fieri poſſe, quoties congrua, & rationabilis non deeſt ratio aliqua, ut late tradidimus in Decreto ultimo cap. 9.

IV. Reliquum eſt ſtatuere, cuinam diei conſignari debeat Patrocinium S. Joſeph, & crederemus, bene determinatam iri primam diem non impeditam, in quam regulariter fieri debet Sanctorum immutatio, poſt dies omnes, in quas incidere poteſt Dominica tertia poſt Paſcha, cui eſt addictum, ne quandoque eveniat prius celebrari Patrocinium, quam Dominicam, a qua translatum cenſetur, adeoque primam diem non impeditam poſt diem 16. Maji, ad quam protrahi uſque poteſt prædicta Dominica tertia. Congruentior eſt iſta agendi ratio, cui tamen non cenſemus ita mordicus adhærendum, ut aliter fieri non poſſit, aut etiam quandoque non deceat, puta ſi Patrocinium ob conſequentes dies plurimas impeditas valde differri deberet, & præſertim ſi hinc collocari, aut perſæpe transferri poſſet extra Paſchale tempus, cum ejuſdem officio deficient antiphonæ ſecunda, & tertia nocturnorum, licet ſi hoc quandoque eveniret, ex ejuſdem feſto 19. Martii haud dubitemus poſſe ſuppleri. Hoc itaque in caſu ejuſdem immutatio bene anticipari poterit; non enim præfatum feſtum talem connexionem, aut relationem habet ad dictam Dominicam, ut nonniſi in ea, aut poſt eam recoli debeat. Ceterum quantum fieri poteſt, convenit, ut in die proximiori ad diem 16. Maji anticipetur, ut poſt eamdem Dominicam frequentior dicti feſti celebratio fiat.

V. Deciſionis vero cauſæ ferme ſunt eædem, quæ præcedentis, ſcilicet perpetuum impedimentum, & inſtantia Principum. Fortaſſe deficit communis cauſa, niſi ſubroges ſpecialem devotionem, quæ erga S. Joſephum communiter viget in Hiſpaniis, quarum & eſt principalis Protector.

DECRETUM X. CAPITIS, IN ORDINE CCVI.

Non poſſunt transferri officia illa affixa certis diebus, quæ ſunt conceſſa pro locis, & Eccleſiis particularibus ad eorum inſtantiam; at quando officia prædicta ſint de præcepto pro aliquo ſtatu, ſicuti ſunt officia plura B. M. V. conceſſa a s. m. Benedicto XIII. pro ſtatu Eccleſiaſtico affixa certis diebus, transferantur. S. R. C. 5. Maji *1736. in Einſidlen.* Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 311.

I. GEneralis firmatur regula dignoſcendi, quænam ex officiis affixis certis diebus patiantur, aut non patiantur translationem. *Certorum dierum* nomine non veniunt dies ſtati menſium, quibus officia addicta, etſi particularium locorum ſint, dubium non eſt translationis beneficio gaudere; ſed veniunt dies *aliqui*; qualis ejuſdem vocis uſurpatio apud Ciceronem legitur, & in noſtro caſu præfata vox ſtat pro *diebus Dominicis, & feriis*, elegantiori vocabulo ſic utriſque expreſſis. Officia, quæ Benedictus XIII. de B. M. Statui Eccleſiaſtico demandavit, ſunt Deſponſatio, Patrocinium, Expectatio Partus, 7. Dolorum, B. M. de Monte Carmelo, & Translatio Domus Lauretanæ. Horum *plura* nuncupat Sanctio *affixa certis diebus*, & ſunt Patrocinium affixum Dominicæ 2. Novembris, & Feſtum 7. Dolorum feriæ VI. poſt Dominicam Paſſionis addictum, plurali numero in duobus ſufficientem verificationem habente, ut late tradunt Juriſconſulti, cetera omnia namque ſunt addicta determinatis menſium diebus, quare in exemplum trahi non poterant. Dubium itaque non eſt, quod appellatione *officiorum affixorum certis diebus* veniunt officia quæcumque, quæ aut diebus Dominicis, aut feriis ſunt alligata, unde Sanctio præſens latior eſt præcedentibus, cum etiam officia feriis addicta, in ſuo includat ſinu.

II. *Quæ ſunt conceſſa pro locis, & Eccleſiis particularibus*, translationis favore privantur; non itaque officia Eccleſiæ univerſalis, ſunt hæc namque de præcepto, quorum naturam cum minime deperdant, per hoc quod certis ſint diebus affixa, nec deperdunt beneficium translationis, quod iiſdem elargiuntur Rubricæ, quarum diſpoſitionibus officia cenſentur relicta, niſi in eorumdem indultis ſit aliter expreſſum. Par autem non eſt eatio de officiis particularium locorum, quæ regulariter terminis facultativis conceduntur, & ex privilegio cenſentur, unde cum in ſuo eſſe pendeant ab arbitrio privilegiantis, nil vetat, eorumdem aliqua haberi, ſcilicet quæ certis diebus ſunt affixa, quorum translatio ſit inhibita.

III. *At quando officia prædicta ſint de præcepto, transferantur*; non enim deſinunt eſſe de præcepto ex eo, quod particularibus locis ſint conceſſa, ut officiorum de præcepto privilegiis ſpolientur. Qua de cauſa idipſum procedet, quibuſcumque, etiam individuis Eccleſiis, ſint præfata officia conceſſa, in nihilum obſtantibus voce illa *Pro aliquo ſtatu*, & exemplo, quod in officiis *toto Statui Eccleſiaſtico* conceſſis Sanctio producit; hæc enim ſtant ad modum exempli, quod non reſtringit regulam, quam in oppoſitum iis, quæ præcedenter Sanctio ſtatuerat, generaliter intendit per hæc verba firmare: *At quando officia prædicta ſint de præcepto, transferantur.* Non ſiquidem officia conſtituuntur de præcepto per reſpectum ad perſonas, vel loca, quibus conceduntur, ſed per terminos præceptivos, quibus eorumdem conſtant Indulta, quapropter officia ſive ſtatibus, aut Religionibus, vel alicui Civitati, ſeu loco ſint de

præ-

præcepto conceſſa, continuo transferibilia ſunt, tametſi certis diebus affixa.

IV. *Ad eorum inſtantiam*, ſcilicet locorum, & Eccleſiarum particularium, *conceſſa*. Digna, quæ ponderentur, ſunt hujuſmodi verba, quoniam nobis deſignant, officia præfata Regnis, Provinciis, aut particulari Civitati, vel loco, ſeu Eccleſiæ *ad horum inſtantiam* minime conceſſa, translatione gaudere; quare cum officia ad inſtantiam Principum, aut motu proprio a Summo Pontifice particularibus locis conceſſa, ad particularium locorum inſtantiam indulta non ſint, translationem ſuſtinebunt, etſi per terminos facultativos reperiantur conceſſa, ut rite ponderabamus in duobus præcedentibus Decretis, in quorum primo translatio decernitur feſto SS. Redemptoris per terminos facultativos ſoli Civitati Venetiarum conceſſo, & in ſecundo Patrocinio S. Joſeph toti Hiſpaniæ ſimiliter conceſſo, quia ambo præfata feſta ad inſtantiam reſpectivorum Principum conceſſa venere.

V. E contra quoniam Epiſcopus, Clerus, & Populus conſtant, & ſpectant ad loca reſpectiva, vel Eccleſias, officia prædicta ad eorumdem unitim, vel diviſim inſtantiam conceſſa, translatione carebunt, quinimo & conceſſa ad inſtantiam Synodi Diœceſanæ, aut Concilii loci, cum non contineant niſi Clerum reſpectivum, aut Populum ſimul congregatum.

VI. An pro officiis Regnorum, Nationum, Provinciarum, aliorumque ſimilium, licet ad eorumdem inſtantiam conceſſis, exceptio fieri poſſit, quæſtio ſuccedit; ad quam affirmative reſpondendum eſſe videtur, eo quod cum hujuſmodi loca in ſuo claudant ſinu loca plurima, Civitates, & Eccleſias, ſtricte loca, & Eccleſiæ particulares non ſunt, ad quæ reſtringendum videtur Decretum, utpote gratiarum, & privilegiorum limitativum, quantumvis illa dici valeant particularia loca, & Eccleſiæ relate ad Eccleſiam Catholicam, & univerſalem. Verum Decretum hanc pati limitationem non credimus, procedit ſiquidem exponendo mentem aliorum Decretorum officia certis diebus affixa declarantium translatione non gaudere, quæ inter cum plurima ſint lata pro officiis Regnorum, Provinciarum, aliorumque ſimilium locorum, noſtrum non eſt alias eiſdem adhibere limitationes ultra eas, quas præſens adhibet Sanctio, videlicet ut non procedant de illis officiis, quoties aut ſunt de præcepto, aut ad Eccleſiarum, vel locorum inſtantiam conceſſa non ſunt.

VII. Hinc patet intelligentia Decreti 7. hujus Capitis, quod inhibens translationem officiorum affixorum diebus Dominicis, exemplum ponit in feſtis B. M. de Mercede, de SS. Roſario, & de ejuſdem Patrocinio, quæ ſunt ut plurimum officia Regnorum & Ditionum, videlicet quatenus in textu hæc exempla non deſint, ut ibi dubitabamus ob diſſimilem ejuſdem lectionem, quam nonnulli veroſimilius habent, ejuſdem mentem eſſe reſtrictam ad præfata officia, quæ ad locorum, & Eccleſiarum particularium inſtantiam erant conceſſa. Similem adhibe expoſitionem Decretis aliis, infra referendis de feſto 7. Dolorum, quæ omiſſionem hujuſmodi officiorum in caſu impedimenti demandant.

VIII. Potius urget dubitatio de hiſce officiis, quæ Regularibus Ordinibus noſcontur conceſſa, & certe ſub præſentis non cadunt inhibitione Decreti, quod dum vetat transferri feſta *particularium locorum*, *& Eccleſiarum*, locum haud habet in officiis Religionum, quæ non efformant locum aliquem particularem, vel Eccleſiam, ſed tamquam loca, & Eccleſiæ immunes, & exemptæ ſpectant ad locum illum, vel Eccleſiam, intra cujus confinia ſitæ ſunt. Differens tamen eſt ratio de iiſdem officiis, quæ alicui Monaſterio, vel Eccleſiæ Regulari forent conceſſa, nam hujuſmodi officia nomen officiorum particularis loci, vel Eccleſiæ non effugiunt. Solutio a Decretis minime declinat, & licet nonnullas pari queat inſtantias, haud tamen ei deficit, unde ſe facile tueri valeat; ſi autem tibi haud plene arrideat, eidem te ſtare non cogimus.

IX. Limitationes, quas præſenti exporrigunt Decreto aliæ duæ rationes, quibus duo præcedentia inniti poſſe dicebamus Decreta, ſcilicet ut ea officia translationem patiantur, quæ alias ob perpetuum impedimentum ſemper vacarent, aut communis de cauſa ſunt conceſſa, nos plene approbare non poſſumus, nec iiſdem rationibus prædicta Decreta credimus innixa, ſed magis quia talia officia ad Principum inſtantiam fuerunt conceſſa; nos enim præſentis Sanctionis tramites nolumus tranſilire, quantumvis extra probabilitatis metas eam non putemus eſſe conſtitutam.

DECRETUM XI. CAPITIS, IN ORDINE CCVII.

Feſtum Lanceæ, quod eſt approbatum ex Indulto in Germania, & celebratur feria VI. poſt Dominicam in Albis, ſi ob occurrentiam alicujus feſti novem lectionum impediatur, transferri debet ad aliam feriam VI. intra tempus Paſchale tantum. S. R. C. 5. Maii 1736. *in Einſidlen* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 289.

I. OTo Friſingenſis *lib. 6. cap.* 18. ſcribit de Lancea, quæ in Civitate Pragenſi aſſervatur: *Lanceam quoque ſacram quam Reges noſtri hactenus habent, ab Arnulpho Lugdunenſis Galliæ, ſeu Burgundiorum Rege minis extorſit Henricus*. Henricus nempe I. Imperator ab Arnulpho, alii legunt Rodulpho, Rege Burgundiæ dono recepit. An hæc fuerit Lancea, quæ Chriſti latus perforavit, affirmant Scriptores Germani, quos inter [illegible] *ad annum* 1350., ſed potiſſimum [illegible] Indulto Innocentii VI. Germanis, [illegible] feſtum in ejuſdem honorem cum [illegible] pro viſitantibus prædictam Reliquiam. [illegible] eo quod Authores contemporanei, aut proximi tempori [illegible] Henrici I., nempe Abbas Uſpergenſis *in Chron. pag.* 153. [illegible] *in Chron. ad annum* 929., Luitprandus Ticinenſis *lib. 4. hiſt. cap.* 12., Auctor vitæ S. Gerardi Abbatis apud Surium *to. 5. die 3. Octobris*, aliique tradiderint, Lanceam ut ſupra Henrico donatam, fuiſſe Lanceam Conſtantini Imperatoris mirandi operis Clavis Chriſti crucifixi ſanctificatam, quorum pars in ea eſſet incluſa.

II. Benedictus XIV. (quem felicitati Eccleſiæ ſuæ diu Deus ſoſpitem ſervet) *de Canoniz. lib. 4. par. 2. cap.* 22. Romæ in Baſilica Vaticana aſſervari aſſerit Lanceam, eamque eſſe probat *cap. 30. a num. 6. ad* 12., quæ Chriſti latus perforavit. Sic autem profert Lanceæ hiſtoriam. A S. Helena Jeroſolymis inventa fuit, ibique aſſervata uſque verſus finem ſæculi ſexti, in quo Conſtantinopolim translata, in Templo S. Sophiæ fuit collocata, ſubinde ejuſdem ferro cum parte Spongiæ, & Arundinis ad Eccleſiam S. Joannis de Petra ejuſdem Civitatis aſportato, cuſpide autem cum parte itidem Spongiæ, & Arundinis ad Palatium Imperiale. Has, quas in Palatio aſſervabat, ſacras Reliquias labente ſæculo XIII. Balduinus Ærarii inopia compulſus, recepta pecunia, Veneris pignori dedit, quas cum Balduinus redimere non poſſet, Ludovicus Francorum Rex, Balduino ipſo permittente, a Venetis redemit, in Franciam traduxit, & in Pariſienſi Regia Capella adhuc cuſtodiuntur; Ferrum vero Lanceæ in memorata Eccleſia S. Joannis remanſit, donec ſubacta a Mahumete Civitate Conſtantinopolitana, per Bajazetti donum die prima Maji 1492. ad Civitatem Anconitanam aſportatum, ad manus Innocentii Papæ VIII. devenit, a quo die ultima ejuſdem menſis cum magna pompa, & ſolemni Proceſſione in Baſilica S. Petri fuit collocatum.

III. Quibus haud officit conceſſio feſti, & Indulgentiarum quam de Lancea Chriſti præfatus Innocentius VI. Germanis fecit, ex ea ſiquidem, ponderat Raynaldus *ad annum Chriſti* 1354. *n.* 18., haud eruitur argumentum ad Apoſtolicum Indultum ſuper identitate dictæ Lanceæ: *Quæ de Lancea, qua Chriſti latus transverberatum eſt, retulit Innocentius, hæc ex Caroli Imperatoris* (hujus nominis IV.) *relatione repetivit*. Quam ad rem conſuli quoque poteſt Baronius *ad annum* 929., & quod majoris momenti eſt, nec Innocentius ipſe aſſerit Lanceam ibi cuſtodiri, ſed quod dicitur haberi. En ejuſdem verba.

IV. *Licet Lancea, & Clavi, aliaque Dominicæ Paſſionis ſalutaria Inſtrumenta ſint a cunctis Fidelibus Chriſti ubilibet veneranda, & de ipſa etiam Paſſione in eadem Eccleſia ſolemnia annis ſingulis officia celebrentur, & fiant; dignum tamen, & conveniens reputamus, ſi de ipſius Paſſionis ſpecialibus Inſtrumentis, & præſertim in partibus, in quibus Inſtrumenta ipſa dicuntur haberi* (notentur hæc verba) *ſolemne, ac ſpeciale feſtum celebretur, & fiat*. Meræ itaque aſſertioni innixus, Innocentius VI. ad conceſſionem Feſti Lanceæ devenit, delecta feria VI. poſt Dominicam in Albis, feſto novem lectionum non impedita, unde Rubrica ejuſdem officio præfixa: *Feſtum de Lancea, & Clavis Domini feria VI. poſt Dominicam in Albis (non impedita feſto novem lectionum) recitandum per Germaniam*.

V. Qua feria impedita, de tribus inſtruimur, ſcilicet quod *transferri debet*, non ad primam diem non impeditam, ſed *ad aliam feriam VI.*, non quamcumque, ſed *intra tempus paſchale tantum*. Quod *transferri debeat*, ex eo dilucidum fit, quod licet affixum ſit feriæ mobili, ad inſtantiam Caroli IV. Imperatoris fuit conceſſum, cujus rationis officia jam dicebamus in præcedenti Decreto beneficio translationis gaudere. *Ad aliam feriam VI.*, quod contra Rubricas eſſe videtur, quæ feſta, quæ transferuntur, ſemper ad primam diem non impeditam amandant. Res tamen ita non eſt, quoniam rigoroſam translationem in præſenti caſu non intervenire arbitramur, ſed Feſtum Lanceæ in ſua conceſſione addictum eſſe, non determinate feriæ VI. poſt Dominicam in Albis, ſed indeterminate primæ feriæ VI. poſt dictam Dominicam feſto novem lectionum impeditæ, inſtar officii de Corona ſpinea, cujus Rubricam infra adducemus; quare patens eſt, quod impedita prima ex præfatis feriis, Feſtum Lanceæ, vere non transfertur, ſed in ſequenti feria VI. non impedita cenſetur occurrens, & ſic hac impedita, in reliquis; ſi enim in prima feria VI. foret occurrens, non a quocumque feſto, in ea occurrenti abigeretur, ſed ſolum a feſto altioris ritus, unde Rubricarum mandata de translatione feſtorum opus non eſt in uſum deduci circa Feſtum Lanceæ, quod a Decreto eatenus dumtaxat dicitur transferri, quatenus a prima feria VI., in qua non impedita, utile ſuæ repoſitionis ſpatium habere poterat, ad ſequentem feriam VI. vi ſuæ conceſſionis rejicitur.

VI. Eccleſia in decernendis diebus pro feſtorum celebratione fortuito non ducitur, ſed congruis ſemper movetur rationibus, & nonnunquam adeo congruitatem temporis inſpicit, ut extra tale tempus feſtum celebrari non ſinat, ut infra dicemus agentes de feſto Dolorum. Lancea, & clavi ad feriam ſextam, in qua Chriſti Corpus vulneraverunt, quamdam attinentiam habent, & ſervant relationem ad Dominicam Paſſionem, quæ in feria ſexta legitur habita, & hac de cauſa præfatum feſtum *feria ſextæ* addictum fuit; nulli autem determinate, ſed primæ non impeditæ intra Paſchale tempus, ne idem feſtum, quod ad omnes ferias ſextas dicti temporis æquam congruitatem

habet,

habet, occurrenti feſto alteri tranſlationis incommodum ſine cauſa deferret.

VII. *Intra tempus paſchale*. Nonnemini feſtum Lanceæ, quod doloroſam nobis ingerit Dominicæ Paſſionis recordationem, inepte paſchali tempori addictum videbitur, at licet Lancea Paſſionis præfatæ inſtrumentum fuerit, feſtum de ea eſt inſtitutum, quatenus inſtrumento, quo Chriſtus triumphavit in gloria juxta illud Lucæ 24. 26. *Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?* Quapropter bene eo tempore indictum eſt celebrari, quo Chriſti triumphum Eccleſia recolit, & adeo ut extra tale tempus nec deceat, nec poſſit protrahi, ut nobis apte indicat Sanctio per dictionem *Tantum*, quam ſubdit, quando etiam ipſum materiale officium ejuſdem feſti tempori paſchali valde adaptatum non foret, & non contineret plurima, quæ extra tale tempus concinne non recitata venirent, unde Guyetus *lib. 1. cap. 12. quæſt.* 8. nos monitos facit, quod quodlibet officium non eſt aptum natum, ut quocumque die, vel tempore ponatur.

VIII. Equidem Paſchale tempus uſque ad Feſtum SS. Trinitatis protrahitur, non ſic tamen utile poſitionis ſpatium feſti Lanceæ, ſed in feria VI. ante Aſcenſionis feſtum expirare arbitramur, tres ſiquidem ſequentes feriæ VI. per officium Aſcenſionis, & Pentecoſtes ſunt occupatæ, adeoque haud aptæ ſuſcipere feſtum illud, quod poni debet in die non impedita per occurrens feſtum, cujus nomine non incongrue venit etiam dies infra octavam.

IX. An feſtum Lanceæ poni impediatur per feſtum, ſi quod eſt tranſlatum, deſcendimus inquirere, & negative reponimus. Tum quia Decretum habet *ſi ob occurrentiam alicujus feſti &c.* & feſtum tranſlatum non eſt preſſe occurrens in die, in quam transferri deberet. Tum quia Feſtum Lanceæ cenſetur occurrens in prima feria VI., *feſto occurrenti* non impedita, adeoque ipſum eam feriam reddit impeditam, & ſic ineptam ſuſcipere feſta tranſlata, quæ in primam diem non impeditam a Rubricis rejiciuntur. Tum denique, quia feſta tranſlata hinc nullum perſentiunt incommodum, uti eveniret feſto occurrenti, amoto ſcilicet e proprio die, ſed in qualibet æque die reponuntur.

X. Commoda ad rem eſt admodum fortaſſe Rubrica de officio Coronæ Spineæ, quam tenet Breviarium Carmelitarum: *Prima feria ſexta poſt octavam Paſchæ non impedita feſto occurrente, fit officium de Corona Spinea Domini Noſtri Jeſu Chriſti. Quod ſi uſque ad Aſcenſionem Domini omnes feriæ ſextæ ſint hujuſmodi feſto impeditæ, fiat officium de Corona Domini feria ſexta intra illud tempus impedita feſto inferioris ritus, hoc tranſlato in aliam diem*. Quam Rubricam ſi feſto Lanceæ accomodaveris, facile habebis, quomodo in ejuſdem celebratione pro omni eventu te gerere queas. In caſu autem plurium feriarum per feſtum ejuſdem ritus impeditarum, transferes illud, quod in priori, a qua incipit urgere dicti feſti poſitio, occurrit nullo habito reſpectu ad minorem dignitatem accidentalem repertam in conſequenti alia feria VI., Decretum ſiquidem ſolum ritum nominat, & accidentalis dignitas non attenditur, niſi in caſu ſimultaneæ occurrentiæ. Quod ſi omnes feriæ VI. per feſtum altioris ritus occupatæ forent, quod ceteroquin admodum eſt evenire difficile, haud abnuimus in ceteras paſchales ferias poſſe rejici, a feſto Dolorum edocti quod etſi feriæ VI. eadem de cauſa ſit addictum, nil vetat rejici in ſequens Sabbatum Paſſionis, & non ultra. Quod intellige, dummodo dictæ feriæ non ſint impeditæ, licet Dolorum feſtum immutationis privilegio in dicto Sabbato donatum fuerit, quod ad feſtum Lanceæ extendi non valet, quamvis alias omitti deberet. Non refragaremur tamen admodum illi, qui ut ejuſdem feſti repoſitioni conſuleret, utile ſuæ repoſitionis ſpatium uſque ad vigiliam Pentecoſtes habere cenſeret, durat quippe adhuc paſchale tempus, cum quo congruitatem habere dicebamus.

XI. Univerſalis hinc id habes commodi, quomodo te queas in ſimilibus conceſſionibus gerere; nec per hoc, quod feſtum aliquod ſit addictum feriæ puta ſextæ, ſi impediatur, in aliam feriam ſextam erit transferendum, ſed magis in primam diem non impeditam; quod enim hoc eveniat in feſto Lanceæ, non eſt ratione addictionis ejuſdem ad feriam VI., ſed quia nullæ feriæ VI. determinate eſt affixum, ſed vage pro prima non impedita conceſſum.

DECRETUM XII. CAPITIS, IN ORDINE CCVIII.

Si Feſtum Dolorum B. M. V. occurrat in aliud feſtum altioris ritus, transfertur in Sabbatum ſequens; ſi vero concurrat cum feſto Annunciationis ejuſdem B. M. V., Veſperæ dicuntur de Annunciatione ſine commemoratione de ſeptem Doloribus. S. R. C. 3. *Sept.* 1672. ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 97.

I. T*Um ipſius animam pertranſibit gladius*, profetizans dixit Simeon de Maria, cum Filium ſuum ignominiis affectum, in Cruce morientem vidiſſet. De dubitationis gladio, quo ejuſdem mens circa divinitatem Filii percuſſa fuiſſet, exponunt Origenes, & Auctor 127. quæſt., quos tamen acriter reprehendunt Sancti Patres, qui *gladii* nomine communiter intelligunt immenſum dolorem aſtantis Matris ad crucifixionem Filii, unde Auguſtinus epiſt. 149. alias 59. §. 33. *Tribulationem igitur gladii nomine ſignificatam eſſe credibile eſt, quo materna anima vulnerata eſt doloris affectu*.

II Quod Maria ſpaſmum paſſa fuerit, affirmant nonnulli, & idipſum indicare videntur Eccleſiæ plurimæ ſub titulo *S. Mariæ de ſpaſmo* dicatæ. Cajetanus tamen *tract. 13. de ſpaſmo B. V. M.*, cui univerſalius ſubſcribunt ceteri, duplicem diſtinguit ſpaſmi ſpeciem, unam, in qua turbatur ratio, alteram, in qua ſervato rationis uſu partes corporis adeo debilitantur, ut homo amplius ſtare non poſſit; & utrumque ablegat a Deipara tum ob dignitatem ejuſdem Corporis, & Animæ, & gratiæ perfectionem, tum ob Evangelium, quod nobis illam deſignat *ſtantem* ad Chriſti crucem.

III. Verum etſi ſpaſmum paſſa non ſit, acerbos tamen dolores tulit, latiori vocabulo ob eorumdem gravitatem *ſpaſmi* nomine indicatos, in quorum memoriam Eccleſia inſtituit feſtum, quod appellatum reperitur *Beata Maria de Pietate*, vel *de compaſſione*, aut *de ſpaſmo*, & nunc communiter dicitur *Dolorum ejuſdem*. Hoc feſtum primitus dicitur indictum a Concilio Conſtantienſi anno 1413. ac inſtitutum contra Huſſitas, qui imagines condemnabant Virginis, Filium mortuum inter brachia geſtantis: *Ad gloriam ſanctæ, & intemeratæ Virginis ... necnon ad honorem illius anguſtiæ, & doloris, dum Redemptor noſter in ara Crucis immolatus, Matrem Diſcipulo commendavit, præſertim ut adverſus Huſſitas ... ut feſtum commemorationis præfatæ anguſtiæ, & doloris Beatæ Mariæ deinceps ſingulis annis feria ſexta poſt Dominicam Jubilate, niſi aliquod feſtum eodem die intervenerit: & ex tunc prima feria ſexta proxima ſubſequenti in primis Veſperis, Matutinis, aliiſque horis, necnon in ſecundis Veſperis in Choro tantum, in omnibus Eccleſiis Provinciæ noſtræ ſubjectis, ſecundum notas, & hiſtorias, & homiliam de eodem feſto compoſitas ſolemniter celebretur*. Dominica *Jubilate* eſt Dominica tertia poſt Paſcha, ab introitu Miſſæ, qui incipit *Jubilate*, ſic dicta, inſtar Dominicæ 3. Adventus, & 4. Quadrageſimæ, ac ſubſequentis Sabbati, quæ eadem de cauſa *Gaudete*, *Lætare*, & *Sitientes* dicuntur, quare pro feria VI. ad dictam Dominicam ſequenti non impedita præfatum feſtum erat indictum, & ea impedita, pro ſubſequenti alia, quaſi inſtar feſti Lanceæ, de quo ſuperius egimus.

IV. Poſtmodum vero ad alias ſenſim tranſiit Eccleſias, Provincias, Dominia, & loca; non quidem pro feria VI. præfata, ſed pro feria VI. poſt Dominicam Paſſionis. Uti Filii, ſic Matris paſſio quidem contigit in feria VI. Paraceves, at quia in hac feria in recolenda Chriſti Paſſione tota eſt occupata Eccleſia, in præcedenti feria VI. Dolores Virginis anticipavit, indixitque in feria VI., quia in feria VI. evenere, & intra Paſſionis tempus, ut eo tempore, quo Paſſionem Filii Eccleſia incipit colere, non præteriret Dolores Matris, quos paſſa fuit videns dolores Filii. At ſi ita eſt, cur in eadem feria a Concilio Conſtantienſi feſtum non fuit indictum? Quia Eccleſiæ diſciplina intra Quadrageſimale tempus nulla Sanctorum feſta admittebat; Quadrageſimæ autem illud præmittere, tempus viſum eſt incongruum attento ordine Paſſionis Chriſti, quæ nondum inchoata cenſetur. At nonne incongruentius Paſchale tempus, quod lætitiæ eſt, & gloriæ Chriſti? Ita quidem eſt, ſi attendatur, quatenus doloroſam præciſe nobis ingerit recordationem Paſſionis Chriſti, ſed non quatenus cauſa fuit gloriæ, & triumphi Chriſti, qua ſub ratione recolebatur, inſtar eorum, quæ in præcedenti Decreto dicebamus de feſto Lanceæ, & Coronæ ſpineæ, quod eadem de cauſa bene Paſchali tempore fuit indictum. Quod ſi quæras, cur Dolorum feſtum uſque ad feriam VI. poſt Dominicam tertiam fuit protractum, & non magis ſtatim poſt octavam Paſchæ, inſtar feſtorum Lanceæ, & Coroneæ ſpineæ? Rationem nobis ſuggerit Evangelium ejuſdem Dominicæ, quod meminit mulieris, quæ, cum parit, triſtitiam habet, cum autem peperit, jam non meminit preſſuræ propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum; hoc autem allegorice intellectum fuit de Maria, quæ maximam quidem triſtitiam habuit ſtans ad Crucem Filii, ſed dolores ejus poſtea in gaudium converſi fuerunt propter Filii reſurrectionem, & operatam Mundi redemptionem; in ſequentem autem feriam VI., ut dicebamus, fuit feſtum protractum, ut Dominicali parceretur officio, cui olim major honor deferebatur, & ut dolores Virginis recolerentur in feria VI., in qua Deipara fuit eoſdem paſſa.

V. De Mariæ Doloribus, quatenus celebrari indictis in feria VI. poſt Dominicam Paſſionis, non quidem in univerſali Eccleſia, ad quam anno 1727. dumtaxat extenſi fuerunt, ſed in particularibus Regnis, Ditionibus, & locis, præſens procedit Decretum, quod de iiſdem ſtatuit, *in ſequens Sabbatum* eſſe transferendos, quando in propria feria per feſtum altioris ritus impediuntur. Quod ut alias deciſis conſonet, cum hiſce limitationibus eſt accipiendum. Prima eſt, quod id univerſim ſit verum relate ad loca quæcumque, quibus aut per terminos præceptivos, aut ad inſtantiam Principum idem feſtum fuit conceſſum ſecus vero quibus conceſſum extitit per terminos facultativos, & ad eorumdem locorum inſtantiam, & ſic concordia ponitur cum Decreto 10. præcedentis Capitis, & 4. & 5. infra exponendis, quæ omiſſionem ejuſdem demandant. Secunda eſt, quod transferri dumtaxat poſſit, & debeat in ſequens Sabbatum non impeditum, & non ulterius, ut ſequens declarat Decretum.

VI. Edocemur autem ulterius, quod in concurſu feſti Dolorum cum Annunciatione, *huic debentur Veſperæ*, & ita reapſe altior expoſcit ritus, & quod in hoc caſu *facienda non eſt commemoratio de feſto Dolorum*, & hoc innititur generali illi regulæ, quod de eodem in eadem parte officii fieri ſimul non poteſt officium, & commemoratio, qua de re late agimus in capitibus de commemorationibus.

DECRETUM XIII. CAPITIS, IN ORDINE CCIX.

Si Feſtum de ſeptem Doloribus B. M. V., quod multis in locis celebratur feria ſexta poſt Dominicam Paſſionis, impediatur ab officio altioris ritus, vel majoris dignitatis, transferatur in Sabbatum ſequens non impeditum, & non ulterius. S. R. C. 26. Februarii 1693. ex Merato ſect. 6. cap. 12. n. 4.

I. EX Data Decreti, & verbis illis, *Quod multis in locis celebratur*, patet ubertim, hic ſermonem non eſſe de feſto Dolorum, quatenus officio Eccleſiæ univerſalis, ſed particularium locorum. Quatenus vero eidem in caſu impedimenti beneficium translationis exportigit, præcedenti conformatur Decreto, in cujus expoſitione jam limitationes dedimus, quæ itidem præſenti Decreto adhiberi debent, ut cum aliis, quæ omiſſionem præſcribunt, conformitatem itidem teneat. Exponit vero præcedens Decretum in eo, quod dicit *in Sabbatum ſequens non impeditum*, & Rubricis conſonat, quæ feſta translata ad primam diem non impeditam ſemper amandant. Quibus haud contrariatur accidentaria immutatio, quæ in ſequenti Sabbato Dolorum feſtum, poſtquam reditum fuit officium Eccleſiæ univerſalis, donatum fuit ex particulari privilegio, quod in Decreto ultimo capitis explanabimus.

II. Dictio *& non ulterius* deſignat nobis ejuſdem feſti intransferibilitatem ad Paſchale tempus, de qua agere in laudato Decreto reſervamus.

DECRETUM XIV. CAP., IN ORDINE CCX.

Quando officium de ſeptem Doloribus B. M. V. in feria VI. poſt Dominicam Paſſionis occurrit cum alio officio majoris ritus, tunc eo anno debet omitti, niſi tamen alibi S. R. C. aliter in conceſſione indulſerit. Ita S. R. C. 20. Martii 1683. *in una Ord. Minor. Obſerv.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 140.

I. AMabo ægre ne feras, ſi ad ſequentis, cui præſens conſonat, Decreti expoſitionem rejiceris; nonniſi enim inutili rerum repetitionem te laceſſerem, ſi hic ulterius te morari auderem.

DECRETUM XV. CAPITIS, IN ORDINE CCXI.

Si in Feria VI. poſt Dominicam Paſſionis, in qua celebratur ſub ritu duplici majori officium ſeptem Dolorum B. M. V., occurrat feſtum primæ, vel ſecundæ claſſis, dictum officium non eſt transferendum, ſed omittendum. S. R. C. 19. Junii 1700. *in Curien.* ex Merato in Indice Decr. Brev. numer. 219.

I. MEratus *ſect. 6. cap. 2. num. 4.*, ut hoc, & præcedens Decreta conciliet cum aliis duobus præcedentibus, quæ feſto Dolorum in ſequenti Sabbato, & non ulterius concedunt repoſitionem, eadem de totali omiſſione autumat non eſſe accipienda, ſed cum clauſula *ſi ſequens Sabbatum ſit impeditum*. Bene quidem, ſed non adhuc ſatis, niſi inſuper addas, in iiſdem ſermonem eſſe de feſto Dolorum, ubi in præcepto eſt poſitum, aut ad inſtantiam Principum conceſſum, non autem ſi ad inſtantiam particularium locorum, cujus rationis officia translatione non gaudent, neque in ſequenti Sabbato ſeu die juxta Decretum decimum Capitis.

DECRETUM XVI. CAPITIS, IN ORDINE CCXII.

Benedictus Papa XIII. benigne indulſit, ut officium B. M. V. ſeptem Dolorum pluribus Regnis, Dominiis, Civitatibus, ac Diœceſibus jam conceſſum, in poſterum feria VI. poſt Dominicam Paſſionis ab omnibus Chriſtifidelibus Sæcularibus, & Regularibus utriuſque ſexus, qui ad horas canonicas tenentur, ſub ritu duplici majori recitari, & Miſſa reſpective celebrari poſſit, & debeat, ſervatis in reliquis Rubricis Miſſalis, & Breviarii Romani, ac ita in Breviario, & Miſſali Romano apponi mandavit præfatus Pontifex die 22. Auguſti 1727. *in Decreto urbis, & orbis*, ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 269.

I. DEcretum adeo ex ſola lectione innoteſcit, ut nos ab expoſitione cohibeat, nonniſi quippe ad Eccleſiam univerſalem extendit Dolorum feſtum, quod jam pluribus locis erat conceſſum, quare cum Decreta cuncta, quorum expoſitioni hucuſque incubuimus, ſint præſenti antiquiora, ſatis indubium redditur eamdem de Dolorum feſto, quatenus officio particularium locorum, non Eccleſiæ univerſalis, diſpoſitionem facere.

II. Habet Sequentiam quamdam, incipit *Stabat Mater doloroſa*, quæ deſervit pro hymnis, & in hanc plus æquo, invehitur Thiers *tract. de ſuperſtitionibus tom. 2. cap. 8.*, quod in ea ad Crucem ſtantem Mariam lacrymaſſe aſſeratur, *Juxta Crucem lacrymoſa*, quaſi lacrymæ ejuſdem conſtantiæ, & fortitudini non parum obſint. Verum quoniam ullo abſque Mariæ præjudicio in ea lacrymas admittunt plurimi ex Sanctis Patribus, quorum auctoritates congerunt Novatus *to. 1. de eminentia Deiparæ cap. 18. qu. 4.*, Salmeronius *lib. 10. cap. 41.*, & noviſſime Benedictus XIV. *in annot. ad feſta to. 1. par. 2. n. 12.*, ideo nec nos in Maria tunc temporis lacrymas admittere formidamus, quæ non ſemper fortitudini animæ, ac conſtantiæ contrariæ ſunt, ut abunde nos edocet exemplum Chriſti, qui ſuper Jeruſalem, & ſuper Lazarum fleviſſe legitur *Luca* 19. 41., & *Joann.* 11. 35.

III. Evenit nonnumquam ob concurrentiam cum feſto altioris ritus, primam partem ejuſdem Sequentiæ in primis Veſperis impediri, tu vero eam jungito parti, quæ ad Matutinum dicitur, exemplo ducto ab eo, quod præſcriptum eſt fieri in hymnis SS. Martinæ, & Venantii, aut partem Veſperarum lege ad Matutinum, partem Matutini ſubſtitue ad laudes, & harum partem ad ſecundas Veſperas, quando his feſtum non caret, quemadmodum quaſi ſimilem ſubrogationem hymnorum mandavit S. R. C. 5. Maji 1736. pro feſto S. Hermenegildi. Quis autem ejuſdam ſequentiæ auctor fuerit, Craſſet Sancto Bonaventuræ illam tribuit. Communiter tamen adſcribitur Innocentio Papæ III. magnæ doctrinæ viro, qua de re videri poſſunt Ludovicus Jacob *in Bibl. Pont.*, Oldoinus *in Ciacon.*, Pagius *to. 3. in vita ejuſd.* n. 158., & Serry *exercit.* 54.

DECRETUM XVII. CAPITIS IN ORDINE CCXIII.

Cum officium B. M. V. ſeptem Dolorum Eccleſiæ univerſali jam pro feria VI. poſt Dominicam Paſſionis aſſignatum, multoties in dicta feria VI. ob occurrentiam officii ſecundæ claſſis recitari minime valeat, propterea SS. D. N. Benedictus Papa XIII. ob ſpecialem devotionem erga B. M. V. ſeptem Dolorum, idem officium die Sabbati immediate ſequenti, non obſtante quod dicta die occurrat aliud officium alterius Sancti, dummodo non ſit altioris ritus, ab Eccleſia univerſali in poſterum celebrari, & feſtum Sancti occurrentis juxta Rubricas generales transferri mandavit die 25. Jan. 1729. *in Decreto Urbis, & Orbis*, ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 272.

I. VIX Dolorum feſtum ad univerſalem Eccleſiam fuerat protenſum, quod anno inſequenti 1728. per feſtum S. Joſeph in propria feria impediebatur, nec in ſequenti Sabbato reponi poterat, utpote tunc temporis impedito per occurrens feſtum S. Joachim; hinc cum ad lætitiam paſchalem transferri minime congrueret, nec liceret, ejuſdem celebrationi per translationem S. Joachim conſulendum eſſe cenſuit Benedictus XIII. in notificatione quadam Romæ publica facta, incipit italice *Occorrendo nella feria ſeſta*, latine a Pittono *de ſacr. ritib. n. 1474.* his verbis expreſſa: *Cum in feria ſexta præſentis hebdomadæ Paſſionis occurrat Feſtum 2. claſſis Patriarchæ S. Joſephi, & ideo non poſſit in illa juxta ſolitum recitari officium de ſeptem Doloribus Beatiſſimæ Virginis, SS. D. N. Benedictus Papa XIII., cui valde eſt cordi cultus, ac devotio erga eamdem Virginem, præcipit, ut non aliter omittatur celebratio dicti officii de ſeptem Doloribus; ſed transferatur tam a Clero Sæculari, quam Regulari ad ſequentem diem Sabbati, in qua occurrit feſtum S. Joachim, & hujus officium remitti inde debeat poſt octavam Paſchatis juxta debitum translationum ordinem a Rubricis præſcriptum*. Ita 13. Martii 1728.

II. Proviſionali huic diſpoſitioni generalem aliam, quæ totam premeret Eccleſiam, adjiciendam eſſe credidit, & licet reſpiciens ad Kalendarium Romanum, in quo duntaxat ob occurrentiam feſti 2. claſſis impedimentum evenire poteſt, exemplum ponat in caſu occurrentis feſti 2. claſſis, tu idem judicium facito, a quocumque Dolorum feſtum e ſua feria abigatur, hocque in ſequenti Sabbato reponi, juxta Rubricas translato feſto, ſi quod in eo occurrit: *dummodo* tamen *hoc non ſit altioris ritus*, bene ſubdit Decretum, quoniam in eodem Sabbato accidentariam quidem ſubit immutationem, occurrens cenſetur, ſed cum plus juris in dicto aſſequi nequeat Sabbato, quam in propria habeat feria, ſi ab hac expellitur per feſtum altioris ritus, utique & ab eodem Sabbato.

III. Sed quid faciendum erit, quoties & in ſequenti Sabbato utile ſuæ non reperit repoſitionis ſpatium? Omittendum; ad Paſchale enim tempus transferri non poteſt, quare adducta Notificatio in rationem conceſſæ immutationis adducit: *Ut non aliter omittatur celebratio dicti officii de ſeptem Doloribus*: ſi enim ad Paſchale tempus transferri poſſet, quomodo unquam, conſequeretur ejuſdem feſti omiſſio, tametſi in ſequenti Sabbato immutatione accidentaria donatum minime fuiſſet? Quam intransferibilitatem ad Paſchale tempus jam etiam eidem fecerat Decretum 23. hujus Capitis per ea verba; *Transferatur in Sabbatum ſequens, & non ulterius*; & ubertim oſtendit incongruitatis ratio, quam ad idem habet tempus; non enim tale feſtum inſtitutum fuit in memoriam Dolorum, quos Virgo paſſa eſt videns dolores Filii, quatenus hinc derivavit triumphus Chriſti, quo pacto inſtitui non potuiſſet paſſionis tempore, & nil impedit celebrari in Paſchali, quinimmo olim excultum fuit, ut ſupra ponderavimus, & adhuc ab Indultariis celebratur in feriis ſextis non impeditis, ſed in eo repræſentatur nobis Deipara una cum Filio actualiter patiens ſine præfato reſpectu, quare hujuſmodi doloroſa recordatio minus convenit haberi Paſchali tempore, quod ſummi gaudii eſt, & lætitiæ ob Chriſti reſurrectionem, & operatam mundi redemptionem, & in quo Chriſtus ab Eccleſia recolitur ut triumphans, & impaſſibilis, & præſertim cum hæc eodem tempore non evenerint, ut dicebamus exponentes Decretum 1. Cap. 12., ad quod Lectorem remittimus, ut diſcat, cur non obſtante incongruitate, quam feſtum SS. Nominis Jeſu habet ad Quadrageſimale tempus, adhuc in hoc celebrari valeat, magis quam omitti debeat, ſecus vero Dolorum feſtum in Paſchali tempore.

Digitized by Google

IV. Dices: Feſtum Dolorum a præcedenti Decreto conceſſum legitur *ſervatis in reliquis Rubricis Miſſalis, & Breviarii Romani*; hinc cum hæ ferant, feſta, quæ transferri contingunt, in primam diem non impeditam indiſtinctim eſſe rejicienda, quomodo ad Paſchale tempus transferri non poterit? Aut quomodo in ſequens Sabbatum licet impeditum transferri unquam valebit? Et præſertim quia huic translationi reluctatur Decretum 23. Cap., quod addit *in ſequens Sabbatum non impeditum*.

V. Ad 1. reſpondet Meratus *ſect. 6. cap. 12. n. 4.*, verba illa *ſervatis Rubricis &c.* verificari, quatenus ſi ſimul occurrat feſtum aliud, hoc transfertur, ſi ritus inferioris ſit, vel celebratur, ſi ſuperioris, uti etiam in concurrentia feſti Dolorum cum quocumque alio officio, non autem quoad translationem feſti Dolorum ultra ſequens Sabbatum, & per hanc limitatam translationem ſtare poſſe autumat opinionem Paſqualigi *de ſacrif. novæ leg. to. 1. q. 279. n. 2.*, ubi aſſerit verba illa *Juxta Rubricas* in conceſſionibus reperta, importare facultatem transferendi. Verum etſi ſolutio iſta in ſua aſſertione a veritate non declinet, non tamen plene ſatisfacit, cum limitata transferibilitas non ſit Rubricis conformis, ſed illimitata, ad primam nempe diem non impeditam, quæcumque ea ſit. Nos itaque dignam, quæ ponderetur, arbitramur dictionem illam *in reliquis*, quam Indultum feſti Dolorum apponit, dum ſervandas Rubricas indicit: *Servatis in reliquis Rubricis*. Dictio hæc, nos edocet Menoch. *conſ.* 1020. *n.* 39., ſervandas deſignat Rubricas in omnibus, *aliquibus tamen exceptis*. Sed quæ erunt excepta, cum Indultum nullam teneat exceptionem; Audi. Indultum non eſt niſi extenſivum feſti Dolorum, quod jam pluribus locis erat conceſſum, quodque declaratum jam erat in ſolum ſequens Sabbatum transferri poſſe, *& non ulterius*, & en exceptionem, quam implicite includit Indultum, & cujus vi ea verba inſerta fuere *ſervatis in reliquis Rubricis*, & juxta ſolitum pronuntiatum non fuit, *ſervatis Rubricis*, vel *juxta Rubricas*; Indultum enim, quod eſt mere extenſivum, quid novi non facit, ſed ſolum antiquum jam aliis conceſſum, & prout conceſſum, aliis communicat, & participationem facit.

VI. Ad 2. ultro fatemur repoſitioni feſti Dolorum in ſequenti Sabbato, licet impedito, refragari Rubricas, memoratum Decretum 23., & inſuper Indultum ipſum ejuſdem feſti, & opus fuiſſe ad effectum fieri ſpeciale privilegium, uti reipſa factum noſcitur per præſens Decretum, quod feſto Dolorum Benedictus XIII. conceſſum voluit *ob ſpecialem ejuſdem devotionem erga B. Mariam ſeptem Dolorum*, ut Indultum aſſerit, vel *ne aliter omittatur celebratio dicti officii*, quod ad tempus Paſchale translatione non gaudet, quemadmodum cantat laudata Notificatio.

VII. Privilegium ſane ſpeciale, & præcipuum, quod in caſu in ſequenti Sabbato occurrens reddit Dolorum feſtum, & in eo inſpiciendum eſt, ac ſi foret in propria feria VI., quare quibuſcumque translatis majoris ritus præferendum, quinimmo dictum Sabbatum, ſi alicubi accideret haberi feſtum aliquod altioris ritus perpetuo translatum, ab ejuſdem immutatione ſervandum eſt immune, & vacuum relinquendum, ne in caſu translationis feſti Dolorum, hujus repoſitioni obſiſtat, ut in ſimilibus dicebamus, agentes de Feſto SS. Nominis Jeſu.

VIII. Officia particularia in paritate ritus, & dignitatis univerſalibus præponenda eſſe in occurrentia, alibi ſtatutum manet; huic tamen generali regulæ exceptionem haud refragamur fieri poſſe in favorem feſti Dolorum, cujus repoſitioni, & celebrationi ſi Decretum conſulit per amotionem occurrentis uſque feſti; multo magis per non conſiderationem majoris celebritatis illius, quam in loco particulari habet feſtum, quæque vix in defectu cujuſcumque alterius diſparitatis attenditur. Dies octava, licet duplex minus ſit, ratione ſuæ intransferibilitatis donatur præferentiæ privilegio ſuper feſtum duplex majus, tamen & huic regulæ exceptionem facito in favorem feſti Dolorum, aliorumque ſimiliter intransferibilium; Dolorum enim feſtum in utroque caſu alias omitteretur penitus, ubi in priori feſtum, quod amovetur, integre reſumeretur, & in poſteriori dies octava cum commemoratione ſaltem expleretur. Et ſane quoad diem octavam ceſſat ratio facti privilegii, quia inde conſequeretur omiſſio totalis alterius officii altioris ritus. Quoniam vero Rubricarum, & Decretorum diſpoſitionibus quammaxime ſtandum eſt, hæc ita dicta ſunto, ut ſi præfatum feſtum particulare, aut dies octava occurrens in feria VI., celebrentur, translato Dolorum feſto in ſequens Sabbatum licet impeditum, dummodo non per feſtum altioris ritus; Si autem in hoc ob occurrentiam feſti majoris ritus feſtum Dolorum celebrari nequeat, transferatur feſtum particulare, & dies octava cum ſola commemoratione expleatur; quod itidem præſtandum erit, quoties ob occurrentiam feſti altioris ritus in feria VI., præfatum Dolorum feſtum in ſequenti Sabbato immutatur, & occurrens cenſetur, ſi in hoc occurrat dictum feſtum particulare, aut apud particulares Indultarios dies octava. Caſus facile evenire poteſt Genuæ, ubi die 18. Martii occurrit feſtum particulare duplex majus B. Mariæ de Miſericordia, aut apud Benedictinos, qui ex particulari indulto etiam intra Quadrageſimam octavæ S. Benedicti incumbunt. Deciſio hujuſmodi valde conſonat cum ſententia Secretarii Congregationis rituum, quam in Decreto 18. hujuſce capitis ſuperius retulimus; ſi enim ipſe non obſtantibus Rubricis exiſtimavit officium faciendum eſſe de feſto SS. Redemptoris duplici dumtaxat ordinario cum commemoratione diei octavæ Dedicationis; & hoc ob ſolam uniformitatem cum reliquo Clero in officio ob publicam cauſam indicto, quid nos prohibet dicere, idipſum fieri poſſe in favorem officii ſeptem Dolorum duplicis majoris, quod licet de præcepto ſit, deberet alias prorſus omitti.

AD CAPUT XXV.

De Feſtis aſſixis Diebus mobilibus.

APPENDIX.

DECRETUM PRIMUM. Cap. in Ord. 443.

Officium Patrocinii B. M. V. in Dominica Novembris ab Ordinario loci aſſignandum, ſi per totum menſem a duplicibus primæ claſſis cum octavis Dominicæ ſint impeditæ, prædictum officium in hoc caſu non eſt recitandum in die alicujus octavæ, ſed transferendum ſervatis Rubricis Breviarii Romani de Transl. feſt. S. R. C. 1. Octobris 1740. *in Nolana.*

CUM officium Patrocinii B. M. V. dumtaxat gaudeat ritu duplici majori, lex Rubricarum eſt, quod debeat cedere feſtis altioris ritus; immo & diebus octavis licet hæc ſub ritu duplici minori celebrentur; & hæc eſt cauſa, ob quam in caſu transferendum indicitur ſervatis Rubricis, in primam nempe diem non impeditam, & non in diem aliquam Dominicam alterius menſis. Hic autem ſermo eſt de Patrocinio conceſſo Hiſpaniarum Regnis, ut liquet ex Decreti data, quæ eſt *in Nolana*, quæ eſt Urbs Regni Neapolitani, quod licet modo proprio Regi pareat, adhuc in uſum habet officiis incumbere conceſſis ſtatibus Regis Catholici, cui olim ſubjectum erat. Secus autem foret de officio Patrocinii, quod aliquibus locis, vel Civitatibus conceſſum foret, quia tunc utpote affixum diei Dominicæ, omittendum eſſet, non transferendum.

DECRETUM SECUNDUM. Cap. in Ord. 444.

Quando Dominica tertia poſt Paſcha, cui eſt affixum feſtum Patrocinii S. Joſeph ſecundæ claſſis, occurrit feſtum altioris ritus, vel majoris dignitatis, ut feſtum Inventionis SS. Crucis, transferendum eſt officium de S. Joſeph in primam diem non impeditam, quæ tamen non ſit Dominica. S. R. C. 22. Apr. 1741. *in Vilnen.*

HÆC præcedenti ſanctio eſt omnino conſimilis, & in ea non minus ſermo eſt de Patrocinio S. Joſeph ſtatibus conceſſo, non alicui particulari loco.

DECRETUM TERTIUM. Cap. in Ord. 445.

Faciendum eſt officium in Regno Poloniæ Dominica infra octavam Aſſumptionis de S. Hyacintho, quod eſt primæ claſſis, aſſignata firma die officio S. Joachim, cujus feſtum non ſit de præcepto, quia translato officio non transfertur feſtum, neque ejus feſtum poteſt celebrari ante Dominicam infra octavam Aſſumptionis. Sacra Rituum Congregat. 22. April. 1741. *in Vilnen.*

OFficium Sancti Joachimi, quod de die 20. Martii fixe conſignatum extitit Dominicæ poſt feſtum Aſſumptionis, perpetuo impeditum remanet per feſtum S. Hyacinthi duplex 1. claſſis eidem pariter Dominicæ affixum; hinc idem officium S. Joachimi juxta Rituum regulas transferri mandatur, & cum ſit perpetuo impeditum, in diem firmam immutari, ne perpetuæ obnoxium ſit peregrinationi; officia enim Eccleſiæ univerſalis, etſi affixa diebus mobilibus, transferri poſſe, quoties in propria die impediuntur, non eſt, qui modo in dubium revocet. Prædictum autem officium, quamvis ſtatæ diei affixum, non amplius de præcepto quoad forum ſervandum erit, quia ut rite Congregatio aſſerit, translato officio non transfertur feſtum. *Neque ejus feſtum poteſt celebrari ante Dominicam infra octavam Aſſumptionis*; & hinc duo infer, quorum primum eſt, quod licet in perpetuum ſit impeditum, non poteſt amplius reſtitui diei 20. Martii, alterum vero, quod dies, in qua immutari debet, debet eſſe poſterior ad diem octavam Aſſumptionis, in quam prædicta Dominica poteſt incidere.

DECRETUM QUARTUM. Cap. in Ord. 446.

Cum in Regno Poloniæ Dominica poſt octavam Aſſumptionis B. M. V. ſit aſſignata pridem a S. R. C. translationi S. Caſimiri, & eadem Dominica perpetuo occurrat octava S. Hyacinthi, aſſignata firma die feſto translationis S. Caſimiri, faciendum eſt officium de die octava S. Hyacinthi in Dominica poſt octavam Aſſumptionis. S. R. C. 22. Aprilis 1741. *in Vilnen.*

JAM vides, quod officium translationis Sancti Caſimiri, licet affixum diei Dominicæ, transferri mandatur, ſed non minus habes, quod hic diſpoſitio procedit de officio conceſſo Regno Poloniæ, non alicubi particulari loco.

DECRETUM QUINTUM. Cap. in Ord. 447.

Patrocinium S. Joſeph non poteſt transferri ad aliam diem, quando non habet locum in Dominica tertia poſt Paſcha ob occurrentiam Feſti altioris ritus, vel dignitatis, ſed pro eo anno omittatur. S. R. C. 11. Maii 1743. *in Senen. & antea 5. Maii 1736. in Einsdlen.*

SErmo inſtituitur de Patrocinio conceſſo pro particularibus locis, de quibus & procedit Decretum 5. Maii 1736. unde recoli poterunt, quæ in ejuſdem expoſitione diximus in tom. 1. cap. 25. Dec. 10.

DECRETUM SEXTUM. Cap. in Ord. 448.

Cum inter cetera officia Patronorum Regni Sveciæ a S. R. C. approbata, & ſub die 25. Maii 1616. extenſa ad Regnum Poloniæ, reperiatur feſtum Reliqoiarum in Eccleſia Riſpalenſi Dominica proxima poſt feſtum S. Mattæi celebrandum, & Diœceſes Regni Poloniæ varie celebrent illud, aliæ enim prædictum feſtum impeditum a feſto altioris, & æqualis ritus in Dominica præfata occurrente, illo anno omittunt juxta Decretum a S. R. C. emanatum ſub die 20. Martii 1653. Aliæ vero Diœceſes, non obſtante prædicto Decreto, transferunt illud in primam diem non impeditam, ſervando alia Decreta emanata ſub die 16. Septembris 1730. & ſub die 5. Maii 1736., & reſponſum fuit: officium Reliquiarum, quod celebratur prima Dominica poſt feſtum S. Matthæi, ſi talia Dominica fuerit officio altioris ritus impedita, poterit in aliam diem non impeditam transferri. S. R. C. 7. Maii 1746. *in Varſavien.*

ET Ecce quod ſimiliter Decretum præſens expreſſe declarat, officia Regnis ſtatibuſque conceſſa, translationi eſſe obnoxia tametſi diebus Dominicis maneant affixa; Quod & ſequens ſtatuit Decretum.

DECRETUM SEPTIMUM. Cap. in ord. 449.

Supplicarunt, quid faciendum in Diœceſibus Cracoviæ, & Poſnaniæ, in quibus jam a tribus annis nihil fit de feſto Reliquiarum, quæ reperiuntur in Eccleſia Ripſalenſi juxta alia iterum decreta ab eadem S. R. C. ſub die 3. Junii 1617. & 12. Maii 1615., & 5. Aprilis 1625., ideo ad uniformitatem Diœceſom ſupplicatur humillime declarari, an debeat prædictum officium recitari, etſi impeditum ſit a feſto altioris ritus occurrente in præfata Dominica, vel poſſitne transferri ad primam diem non impeditam non obſtante citato Decreto? & reſponſum fuit: officium Reliquiarum prædictarum, impedita Dominica a feſto altioris ritus, in diem aliam non inpeditam transferri. S. R. C. 7. Maii 1746. *in Varſavien.*

DECRETUM OCTAVUM. Cap. in Ord. 450.

Feſtum Patrocinii S. Joſeph occurrens in feſto altioris ritus transferri poteſt non obſtante Decreto 20. Martii 1683. Nam eadem. S. R. C. 26. Novembris 1735. hanc declarationem edidit: Cum in tota Hiſpania ſit conceſſum, ut in tertia Dominica poſt Paſcha celebretur feſtum Patrocinii S. Joſeph ſub ritu duplici, quæſitum fuit, ſi cadat in illa die feſtum majoris ritus, an feſtum Patrocinii S. Joſeph ſit transferendum ad aliam diem? Et reſponſum fuit, transferri poſſe. Hæc declaratio facta pro regnis, valet etiam pro aliis regnis, quibus idem officium conceſſum eſt. S. R. C. 21. Januarii 1749. *in una Ord. Excalc. S. Aug. Provinciæ Auſtriæ.*

AD rem, de qua agimus, validior declaratio prodire non poteſt, quam ea, quam præſens tenet Decretum, ſcilicet: *Hæc declaratio &c.*, ubi autem habet, *Quibus idem officium*, tu adde *vel ſimile*, quia ſimilium uti eadem eſt ratio, ita & juris diſpoſitio.

DECRETUM NONUM. CAP. in Ord. 451.

An feſtum titulare Archiconfraternitaris ſeptem Dolorum quod pro Regnis, & Provinciis hæredirariis Auguſtiſſimæ Domus Auſtriacæ ab utroque clero ſub ritu duplici celebrari debere indultum eſt tertia Dominica Septembris, cum in Religione S. Auguſtini idipſum ſæpe impediatur ab octava B. M. V., & S. Nicolai, ac feſto S. Thomæ de Villanova eadem Dominica celebrari, poſſit ſimiliter transferri; præcipue quod feſtum potius videatur repetitio alterius, quod feria ſexta poſt Dominicam Paſſionis in Quadrageſima celebratur, prout patet ex oratione, & lectionibus ſecundi nocturor, quæ ſunt eædem. Reſponſum fuit affirmative. Quia pro ſtatibus Auſtriacis tale officium eſt de præcepto, dicitur enim in Decreto conceſſionis die 28. Auguſti 1734. *Recitari debere*; officia autem de præcepto, licet ſint fixa certis diebus, ſi in iis impediantur, transferri poſſunt juxta Decretum S. R. C. 5. Maii 1736. *in Einſdlen.* S. R. C. 11. Januarii 1749. *in una Ordin. Excalc. S. Au. Provinciæ Auſtriæ.*

RAtio, quæ producitur in cauſam translationis ſcilicet quia tale officium eſt *de præcepto*, & conceſſum per verba *Recitari debere*, eſt quidem una, & ad rem potior, ſed non eſt adæquata, & ſola, ſed etiam adeſt altera, ſcilicet quia tale feſtum eſt ex officiis conceſſis pro Regnis, & non ad libitum, licet per verba *Recitari poſſe*, unde cum etiam rationem hanc ipſa Congregatio expreſſe approbat in præcedenti Decreto, dubium eſſe non poteſt, quod transferri valeret, licet per verba *Recitari poſſe* foret conceſſum. Videatur Decret. 2., & 3. cap. 23. tom. 1.

CAPUT XXVI.

De Occurrentia, ſeu Translatione Feſtorum.

I. HOra eſt, ſuſcipiamus diſtinctim agere de occurrentia, ſeu translatione feſtorum, de qua vix libri hujus Caput aliquod eſt reperire, quod ſermonem non habeat. Ex conflictu duorum officiorum in unam, eamdemque diem ſimul incidentium, occurrentia efficitur; Si vero ex dictis officiis neutrum per ſolam aptum natum ſit expleri commemorationem, exurgit translatio, media qua alterum ex iiſdem officiis dimittitur, donec die quamprimum libera reſumatur. Stat itaque occurrentia ſine translatione, quoties officiorum ſimul occurrentium alterum per ſolam commemorationem expleri valet, numquam vero translatio ſine occurrentia, quia feſtum nullum ad diem alteram amandatur, niſi quoties in propria per officium aliud ſimul occurrens impeditur. Translatio eſt motus aliquis, unde duos habeat terminos, neceſſe eſt, a quo ſcilicet, & in quem fit. Primus eſt dies, a quo feſtum removetur, ſecundus, in quem rejicitur. Qui duo dies ſi ſe ſe immediate conſequuntur, nullum erit medium, ſecus ſi aliorum interjectione ſeparentur. Terminus a quo non eſt idem pro omnibus feſtis; quæ enim digniora ſunt, difficilius ſuo loco moventur, quare qui dies rejiciunt ſuperiora feſta, utique & omnia inferiora, ſed non e contra. Modo translationem quoad ſolum terminum a quo, ſeu diem, a quo feſta abiguntur, conſiderare ſumimus, infra acturi de termino ad quem, ſive de die, in quo reponi debent feſta translata, & de ordine in eorumdem repoſitione ſervando.

II. Officii de Tempore nulla datur proprie translatio; quamvis enim pars aliqua officii dominicalis, aut ferialis, puta lectiones primi nocturni, hiſtoriæ, aut alia hujuſmodi, alio die interdum reſumantur, numquam tamen officium talis Dominicæ, aut feriæ alio die revera fit, ſed quoties impeditur, in officio currenti, ſi ſermo ſit de Dominicis, & feriis majoribus, per ſolam commemorationem, ac nonam lectionem homiliæ, ſi hanc habeat, expletur, penitus vero ommittitur, ſi de feriis per annum ſermo procedat. Dominicarum ſolum, quæ quandoque poſt Epiphaniam, vel Pentecoſtem ſuperſunt, officium ritu ſimplici altera die anticipatur; at hoc non fit per translationem, quæ fert, ut officium e propria die ab altero ſimul occurrenre expellatur, in aliaque eodem ritu, quo in propria celebraretur, reſumatur; officium autem dictarum Dominicarum in die, in quo anticipatur, proprium ſuum ritum non habet, ſed ſimplicem, nec eo die fit, quia e proprio ab alio officio ſimul occurrente amotum fuerit, ſed quia proprius dies in eo anno locum non habet, quem ſi haberet, in eo celebraretur, & impeditum, inſtar aliarum Dominicarum ſolam commemorationem, & nonam lectionem homiliæ aſſequeretur. Omitti itaque deberet inſtar feriarum majorum Adventus, quæ quandoque in breviori Adventu locum non habent, licet ob præcellentes diei Dominicæ prærogativas per privilegium anticipationis ſub ritu ſimplici ejuſdem repoſitioni conſultum ſit, quemadmodum in capite 14. dicebamus. Quæ autem feſta rejiciant, & quæ patiantur Dominicæ, ſive privilegiatæ, ſive non privilegiatæ hæ ſint, alibi non ſemel fuit ſermo inſtitutus.

III. Octavas translationem non pati, tametſi feſtum habens octavam, transferri contingat, & tunc feſtum celebrari dumtaxat cum reliquis diebus octavæ, qui ſuperſunt, & adhuc penitus ſine octava, ſi poſt totam octavam transferatur, jam diximus de octavis agentes, ubi quæ ad octavas attinent, pleniori ſermone itidem fuerunt diſcuſſa.

IV. Nonnulli uſum habent transferendi feſta ſimplicis; at extorris prorſus eſt a Romano, in quo ſtat lex inconcuſſa, numquam feſtum ſimplex a ſuo die transferri, ſed impeditum, per ſolam commemorationem expleri, vel omitti penitus, ſi ejuſdem commemorationem reſpuat feſtum ſimul occurrens. Conventuales Sancti Franciſci alteri diei conſignant ex ſimplicia, quæ ob perpetuam incidentiam in feſtum 1. claſſis, alias penitus ſupprimerentur; at hoc particulare eſt indultum, quod non ſuffragatur ceteris, qui propterea ſe eximere minime poſſunt ab expreſſa Romana Rubrica, nihil in præfato caſu de ſimplicibus faciendum eſſe demandante, ut noviſſime Decretum extirit a S. R. C. 7. Maii 1746.

V. Vigiliæ impropriam ſubeunt translationem per anticipationem, ſed cum de his in proprio capite ubertim actum fuerit, ſermonem convertimus ad feſta duplicia, & ſemiduplicia, quæ cum nata apta haud ſint cum ſola peragi commemoratione, ſed idonea æque uno die fieri, ac alio, ſi in proprio impediuntur, in alio reſumi poſſunt, & debent. Horum omnium, quæ ſunt de præcepto, olim translatio habebatur, etiam in ſequentem annum, ſi in præcedenti non reperiebant ſpatium, nunc ſolum eorum, quæ intra annum diem inveniunt liberam, alias in proprio die inſtar ſimplicium aguntur juxta fuſe tradita in cap. 6. Diximus *quæ ſunt de præcepto*, quia feſtis ad libitum jure novo translatio adhiberi non valet, uti nec quibuſdam feſtis, quæ diebus Dominicis, vel mobilibus manent

affixa; de his autem, aliiſque propria reſpectiva te docebunt capita, nunc enim duntaxat ſermo inſtituitur de feſtis duplicibus, aut ſemiduplicibus, quæ translationem apta ſunt ſuſcipere, ſimul occurrentibus, ut dignoſcatur, quodnam eorum retineri debeat, & quodnam dimitti.

DECRETUM I. CAPITIS, IN ORDINE CCXIV.

Occurrentibus eodem die tribus officiis ejuſdem ritus, quorum unum eſt de Ordine, aliud de Kalendario Eccleſiæ univerſalis, & aliud de aliquo Sancto, cujus habetur Reliquia inſignis in propria Eccleſia, faciendum eſt officium de digniori, ſeu ſolemniori, quæ vero ſunt minoris dignitatis, ſeu ſolemnitatis transferenda ſunt. S. R. C. 7. Decemb. 1680. *in una Canon. Regul. Lateran.* ex Merato in Indice Dec. Brev. num. 109.

I. VErba illa *ejuſdem ritus* præmittere nos faciunt indubitatam generalem regulam, nempe quod quoties occurrentia ſimul feſta ejuſdem ritus non ſunt, ſemper officium fit de majori, ideſt de duplici, & ſemiduplicia transferuntur; ſi vero cuncta duplicia ſunt, illud, quod ſuperioris claſſis eſt, officium aſſequitur, dimiſſo officio claſſis inferioris. Dubitarunt nonnulli de caſu, in quo officium ritus, ſeu claſſis inferioris, dignitate præſtat, aut ſolemnitate officium ritus ſuperioris, ad id ducti a Rubrica *de concurr. n.* 2., quæ officiis ſolemnioribus, & dignioribus primas tribuit. Verum irregulare nimis foret, ſi quod inferioris ordinis eſt, ob majorem ſolemnitatem, dignitatemve alteri ſuperioris ordinis præferendum eſſet; habet enim memorata Rubrica *Inter feſta æqualis ſolemnitatis*, ubi to *ſolemnitatis* ſecundum expoſitionem ipſius Congregationis 13. Junii 1682, & juxta a nobis alibi tradita, & tradenda ſtat *pro ritu*, quare certum redditur, quod nonniſi in paritate ritus major dignitas, vel ſolemnitas præferri facit. Hæc cum a Rubricis omnibus, Tabella occurrentiæ, & Congregationis Decretis extra dubium ſint poſita, properamus ad caſum trium officiorum ejuſdem ritus, quem nobis Sanctio exhibet. In Ordine puta Eremitarum S. Auguſtini die 20. Novembris occurrit feſtum duplex minus S. Gelaſii Papæ, quod officium Ordinis eſt, incidit & officium duplex minus S. Felicis de Valois, Eccleſiæ univerſalis demandatum, & ſi in Eccleſia aliqua ejuſdem Ordinis habeatur Reliquia inſignis Sancti alicujus, eadem die occurrentis, jam occurrit ſtatim caſus, de quo Congregatio fuit conſulta. Idipſum foret, ſi vice S. Gelaſii apud Diœceſim aliquam occurret officium aliud duplex minus ex Sanctis indigenis, de quo par dubitandi fieret ratio.

II. Fas nobis ſit nonnulla prænotare. Duplex diſtingui debet dignitas, una quaſi eſſentialis, vel inſignis, & quæ etiam in occurſu præferentiam tribuit, reperiturque duntaxat in feſtis a Rubrica *Inter feſta* recenſitis, ſcilicet Domini, Deiparæ, Angelorum, & Apoſtolorum. Quaſi accidentalis, ac exilis altera, qualis eſt, quæ eſt martyrem inter, & confeſſorem, ſeu virginem, quæque in concurrentiam potis non eſt præferentiam præſtare. De his dignitatibus in capite de concurrentia non ſemel ſermo redibit.

III. Duplex item ſecernitur ſolemnitas, nempe magna, quæ juxta eamdem Rubricam adhiberi ſolet *feſtis illorum Sanctorum, qui in propriis locis, vel Eccleſiis ſolemniter celebrantur*, ſcilicet cum ſumptuoſo apparatu, proceſſione, muſica, concurſu &c. Exigua vero altera, veluti quæ conſiſtit in aliquibus velis appenſis, modico populi concurſu, Altaris apparatu, publica officii præter ſolitum decantatione &c. Ad hanc reducitur ſolemnitas illa, ſeu celebritas, qua veluti connaturaliter, & ex ſe gaudent, ut dicemus inferius, Sancti indigenæ, aliique ſimiles, qui in locis, quæ ortu, vel occubitu, vel ſuarum advectione Reliquiarum, ſeu doctrina, ſignis, aut virtutum exemplis illuſtrarunt, ſpecialem quamdam habent attinentiam, ac veluti connaturalem ſibi vindicant ſolemnitatem, vel celebritatem, quam propterea ad diſtinctionem hic nos appellabimus *connaturalem ſolemnitatem, vel celebritatem*.

IV. Adſunt & feſta alicubi ſolemnia in Populo, & Clero, ut feſta ex voto, vel communi loci devotione. Huc item ſpectant feſta eorum Sanctorum, qui ob ſpeciale patrocinium, quod ſupra morbum aliquem gerunt, ſpecialem apud populum ſortiuntur celebritatem, cujuſmodi v. g. eſt S. Apollonia. Sunt quoque feſta aliqua ſolemnia apud clerum, & non apud Populum, ut ſi ex communi cleri conſenſu in Diœceſana ſynodo Sanctus aliquis in cleri Patronum aſſumptus foret, vel e contra, ſi id ſine clero præſtitiſſet Populus, Sanctus ſic aſſumptus, ſolemnis eſſet in Populo, non in clero. Non deſunt denique feſta ſolemnia in Eccleſia, & choro, ſed non apud clerum, nec Populum, ut ſunt feſta per defunctorum legata, vel alicujus piam diſpoſitionem ſolemniter celebrari relicta.

V. Hæ dignitates omnes, ac ſolemnitates validæ non ſunt invehere officium, ſi ex conceſſione illud non habeant, nec alterare ritum officii, quod habent, quinimmo etſi earum aliquæ in occurrentia feſta præferri faciant, immutatus omnino, & integer perſeverat ritus. Quæ cum alibi uberi diſcuſſione gaudeant, ſupponere magis volumus, quam inani rerum repetitione Lectorem morari.

VI. Nunc ad Decretum deſcendimus, quod ad caſum trium officiorum reſpondet *faciendum eſſe officium de digniori, ſeu ſolemniori, quæ vero ſunt minoris dignitatis, ſeu ſolemnitatis, transferenda eſſe*. Expreſſa Rubricæ *de Transl. n.* 6. reſponſio hæc eſt; *At ſi omnia fuerint duplicia, vel ſemiduplicia, fiat de digniori, ſeu ſolemniori, & quæ minoris ſolemnitatis ſunt, transferantur*. Equidem Decretum habet, *Quæ vero ſunt minoris dignitatis, ſeu ſolemnitatis*, & verbum *dignitatis* deſideratur in textu Rubricæ, at quis non videt ſubintelligi, ut præcedentibus ejuſdem Rubricæ verbis *digniori, ſeu ſolemniori* conſonent, & quadrent ſubſequentia. Gavantus *ſect.* 3. *cap.* 13. *n.* 5. hanc Rubricam exponit: *occurrentibus pluribus feſtis novem lectionum, transferatur illud quod eſt minus nobile, vel ratione ritus, puta quia ſemiduplex, vel ratione perſonæ, quæ ſit inferioris ordinis, ſi in ritu ſint æquales*. Tu vero adde *vel ratione majoris ſolemnitatis*, quam Decretum itidem notat, immo Rubrica ipſa ejuſdem duntaxat expreſſe meminit. Et ſane ubi paritas eſt in ritu, cum a ritu cauſa translationis deſumi non poſſit, a majori dignitate, vel ſolemnitate, per quam feſta redduntur inæqualia, eamdem depromi neceſſe eſt.

VII. Reliquum modo eſt, videamus in ſpecie, quod in genere ſolum Sanctio ſtabilit, quæ unice ſiſtit in præferendo digniori, vel ſolemniori juxta allegatam Rubricam; hoc autem ex Sanctionibus aliis eſt depromendum. Digniora itaque feſta dignitate quaſi eſſentiali, & inſigni juxta ordinem a Rubrica *inter feſta* præſcriptum, præferentia donabuntur relate ad quæcumque alia feſta, licet cum ſolemnitate magna in propriis Eccleſiis exculta. Succedit ſolemnitas magna, poſtea exigua, in quocumque conſiſtat, & inter plures ſolemnitates exiguas primæ dantur illi, quæ ſita eſt in pompa exteriori, & quæ populi ſimul eſt, & cleri, anteponenda eſt illi, qui ſolius cleri eſt, aut populi, & quæ ſolius eſt cleri, illi, quæ ſolius eſt populi. Solemnitas, quæ ex Defunctorum legatis adhibetur feſtis, ad ſolemnitatem pompæ exterioris reducitur, unde pariformiter de ea loquendum venit; quam vero *connaturalem* diximus, ultimum locum obtinet, ſed poſt hanc adhuc dignitas accidentalis, quæ numquam attenditur, niſi ubi in feſtis nullam aliam adinveniſe eſt diſparitatem. Hæc quidem nonnumquam paſſa ſunt mutationem, quatenus nunc officia particularia prælata fuere univerſalibus, nunc e contra juxta diverſum ſenſum, quem facere credita eſt allegata Rubrica, ſed hæc Sanctio, quæ ad tramites ejuſdem Rubricæ in genere digniori, vel ſolemniori primas tribuit, numquam paſſa eſt derogationem, ſed ſolum prout prædicta Rubrica exponebatur, tracta fuit ad notandum ſolemnius illud, quod præferentia donabat. A ſequenti Decreto, quod antiquius præfert officium, fortaſſe læditur, ſed de hoc in eodem Decreto.

VIII. Juxta igitur noviſſime ſtatuta, ſi in officiis, de quibus quæritur, nulla foret dignitas eſſentialis, aut ſolemnitas magna, vel exigua, ratione majoris attinentiæ, & connaturalis veluti ſolemnitatis, vel celebritatis, officium Reliquiæ primum locum haberet, & ſecundum officium Ordinis, & ultimum officium Eccleſiæ univerſalis.

DECRETUM II. CAPITIS, IN ORDINE CCXV.

Se eadem die occurrant duo officia, quorum unum ſit particulare Ordinis, alterum vero ſit deſcriptum in Kalendario Eccleſiæ univerſalis, & utrumque ſine ſolemnitate cum eodem ritu, transferendum eſt officium de Kalendario Eccleſiæ univerſalis, & recitandum eſt officium Sancti proprii, dummodo ſit antiquior ex conceſſione. S. R. C. 2. Martii 1681. *in una Canon. Regul. Later.* Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 115.

I. EX duobus Officiis, quorum unum eſt particulare Ordinis, aliud univerſalis Eccleſiæ, utrumque ejuſdem ritus, & ſine ſolemnitate (adde & dignitate inſigni) primæ dantur particulari, ſed cum clauſula *dummodo ſit antiquior in conceſſione*; quid autem ſi univerſale foret antiquius? Vi Decreti præferendum foret, dictio namque *Dummodo* adjecta diſpoſitioni, conditionem importat, diſpoſitionem coarctat, & limitat, ita ut ſi in oppoſito res per clauſulam deſignata inveniatur, diſpoſitio ipſa ſit illi applicanda, ac per conſequens in noſtro caſu officium illud ſit præferendum, quod eſt antiquius, ſive poſtea particulare ſit, vel univerſale. Antiquius autem non antiquitate temporis, quo ſanctus unus præ alio extitit, ſed antiquitate feſti, *Antiquior ex conceſſione*, prout ſcilicet feſtum unius inſtitutum, & conceſſum fuit ante feſtum alterius. Hæc agendi ratio patronum habet Guyetum *lib.* 4. *cap.* 9. *quæſt.* 9., nititur regulæ juris 54. in 6. *Qui prior eſt tempore, potior eſt jure*, & conformatur praxi Romanæ Eccleſiæ, quæ ne præconceſſa officia a ſua ſede deturpet, ſtationem aliam iis, licet ſuperioris ritus, quæ de novo concedit, ut plurimum aſſignat, ſicuti conſtat in officio ſemiduplici S. Bibianæ, cui ut parceretur, primo officium duplex S. Franciſci Xaverii diei tertiæ Decembris conſignatum extitit, deinde idipſum factum fuit de officio duplici S. Petri Chryſologi diei 4. in perpetuum tradito.

II. Hæc undique partium officiorum ſimul occurrentium celebrandorum lex erat; at cum poſtea Rubrica *de Transl. n.* 4., quæ *ſolemniori* dat officium, credita ſit ſuffragari officio univerſali præ particulari, nunc e contra, pro temporum varietate etiam diverſa prodiere Decreta, modo officiis univerſalibus, modo particularibus faventia, nullo habito reſpectu ad antiquitatem conceſſionis eorumdem. Rubrica admodum eſt obſcura, hinc diverſa opinandi cauſas non reſecabat, unde mirum non eſt, ſi modo prævalente opinione, quod ſolemnitas orta ex univerſalitate, vel particularitate officii, præter dictam foret Rubricam, in favorem antiquitatis fuit pronuntiatum, modo autem in favorem univerſalitatis, vel particularitatis prævalente

valente opinione, quod ſolemnitas univerſalitatis, vel particularitatis ad tramitem dictæ Rubricæ inſpicienda foret, & quod reſpective una major alia putanda.

III. Quam ſolemnitatem a Decreto peſſumdatam eſſe, dum antiquiori primas tribuit, diſerte innuunt verba illa, & *utrumque ſine ſolemnitate*, quæ in occurrentibus officiis ſolemnitatem aliquam minime ſupponunt; non obſtante particularitate, vel univerſalitate officiorum, de quibus quærebatur. Etſi igitur modo in productis officiis præferentia a majori antiquitate petenda non foret, adhuc integer perſtat ſcopus Decreti, qui erat, officiorum in ritu, dignitate, & ſolemnitate parium, præferentiam a majori feſti antiquitate eſſe depromendam. Unde reipſa Decreto per poſteriora derogatum non fuit, quæ ſi huic ſimilem præferendi rationem non ſervant, id factum fuit ob ſolemnitatem in univerſalitate, vel particularitate, deinde agnitam. Hac eadem de cauſa præſens Sanctio præcedentem non lædit, quia procedit ſupponendo in officiis æqualitatem ſolemnitatis.

IV. Diximus *Officiorum in ritu, dignitate, & ſolemnitate parium*, etſi dignitatis Decretum minime meminerit, & de quaſi eſſentiali dubium non eſt, quippe quæ ritui quaſi æquivalet, & ſolemnitati utique præſtat. De accidentali potior eſt difficultas, & ſuppoſita hac itidem paritate uti petitionem, ita Decretum procedere credimus, & quando adhuc ſecus foret, ſic modo eſſe judicandum, tum ob Decretum 3. cap. 3., quod Patronorum præcedentiam ab ordine Eccleſiaſticæ hierarchiæ deſumit, & nonniſi intra eumdem ordinem hierarchicum ab anterioritate electionis. Tum ex Decreto Sac. Rit. Congreg. 23. Junii 1736., quod officium Sancti Gregorii VII., licet modernius, præfert antiquiori S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, etiam relate ad Italiam, ubi duplex eſt. Tum denique, quia Rubricæ inter rationes præferri facientes non agnoſcunt antiquitatem, bene vero dignitatem, etiam accidentalem, juxta quam Communia ipſa Sanctorum diſtributa inveniuntur.

IV. Quomodocumque igitur olim hæc fuerint, feſti antiquitas nunc noviſſimum locum tenet, & nonniſi in caſu duorum officiorum ejuſdem etiam dignitatis accidentalis, & de eodem Kalendario univerſali, vel particulari vim habet præferri faciendi. Nec plus expoſcit allegata juris regula, *Qui prior &c.* ſicut enim ſi officium modernius elevatioris foret ritus, aut inſignis dignitatis, vel ſolemnitatis, nihilominus præferendum foret, ita ſi majoris dignitatis accidentalis, ſuffragante, quantum ad officia attinet, dumtaxat regula illa, quoties nulla alia ſuppetit ratio per Rubricas approbata, quæ ſunt veræ leges officiorum. Quibus legibus cum nos teneamur, juxta eaſdem officia præferre debemus, non obſtante œconomia, quam laudabiliter ſervat Eccleſia in addicendo alteri diei nova officia, ne antiquiora in ſua poſſeſſione perturbet.

DECRETUM III. CAPITIS, IN ORDINE CCXVI.

In occurrentia aliquorum officiorum, quæ recitari debent in aliquibus Regnis, cum propriis Kalendarii Ordinis Regularis, ſervanda eſt Rubrica de Tranſl. feſtorum in diſpari ritu, vel dignitate. S. R. C. 20. Martii 1683. *in una Ord. Minor. Obſerv. ad 3. dubium*, ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 137.

I. EN Rubricam, quæ ſervanda præſcribitur: *Si duo, vel plura feſta novem lectionum ſimul eadem die veniant, fiat officium de majori, ideſt de duplici, & ſemiduplicia transferantur*; & quidem etſi officium inferioris ritus præcelleret in dignitate quacumque, vel ſolemnitate, ſubdit namque eadem Rubrica: *At ſi omnia fuerint duplicia, vel omnia ſemiduplicia, fiat de digniori*, quare dignitas non relevat, niſi in ritus paritate. Non deſcendit Decretum ad ſolemnitatem, de qua ſermonem reſervat in ſequenti, quod eſt reſponſum ad 4. dubium *in eadem Ord. Minor.* edita. Aſt cum poſt ritum ſuccedat inter rationes præferri facientes dignitas, verum id eſt, ſi ſermo ſit de quaſi eſſentiali, ſecus de accidentali, ac locus hic non eſt, ejuſmodi excitandi quæſtiones: Decretum namque nonniſi Rubricam ſervandam edicit, ac conſequenter nonniſi, prout a Rubrica dignitas, vi præferri faciendi donatur, & uti eadem Rubrica, ita ipſum in ſua integra diſpoſitione perdurat, de quacumque dignitate accipiatur. Quinam autem ordo inſtitui modo debeat inter rationes præferri facientes, ſequentia dabunt Decreta, quæ dum Rubricarum vi officia particularia, licet minus digna accidentali dignitate, præferunt ratione majoris celebritatis univerſalibus, utique deſignant & allegatam Rubricam, & præſentem Sanctionem accidentali dignitati contra particularitatem feſti non eſſe favorabiles.

DECRETUM IV. CAP., IN ORDINE CCXVII.

Si officia, quæ recitari debent in aliquibus Regnis, ſint ejuſdem ritus, & dignitatis, an ſit præferendum officium loci officio in proprio Religionis Kalendario deſcripto? Reſolutum fuit, præferendum eſſe officium, quod cum majori ſolemnitate, & Populi concurſu celebratur, ad formam Rubricæ *de Tranſl. feſt. num. 6.* S. R. C. 20. Martii 1683. *in una Ord. Minor. Obſerv. ad 4. dubium*, ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 138.

I. NOnniſi itidem eadem Rubrica ſervanda præſcribitur, quæ in paritate ritus poſt dignitatem, majorem ſolemnitatem attendendam eſſe demandat: *At ſi omnia fuerint duplicia, vel ſemiduplicia, fiat de digniori, ſeu ſolemniori, & quæ minoris ſolemnitatis ſunt, transferantur*. Solemnitas, & populi concurſus diſparitatem invehunt in feſta, & quidem tantam, ut etiam in concurſu potis ſit præferentiam cauſare, ut eruitur ex Rubrica *Inter feſta*, & magis dicetur in cap. de concurr.. utique igitur & in occurſu, in quo minus expoſcitur. Quam præferentiam in concurſu cum nec celebritas connaturalis, nec dignitas accidentalis valeant afferre, paritas, quæ a Decreto exigitur, non eſt in dignitate accidentali, ſed quaſi eſſentiali, quæ præſtat ſolemnitati, & mirum non eſt, ſi in propoſito caſu neglecta celebritate connaturali, quæ reſpective ad petentes magis in officiis Religionis elucet, ſimpliciter, & abſolute in favorem aſſertæ pronuntietur ſolemnitatis.

II. At quid, ſi utrumque feſtum cum ſolemnitate, populique concurſu celebretur? Audi Decretum, quod illi dat officium, *quod cum majori ſolemnitate, & populi concurſu celebretur*. Ut enim dignitas inſignis ſuos gradus habet, juxtaque eos præferenda ſunt feſta, ſic idipſum evenit in ſolemnitate. Quod ſi inter feſta paritas ſolemnitatis ſupponatur, locum ſtatim acquirit ordo in Decreto decimo teneri præſcriptus. Attamen quia ſolemnitas non tam ad feſtum relativa eſt, quam ad Eccleſiam, in qua feſtum celebratur, ſcrupuloſe nimis rimanda non eſt major feſtorum ſolemnitas, & populi concurſus, dummodo etiam feſtum particulare Eccleſiæ, quod aliarum rationum adminiculis fulcitur *ſolemniter* in propria Eccleſia celebretur. Ex dictis itaque officiis præferendum quidem erit illud, quod in eadem Eccleſia ſolemnius celebratur, non autem, quod in aliis Eccleſiis majori gaudet ſolemnitate.

III. Concordat Sanctio cum prima hujus Capitis, quæ itidem *ſolemniori* primas tribuit, cum ſecunda, quæ in ſua diſpoſitione procedit cum ſuppoſitione *nullius ſolemnitatis* inter feſta occurrentia; cum tertia, quia præſens præſervat dignitatem inſignem, quam illa ſtatuit ſolemnitati præſtare; cum omnibus denique ſequentibus, quæ etſi inter ſe ſe diſcrepent, modo officiis univerſalibus, modo particularibus præferentiam concedentes, numquam tamen quid ſtatuunt præſenti Sanctioni contrarium, quin omnia conſona, procedunt ſiquidem ſemper nulla ſuppoſita ſolemnitate in feſtis, quæ præferunt, qua ſtante ſupponunt ea feſta eſſe præferenda, ſive ex univerſalibus, aut particularibus ſint, in quibus reperitur. Integra itaque manet diſpoſitio Decreti, videlicet quod poſt majoritatem ritus, & dignitatis inſignis ad rem, de qua quæritur, attendenda ſit prædicta ſolemnitas contra quaſcumque alias rationes.

DECRETUM V. CAPITIS, IN ORDINE CCXVIII.

Occurrente eadem die feſto novem lectionum Kalendarii particularis cum altero feſto Kalendarii univerſalis, quæ tamen ſint ejuſdem ritus, prius recitari debet de feſto Kalendarii particularis, & poſtea univerſalis. S. R. C. 22. Janu. 1689. *in Senogallien.* ex Merato in Indice Decr. Brev. numer. 159.

I. PRæfert hæc Sanctio feſtum Kalendarii particularis feſto Kalendarii univerſalis, & ad hoc inter feſta expoſtulat æqualitatem in ritu; tu vero adde, ad rem etiam expoſci æqualitatem in dignitate inſigni, & ſolemnitate, quæ cum altiori veluti æquipolleant ritui, æqualitatem in iiſdem, ſaltem implicite, utique item exquirit Sanctio, dum ritus æqualitatem exigit. Hanc, quam addimus, conditionem diſerte expoſtulant Decreta 8. 9. & 10., quibus conſonant 1. 3. & 4., dum feſta majoris ritus, vel dignitatis inſignis, aut ſolemnitatis, quæcumque ea ſint, ſemper volunt eſſe præferenda.

II. Decretis præcedentibus in nihilo præſens præjudicat, ſi demas ſecundum, quatenus ſtante æqualitate favorabile eſt antiquiori in conceſſione; præſens enim antiquitate neglecta, particulare præponit univerſali. Huic ample derogant duo ſtatim danda Decreta, dum officium univerſale præferunt particulari, ſed cum per poſteriora plurima illud fuerit confirmatum, & his derogatum, integrum ſuum robur recuperavit, & in tota ſua diſpoſitione ſubſiſtit, ut inibi tradere reſervamus.

DECRETUM VI. CAPITIS, IN ORDINE CCXIX.

Si aliquod feſtum, ſive duplex, ſive ſemiduplex pro univerſali Eccleſia noviter a S. Sede Apoſtolica inſtitutum, vel inſtituendum, occurrat ſingulis annis eadem die cum feſto Diœceſano ejuſdem ritus, debet fieri officium de feſto inſtituto pro Eccleſia univerſali. S. R. C. 15. Martii 1698. *in Herbipolen.* ex Merato in Indice Decret. Brev. num. 194.

I. QUatenus officium *noviter* inſtitutum, prefertur antiquiori, caſſatur Decretum ſecundum, quod majoris antiquitatis rationem ſervat; hoc autem in ſua adhuc remanet derogatione, & in ejuſdem expoſitione jam diximus, quo in caſu ejus diſpoſitio ſubſiſtat. Quatenus vero feſtum Eccleſiæ univerſalis præponitur feſto Diœceſano, deletur præcedens Decretum, quod feſtum particulare præfert univerſali. Hoc tamen Decretum, licet etiam per ſtatim exponendum, derogatum fuerit, ſuo integro robore, cui per poſteriora plurima fuit reſtitutum, ſpoliatum non remanet, bene vero præſens, & ſequens, quibus per eadem poſteriora fuit derogatum, quare certum ſit, quod modo feſtum particulare anteponendum eſt univerſali.

II. Ceterum Decretis hiſce nec auctoritas deerat, nec aliqualis ratio. Auctoritas Gavanti, qui *ſect.* 3. *cap.* 8. *nu.* 6. docet *ceteris paribus præferendam eſſe octavam, quam celebrat univerſa Eccleſia*; unde & *ſect.* 3. *cap.* 10. *n.* 15. Titulari Eccleſiæ præfert Patronum loci, quod hic magis pateat. Accedit Guyetus, qui *lib.* 4. *cap.* 9. *q.* 5., & *cap.* 10. *q.* 3. expreſſe feſtum univerſalis Eccleſiæ, quoties cetera ſunt paria, anteponit feſtis particularium Eccleſiarum. Nec deeſt praxis aliquarum Eccleſiarum, inter quas Veronenſis poſtponit officia particularia SS. Gualphardi, & Agapiti univerſalibus SS. Catharinæ Senenſis, & Dominici. Placentina item, transfert feſtum ſemiduplex S. Felicis martyris, ut retineat illud S. Hilarii Epiſcopi. Quibus ſi addas Decretum S. R. C. 21. Aug. 1688., quod feſtum S. Joannis Baptiſtæ præponit præcipuis particularibus Dedicationis, & Patronorum, profecto auctoritas ſuppetit plurima.

III. Ratio autem peti poteſt tum ex uniformitate in laudando Deo, quæ hinc exurgit cum tota Eccleſia; tum ex majori celebritate, quam habent Sancti univerſales in tota Eccleſia, ubi Sanctorum particularium celebritas non tranſcendit limites particularium locorum. Hæc fortaſſe Sacram Congregationem a deciſis in præcedenti Decreto recedere fecerint, quæ nos diſſolvere, & rationes validas, quæ Sanctis particularibus favent, in Decreto 8. tradere reſervamus.

DECRETUM VII. CAPITIS, IN ORDINE CCXX.

Si incidat in eamdem diem duplex officium novem lectionum ritus æqualis, quorum unum ſit Eccleſiæ univerſalis, aliud vero Ordinis Minorum, & ambo transferantur; quodnam ex duobus debeat transferri? Quid vero dicendum, ſi ſint ritus inæqualis, ut contingit die 12. Novembris, in qua occurrunt feſtum S. Martini Martyris, & Pontificis, quod eſt ſemiduplex, & feſtum S. Didaci, quod eſt duplex 2. claſſis? S. R. C. ad primam partem hujus dubii reſpondit, *officium, quod ab Eccleſia univerſali celebratur, prius eſſe perſolvendum*; ad ſecundum, *feſta particularia majoris ritus feſtis minoris ritus præferenda eſſe, etiamſi in Kalendario pro univerſali Eccleſia ſint deſcripta*. S. R. C. 27. Sept. 1698. *in una Ord. Cappuccin.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 209.

I. FAceta admodum, & lepida eſt prima pars dubii. Exhibet occurſum duorum officiorum, quorum unum particulare eſt, univerſale aliud, ſupponit, quod *ambo transferantur*, & ad inquirendum ſe facit, *quodnam ex duobus debeat transferri?* Quis enim non videt, quod utrumque debet transferri, ſi caſus ipſe ſupponit, quod *ambo transferantur?* Amabo Lector ſupple, & petitioni, adjice dictionem *Prius*, ex Typographorum incuria fortaſſe omiſſum, & vi reſponſionis, quæ officium Eccleſiæ univerſalis *prius* perſolvendum indicit, indubie ſupplendam. Lege itaque, *quodnam ex duobus debeat prius transferri*; ſic enim petitio ſtatim congruum tenet ſenſum, & procedit circa dictorum feſtorum tranſlatorum priorem repoſitionem, quæ cum juxta Rubricam *de Tranſl. n.* 7. illi feſto ex pluribus ſimul occurrentibus debeatur, quod in proprio die, ſi non impediretur, officium haberet, dum Congregatio feſtum univerſalis Eccleſiæ priori ponat repoſitione, utique & præferentia in occurrentia relate ad feſta particularia. Hæc itaque Sanctio concors eſt præcedenti, ac conſequenter derogationem porrigit, & accipit, prout dicebamus exponentes idem præcedens Decretum.

II. Si prima quæſiti pars eſt lepida, ſecunda craſſiori inſipientia laborat; in quam enim unquam ſanam mentem, quæ vel a longe ſalutavit Rubricas, incidere poteſt dubium, quod officium particulare 2. claſſis in occurrentia, vel repoſitione poſtponi queat, aut debeat officio ſemiduplici Eccleſiæ univerſalis? Hæc noſtram non merentur conſiderationem, quare duntaxat addimus, quod Congregationis reſponſio, quæ feſto altioris ritus favet, in integro ſuo perſeverat robore, ſemperque perduravit:

DECRETUM VIII. CAPITIS, IN ORDINE CCXXI.

In occurrentia feſti Kalendarii particularis, & feſti Kalendarii univerſalis cum paritate ritus, & ſine excellentia majoris dignitatis, faciendum eſt de primo, tranſlato ſecundo. S. R. C. 12. Julii 1704. *in una urbis*; & *orbis*, ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 227.

I. JUrgium non leve inter Rubriciſtas ſuperius expoſita excitaverant Decreta circa præferentiam feſtis Kalendarii particularis, & univerſalis ſimul occurrentibus exhibendam. Alii particularia, utpote in loco celebriora, univerſalibus anteponebant juxta diſpoſitionem Sanctionis quintæ: alii vero univerſalia particularibus, duo, e quorum explanatione vix venimus, Decreta adducentes, quæ cum ſint poſteriora, ſervanda eſſe contendebant. Unuſquiſque in ſenſu ſuo abundabat, Rubricaſque exponebat, ac multum diſcolor agendi ratio per particulares vagabatur Eccleſias. Diſſona ut hæc, diſſimilis, ac minus commendabilis everteretur agendi ratio, ac in prædicta occurrentia, quæ frequens admodum contingit, certa, ac ſtabilis ſe gerendi duceret regula, Cardinalis Colloredo ſequens propoſuit dubium: *An in occurrentia feſti Kalendarii particularis, & feſti Kalendarii univerſalis cum paritate ritus, & ſine excellentia majoris dignitatis, faciendum ſit de primo, tranſlato ſecundo?* Cui Congregatio reſpondendum cenſuit *affirmative*, & Decretum inſcribi voluit *urbis*, & *orbis*, ut ejuſdem obſervantia univerſæ Eccleſiæ intelligeretur indicta, ac una eluderet minus ſapientes, qui quando Decreta aliqua ad particularium inſtantias edita, haud ſibi arrident, ea in iiſdem, vel ſimilibus caſibus ad praxim non deducunt, & ne inobſequentes videantur, eadem ſtatim tamquam particularia criminantur, & non totam adſtringentia Eccleſiam.

II. Ut vis Sanctionis plenius habeatur, ponderanda veniunt ea verba *cum paritate ritus*, faciunt ſiquidem diſpoſitionem procedere in æqualitate ritus. *Et ſine excellentia majoris dignitatis*, quaſi eſſentialis tamen, & inſignis, non accidentalis, qualis eſt ea, quæ Confeſſorem eſt inter & Virginem, ut dicebamus in Decreto primo, & in ſequenti magis dicere reſervamus. De paritate *in ſolemnitate* nihil diſerte habet Decretum, ſed dubium non eſt, quod expoſcitur, ſi ſermo ſit de magna, quæ vim habet etiam in concurſu præferri faciendi. Tu tamen expoſce etiam paritatem in ſolemnitate exigua, quoniam duo ſequentia Decreta eamdem exquirere videntur.

III. Sancti, qui ut proprii, ac particulares in Dominiis, Nationibus, Provinciis, Diœceſibus, locis, vel Religionibus excoluntur, ſunt, qui vel ortu, occubitu, inſigni commoratione, præcipuo aliquo munere, advectione ſuarum Reliquiarum, invectione fidei, ejuſdem promotione, & dilatatione, ſignis, virtutum exemplis, doctrina, miraculis, aut gratia aliqua inibi fuerunt illuſtres, ac reſpective facti ſunt *urbium cuſtodes, ac locorum præſides, hominum duces, principes, ac propugnatores, per quos a nobis infortunia evertuntur, proculque arcentur, quæ a Dæmonibus inferuntur, mala*, ut præclare ſcribit Theodoretus *lib.* 8. *græcar. affection.* Etſi itaque hi Sancti cum nulla ſpeciali ſolemnitate ab Eccleſiis quandoque celebrentur, habentur tamen præ ceteris ut particulares Patroni, ac in neceſſitatibus a populis aſſolent invocari, particulareſque ad reſpectiva loca quandam habent attinentiam, ac cultum, connaturalem ſolemnitatem, & celebritatem ſibi inibi vindicant, vi cujus ſpecialem populi requirunt affectum, unde ad rem ſcribit Euſebius Emiſſenus, ſeu Eucherius Lugdunenſis hom. 50. in Geneſim: *Indigenarum martyrum cultus, & honor ſpecialium Patronorum ſicut peculiare dat gaudium, ita proprium requirit affectum.* Hujuſce igitur ſpecialis vi attinentiæ, affectus, & connaturalis ſolemnitatis, & celebritatis, qua deſtituuntur Sancti Kalendarii univerſalis, illis credita merito fuit favorabilis Rubrica *de Tranſl. n.* 6., quæ in paritate ritus, & dignitatis *ſolemnius* præfert officium, *fiat de ſolemniori, & quæ minoris ſolemnitatis ſunt, transferantur.*

IV. Ad argumenta in contrarium in Decreto 6. producta dicimus primo Gavantum, & Guyetum eſſe negligendos, uti & eoſdem deſerunt Cæremoniale Monaſticum *lib.* 4. *cap.* 16., & Meratus *ſect.* 3. *cap.* 10. *n.* 9., licet Gavanto æquo plus honoris ut plurimum deferant. Ceterum ad Guyetum quod attinet, ſibi conſtans non eſt, cum *lib.* 4. *cap.* 11. *quæſt.* 2. Gavantum præponentem Patronum loci Titulari Eccleſiæ refellat, diſerteque firmet, feſta propria minus propriis eſſe præferenda. Praxis productarum Eccleſiarum nos non moratur, qui communiorem habemus favorabilem, & ſuffragatur admodum Veronenſis ipſa Eccleſia, quæ fere ſemper Sanctos proprios præponit univerſalibus, & ſolum illis duobus, neſcio qua ratione, fortaſſe eamdem nec ipſa ſcit, ignoſcit. Par autem non eſt ratio de S. Joanne Baptiſta, utpote qui dignior dignitate inſigni, ut traditur in Decr. 16. cap. 1., ubi propterea etiam præferentia in concurſu donatur.

V. Ad rationem, quæ ex uniformitate petitur, reponimus eſſe commendabilem relate ad myſteria, & feſta principalia, circa quæ jam ſatis proviſum extitit per privilegia iiſdem facta, non autem relate ad cetera feſta Eccleſiæ univerſalis; hanc enim non eſſe adeo commendabilem aperte deſignant Rubricæ, Decreta, & Apoſtolica indulta, quæ dum paſſim feſta propria, & particularia indulgent, dictam uniformitatem hoc ipſo evertunt, & tollunt. Eccleſia enim unitatem ſuam in iiſdem precibus & officiis ſitam eſſe numquam exiſtimavit, ſed in eodem ſpiritu, atque fide. Precum vero, & officiorum varietas velut aperta ſignificatio ubertatis, & varietatis donorum Spiritus Sancti habita eſt. Varii flores hi ſunt, Eccleſiæ aream decorantes; varia hæc Sponſæ, quæ *Pſal.* 44. deſignatur nobis *Regina circumdata varietate*, ornamenta, quibus ſe, ut ſponſo placeat, exornat. Ad id, quod ſubditur, dicito Sanctos univerſales eſſe ſolemniores, & celebriores extenſive, quatenus eorum celebritas ad totam extenditur Eccleſiam, ad quam non protenditur illa Sanctorum particularium; non tamen intenſive, & relate ad reſpectiva loca, in quibus Sancti particulares ſpecialem ſibi vindicant attinentiam, celebritatem, & populorum affectum, quare & congruum eſt, inibi tamquam ſolemniores illis de Eccleſia univerſali præferantur.

VI. Decretum hoc derogat duobus præcedentibus, quæ proinde omni vi exuta remanent, innovat quintum, & a ſequentibus omnibus uberem confirmationem accipit.

DE-

DECRETUM IX. CAP., IN ORDINE CCXXII.

Quæſitum fuit, an feſta Diœceſana occurrentia eadem die cum feſtis Romanis, præponenda ſint feſtis Romanis ejuſdem ritus, & ſolemnitatis, ex. gr. die 4. Decembris feſtum Diœceſanum S. Barbaræ occurrit cum feſto duplici Romano S. Petri Chryſologi, dubitatur, & quæritur, quale feſtum ſit prius celebrandum? & reſponſum fuit: Detur Decretum ſub die 12. Julii 1704. Ita S. R. C. 25. Junii 1736. *in Brugen.* & idem confirmatum fuit die 16. Febr. 1737. *in Mechlinen.* ex Merato in Indice Decret. Breviar. n. 325.

I. LEgit index Merati: *Detur Decretum ſub die 12. Junii 1736. in Brugen.*, at mendum irrepſit in textum; Tum quia Decretum, quod dari jubetur, idem index ſub n. 127. eſſe fatetur, cum tamen nec inibi, nec in toto Indice reperire ſit Decretum aliquod *in Brugen.* editum, quod ad rem faciat, bene vero Decretum ſub afferto numero productum, quod non eſt, niſi quod præcedenter ad hoc expoſuimus, & ad rem apprime quadrat, utpote quod feſtum particulare præponit univerſali. Tum quia deſideraretur dies, & annus Datæ præſentis Decreti, quippe per ea verba, *Detur Decretum &c.* nihil aliud ſubditur, quod pro Data præſentis valeat deſervire. Indubia eſt itaque noſtra lectio, ac conſequenter etiam præferentia feſti particularis feſto Romano.

II. Reſtringenda fortaſſe videbitur Sanctio ad caſum duorum officiorum, quorum unum eſt in die natalitia, alterum in die aſſignata, uti ſolummodo evincit exemplum S. Barbaræ, & S. Petri Chryſologi; at hic non eſt ſcopus Decreti, qui a petitione eſt ſumendus; hæc autem univerſim quærebat de feſtis Diœceſanis relate ad feſta Romana, & ſimilis eſt reſponſio, ut videre eſt in præcedenti Decreto, quod eſt illud, quod dari jubetur. Licet autem S. Barbara ſit in die natalitia, & S. Petrus Chryſologus in die aſſignata, & hinc nos ipſi in Decreto 12. cap. 9., in quo idem ſtatuitur, Sanctis a die natalitia jus fecimus expellendi Sanctos, quibus duntaxat eſt aſſignata, adhuc quatenus modo in exemplum ponitur, ita non reſtringit regulam, quinimmo de regula eſſe cenſetur, & juxta regulam poſitum. Unde nobis inferre licet, quod feſta particularia univerſalibus ſunt præponenda, etſi his illa ſint inferiora in dignitate accidentali, ſeu in ordine hierarchico, cujuſmodi eſt S. Barbara relate ad S. Petrum Chryſologum.

III. Opus haud eſt, te moneamus, quod hoc Decretum aperte innovat quintum, ceſſat ſextum, & ſeptimum, confirmat præcedens, & a ſequentibus confirmationem recipit.

DECRETUM X. CAPITIS, IN ORDINE CCXXIII.

In occurrentia feſtorum ejuſdem ritus, & alias quomodocumque parium, primum locum habebit officium Eccleſiæ particularis, ſecundum Ordinis, ſeu Religionis, tertium Diœceſis, quartum Nationis, quintum Eccleſiæ univerſalis. S. R. C. 23. Junii 1736. *in Einſidlen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 322.

I. REgularium præſertim Eccleſiæ, quæ ultra officia Nationum, Dominiorum, Diœceſium, & locorum, intra quorum fines ſunt conſtitutæ, plurimis Ordinis, & Reliquiarum incumbunt officiis, non ſemel habent multiplicem horum Sanctorum occurſum, quorum celebrationi ut congruus adſcribatur locus, præſens emanavit Sanctio, reliquis ceteroquin æque adaptabilis.

II. *In occurrentia feſtorum ejuſdem ritus*, quare locus, qui Sanctis a Decreto adſcribitur, iiſdem non competet, ſi qui eorumdem eminentioris erunt ritus, ſed his ſemper honoratior erit tribuendus. *Et alias quomodocumque parium*, ſcilicet in dignitate inſigni, & ſolemnitate magna, vel quaſi magna, quæ vim habent etiam in concurſu præferri faciendi, quinimmo & in ſolemnitate exigua, cui plurimum honoris deferri a Sacra Congregatione videbimus in cap. de concurrentia, etſi in concurſu valida haud ſit præferentiam præſtare. Non exigitur vero æqualitas in dignitate accidentali, ut dicebamus in præcedenti Decreto, & adhuc magis apparebit in ſequenti, in quo apud Germanos S. Cunegundis præfertur S. Anſelmo. Idipſum eſt de paritate in antiquitate feſti, quam a Decretis ponderavimus negligi, immo & de celebritate connaturali, cum nonniſi ob hanc majorem, vel minorem dignior, vel minus dignum locus per Decretum feſtis tribuatur. Objici poſſet dictio *Quomodocumque* quæ nullam pati videtur limitationem; at cum leges legibus debeant concordari, dictio illa non excludit reſtrictiones, quas leges aliæ Decreto aperte exporrigunt.

III. *Primum locum habet officium Eccleſiæ particularis*. Stricte *particularis* ſumitur, & non late, quare venit officium, quod uni tantum convenit Eccleſiæ, cujuſmodi ſunt feſta Dedicationis, Titularis, & Reliquiarum. Hujus autem, & ceterorum, quæ circa locum hic ſunt diſpoſita, una eſt ratio in eo ſita, quia quo feſta ſunt propriora, & particulariora, eo ſunt celebriora, majoremque habent attinentiam relate ad locum, & perſonas, ubi, & a quibus celebrantur. Quoniam vero particularibus Eccleſiis officia Eccleſiarum adnexarum, & unitarum communia fecimus, primum locum aſſequetur officium proprium ipſorum reſpective Eccleſiarum, ſecundum illud unitarum.

IV. *Secundum Ordinis, ſeu Religionis*. Feſtorum Religionis nomine nedum veniunt feſta Sanctorum, qui proprium reſpective Regulare Inſtitutum profeſſi ſunt, ſed etiam eorum, quorum officia ob attinentiam aliquam, ſeu Ordinis peculiarem devotionem celebrantur, ut eſt apud Auguſtinienſes feſtum S. Ambroſii, quatenus ſub ritu duplici 2. claſſis excultum, eo quod ejus opera Jeſu Chriſto S. Pater Auguſtinus partus dicitur, necnon Patrocinium S. Joſeph ob particularem devotionem celebratur. Inter hujuſmodi autem feſta præferendum eſt magis proprium, ſeu quod propriori ratione Religionem attingit, unde Sancti indigenæ præſtabunt ob ſolam devotionem, vel quamdam attinentiam aſſumptis. Ubi autem in propinquitate ſint paria, dignitas diſcernet accidentalis, vel antiquitas conceſſionis; & id verum eſt de quibuſcumque aliis.

V. Diximus *proprium reſpective Regulare Inſtitutum profeſſi ſunt*; quia etſi una Religio ad Sanctos alterius aliqualem habeat attinentiam, quatenus & hi Regulare Inſtitutum in vita profeſſi ſunt, hæc tamen attinentia nimis ampla eſt, & lata, & ſi hujuſmodi attinentiæ, vel reſpectus attendi deberent, in iiſdem diſcernendis utique uſque ad anguſtias conandum foret. Sanctis itaque alterius Religionis is locus aſſignandus erit, quem eiſdem porrigit Kalendarium, vi cujus ad ceteros Regulares Ordines extenduntur.

VI. Major difficultas foret de Sanctis v. g. Ordinis Prædicatorum relate ad Ordinem S. Auguſtini, ad quem attinentiam ſpecialem videntur habere, quatenus in vita Regulam ejuſdem S. Auguſtini profeſſi ſunt, ac eumdem non minus tamquam Patrem venerati. Hac conſimili de cauſa in Ordinibus S. Franciſci conſuetudo eſt recitandi, licet ritu minus ſolemni, etiam de Sanctis viciſſim aliorum Ordinum, qui ſub S. Franciſco militant, & in caſu ſtatim poſt indigenas his locus eſt concedendus. Non ſic eſt de Ordinibus militantibus ſub Regula S. Auguſtini, qui cum ſint ſupra octoginta, tot non eſſent in anno dies, quot eſſent Sancti, de quibus recitari deberet; quare unaquæque ex dictis Religionibus contenta eſt proprios Sanctos excolere, & in officio duntaxat communis Patris convenire. Cum itaque hi Sancti in Religione alia ſpecialem cultum non aſſequantur, nec per ſpecialem conceſſionem celebrentur, digniori loco honorandi non ſunt, quam qui iiſdem competit ratione Kalendarii, vi cujus celebrantur.

VII. *Tertium Diœceſis*. Sanctis Diœceſis tertius tribuitur locus, non ita tamen, ut ſi ſint Sancti alii propriores, his tertius locus concedendus non ſit, & illis quartus, vel adhuc ulterior; ordo enim a Decreto recenſitus, teneri quidem debet relate ad feſta, quæ ab eodem enumerantur, ſed non relate ad ea, cum quibus queunt comparari, ſed tunc Decreti mens ſequenda venit, quæ eſt, ut feſta, quo magis ſunt propria, & particularia, eo donanda ſint honoratiori loco, quare officium Parochiæ præferendum erit iis Civitatis, & illa Civitatis illis totius Diœceſis. Idem eſto judicium in ſimilibus, etiam ceterorum ordinum.

VII. Dubium exurgit, cur Sanctis Religionis honoratior tribuatur locus præ Sanctis Diœceſis, qui celebriores ſunt in loco, immo & minus univerſales, cum extra Diœceſim non extendantur, ubi illi in tota coluntur Religione per diverſa Regna, & Provincias diſtributa. Hoc factum fuit majoris ratione propinquitatis, quam tenent dicti Sancti ad perſonas, a quibus excoluntur, unam ſiquidem omnes habent Matrem, & communem Patrem, unde iiſdem Sanctis uti præclariſſimis Fratribus primus locus denegari non potuit, iis ſolum exceptis Eccleſiæ propriæ, & particularis, qui cum ut præcipui, & particulares Patroni, & Interceſſores inſpiciantur illius Eccleſiæ particularis, & degentium in ea, præferentiam ſuper illos, æquum eſt, etiam habeant.

IX. *Quartum Nationis*, ita tamen, ut hic locus præſtandus ſit Sanctis aliis, ſi qui ſint propriores, ac minus univerſales, uti ſunt Sancti Provinciæ, vel adhuc Dominii, ſi hoc minus late pateat.

X. *Quintum Eccleſiæ univerſalis*. Noviſſimum locum habent feſta Eccleſiæ univerſalis, utpote quæ ſunt omnium univerſaliora, ac ad totum Catholicum orbem extenduntur. Et en confirmata Decreta præponentia univerſalibus feſta particulariora. Ordo autem præſcriptus an ſemper, vel quoties teneri debeat, ſequens dabit Decretum.

DECRETUM XI. CAPITIS, IN ORDINE CCXXIV.

Die 3. Martii, qua in Germania occurrunt S. Anſelmus Abbas, & S. Cunegundis Virgo Imperatrix, faciendum eſt officium de S. Cunegunde, & aſſignanda fixa, & propria dies pro S. Anſelmo. S. R. C. 5. Maii 1736. *in Einſidlen.* ex Merato in Indice Decret. Brev. n. 187.

I. COnfeſſores inter & Virgines multam numquam agnovit Eccleſia nobilitatis, aut dignitatis diſparitatem; hinc in concurrentia unum alteri minime præfert, ſed Veſperarum medietatem utrique concedit. Sicuti Veſperas, ita ſi reliquum officium partiri liceret, nec ambigo, quod & in occurſu idipſum præſtaret; & quoniam juxta Rubricas feſta novem lectionum in unum officium coaleſcere nequeunt, & ſe invicem expellunt, in occurſu eorumdem plurium unum, fas eſt, repellatur, altero retento. Aſt quodnam transferendum erit? Illudne Virginis, vel Confeſſoris? Virginis profecto, ſic expoſcente majori, etſi exigua, nobilitate, ac dignitate, quam Confeſſor habet præ Virgine. Cur itaque primæ dantur S. Cunegundi? Nota verba illa Sanctionis, *qua in Germania occurrunt*, quæ pro Germania Decretum particulari de cauſa duntaxat procedere oſtendunt.

Digitized by Google

dunt. Eſt autem hæc cauſa, quod in Germania S. Cunegundis eſt feſtum Ordinis, & Nationis, ubi S. Anſelmus eſt tantum feſtum Ordinis, quare cum illa celebritates duarum claſſium inibi obtineat, & unius duntaxat S. Anſelmus, huic illa præferenda venit, non obſtante majori accidentali dignitate S. Anſelmi, quæ non relevat, quoties in ceteris non adeſt paritas. Extra Germaniam vero quia ambo ſunt ſolum feſta Ordinis, ratione accidentalis dignitatis præſtabit S. Anſelmus, ut reipſa obſervari vidi in Kalendario Ciſtercenſium Italiæ.

II. Ex his eruitur primo in præferendis Sanctis particularibus juxta ordinem præcedentis Decreti, nullam rationem habendam eſſe dignitatis accidentalis, alias ratione celebritatis Nationis S. Cunegundis præferri non potuiſſet S. Anſelmo. 2. Quod ex duobus pertinentibus ad unam, & eamdem claſſem illud eſt præferendum, quod in reliquorum paritate præſtat dignitate accidentali, hac quippe de cauſa extra Germaniam præfertur S. Anſelmus. 3. Quod ſi ex ſpectantibus ad eamdem claſſem alterutrum ſibi vindicet ſolemnitatem etiam alterius claſſis, quæcumque ea ſit, illud eſſe anteponendum, cum ob hanc rationem S. Cunegundis in Germania S. Anſelmo præponatur, quare ſi v. g. habeantur duæ Reliquiæ, & Sanctus unius ſit etiam Sanctus Diœceſanus, vel Dominii, aut adhuc Eccleſiæ univerſalis, ob hanc celebritatem, quam præ altero ſibi vindicat, præferentiam habebit. 4. Quod ex pertinentibus ad eamdem claſſem, puta duabus Reliquiis, ſi utrumque pertineat ad claſſem alteram, ſi hæc claſſis altera ſit eadem, puta Diœceſis, dignitas accidentalis præferentiam præſtabit, alioquin in paritate antiquitas feſti; ſi vero claſſis altera non ſit æque celebrior, puta quia unius ſit Diœceſis, alterius vero Nationis, claſſis, quæ juxta Decreti ordinem prior eſt, tamquam celebrior primas tribuet.

III. Nunc quæritur, num Sanctus unius duntaxat claſſis, ſed in ordine prioris, puta Sanctus Reliquiæ, præferendus ſit Sancto duarum claſſium in ordine poſteriorum, ut Religionis, & Nationis?

IV. ℟. Affirmative, quia celebritates claſſium inferiorum, etſi multiplicentur, numquam exæquent celebritatem claſſis ſuperioris. Sit exemplum in dignitate, in qua quia feſta Domini ſuperant feſta quælibet Sanctorum, etſi inſtitueretur feſtum in honorem Deiparæ, Angelorum, Apoſtolorum, & omnium aliorum Sanctorum, adhuc hoc illi non eſſet præferendum, & dignitates illorum omnium nunquam ſuperarent, nec exæquarent dignitatem illius. Etſi itaque quæ ad plures claſſes attinent, ob earumdem celebritates omnes ſint præferenda attinentibus ad unam ſolam claſſem, quando & pertinens ad plures claſſes, ſpectat etiam ad claſſem, ad quam attinet ſpectans tantum ad unam claſſem, ſecus tamen ſi quod ſpectat ad unam ſolam claſſem, ſpectet ad claſſem ſuperiorem, ad quam non attineat ſpectans ad plures claſſes.

C A P U T XXVII.

De Repoſitione Feſtorum.

I. TRanslationem quoad terminum a quo in præcedenti Capite ponderavimus, nunc de eadem ſumimus agere quoad terminum ad quem, ſeu quoad diem, in qua eſt facienda, ſive in qua feſta tranſlata ſunt reponenda. Terminus ad quem quoad ferias idem eſt indifferenter pro omnibus tam duplicibus, quam ſemiduplicibus, utpote quæ feſta omnia æque in ſuo ſinu recipiunt; non ſic eſt de diebus infra octavas, quæ ſi privilegiatæ non ſunt, patiuntur duplicia quæcumque tranſlata, & etiam ſemiduplicia a præcedenti immediate die, non tamen ulteriori amota, ſed de his in propriis reſpectivis Capitibus egimus, unde ſermo reſtringitur ad ordinem, quo repoſitio feſtorum eſt facienda extra octavam, adhuc relate ad diem immediate ſequentem, ad quam tranſlata potius jus credita ſunt habere.

DECRETUM I. CAPITIS, IN ORDINE CCXXV.

In repoſitione duorum, vel plurium feſtorum eumdem ritum habentium, & diverſa die occurrentium, attendatur prioritas tranſlationis, niſi attendenda ſit major dignitas, quæ attendi debet in illis tantum feſtis, quæ exprimuntur in Rubricis generalibus de Tranſlatione feſtorum n. 7., & de concurrentia officiorum ſub n. 2. illis verbis: *Inter feſta æqualis ritus &c.* Ita S. R. C. 13. Junii 1682. *in una Ord. Minor. de Obſerv.* ex Merato in Indice Decret. Brev. n. 127.

I. ÆQualitas ritus ſi in feſtis tranſlatis non extet, expreſſa Rubrica eſt *de Tranſl. num. 7.* feſto eminentioris ritus priorem repoſitionem ſemper deberi: *Si plura feſta ix. lectionum transferenda ſint, prius transferatur duplex, quam ſemiduplex.* Stante vero ritus paritate prioritas tranſlationis dat prioritatem repoſitionis, unde eadem Rubrica: *Alioquin ſi ſint æqualia, unum ante aliud transferatur eo ordine, quo erant celebranda in propriis diebus*, ideſt ſubdit Guyetus lib. 4. cap. 7. quæſt. 2., *ita ut quæ deſcripta ſunt in Kalendario prima die menſis, fiant ante alia, quæ deſcripta ſunt tertia, vel quarta &c.* Hæc, quæ uſquemodo tradit Decretum, cum apertis Rubricis maneant innixa, nullum ex Auctoribus reperiunt refragatorem.

II. Non ſic eſt de eo, quod ſubdit: *Niſi attendenda ſit major dignitas*; per quod inſinuatur nobis, quod in repoſitione attendenda non eſt prioritas tranſlationis, quoties in feſtis adeſt majoritas dignitatis; dictio enim *Niſi* exceptiva eſt, & in effectu adverſatur præcedentibus, ut bene Barboſa *dict.* 217., quare ſi v. g. ſimul tranſlata forent feſta S. Petri ad Vincula, & S. Mariæ ad Nives, ambo duplicia majora, Feſtum S. Mariæ ad Nives prius reponendum foret, licet illo ſit in tranſlatione poſterius. Equidem nulla eſt Rubrica, quæ huic exceptioni diſerte ſuffragetur, communiter tamen producuntur ea verba ejuſdem Rubricæ de Tranſl. num. 7. *Inter plura duplicia, quod eſt magis ſolemne, ſemper prius transferatur, & prius celebretur*, in quibus to *magis ſolemne* creditur ſtare pro *magis digno*, vel per illud etiam *magis dignum* venire. Equidem Tabella concurr. *num. 6.* notat: *Totum de digniori, commemoratio de minus digno*, & certum eſt per to *Digniori* venire etiam *ſolemniori*, alias diminuta foret, nec concordaret cum Rubrica *de Tranſl. n. 2.*, quæ quidem prius præferentiæ privilegio donat feſta digniora, ſcilicet Chriſti, B. Mariæ &c., ſed idipſum poſtea præſtat etiam erga feſta ſolemniora: *Et feſta illorum Sanctorum, qui in propriis locis, vel Eccleſiis ſolemniter celebrantur, aliis in Kalendario deſcriptis.* Tabella occurr. *n. 8.* ſignat: *Officium de digniori, translatio de minus digno*, & ſi *Dignioris* appellatione non venit etiam *ſolemnius*, utique ſubintelligitur, ut Tabella reſpondeat Rubricæ *de Tranſl. n. 6.*, quæ per hæc verba, *fiat de digniori, ſeu ſolemniori*, non minus ſolemniori favorabilis extat. Producantur expreſſa verba Rubricæ: *At ſi omnia fuerint duplicia, vel omnia ſemiduplicia, fiat de digniori, ſeu ſolemniori, & quæ minoris ſolemnitatis ſunt, transferantur.* Prius nominat dignius, & ſolemnius, *fiat de digniori, ſeu ſolemniori*, poſtea ſolius ſolemnitatis meminit, *& quæ minoris ſolemnitatis ſunt, transferantur*; ſi ergo nomine *minoris ſolemnitatis* non veniat etiam *minor dignitas*, quomodo unquam Rubrica diminuta non erit in poſterioribus verbis, & hæc cum prioribus concordabuntur? Patens eſt itaque, quod in Rubricis *Dignius* ſtat etiam pro *ſolemniori*, & e contra, ac conſequenter, quod Rubrica *de Tranſl. n. 7.*, dum *magis ſolemne* priori repoſitione donat, eſt etiam favorabilis *magis digno*, quinimmo huic magis, utpote quod a Rubrica *Inter feſta* præfertur ſolemni.

III. Gavantus *ſect. 3. cap. 10. num. 7.* ejuſdem nobis aperit ſenſum Rubricæ: *Fiat in feria ſecunda* (loquitur de feſto incidente in Dominicas in Albis, vel SS. Trinitatis) *non impedita de feſto prius tranſlato, ordine ſervato dignitatis* (nota hæc verba) *& Kalendarii, prout vere ſonant verba dictæ Rubricæ de Tranſl. num. 7., examinata in poſtrema recognitione Breviarii, & in hunc ſenſum communiter recepta.* Si itaque in repoſitione feſtorum ſervari debet *Ordo dignitatis*, & allegata Rubrica in favorem officii dignioris intellecta fuit in poſtrema recognitione Breviarii, dubium omne adimitur de officio digniori prius transferendo, & reponendo. Gavanto de more ſubſcribit Meratus *ibidem n. 6.* Guyetus vero *lib. 4. cap. 7. quæſt. 3.*, quod feſta reponantur juxta ordinem dignitatis præſcriptum a Rubrica *Inter feſta*, videlicet prius feſta Domini, poſtea Deiparæ &c., arbitratur valde congruum, ſed de ſenſu, quem allegatæ Rubricæ facit Gavantus, dubitat, & ſubdit, quod ex eadem contrarium æque facile eſt colligere. *Valeat nihilominus*, concludit, *tanti viri auctoritas, cum ratione congruenti conjuncta.* Verum de ſenſu Rubricæ nunc non licet amplius dubitare, cum a Sacra Congregatione ita fuerit auctoritative interpretata, dum in feſtis expreſſis ab eadem Rubrica attendendam aſſerit dignitatem.

IV. Rubrica *de concurr. num. 2.*, cujus Decretum meminit, ad rem rationem plurimam nobis ſuggerit, dum feſta digniora in concurſu præfert minus dignis, illiſque utraſque integras elargitur Veſperas, quod enim in concurſu aptum eſt præferentiam tribuere, vel ritus altior eſt, vel quid majori æquipollens ritui, facienſque id, quod altior faceret ritus, ſi adeſſet; cur itaque & in repoſitione præferentiam non præſtabit, quam utique major elargiretur ritus? Si dicas digniora feſta donari priori repoſitione relate ad feſta minus digna, ſimul occurrentia, jam vides, quod id juris etiam habet Martyr præ Confeſſore, etſi hi dimidient Veſperas, ac conſequenter opus eſſe, quod quæ præferentiam habent in concurſu, potius jus habeant in repoſitione, & ſic quod in hac ceteris ſint præponenda.

V. In oppoſitum cum Pittono *de ſacr. ritib. num.* 1058. ſenſit Meratus *in Indice Decr. Brev. num.* 171., ſed condonandum eſt illi, quia ex Pittono, cujus auctoritas nihili eſt pendenda, tranſcripſit, quæ ibi tradit, immemor, aut non advertens ad ea, quæ alibi ſaniori judicio docuerat. Non leve tamen eſt argumentum ex Decreto 14. Jan. 1691. petitum, ex quo ipſi id eruunt, eo quod ex ſpeciali privilegio SS. Annunciationis feſtum præferentia donare fatetur; quam ad rem & adduci poſſet Decretum 28. Novemb. 1682., quod dum idem Annunciationis feſtum feſto S. Joſeph præponendum edicit, addit *quocumque in contrarium non obſtante*. Verum de his in expoſitione eorumdem Decretorum. Infra etiam adducetur Decretum prius reponens S. Marcum, quam SS. Philippum, & Jacobum, etſi hi ſint ex recenſitis a Rubrica *Inter feſta*, non ille; at id evaneſcet, dum ibidem dicetur, Evangeliſtas inter & Apoſtolos nullam eſſe dignitatis diſparitatem, & in eadem Rubrica venire Apoſtolorum nomine.

VI. Quæ dignitas ad effectum prioris repoſitionis, ait Decretum, *attendi debet in illis tantum feſtis, quæ exprimuntur in Rubricis generalibus de Tranſl. num. 7.* quæ tamen cum ſolum generatim recenſeat *feſtum magis ſolemne*, fas eſt convolare ad Rubricam alteram *de concurr. n. 2. Inter feſta*, a qua expreſſa feſta, vult itidem Sanctio eſſe attendenda. Hæc autem diſerte nos docet, feſta Domini eſſe præferenda omnibus aliis,

feſta

feſta B. Mariæ feſtis Sanctorum, & feſta Angelorum, & Apoſtolorum ceteris aliis, & feſta illorum Sanctorum, quæ in propriis locis, & Eccleſiis ſolemniter celebrantur, aliis in Kalendario deſcriptis; quare feſta hæc omnia, & prout recenſentur, præferenda erunt in repoſitione, ſicuti & præferentur in concurſu. Seu ſi ita mavis, feſta, quæ in concurſu præferentiam habent; illam habent etiam in repoſitione. In Decr. 16. Cap. 1. diximus in eadem Rubrica ſubintelligi S. Joannem Baptiſtam, & de S. Joſeph tradetur alibi. Ex feſtis tamen S. Joannis Baptiſtæ, & SS. Apoſtolorum non gaudent præferentia, niſi ea, in quibus exprimitur eorum dignitas, non in quibus colitur ratio altera, ut eſt Decollatio, in qua celebratur martyrium S. Joannis, & Cathedra S. Petri, in qua inſpicitur ejuſdem Pontificium, ut non ſemel ponderavimus.

VII. Equidem Decretum per dictionem *niſi* in conſiderationem ponit ſolam majorem dignitatem, tu id intellige & de ſolemnitate, quia per Rubricas *digniora*, *& ſolemniora* viciſſim ſe exprimunt. Rubrica *Inter feſta* etiam feſta ſolemniora donat præferentia, & Rubrica *de Transl. num. 6.* ſolius feſti *ſolemnioris* meminit. An præfata feſta omnia aſſerto gaudeant præferentiæ privilegio, licet ſemiduplicia ſint, quæſtio alia eſt, quæ affirmative reſolvenda videtur, quia Decretum in feſtis non exigit, niſi ritus æqualitatem; negative tamen jam alibi, & bene reſolvitur, ubi dicimus feſta ſemiduplicia, licet ſint ex ſuperius recenſitis, præferentia non gaudere in concurſu, ergo utique nec in repoſitione, & præſertim quia Rub. *de Transl. n. 7.*, ad quam cum remittat Decretum, utique ab ea etiam reſtringitur ejuſdem abſolutus veluti loquendi modus, diſerte ſe explicat, ſolum duplicia privilegiare: *Et inter plura duplicia, quod eſt magis ſolemne, ſemper prius transferatur, & prius celebretur*. Ritus ſemiduplex eſt ritus depreſſus, & humilis, quare feſta non facit ſolemnia, & ſic nec digna, in quibus eorumdem exprimatur dignitas, ut magis dicitur, ubi de concurrentia ſermo eſt.

VIII. Dices: In occurrentia attenditur dignitas eorumdem feſtorum, licet ſemiduplicium: quidni igitur & in concurſu, & repoſitione? Verum diſpar eſt ratio, nam ideo in occurſu, quia cum duo officia 9. lectionum ſimul celebrari nequeant, nec iiſdem officium partiri queat, neceſſe eſt, unum eorum dimitti altero retento, congruentius autem dimittitur minus dignum, & minus ſolemne, unde in occurſu & relevat dignitas accidentalis, & quælibet vel minima feſtorum diſparitas. Non ſic autem eſt in concurſu, in quo locum habet veſperarum diviſio, nec in repoſitione, in qua feſta nullo ſubjacent præjudicio, utpote quæ alio die integre reſumuntur ſervato ordine Kalendarii, unde ſicuti hac de cauſa non attenditur dignitas accidentalis, ita neceſſe non eſt, attendatur dignitas feſtorum, de quibus loquimur.

IX. Erunt fortaſſe, qui Rubricæ verba illa, *& inter plura duplicia, quod eſt magis ſolemne, ſemper prius transferatur &c.*, ita explicabunt, ut ſenſum reddant, quod ex pluribus duplicibus illud ſit præferendum, quod eſt altioris claſſis, puta duplex 1. claſſis ante duplex 2. claſſis; ſed ſi ejuſmodi foret Rubricæ ſenſus, quomodo unquam Congregatio uti potuiſſet eadem Rubrica in favorem officii dignioris? Verum eſt itaque, quod duplex 1. claſſis eſt reponendum ante duplex 2. claſſis, ſed id eruitur, non ex citatis Rubricæ verbis, ſed ex præcedentibus, videlicet: *Si plura feſta 9. lectionum transferenda ſint, prius transferatur duplex, quam ſemiduplex*; per hæc enim deſignatur ſatis, quod uti ſemiduplex, quia inferioris ritus, in repoſitione cedit duplici, ita eadem de cauſa duplex duplici majori, & duplex majus duplici 2. claſſis, &c., unde dum ſubditur, *& inter plura duplicia, quod eſt magis ſolemne &c.*; per to *magis ſolemne* venire non poteſt diſtinctio claſſium, ſed magis feſtorum ſolemnitas, & dignitas. A ſimili id pates ex Rubr. *de Transl. n. 6.*, quæ in caſu occurrentiæ plurium feſtorum ſtatuit, *ſi duo, vel plura feſta ſimul eodem die veniant, fiat officium de majori, ideſt de duplici, & ſemiduplicia transferantur*, & per hæc verba, quid in occurſu plurium quoque feſtorum duplicium diverſæ claſſis faciendum ſit, ſatis ſtatuiſſe cenſuit; dum vero ſubdit, *at ſi omnia fuerint duplicia, vel omnia ſemiduplicia, fiat de digniori, ſeu ſolemniori, & quæ minoris ſolemnitatis ſunt, transferantur*, diſponit tantum pro feſtis dignioribus, & ſolemnioribus, & non quatenus ad diverſas ſpectant claſſes, alias etiam in ſemiduplicibus, de quibus etiam loquitur Rubrica, diſtinctio claſſium adinveniri deberet.

DECRETUM II. CAPITIS, IN ORDINE CCXXVI.

Propoſitum dubium pro parte Cathedralis Hiſpalenſis, nempe de quo feſto prius agendum ſit, an de Patrono Civitatis, qui eſt S. Iſidorus, an vero de Titulari, qui eſt B. Virgo? Reſolutum fuit, de digniori, nempe de B. M. V. Ita S. R. C. 27. Aug. 1633. *in Hiſpalen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 76.

I. SAnctus Iſidorus Eccleſiæ Hiſpalenſis principalis Protector eſt, & recurrit die 4. Aprilis, & B. Virgo, ſeu ejuſdem Annunciatio, eſt Cathedralis ejuſdem Civitatis Titulus, hinc ambo duplices 1. claſſis, & factum eſt dubium, de quonam prius agendum ſit, ſeu quodnam prius reponendum ſit, dum ambo ob occurrentes ferias majoris hebdomadæ, & Paſchatis transferuntur? *De digniori* Congregatio reſpondet, ſimulque ſe explicat, *nempe de B. M. V.*, forſitan ne dignioris vocabulo quis intelligeret ſolemnius, & ſic pronuntiatum crederet in favorem Patroni loci, quem Gavantus præfert Titulari ratione majoris ſolemnitatis. Antequam ulterius progrediar, volo, quod adnotes Datam Decreti, quæ eſt de anno 1633., ut hinc eruas, Annunciationi Decretum eſſe favorabile ratione Rubricarum generalium, quæ feſta Deiparæ in æqualitate ritus præponunt Sanctorum feſtis, non vi ſpecialium privilegiorum, quæ Annunciationi fuerunt facta, utpote quæ admodum ſunt moderniora. Rubricæ autem, quæ in favorem Annunciationis faciunt, in præcedenti Decreto examinatæ fuere.

II. Dubium tamen & excitari poteſt relate ad Cathedralem, & tunc pro præferentia Annunciationis ſtant omnes tituli, nempe *anterioritas translationis*, cum a die 25. Martii ſit amota, *major dignitas*, quia Deiparæ Sanctus nullus comparari valet, *major ſolemnitas*, quia in propria Eccleſia intenſive ſolemnius profecto eſt feſtum Tituli, licet extenſive ſolemnius fortaſſe ſit feſtum Patroni loci, quatenus in ceteris Eccleſiis ſolemnius celebratur, quam Cathedralis Titulus, *major* denique *proprietas feſti*, cum Eccleſiæ cuilibet nullum feſtum ſit magis proprium, quam feſtum Tituli, qui Eccleſiam ipſam denominat. Si vero dubium ſit relate ad reliquas loci Eccleſias, in favorem Deiparæ militant anterioritas translationis, & dignitas, & in favorem Patroni proprietas, & ſolemnitas. *Proprietas*, quia feſtum Tituli Cathedralis ab hac in reliquas derivat, non feſtum Patroni, qui cum *loci* Patronus ſit, conſequenter Patronus eſt omnium Eccleſiarum loci; & hac de cauſa in ceteris Eccleſiis etiam Patroni feſtum ſolemnius eſſe ſolet. Verum major proprietas feſti, & ſolemnitas, ut dicebamus in Decr. 16. cap. 1., validæ non ſunt in concurſu præferri faciendi feſtis dignioribus a Rubrica *Inter feſta* recenſitis, unde S. Rochus in Eccleſia propria Veſperas cedit Aſſumptioni B. Mariæ. Videantur ibi dicta.

III. Quod ſi loco B. Mariæ Sanctus alter ex non recenſitis a Rubrica *Inter feſta*, translatus foret, anterioritas translationis in caſu quæſtionem dirimeret: major enim ſolemnitas, qua reſpective ad Eccleſias gaudet Patronus loci, vel Eccleſiæ Titulus, præſertim extra diem proprium, exiguæ virtutis eſt, ut præferentiam in concurſu, vel repoſitione præſtare queat. Quod ſi magna alicubi foret, haud ambigimus, præferentiam præſtare poſſe. Verum ut hæc omnia uno abſolvamus verbo, recole dicta in memorato Decreto 16. cap. 1., & dicenda in cap. de concurrentia, & ea in repoſitione præpone, quæ in concurſu præferri videbis. Plura Decreta circa Annunciationis feſtum hic exponenda forent, ſed ea relinquimus examinanda, cum de feſtis Deiparæ agemus.

DECRETUM III. CAPITIS IN ORDINE CCXXVII.

Nulla diſparitas adeſt inter translationem feſtorum Apoſtolorum, & illam Evangeliſtarum, ſed occaſione dictæ translationis faciendum eſt officium, quod prius in Kalendario reperitur. S. R. C. 18. Sept. 1666. *in Romana*, ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 92.

I. GAvantus *ſect. 3. cap. 9. num. 3.* exponens Rubricam *de concurr. n. 2.*, in qua ſtatuitur, quod feſta Angelorum, & Apoſtolorum præferuntur ceteris aliis, ait: *Si aliis, ergo etiam Evangeliſtis, quod bene nota*. Si itaque Apoſtoli in concurſu præferuntur Evangeliſtis, utique & in repoſitione, ut nos ipſi ſuperius in ſimilibus arguebamus. Divus Thomas *ſuper caput 7. ad Epheſios lect. 3.* exponens illud Pauli: *Secundum divitias gratiæ ejus, quæ ſuperabundavit in nobis*, inquit: *ex quo apparet temeritas illorum, ut non dicam error, qui aliquos Sanctos præſumunt comparare Apoſtolis in gratia, & gloria. Manifeſte enim patet ex verbis iſtis, quod Apoſtoli habent gratiam majorem, quam aliqui alii Sancti, poſt Chriſtum, & Virginem Matrem*. Idem ergo judicium de Apoſtolis, & Evangeliſtis haberi non poteſt. Quibus ſi addantur feſtivatio, qua Apoſtoli præ Evangeliſtis coluntur, & prior eorumdem deſcriptio in Litaniis, ex quarum ſerie eruit Gavantus præferentiæ titulum *ſect. 3. cap. 8. n. 6.* ex feſtivatione Meratus *ibid. n. 11.* conſtat Apoſtolis Evangeliſtas non eſſe pares, adeoque his illos eſſe anteponendos.

II. Verum Congregatio Apoſtolos inter, & Evangeliſtas nullam agnoſcit diſparitatem, & de Matthæo, & Joanne, cum Apoſtoli item ſint, difficultas non eſt, ſed tantum de Marco, & Luca, pro quibus tamen hæc ratio facit, quod ſi Apoſtoli tantis gratiæ donis a Domino decorati fuere, eo quod electi extiterunt, ut Evangelium univerſo Orbi annunciarent, fidemque Chriſti docerent homines, minoribus inſtructi putari nequeunt Evangeliſtæ, qui a Domino ipſo fuerunt cooptati, ut per ejuſdem Evangelii ſcriptionem permanenter idipſum facerent, totamque Eccleſiam præſentium, & futurorum imbuerent. Id ſentire jam viſa eſt Eccleſia, dum in Breviarium pro Apoſtolis, & Evangeliſtis unum, & idem commune induxit; hoc enim ipſo, quidquid ſit de donis gratiæ, quorum diſtributor uti ſolus eſt Deus, ita ipſe eorumdem diſtributionis menſuræ ſolus eſt cognitor, aperte ſaltem denotat, quod in ratione officii pares ſunt cenſendi, unde ad rem egregie Guyetus lib. 4. cap. 13. quæſt. 5. *Ut Evangeliſtæ Apoſtolis aſſerantur pares, facit claſſis, & officiorum omnimoda paritas*, qui propterea Gavanti opinionem dignam reformatione facit, & concordat Meratus *ſect. 3. cap. 9. num. 3.*

III. Hinc breviter dicito, quod in Rubrica *Inter feſta* Evangeliſtæ veniunt Apoſtolorum nomine; quæ D. Thomas tradit, non ſunt in ſenſu excluſivo Evangeliſtarum accipienda, quorum munus Apoſtolico eſt ſimillimum; feſtivatio præſtat ſolum

ſolum

Digitized by Google

lum præferentiam in occurſu, non in concurſu, & repoſitione, ut dicitur in cap. 13., & alibi tradetur; & plus non importat prior deſcriptio in Litaniis, alias martyres, qui prius Confeſſoribus, immo in diſtincta, & diverſa ſerie in Litaniis invocantur, & recenſentur, in concurſu, & repoſitione præferendi forent, immo multo magis, quia Evangeliſtæ in eadem ſerie recenſentur, quæ communi invocatione abſolvitur, *omnes Sancti Apoſtoli, & Evangeliſtæ*. Ex quibus habes Apoſtolis deberi præferentiam in occurſu cum Evangeliſtis, non in concurſu, & repoſitione, & Evangeliſtas ceteris Sanctis eſſe præferendos Apoſtolorum inſtar in occurſu, concurſu, & repoſitione, Apoſtolorum vero, & Evangeliſtarum priorem repoſitionem inſtar aliorum Sanctorum petendam eſſe a priori translatione.

DECRETUM IV. CAPITIS IN ORDINE CCXXVIII.

Si feſtum S. Marci Evangeliſtæ occurrat in feria ſecunda poſt Dominicam Reſurrectionis, & ſimiliter feſtum SS. Apoſtolorum Philippi, & Jacobi in Dominica in Albis, ac propterea juxta Rubricas utrumque ſit transferendum, prius transferri, & reponi debet officium S. Marci. S. R. C. 17. Julii 1706. *in una urbis, & orbis*, ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 239.

I. PRæcedens confirmatur Decretum, dum nunc ratione prioris translationis feſtum Evangeliſtæ S. Marci priori repoſitione donatur relate ad feſtum SS. Apoſtolorum Philippi, & Jacobi; quare noſtram convertimus conſiderationem ad Sanctos illos, quos in Decr. 15. cap. 3. in Sacris litteris, Martyrologio Romano, & Lectionibus 2. nocturni *Apoſtolorum* vocabulo advertimus appellari, & quærimus, num Apoſtolorum inſtar reliquis Sanctis debeant præponi? Et dicimus negative, ſi Apoſtolorum officium non aſſequuntur, ſunt hi quippe ſolo nomine Apoſtoli, non dignitate, nec officio, & ideo nec Apoſtolorum præferentia diſtinguendi, ſed ſolum ea, quæ iiſdem competit ratione officii Confeſſoris, vel Martyris, quod conſequuntur, & ideo Breviarium Romanum S. Franciſcum Xaverium, qui ex hujuſmodi Apoſtolis eſt, Veſperas rite dividere facit cum ſequenti S. Petro Chryſologo. Si vero Apoſtolorum officio colantur, ut fit in nonnullis Galliæ Eccleſiis, ibidem diximus, & iterum confirmamus, Apoſtolorum more poſſe iiſdem præferentiæ privilegium adaptari. An autem relate ad verus Apoſtolos ſecent Veſperas, vel ſtante priori translatione prius reponantur? Exemplum ab Evangeliſtis ductum quæſtionem affirmative reſolveret, nos tamen refragamur, Apoſtolicam dignitatem in illis non agnoſcentes, quam tamen, vel ſimillimam in Evangeliſtis profitemur. Uſus tamen antiquior Bulla Piana uti contra Rubricas iiſdem Apoſtolorum officium facit licitum, ita & præferentiam tueri poſſet, vel æqualitatem. Ceterum nos crederemus, hujuſmodi uſum & quoad officium & præferentiam ſatius eſſe reformandum.

II. De iis Sanctis quæſtio ſuccedit, qui cum habeant plura feſta de ſe inſtituta, in natalitio, & primario coluntur officio eorumdem dignitati conveniente, non in ſecundariis, cujuſmodi eſt utraque Cathedra S. Petri, in qua officium agitur de communi confeſſoris Pontificis, Decollatio S. Joannis Baptiſtæ, in qua de eodem fit tamquam martyre, & feſta Ordinationis aliquorum Sanctorum Epiſcoporum, in quibus de iiſdem fit officium confeſſoris Pontificis, ut Veronæ 8. Decembris de S. Zenone, cum tamen ipſi martyres etiam ſint; & quæritur, num etiam hæc feſta ſecundaria gaudeant præferentia, quæ eorum dignitati reſpective debetur, & in feſto primario adhibetur?

III. ℞. negative, & Decollatio S. Joannis Baptiſtæ, qui dignitate par eſt, vel Apoſtolis præſtat, rem extra dubium collocat, dum quia in ea ut martyr inſpicitur, & colitur officio martyris, cum præcedenti feſto S. Auguſtini, & ſequenti S. Roſæ in Breviario veſperas dividit; non cadit ſiquidem in conſiderationem dignitas præcipua Sancti, dum ſub particulari ratione alia feſtum inſtituitur. Idem dicito de aliis.

DECRETUM V. CAPITIS, IN ORDINE CCXXIX.

Pro translatione feſtorum talis ratio habeatur, ut prius fiat officium de prius deſcripto in Kalendario, nullo habito reſpectu, quod officium translatum ſit Eccleſiæ particularis, Ordinis, ſeu Religionis, Diœceſis, Nationis, & Eccleſiæ univerſalis. S. R. C. 5. Maji 1737. *in Einſidlen.* Ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 290.

I. ORdo per Decretum 10. præcedentis Capitis teneri præſcriptus, quoties plura feſta ſimul eodem die recurrunt, ita ut *primum locum habeat feſtum Eccleſiæ particularis, ſecundum Ordinis &c.*, & in repoſitione ſervari debet, dum ab eodem die ſunt amota, ſunt quippe juxta Rubricam *de Transl. num. 7.* feſta reponenda eo ordine, quo erant celebranda propriis diebus; at idipſumne erit ſervandum, quoties e diverſo die ſunt translata? Nequaquam reſpondit Congregatio, ſed *prius fiat officium de prius deſcripto in Kalendario, nullo habito reſpectu &c.*, & hoc juxta præſcriptum ejuſdem Rubricæ: *Alioquin ſi ſint æqualia, unum ante aliud transferatur eo ordine, quo erant celebranda in propriis diebus*. Connaturalis enim illa ſolemnitas, ſeu celebritas, qua unum præ alio gaudet, etſi valida ſit præferentiam præſtare in occurſu, in quo feſtorum unum neceſſe eſt dimitti, uti idipſum præſtat & ſola dignitas accidentalis, ſecus tamen in concurſu, & repoſitione, ut non ſemel ponderavimus, quare de prius deſcripto in Kalendario faciendum eſt, nullo habito reſpectu, quod inter officia translata alterum ſit Eccleſiæ particularis, Religionis &c.

DECRETUM VI. CAPITIS, IN ORDINE CCXXX.

De feſto translato faciendum eſt officium die immediate ſequenti, etiamſi adſit aliud ejuſdem dignitatis feſtum prius translatum. S. R. C. 30. Sept. 1679. *in una Cappuccin.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 105.

I. DOnatur repoſitione in die immediate ſequenti feſtum quodlibet in excluſionem alterius feſti ejuſdem dignitatis, ſcilicet ritus, prius translati. Quibus innitatur, Sanctio Rubricas non habet, quinimmo reſiſtit Rubrica *de Transl. n. 7.*, quæ in caſu plurium feſtorum translatorum ſtatuit, *Alioquin ſi ſint æqualia, unum ante aliud transferatur eo ordine, quo erant celebranda in propriis diebus*, ubi nulla fit exceptio in favorem feſti transferendi in diem immediate ſequentem. Suffragari poſſet Rubrica *de Transl. n. 5.*, dum ſemiduplici locum parat in proxime ſequenti die contra alia prius translata, ſed ea Rubrica diſerte privilegiat dumtaxat ſemiduplex infra octavam, & adhuc particulari de cauſa, nempe quia ejuſdem repoſitio alias differri deberet poſt octavam, quia de duplici, quod in qualibet die infra octavam reponi valet, privilegii ratio non militat, nec Rubrica eidem favorabilis extat.

II. At ſi in Rubricis fundamentum non habet, congrua ratione non deſtituitur, petita ex jure vicinitatis, quam feſtum habet ad diem immediate ſequentem; leges enim civiles finitimis majus jus, quam aliis in vicinum ſolum non denegant. Hinc in caſu noſtro id habetur commodi, ut feſtum totaliter e proprio die non transferatur, quatenus in eo integras habet Veſperas, vel Capitulum, aut ſaltem commemorationem juxta qualitatem officii, cum quo concurrit. Congrua hæc ratio eſſe potuit limitandi, ſeu magis declarandi ſenſum memoratæ Rubricæ non comprehendere feſta relate ad diem immediate ſequentem.

III. Huic Decreto, cui ſequens conſonat, derogatum fuit per octavum hujus capitis, & licet per nonum eidem integrum robur reſtitui videatur, non ſic tamen eſt, ut apparebit in expoſitione ejuſdem, quare in ſua derogatione remanet.

DECRETUM VII. CAPITIS IN ORDINE CCXXXI.

Deciſum jam fuit (nempe die 30. *Sept. 1679.*) quod de feſto translato faciendum ſit officium die immediate ſequenti non impedita, etiamſi adſit aliud ejuſdem dignitatis feſtum prius translatum, non tamen idem intelligendum eſt, ſi adſit aliud feſtum, ſeu officium majoris ritus prius translatum. S. R. C. 1. Martii 1681. *in una Canon. Regul. Lateran.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 118.

I. AN favor præcedentis Decreti factus feſto relate ad diem immediate ſequentem in excluſionem alterius feſti ejuſdem ritus, prius translati, extendatur etiam ad caſum, in quo alia feſta translata majoris aſtant ritus, nunc diſquiſitio procedit, & Congregatio negative reſpondet, & ratio eſſe potuit, quia feſtum altioris ritus prius translatum ex duplici capite habet jus prioris repoſitionis, nempe & ex capite anterioris translationis, & ex capite majoritatis in ritu, ut aperte eruitur ex Rubrica *de Transl. n. 7.*, etſi autem præferentia prioris translationis fortaſſe compenſetur per jus vicinitatis, vel per aſſertum commodum Veſperarum, Capituli, aut commemorationis in proprio die, adhuc præferentia potiſſima, quæ prius translatio debetur ex titulo majoris ritus, non eſt, unde exæquari queat. Quod ſi feſtum majoris ritus ab eodem die ſit amotum, jam idem jus vicinitatis, & idem habet commodum; unde plus juris ſemper habet translatum altioris ritus. Quoniam vero major dignitas, & ſolemnitas ex recenſitis a Rubrica *Inter feſta* majori quodammodo æquivalent ritui, & in concurſu præferri faciunt, ideo idipſum, quod diximus de feſto altioris ritus, pronuntiamus de feſto majoris dignitatis, & ſolemnitatis, nec refragatur Decretum præcedens, cum dicit, *etiamſi adſit aliud ejuſdem dignitatis &c.*, dignitas ſiquidem hæc & pro ritu, & pro aſſertis dignitate, & ſolemnitate rite accipi valet juxta ſuperius dicta, & in Capite præcedenti.

II. Nec dicas ſemiduplex infra octavam tantum juris habere in diem immediate ſequentem, ut excludat etiam duplex prius translatum; hoc enim ideo, quia ſequens dies eſt illi aſſignata tanquam propria ſedes, eo quod alias deperderet facile jus repoſitionis infra octavam ſibi a Rubricis factum, & poſt totam octavam differri deberet; quia autem duplex adhuc ultra ſequentem diem infra octavam transferri debet, neque eidem ſequens dies infra octavam tanquam propria aſſignata fuit; quare uti hoc, ita feſta quæcumque reliqua merito Rubricarum diſpoſitioni fuere relicta, & cedere debent translatis altioris ritus, licet non ejuſdem ob aſſertam rationem.

III. Quod ſupponit Sanctio, nempe feſta utile ſuæ repoſitionis habere ſpatium in die immediate ſequenti in excluſionem alterius feſti ejuſdem ritus, & prius translati, derogationem habuit, ut diximus in præcedenti Decreto; quod autem directe firmat, nempe feſta altioris ritus prius eſſe reponenda nullo habito reſpectu ad diem, quæ immediate ſequens eſſet relate ad translatum aliud inferioris ritus, nullam unquam paſſum eſt derogationem.

DE-

DECRETUM VIII. CAPITIS, IN ORDINE CCXXXII.

Cum nonnullorum non rite ſenſum generalis Rubricæ Breviarii Romani *tit.* 10. *n.* 7. *de Transl. feſtorum* percipientium obrepſerit opinio, quod de feſto transferendo, quod poteſt in ſequentem diem immediate transferri, ſit recitandum officium ante alia æqualis ritus prius translata. S. R. C. ad relationem Emin., & Rever. D. Card. Petrucci ſupradictam generalem Rubricam omnino ſervandam, & quocumque alio Decreto in contrarium non obſtante in caſu propoſito (ſervato ſemper ordine Kalendarii) officium de primo translato prius recitandum eſſe declaravit. Ita tamen ut per hanc declarationem nihil penitus circa ſemiduplicia in Dominicis infra octavas occurrentia veniat immutandum, pro quibus prædictam generalem Rubricam *tit.* 10. *n.* 5. pariter omnino ſervandam eſſe cenſuit, & ita ſervari mandavit. S. R. C. 22. Decemb. 1696. *in Decreto generali*, ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 191.

I. OBrepſerat opinio, quod de translato agendum ſit in die immediate ſequenti, tametſi adſint feſta alia ejuſdem ritus prius translata, quam opinionem confirmavit Decretum quoddam, & eſt ſextum hujus Capitis. Nunc Sacra Congregatio prædictam rejicit opinionem, tamquam non rite percipientem ſenſum Rubricæ *de Transl. n.* 7., quæ profecto per hæc verba, *alioquin ſi feſta ſunt æqualia, unum ante aliud transferatur eo ordine, quo erant celebranda in propriis diebus*, in æqualitate ritus diſerte prius translatum priori repoſitione donat, nulla exceptione facta, hanc Rubricam de repoſitione primi translati ſervari mandat, & expreſſe derogat prædicto Decreto, & cuicumque alteri, quod dictæ opinioni poſſet eſſe favorabile, neglectis prædictis vicinitatis jure, & commodo in comparatione ejuſdem Rubricæ, quæ tamquam lex generalis officii communem obſervantiam æquum eſt aſſequatur, qua de cauſa Decretum *generale* inſcribi voluit.

II. Quæ ſubdit Sanctio de exceptione ſemiduplicis incidentis infra octavam, late ponderata fuere in Capite 20. quare adnotamus dumtaxat, quod ample derogatum remanet Decreto, ſexto hujus Capitis, cujus derogatio adhuc remanet, non obſtante ſequenti Decreto, per quod renovari videtur, ut ſtatim dicemus.

DECRETUM IX. CAPITIS, IN ORDINE CCXXXIII.

Quæſitum fuit, an de feſto translato faciendum ſit officium die immediate ſequenti non impedita, etiamſi adſit aliud ejuſdem dignitatia feſtum prius translatum? Ad quod reſponſum fuit affirmative, & juſſum fuit dari Decretum 30. Sept. 1679. Ita S. R. C. 23. Julii 1736. *in Brugen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 316., ubi aſſerit idem omnino confirmatum fuiſſe per eamdem Sacram Congregationem die 16. Feb. 1737. *in Mechlinen.*

I. REſponſio affirmativa porrecto exhibita dubio, in ipſiſſimis verbis efformat ſextum Decretum Capitis, & revera hoc ipſum dari jubetur, *& juſſum fuit dari Decretum* 30. *Sept.* 1679. Cum itaque incaſſum juberetur dari Decretum omni robore exutum, ſi per juſſionem ipſam non redintegraretur, per præſentem Sanctionem, quæ poſterior eſt, ac conſequenter derogat quibuſcumque prioribus contrariis, derogatum iri videtur præcedenti, & iterum innovari ſextum capitis. Meratus idipſum ſentit in Indice Decr. Brev. n. 105. & ſect. 3. cap. 8. nu. 9., licet in Indice addat; *Hanc reſolutionem aliqui ad praxim non deducunt*, & in cit. ſect. *Licet nonnulli dictam confirmationem in dubium revocent*. Pace tamen tanti viri non video, quomodo ita ſcribere potuerit, quaſi ipſe ex iis non ſit, qui eamdem reſolutionem ad praxim non deducunt, aut ſi ipſe de confirmatione non dubitavit, quomodo in ſuis Tabulis illam numquam obſervet, & a dubio aliorum ſe duci permittat contra id, quod ſibi videtur.

II. Nos ſumus ex iis, qui nedum dubitant, ſed qui poſitive aſſerunt nullam præcedenti Decreto per præſens derogationem exhiberi; habet enim illud, *quocumque Decreto in contrarium non obſtante*, per quæ verba vult nullum Decretum ſuæ obſtare poſſe diſpoſitioni, & dictio *quocumque*, præſertim in ablativo poſita, juxta Juriſperitorum mentem nihil excludit, includit etiam ea, quæ ſpecialem mentionem requirerent, & ad caſus etiam improprios trahitur, quare derogat nedum Decretis, quæ in contrarium jam lata erant, ſed etiam quæ in futurum poterant ferri, & ut eidem derogaretur per præſens, non ſufficit, quod diſponantur contraria, ſed neceſſe foret, quod ejuſdem expreſſam, vel æquivalentem clauſulam derogatoriam haberet; nos enim credere non poſſumus, qud Congregatio una cum præcedenti generali Decreto ipſas officii leges, cujuſmodi ſunt Rubricæ, quibus illud innititur, tollere voluerit. Captum ſit itaque, quod in præſenti Decreto ad particularem rationem aliquam, quæ ultra loca, ad quorum inſtantias emanavit, illud non extendi ſinat, Congregatio reſpexerit, licet quando etiam præcedens Decretum caſſatum extitiſſet, per modernius, quod ſubdimus, iterum foret innovatum, & ſit Decretum x. Capitis, in ordine ccxxxiv.

III. *Officia translata, quæ tamen ſint ejuſdem ritus, & dignitatis, reponuntur juxta ordinem translationis, ut ſcilicet prius celebretur officium ab ante translatum, deinde fiat de alio ſecundo loco translato, & ſic ſucceſſive. Ab hac tamen regula excipitur ſemiduplex occurrens in feſto habente octavam, vel in Dominica infra octavam, vel in feſto duplici infra octavam; quod ſemiduplex in præfatis tribus caſibus transfertur in diem immediate ſequentem (in qua alias agendum eſſet officium de die infra octavam) protrahendo ad aliam diem non impeditam aliud quodcumque duplex, etiam* 1. *claſſis, prius translatum*. S. R. C. 2. *Sept.* 1741. *ex Regeſtis ejuſdem Congreg.*

IV. Quæ addit Decretum de exceptiona trium ſemiduplicium infra octavam reponendorum in excluſionem duplicis, etiam primæ claſſis, & prius translati, ſua non caruerunt ponderatione in cap. 20., & deſignant nobis Decretum 22. Decem. 1696. videlicet octavum hujus Capitis, iiſdem æque eſſe favorabile, ut loco citato nos dicebamus.

C A P U T XXVIII.

De Concurrentia Feſtorum.

I. DUorum officiorum non tantum conflictus eſt, mutuaque pugna, ſi ambo una, eademque die occurrant, & hæc occurrentia dicitur, de qua egimus, ſed etiam ſi ſe invicem continuis duobus diebus conſequantur, quod cum accidit, concurrentia eſt, quam modo lubet inveſtigare. Cum enim quodlibet feſtum ſaltem duplex, & ſemiduplex utraſque exigat Veſperas nempe primas, & ſequendas, neceſſe eſt, ut cum duo ſe ſe proxime conſequuntur, eædem Veſperæ, quæ ſecundæ ſunt præcedentis, ſint pariter primæ ſequentis, unde fit in iis utriuſque feſti concurſus, ſeu concurrentia, quæ propterea duplex eſt, activa una, paſſiva altera, & activa quidem ad officium præcedens ſpectat, paſſiva ad ſubſequens, cum quo a præcedente concurritur, quare Rubrica 11. ſub initio: *Concurrentia officii attendenda eſt ſemper in* 2. *Veſperis, quomodo ſit ordinandum officium cum ſequenti die.*

II. Concurrentia itaque non datur niſi intar officia, quæ jus aliquod habent in Veſperas illas veluti intermedias, & utrique communes, unde quia feſta duplicia, & ſemiduplicia, & dies Dominicæ primas, & ſecundas habent Veſperas, concurrentiæ activæ, & paſſivæ ſunt capacia. Feſta ſimplicia ſolius paſſivæ, quia primis tantum gaudent Veſperis; & ſi darentur officia ſolis 2. Veſperis inſtructa, ut teſte Merato *ſect.* 3. *cap.* 9. *n.* 1. olim erant feſta ſimplicia, ſolam activam concurrentiam haberent. Dies octava inſtar feſti duplicis utriſque Veſperis, & concurrentiis gaudet, uti & dies infra octavam, quoties cum feſtis concurrunt, ſola dempta die 7., quæ uti ſecundis caret Veſperis, etiam quando ceſſat dies octava, ita & concurrentia activa, ut late alibi traditum fuit, & præſertim in cap. 20., ubi & diximus vigiliam Pentecoſtes paſſivam ſortiri concurrentiam cum præcedenti feſto. Vigilia Epiphaniæ, cum officio ſemiduplici colatur, utriuſque concurrentiæ capax eſt; nullius vero reliquæ Vigiliæ cunctæ, utpote quarum officium a Matutino incipit, & terminatur ad Nonam. Ejuſdem rationis ſunt feriæ, quarum officium juxta Rubricam 11. *n.* 9. incipit & deſinit, ubi deſinit, & incipit aliud, & licet, feriarum Adventus, & Quadrageſimæ commemoratio fiat in Veſperis, id non fit ratione concurſus, ſed ipſius temporis privilegium eſt, unde & fit in duplici primæ claſſis. Modernæ inventionis ſunt ſimplicia per accidens, quæ utraque concurrentia gaudent, de qua late actum eſt in cap. 6.

III. Effectus concurrentiæ totus eſt in Veſperis, ut vel integræ ſint de alterutro, vel inter utrumque dimidientur. Primum evenit, cum ex concurrentibus unum altero majus eſt, & tunc minoris fit ſola commemoratio, vel adhuc commemoratio nulla; ſecundum vero, quando concurſus eſt inter æqualia, niſi aliter expoſtulet alterutrius dignitas, & in utroque caſu alterius commemoratio numquam deperditur. Fallit hæc regula in Dominicis, quæ cum præcedenti ſemiduplici Veſperas dividunt, cum ſequenti integras habent. Gavantus *ſect.* 3. *cap.* 9. *n.* 7. duas rationes aſſignat, nempe concurſum Populi ad ſecundas Veſperas, quas amat Dominicales, & non ad primas & quia Pſalmi Sabbatini plus habent ferialitatis, quam feſtivitatis, & ideo incongrui viſi ſunt inter feſtum ſemiduplex, & Dominicam. Hæ rationes non arrident Guyeto *lib.* 4. *cap.* 13. *quæſt.* 6. ubi duas alias profert, nempe dignitatem Dominicæ, quæ vere officium Domini eſt, & quia alias in iis Veſperis nihil fieret de Dominica, nam Pſalmi, & Antiphonæ Dominicæ pſalteriales ſunt, nec tamquam propriæ ſpectant ad officium Dominicæ. Tenujores iis Gavanti ſunt rationes iſtæ, ſecunda quidem, quia alias id falleret in Dominicis Adventus, quæ in Veſperis proprias habent antiphonas, & aliunde etiam in ceteris antiphonæ, & pſalmi, qui recitantur, cenſentur veluti de communi officii Dominicalis, unde inſtar Sanctorum, in quorum Veſperis etſi recitentur in reſpectivo communi dumtaxat poſita, nihilominus de iiſdem cenſetur actum, ita foret de Dominicis. Prima vero, quia alias etiam primæ Veſperæ eſſe deberent de Dominica, quando adhuc in ſemiduplicibus dignitas attendenda eſſet, quod non videtur verum. Validiores ſunt itaque Gavanti rationes, & præſertim quæ ex concurſu Populi petitur, cui addi poſſunt prærogativæ plurimæ, quibus gaudet dies Dominica, & ob quas congrue potuit ut ſupra privilegiari. Fallit diviſionis Veſperarum regula & in nonnullis aliis fortaſſe caſibus, & ideo conſulto Rubrica poſuit *regulariter*, verum de his agitur alibi.

Google

DECRETUM I. CAPITIS, IN ORDINE CCXXXV.

In concurrentia plurium officiorum æqualis ritus, ſive Martyrum, vel Confeſſorum, aut Virginum, vel Viduarum, minime attenditur dignitas eorum, ſed præferenda ſunt feſta poſteriorum, ſi celebrentur pompa ſolemniori, aut ſint ex illis feſtis, quæ celebrantur in propriis locis, & Eccleſiis, & hoc juxta verba Rubricæ de concurr. officii tit. 11. num. 2. *Inter feſta æqualis ritus &c.* S. R. C. 20. Julii 1686. *in Tridentina*, ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 157.

I. Solemnitas duplex eſt, intrinſeca una, & eſt ritus officii, qui cum ſit veluti ejuſdem modus intrinſecus, intrinſeca ſolemnitas dicitur ad differentiam extrinſecæ ſolemnitatis, quæ ſita eſt in pompa, apparatu, populi concurſu, aliiſque ſimilibus, quæ extrinſeca ſunt officio. Utriuſque meminit Sanctio, extrinſecæ per ea verba, *ſi celebrentur pompa exteriori*, intrinſecæ vero, dum legit *æqualis ritus*, ubi Rubrica habet *æqualis ſolemnitatis*. Quoties diſpar eſt ritus majori juxta Rubricas integræ debentur Veſperæ; & quidem tametſi minori eminentior inſit dignitas, quare ut Rubrica *Inter feſta* officia digniora præferat minus dignis, inter ea expoſcit *æqualem ſolemnitatem*, hoc eſt ritum. Ridicula, nec digna, quæ refellatur, eſt ſententia Merati *ſect. 3. cap. 10. num. 3.* officium ſemiduplex duplici, & duplex minus duplici majori ratione ſolemnitatis præferentis, & in ſui ſubſidium hanc adducentis Sanctionem, & quartam Capitis de Translatione feſtorum, quaſi utraque diſerte non exigeret, quod occurrentia feſta ſint *ejuſdem, & æqualis ritus*. Invictum robur ſuæ opinioni afferri putat a Rubrica 5. *num.* 1., quæ feſtis ſolemniter celebratis dat officium duplex, quod credit eſſe dumtaxat tertii ordinis, ſub quo claudit officium duplex minus, & majus per annum, unde non vult ſolemnitatem validam ad præſtandam præferentiam relate ad duplex 1. vel 2. claſſis. Verum alibi oſtenditur eam Rubricam procedere de duplici generatim, & ſub ſe claudere etiam duplicia 1. claſſis, unde æque ordinat officium ſolummodo duplex in Dedicatione, & Titulari Eccleſiæ, quæ feſta indubie ſunt 1. claſſis, quare non minus dici poſſet officia ſolemniter celebrata, conſtitui in ſerie duplicium 1. vel 2. claſſis, & his eſſe præferenda. Ceterum ea Rubrica loquitur aperte de feſtis *ſolemniter celebrari conſuetis*; & ſic celebrari conſuetis ante Bullam Pianam, quæ conſuetudo potis ſolummodo eſt tueri eorumdem officium, ſed non minus poſtea ritum, & præferentiam, & non alia quæcumque modernice conſuetudo, quæ nec officium invehere, nec ritum alterare valet. Videantur, quæ traduntur in Capitibus de feſtis ex conſuetudine, & Additione Breviario inhibita, & apparebit magis, quam incongruenter, & injuſte ea Rubrica in ſubſidium dictæ opinionis trahatur.

II. In concurrentia plurium officiorum æqualis ritus, ſive Martyrum, vel Confeſſorum, aut Virginum, ſeu Viduarum dignitatem *non eſſe attendendam*, edocet Sanctio, & laudatæ innititur Rubricæ, quæ communem Veſperam inter feſta dividit, ab hacque regula dumtaxat excipit feſta Domini, B. Mariæ, Angelorum, & Apoſtolorum. Guyetus *lib. 4. cap. 13. q. 5.* rationem exhibet, quod dignitas præferri faciens, fundatur in gratia, & ea quidem gratia, quæ majoris gloriæ eſſentialis cauſa eſt, & menſura; Eccleſia autem non noſcit, quanta ſit dictorum Sanctorum gratia, nec proinde gloria eſſentialis. Aureolæ vero, quibus martyres, virgines, & Doctores præ aliis remunerati dicuntur, quid accidentarium ſunt, nihilque ad eſſentialis gloriæ augmentum faciens, ſicut nec gratiæ gratis datæ, & multo minus dignitates in hac vita obtentæ, puta Pontificis &c.

III. At ſi horum officiorum non prævalet dignitas, utique ſolemnitas, unde Decretum ſubdit, quod *feſta poſteriorum præferenda ſunt, ſi celebrantur pompa ſolemniori*, ergo a fortiori feſta priorum feſtis poſteriorum; hoc autem factum fuit, ut ſolemnitati, & votis Populi, qui ad Eccleſiam confluit, officium de feſto auditurus, correſponderet officium. At quibus præferenda erunt? Iis quorum Decretum meminit, nempe Martyribus, Confeſſoribus, & Virginibus, & Viduis, non vero feſtis Domini, B. Mariæ, Angelorum, & Apoſtolorum, quæ cum præferantur ratione intrinſecæ dignitatis, merito a Rubrica *Inter feſta* præponuntur feſtis etiam in propriis locis, & Eccleſiis ſolemniter celebratis, quæ propterea ab eadem noviſſimo loco recenſentur, & dicuntur præferenda *aliis in Kalendario deſcriptis*, non vero dignioribus, quæ ipſa præcedenter enumeraverat, ut late traditum eſt in Decr. 20. Cap. 5., neque enim ſolemnitas, quæ extrinſeca eſt, adeo feſta elevare, vel dignificare valet, ut exæquent, aut ſuperent feſta intrinſece digniora.

IV. Carpet quis forte Decretum, quod in favorem feſti ſolemnioris ut ſupra præferendi alleget Rubricam *Inter feſta*, cum tamen hæc dumtaxat favorabilis extet *feſtis in propriis locis, & Eccleſiis ſolemniter celebratis*, quorum nomine ſolum Patroni loci, ac Titularis, & Dedicatio Eccleſiæ venire videntur. At facile eſt vindicare Decretum, quod non utitur ejuſdem Rubricæ verbis nudæ ſumptis, ſed ut junctis intentioni, quæ cum potior pars Rubricæ ſit, magis eſt attendenda; hæc autem non privilegiat prædicta feſta in propriis Eccleſiis, vel locis, niſi ratione ſolemnitatis, & ideo apte etiam Decretum vi ejuſdem Rubricæ privilegiat feſta, licet extra propria loca, & Eccleſias cum pompa ſolemniori celebrata, extendendo Rubricam, uſquequo ratio eamdem protendit. Expoſcit autem Decretum quod feſtum præferendum, pompa *ſolemniori* celebretur, & verbum *ſolemniori* comparative ſumi non debet, alias quæcumque ſolemnitas, qua unum præ altero gauderet, potis foret præferentiam cauſare, cum tamen Decretum, dum majorem exiguam dignitatem martyris ver. gr. præ confeſſore non attendit, etiam exiguam majorem ſolemnitatem negligat. Stat itaque poſitive, & ſignat ſolemnitatem magnam, & quæ ſit inſtar, vel quaſi inſtar illius, qua gaudent feſta in propriis locis, vel Eccleſiis; ad quod notandum conſulto Congregatio addit: *& hoc juxta verba Rubricæ de concurr. officii tit.* 11. *num.* 2.

V. Quid ſibi velit *pompa ſolemnior*, quæſtio ſuccedit, cui Congregatio 28. Octobris 1628. reponit feſtum Populi, aut Cleri cum pompa exteriori, apparatu, concurſu &c., & idipſum edocet Gavantus *ſect. 2. cap. 2. n. 29.* ubi pompam exteriorem explicat per proceſſionem, apparatum, concurſum, & hujuſmodi, ut panegyrici, muſica &c. Quæ licet collective exigenda non ſint, ſed diviſive, haud tamen arbitramur quemcumque apparatum, proceſſionem, aut concurſum poſſe ſuffragari, ſed magnum, vel ſaltem congruentem expoſci apparatum, aut concurſum, vel proceſſionem ſolemni, non ordinario ritu peractam. Hinc habes ſolemnitatem exiguam, quæ ſcilicet ſitit ut aliquibus velis appenſis, modico Populi concurſu, Altaris apparatu, publica officii præter ſolitum decantatione, indulgentia plenaria, aliiſque id genus, ad rem non ſuffragari poſſe; modica enim iſta, ſaltem diviſive, & abſolute ſumpta, ac minima in conſiderationem non cadunt, ſimul tamen ſumpta, & adhuc diviſive, ſed comparative ad Eccleſias aliquas pauperiores, & ab hominum commercio diſſitas, & ſemotas, ad effectum fortaſſe poterunt relevare.

VI. Ex his inferes ad rem, de qua agitur, debere negligi celebritatem connaturalem Sanctorum indigenarum, ſolemnitatem, quam ſibi vindicant nonnulli Sancti ob patrocinium ſupra morbum aliquem, Defunctorum legata, quæ id præſcriberent, Epiſcopi edictum, aut Synodi Diœceſanæ, per quæ poſt Bullam Pianam in iis, quæ ad divinum officium pertinent, nihil immutari valet, ut dicitur in capitibus de Additione Breviario inhibita, & de feſtis ex conſuetudine, ubi & reprobatur conſuetudo, quæ eadem Bulla non ſit vetuſtior. Idipſum eſt de feſtivatione quoad forum, ut dictum eſt in Decret. 3. Cap. 13. & infra dicetur; & de Patronis non ſervato Congregationis Decreto a Populo, vel Clero electis, quorum electiones juxta tradita in Decret. 1. Cap. 3. irritæ ſunt. Et quidem Decretum ad id expoſtulat, quod *cum pompa ſolemniori celebrentur, aut ſint ex feſtis, quæ celebrantur in propriis locis, & Eccleſiis*; quare ſi horum neutrum interveniat, neceſſe eſt ſtare Rubricarum diſpoſitionem, quæ in æqualitate ritus Veſperarum demandant diviſionem. Quod ſi aliquibus ex dictis feſtis pompa ſolemnior inſimul adhibeatur, haud refragamur & Veſperarum iiſdem integritatem concedi.

VII. De feſto alicubi ſolemni, aut celebri in Populo, & Clero, vel ob votum, aut communem loci devotionem, vel ob beneficia ejuſdem interceſſione a Deo impetrata, potius emergit dubium, quod reſolvimus negative relate ad omnes loci Eccleſias, affirmative relate ad illas, in quibus ſpecialius Populus convenit Sanctum veneraturus, ac acturus gratias; par enim eſt, ut in hujuſmodi Eccleſiis ad ſatisfaciendum communibus votis, & univerſali Populi devotioni, integræ feſto, ſi ex conceſſione jam officium habeat, aut ſecus non expoſcat alterius concurrentis feſti altior ritus, concedantur Veſperæ.

VIII. *Aut ſint ex feſtis, quæ celebrantur in propriis locis, & Eccleſiis*; eſt diſpoſitin altera Decreti, quam dictio *Aut* a præcedenti diſtinguit, facitque, etiam feſta extra propria loca, & Eccleſias ſolemniter celebrata, pari præferentiæ jure gaudere, uti ſuperius dicebamus; id autem, quod tenet præſens Decreti pars, certum redditur ex Rubrica *Inter feſta*, quæ feſta Sanctorum in propriis Eccleſiis, aut locis ſolemniter celebratorum aliis in Kalendario deſcriptis præferentia donat. An hæc feſta in propriis Eccleſiis, & locis præferentia gaudeant, etſi ſolemniter non celebrentur, videtur, quod non, quia Rubrica dicit *ſolemniter* celebrantur. Nos vero affirmative reponimus. Tum quia alias poſt exceptionem feſtorum pompa ſolemniori celebratorum, non oportuiſſet Decretum meminiſſe etiam eorum, quæ in propriis Locis, & Eccleſiis celebrantur. Tum quia Decretum conſulto creditur omiſiſſe *ſolemniter*, etſi illud notet Rubrica. Tum quia ſolemnitas feſtis in propriis locis, & Eccleſiis ex ſe competit, & debita eſt, & per accidens eſt, quod quandoque exteriori ſolemnitate ſpolientur. Tum denique quia Rubrica ad diem 30. Junii integras S. Paulo in propria Eccleſia tribuit Veſperas, nulla extrinſecæ ſolemnitatis mentione habita.

IX. Quæ Rubrica deſignat nobis, quod etſi feſta digniora ex recenſitis a Rubrica *Inter feſta* numquam poſtponantur minus dignis, licet ſolemnioribus, ſecus vero ſi ſint æqualis dignitatis, puta duo feſta Apoſtolorum. Itidem duo feſta æqualis dignitatis in propria Eccleſia, vel loco celebrata, Veſperas divident, ſed ſi eorum alterutrum exteriorem etiam ſolemnitatem habeat, hoc illi præferendum erit.

DECRETUM II. CAPITIS, IN ORDINE CCXXXVI.

SS. Martyres in concurrentia officii duplicis cum S. Confeſſore, non debent habere integras Veſperas propter majorem dignitatem, & nobilitatem, quam habet Martyr præ Confeſſore. Neque hæc major dignitas, & nobilitas tribuenda eſt Confeſſori concurrenti cum Virgine, ſicque in concurrentiis officiorum æqualis ritus, quæ poſſunt accidere, Sanctus Confeſſor non habet integras Veſperas; aliter enim fit in prædictis caſibus, quam fiat in concurrentia feſtorum Domini, B. M. V., Angelorum, & Apoſtolorum, unde in antedictis primis concurrentiis ſtandum eſt præſcriptioni Rubricæ Breviarii Romani *de concurr. officii num.* 2. quæ dicit: *Regulariter fit a Capitulo de ſequenti*. S. R. C. 14. Decembris 1709. *in una Ord. Cappuccin.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 250.

I. A Mandatur Lector ad præcedentem Sanctionem, ut ibidem recolat tradita circa concurrentiam feſtorum, in quibus dignitas non attenditur, necnon ad Breviarium Romanum, quod in hujuſmodi concurrentiis in particularibus locis Veſperas ſemper dividit. *Aliter fit*, ſubdit Decretum, *in prædictis caſibus, quam fiat in concurrentia feſtorum Domini, B. M. V., Angelorum, & Apoſtolorum*, quibus Rubrica *Inter feſta* aperte integras conſignat Veſperas, & ita ut in paritate ritus feſta Domini ſemper præferenda ſint feſtis B. Mariæ, hæc feſtis Angelorum, hæc feſtis Apoſtolorum, & hæc reliquis aliis, & quidem licet hoc alia pompa ſolemniori, aut in propriis Eccleſiis, vel locis ſolemniter celebrentur, unde Sanctus Rocchus ver. gr. in propria Eccleſia cedet ſemper Veſperas Aſſumptioni Deiparæ &c. Feſta hujuſmodi ſunt inter ſe ſa eſſentiali dignitate diſcreta, & ordinis ſuperioris, & inferioris, quare quæ inferioris dignitatis ſunt, aut ordinis, quantumcumque excreſcant, dignificentur, & ſolemnizentur, nunquam exæquare queunt, & multo minus excedere, quæ ſuperioris dignitatis ſunt, aut ordinis.

II. Non ſunt inutiliter repetenda, quæ alibi ſtatuimus, quare ex dictis in Cap. de Repoſitione Evangeliſtæ veniunt Apoſtolorum nomine, & uti pares inſpiciendi ſunt; Sanctus Joannes Baptiſta præferendus eſt, vel æque dignus Apoſtolis cenſendus juxta tradita in Decr. 20. cap. 1., & in Cap. de Sanctis Veteris Teſtamenti ſtatuetur, quid de S. Joſepho cenſendum ſit. Angelus præponendos eſſe Apoſtolis docebit caput de Sanctis Angelis, & dies octavas feſtorum a Rubrica *Inter feſta* recenſitorum, inſtat eorumdem feſtorum, præferentiam donant capita de octavis, & repoſitione feſtorum, non tamen dies infra octavas, nec feſta ſemiduplicia.

III. Quæres 1. num etiam in feſtis ſecundariis attendatur dignitas ad effectum præferentiæ? Negat Meratus *ſect. 3. cap. 9. num. 3.*, rectius affirmat Guyetus *lib. 4. cap. 13. qu. 4.*, tum quia Rubrica non diſtinguit inter feſta primaria, & ſecundaria, tum quia in feſtis ſecundariis etiam reſidet dignitas, quæ eſt tota præferentiæ cauſa, nec ratio ulla eſt, ob quam attendi non debeat. Id tamen limita, ſi feſta ſecundaria ſint inſtituta in memoriam alicujus particularis rationis, ut non ſemel diximus de Decollatione S. Jo: Baptiſtæ, quæ tantum martyrium ejuſdem inſtituta eſt recolere &c. Vide dicta de repoſitione feſtorum.

IV. Meratus *ſect. 3. cap. 9. num. 3.* in concurſu duorum feſtorum ejuſdem ritus, & dignitatis, quorum unum primarium eſt, ſecundarium aliud, puta Venetiis feſtorum S. Barnabæ, & Apparitionis S. Marci, primas tribuit feſto primario; quinimmo id præſtat, etiam ubi Sancti, quorum eſt feſtum ſecundarium, forent ordine, & dignitate ſuperiores, quare ubi feſtum primarium S. Joſeph præfert primariis Apoſtolorum, horum primaria præponit ſecundario illius, ſcilicet ejuſdem Patrocinio quod in concurſu cum feſto SS. Philippi, & Jacobi, huic Veſperas facit cedere. Limita id tamen, ſi ſecundarium majori ſolemnitate, & apparatu celebretur.

V. Quæ Merati ſententia undique labeſcit. Si concurſus eſt inter feſta, quorum dignitas attenditur, & ſunt, quæ recenſentur a Rubrica *Inter feſta*, & in feſto primario dignitas ſolum attenderetur, non in ſecundario, equidem dignitas primarium ſecundario præferri faceret; at jam vidimus etiam in feſtis ſecundariis dignitatem eſſe conſiderandam. Modo fac, feſtum Inventionis Sanctæ Crucis, quod eſt feſtum Chriſti ſecundarium, concurrat cum feſto primario Sancti Philippi, & Jacobi, cuinam dabis Veſperas? Fallor, ſi Meratus ipſe enormitate ſuæ ſententiæ detecta, præferentiam non tribueret Inventioni Sanctæ Crucis. Hoc autem ego ſcio, quod ut Auguſtinienſes feſtum primarium Sanctæ Monicæ præferant Inventioni Sanctæ Crucis, id ex particulari conceſſione Clementis X. 24. Februarii 1673. obtinuere; quod fieri minime opus fuiſſet, ſi in feſto ſecundario non attenderetur dignitas, & feſtum primarium ſecundario præferendum eſſet. Quæ Clementina conceſſio forſan detegit Merati errorem alium, quatenus feſtum ſecundarium, in quo dignitas non attenditur, ratione ſolemnitatis, & concurſus Populi præfert primario, cujus dignitas in conſiderationem cadit, quoniam feſtum Sanctæ Monicæ eſt ex iis, quæ cum ſolemnitate, & concurſu Populi apud Auguſtinienſes celebratur, & inſuper eſt primarium, & adhuc indulto neceſſe fuit, ut præfereretur Inventioni S. Crucis, quæ ſine ſolemnitate colitur, & eſt feſtum ſecundarium, in quo per ipſum conſequenter dignitas non attenditur. Verum jam ſupra non ſemel diximus, & pluribus oſtendimus in Decret. 16. Cap. 1. ſolemnitatem contra dignitatem feſtorum a Rubrica *Inter feſta* recenſitorum non prævalere.

VI. Si vero concurſus eſt inter feſta, quorum dignitas non attenditur, cur non habebit locum Veſperarum diviſio juxta Tabellam concurrentiæ, & Romanas Rubricas, quæ nullibi diſtinguunt inter feſta primaria, & ſecundaria, & in paritate ritus, & dignitatis dimidium veſperarum utrique aſſignant? Eccleſiarum communis praxis id obſervat, dum Tranſlationum feſta cum aliis primariis ejuſdem ritus Veſperas facit dividere, & etiam Breviarium Romanum id præſtat in Decollatione Sancti Joannis Baptiſtæ, quæ eſt ejuſdem feſtum ſecundarium, & ex iis, in quibus, cum in memoriam alicujus particularis rationis ſint inſtituta, dignitas non attenditur; & quod magis eſt, Meratus ipſe in ſuis Tabulis, quando feſtum ſecundarium S. Stephani transfertur in diem 9. Auguſti, facit illud ſecare Veſperas cum præcedenti primario SS. Cyriaci, & Sociorum martyrum.

VII. Quæres 2., quod faciendum ſit, quoties concurſus eſt inter plura feſta ejuſdem Sancti?

VIII. ℟. 1. quod ſi alterutrum eſt altioris ritus, de ea integræ erunt Veſperæ ſine commemoratione alterius, cum de uno, & eodem Sancto ſimul officium, & commemorationem fieri Rubricæ, & Decreta refugiant. 2. Idipſum erit, ſi ſint ejuſdem ritus, & in uno explicetur dignitas, aut ſolemnitate celebretur. 3. Si ſint undique paria, & unum ſit primarium, aliud ſecundarium, primarium præferendum erit. 4. In concurſu feſti, & diei octavæ, feſtum, licet ſecundarium, ratione majoris nobilitatis præferentia gaudeat. 5. *Si* ſint duo primaria, vel duo ſecundaria, Veſperæ ſint de eo, cujus evadunt primæ, cum primæ ſint nobiliores ſecundis, numquam enim, quoties concurrentia feſta ſunt de eodem, locum habere poteſt veſperarum diviſio, cum non conveniat Veſperas inchoari de eo, de quo ſaltem per commemorationem non poſſunt abſolvi. Fallit hæc regula in feſtis Domini, quorum unum cum non expellat commemorationem alterius, dirigenda veniunt juxta generales leges, perinde ac ſi non forent de eodem Domino.

DECRETUM III. CAP., IN ORDINE CCXXXVII.

In concurrentia feſtorum S. Antonii Patavini Confeſſoris, & S. Baſilii Epiſcopi, & Confeſſoris, quæ Panormi ex Indulto Apoſtolico ſub ritu duplici majori celebrantur, Veſperæ dimidiandæ ſunt, & faciendum a Capitulo de ſequenti cum commemoratione precedentis. S. R. C. 17. Junii 1684. *in Panormitana*, ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 149.

I. M Enda plurima ex Typographorum incuria preſens paſſum fuit Decretum, quæ contrarium, & omnino diſſonum ejuſdem reddebant ſenſum. Ab his nos redimendum eſſe cenſuimus, nec hic, prout in Indice refertur, a nobis eſſe allegandum, ſed magis, prout Meratus ipſe nos edocet eſſe legendum in erratorum tabula. Tabella concurr., quæ in concurſu duorum feſtorum duplicium majorum, uti & 1. vel 2. claſſis, ſemper notat, *Totum de digniori*, *commemoratio de minus digno*, excitavit dubium, in hiſce concurrentiis nunquam locum habere diviſionem Veſperarum, ſed has utri ſemper eſſe tribuendas, ſcilicet digniori, qui in caſu ratione Pontificii erat S. Baſilius; aliunde vero cum Pontificii dignitas non ſit ex iis, quæ juxta Rubricas, & Decreta preferentiam cauſant, S. Antonius dimidio Veſperarum non videbatur ſpoliandus.

II. Pro diviſione Veſperarum Congregatio judicium protulit juxta Rubricam *de concurr. n. 2.*, quæ duplici concurrente cum alio duplici, utique dimidium Veſperarum aſſignat; ibi autem Rubrica loquitur de duplici generatim, & non tantum de duplici minori, dicit ſiquidem, *ſi utraque ſint ejuſdem ſolemnitatis*, ubi *ſolemnitas* ſtat pro *ritu*, ſicut infra, dum Rubrica habet *Inter feſta æqualis ſolemnitatis*, primum Capitis Decretum legit *æqualis ritus*. Evidentius conſtat mens Rubricæ ex verbis, quæ ſubdit: *Si vero non ſint ejuſdem ſolemnitatis, ſervetur differentia in Rubricis de commem., & de Transl. feſtor. aſſignata, ut ſcilicet feſta majorum habeant primas, & ſecundas Veſperas &c.*, per to autem *feſta majorum* veniunt feſta altioris ritus, adeoque & per to *ſolemnitatis* nonniſi ritus venire poteſt. Et quidem cum Pontificii dignitas juxta praxim Romanam, & duo precedentia Decreta Pontificem in concurſu Confeſſori non preferri faciat, quid aliud in caſo potuit præſcribi? Ad tabellam concurrentiæ, quæ notat *totum de digniori &c.*, jam reſponſum fuit in Decr. 20. cap. 1., & ſatisfacit Guyetus *lib. 4. cap. 14. quæſt. 2.*, & *cap. 15. quæſt. 1.*, ſcilicet ita notare, quia vix contingit, quod Veſperæ ſint dimidiandæ, & quod non ſit alterum altero dignius.

DECRETUM IV. CAP., IN ORDINE CCXXXVIII.

Concurrente Sancto antiquiori Patrono Civitatis cum alio Sancto recentiori pariter Patrono, nulla habenda eſt ratio de poſterioritate Patronatus, unde Veſperæ dimidiandæ ſunt. S. R. C. 17. Junii 1684. *in Panormitana*, ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 170.

I. N Eque majorem feſti, vel Patronatus antiquitatem relevare ad effectum preferentiæ in concurſu, nunc ſtatuitur, & cohærenter ad ſæpe a nobis ſuperius tradita, necnon ad Decret. 3. cap. 3., quod Patronorum precedentiam

adhuc

adhuc in occurſu, petit ex ordine hierarchico, & nonniſi in caſu paritatis in hoc ordine, ex antiquitate Patronatus; ſi autem major ordinis hierarchici dignitas in concurſu potis non eſt cauſare preferentiam, quanto minus major antiquitas? Breviarium Romanum nullibi antiquitatis rationem habet, ſed ſi feſta concurrentia ſunt æqualis ritus, & dignitatis, ſemper Veſperas dividit. Dubium non eſt, quod multi ex Sanctis in officio perſepe moderniores, in gratiarum, ac gloriæ eſſentialis dono, & meritis antiquiores non exequant tantum, ſed etiam ſuperant, & ideo Eccleſia, quæ id non novit, non putavit adeo antiquitati feſti eſſe deferendum, ut integras hæc induceret Veſperas, ſed magis per æquas portiones iiſdem illas diſtribuere.

DECRETUM V. CAPITIS, IN ORDINE CCXXXIX.

Feſta duplicia, quæ coluntur a Populo de precepto, retinent eumdem ritum, quem alias haberent ſecluſa qualitate precepti, nec ſunt idcirco duplicia majora; unde qualitas feſtivitatis non eſt ratio, quod Veſperæ dicantur integræ de tali feſto, niſi hoc feſtum fruatur ſimul qualitate vel majoris dignitatis, vel altioris ritus. S. R. C. 2. Septembris 1741. ex Regeſtis ejuſdem S. R. C.

I. E Docemur feſtivitatem de precepto non alterare ritum feſti, nec validam eſſe integras eidem tribuere Veſperas, unde nonniſi confirmantur tradita in Decret. 3. cap. 13., quæ propterea erunt recolenda. Inſimul per ea verba, *niſi hoc feſtum fruatur &c.*, inſtruimur, ad id potem eſſe altiorem ritum, vel majorem dignitatem, ut & nos ſuperius ponderavimus; tu vero adde *vel majoris ſolemnitatis*, quæ eumdem præferentiæ effectum juxta ſuperius dicta inducit.

AD CAPUT XXVIII.

De Concurrentia Feſtorum.

APPENDIX.

DECRETUM PRIMUM. Cap. in Ord. 452.

Cum apud Camaldulenſes Montis Coronæ celebretur die 16. Novembris officium SS. Martyrum Joannis, & Benedicti Eremitarum dictæ Congregationis, jam a Sancta Sede ſpecialiter eis indultum ſub ritu duplici 2. claſſis, & cum die ſequenti habeatur officium S. Gertrudis Virginis jam conceſſum poſt annos pariter ſub ritu duplici 2. claſſis pro omnibus ſub regula S. P. Benedicti militantibus; dubitatur, utrum ſtante Rubrica XI. n. 2. in fine de concurrentia, ſit preponendum cum ſecundis Veſperis integris, officium dictorum SS. Martyrum, utpote celebrandum tantum in dicta Congregatione Camaldulenſi, officio S. Gertrudis Virginis, quod celebratur generaliter in tota Religione Benedictina? Et reſponſum fuit, eſſe preponendum cum ſecundis Veſperis integris officium SS. Martyrum officio S. Gertrudis. S. R. C. 19. Januarii 1743. *in una Congr. Camaldul. Montis Coronæ.*

O Fficio SS. Martyrum integræ conceduntur Veſperæ, quarum diviſionem importaret ritus æqualitas, non quia illud officium ſit particulare, S. Gertrudis commune toti Religioni Benedictinæ, ſed quia predictum officium SS. Martyrum præ illo S. Gertrudis maxima ſolemnitate apud Camaldulenſes celebratur. Et id juxta laudatam Rubricam XI. n. 2., quæ feſta, quæ in propriis locis, ſeu Eccleſiis ſolemniter celebrantur, præfert aliis in Kalendario deſcriptis.

DECRETUM SECUNDUM. Cap. in Ord. 453.

Uſus celebrandi quamplura feſta ſub ritu duplicis majoris ex eo quia ſunt celebria in Populo, ut eſt in Cracovienſi, ſuſtineri non poteſt. S. R. C. 22. Auguſti 1744. *in Cracovienſi.*

F Eſtivitatem, etiam de precepto, non alterare officii ritum, nec potem eſſe illi integras dare Veſperas, jam deciſum vidimus in Decreto 5. cap. 28. tom. 1., & id modo confirmatum late remanet, dum feſta celebria in Populo, celebrari non poſſe declarantur ſub ritu duplici majori.

DECRETUM TERTIUM. Cap. in Ord. 454.

Feſta per annum duplicia, quæ ſolemniter celebrantur a choro, & in populo ſunt de precepto, in concurrentia cum æqualibus quoad ritum, & dignitatem poſſunt habere integras Veſperas ad ſenſum Rubricæ XI. Breviar. Rom. num. 2. S. R. C. 22. Auguſti 1744. *in Cracovienſi.*

V Erum id eſt, tametſi talia feſta non eſſent apud Populum de precepto, cum ad effectum ſufficiat ſolemnitas, qua celebrantur, ut laudato tomo primo non ſemel diximus.

DECRETUM QUARTUM. Cap. in Ord. 455.

An feſtum SS. Nominis B. M. V., quod pro Regnis, & Provinciis Auſtriacis eſt duplex 2. claſſis, in occurrentia cedere debeat feſto S. Nicolai Tolentinatis, quod eſt duplex 2. claſſis cum octava, pręſertim cum illud Viennæ cum ſolemniſſima utriuſque Cleri proceſſione, maxima exteriori pompa, indulgentiis etiam plenariis, ac ingenti populi concurſu, ob liberationem Viennenſis Civitatis ab obſidione Turcarum celebretur? Reſponſum fuit negative. Octava enim non elevat ritum. In paritate autem ritus attendi debet tum major dignitas B. M. V. juxta Rubricam de concurrentia officii tit. 11. n. 2. tum major ſolemnitas celebrationis, & Populi concurſus juxta Decretum 20. Martii 1683., in quo ſic: ſi officia, quæ recitari debent in aliquibus Regnis, ſint ejuſdem ritus, & dignitatis, an ſit preferendum officium loci officio in proprio Kalendario deſcripto? Reſolutum fuit, preferendum eſſe officium, quod cum majori ſolemnitate, & populi concurſu celebratur. S. R. C. 11. Januarii 1749. *in una Ordin. Excalceat. S. Auguſt. Provincia Auſtria.*

F Eſtum S. Nicolai Tolentinatis apud Ordinem S. P. Auguſtini eſt admodum celebre, & cum octava celebratur, ſed cum quandoque occurrat ſimul cum feſto SS. Nominis B. M. V., quod Viennæ Auſtriæ duplex item eſt ſecundæ claſſis, & magna celebritate excultum, facto dubio, cuinam preferentia deberetur, pro feſto Deiparæ pronuntiatur, & inſimul redditur ratio, videlicet quia cum octava, qua præ feſto Deiparæ gaudet feſtum S. Nicolai, non elevet ritum, utrumque feſtum ejuſdem eſt ritus; in paritate autem ritus attenditur major dignitas, quæ dubio procul in Dei Genitrice refulget, quando etiam feſtum ejuſdem Deiparæ non conſociatum foret majori ſolemnitate, quæ ceteroquin ſolummodo in paritate ritus, & dignitatis apta eſt preferentiam tribuere. Ita quidem in occurrentia, de qua procedit Decretum, ſed ratio, cui illud innititur; idipſum eſſe demonſtrat in concurrentia, ſicuti nos pluries diximus, atque probavimus in laudato tomo primo.

DECRETUM QUINTUM. Cap. in Ord. 456.

Officium SS. Sacramenti, quod recitatur ex privilegio in feria quinta non impedita per annum a feſtis duplicibus, vel ſemiduplicibus, demptis quoque feriis Adventus, Quadrageſimæ &c. ſi occurrat in Veſperis cum alio officio ſemiduplici, dividit Veſperas a Capitulo. S. R. C. 1. Julii 1747. *in Zagabrien.*

C Onſonat hæc ſanctio iis, quæ nos dedimus tom. 1. cap. 18. Decr. 11. n. 13., in ſemiduplicium nempe concurrentia non attendi feſtorum dignitatem, neque locum habere Rubricam *Inter feſta.*

CAPUT XXIX.

De Sanctis Angelis.

I. B Alaam, & Joſue, dum *Num. 22. 31., & Joſue 5. 12.* in terram proni Angelos, ut tales agnitos, adoraſſe dicuntur, indubium teſtimonium perhibent religioſi cultus exhibiti Sanctis Angelis in veteri uſque Teſtamento; & licet quoad novum potiora monumenta habeantur, unus ſufficiat Joannes, qui quamvis *Apoc. 19. 10.* ab Angelo prohibitus fuerit, & admonitus de adoratione ei minime præſtanda *ad oſtendendam dignitatem hominis, quam adeptus eſt per Chriſtum, ut Angelis æquetur*, ut belle exponit D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 84. *art.* 1., adhuc *cap.* 20. eumdem adorare tentavit, hoc ſuo exemplo inſinuans nobis dignos eſſe Angelos, qui nihilominus a nobis adorentur. Angelorum autem ordines *Matth. 18., 1. Theſſ. 4., Epheſ. 1., Coloſſ. 1., Pſalm. 79., & Iſaja 6.* novem nominibus deſignantur, ſcilicet *Angelorum, Archangelorum, Principatuum, Poteſtatum, Virtutum, Dominationum, Thronorum, Cherubim, & Seraphim.* Kabaliſtæ Hebrei apud Majolum *dieb. canic.* tom. 7. ſuper 140. recenſent Angelorum nomina, quæ communiter fabuloſa, & fictitia putantur. Laudinus apud Caſſaneum *in catalogo gloria Mundi par. 2. conſ.* 8. ſeptem poſuit Angelos ſeptem Planetarum conductores, nempe *Caphielem* Saturni, *Salielem* Jovis, *Samaelem* Martis, *Amaelem* Veneris, *Michaelem* Mercurii, *Raphaelem* Solis, & *Gabrielem* Lunæ. Septem Spirituum, qui *Tob. 12. & Apoc. 1.* aſtant ante Deum, a nonnullis Catholicis apud Serarium *in cap. 12. Tob.*, & Cornelium a Lapide *in cap. 1. Apoc.* ſic recenſentur nomina, *Michael, Gabriel, Raphael, Uriel, Sealtiel, Jeudiel, & Barachiel*; & in Concilio Romano 745. lecta fuit oratio cujuſdam Adalberti, in qua invocabantur Angeli, *Uriel, Raguel, Tubuel, Michael, Adinus, Tubuas, Sabaoth, & Simiehel.* Qua lecta oratione dixit Zacharias Papa: *Hæc nomina, præter Michaelis, omnia ſunt nomina Dæmonum. Quid aliud agendum, niſi ut omnia, quæ lecta ſunt, igne concrementur? Annueruntque Epiſcopi dicentes: Non plus, quam trium Angelorum nomina cognoſcimus, ideſt Gabriel, Michael, Raphael.* Majolus *loco cit.*, & Donatus Calvus Correligioſus, & Compatriota meus *in Propinomio Evang. reſ.* 34. in memorato Concilio etiam *Urielem* exceptum faciunt, quos licet minime attendendos evincant tradita per Benedictum XIV. *de*

Canon.

Digitized by Google

Canon. lib. 4. par. 2. cap. 39. num. 3., Beminum *de hær. tom. 2. ſer. 8. cap. 5.*, & Battaglinum *de Concil. ad Annum 745.*, nos arbitramur adhuc, *Urielis* nomen non eſſe omnino deſpiciendum, utpote cujus meminit Eſdra *lib. 4. cap. 4. & 5.*, qui liber etſi inter canonicos non numeretur, a multis Sanctis Patribus recipitur, & poſt libros canonicos in volumine ipſo Sacræ Bibliæ reperitur impreſſus. Præcedens concurrentiæ caput de Sanctis Angelis nos vocat agere, quorum Decreta plurima ad illud attinent.

DECRETUM I. CAPITIS, IN ORDINE CCXL.

Feſtum Angelorum Cuſtodum eſt duplex minus. S. R. C. 2. Oct. 1627. *in una Urbis*, ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 56.

I. ADmodum æſtimemus ineffabilem Dei pietatem, eique benedicat anima noſtra, quod cum viliſſimi, atque abjectiſſimi ſimus terræ vermiculi, ad noſtram cuſtodiam Angelos deſtinare dignatus eſt, quorum miniſterium, quod nobis præſtant, eo magis admirandum eſt, quo eminentiores ipſi ſunt præ filiis hominum; hinc merito Hieronymus in cap. 18. Matth. *Magna dignitas animarum, ut unaquaque habeat ab ortu nativitatis in cuſtodiam ſui Angelum deputatum.* Quæ, & quanta ſint bona, quæ ex Angelorum tutela in nos derivant, valde luculenter explicat D. Bernardus *in Pſal. 90.*, & præclaris Scripturæ Sacræ exemplis proſequitur Majolus *loco cit.* In grati animi argumentum Ferdinandus Auſtrius, ampliſſima poſtea Imperii dignitate auctus, ſolemnia Angeli Tutelaris a Paulo Papa V. indicenda curavit, a quo & indicta venere ſub ritu duplici ad libitum Cleri pro prima die non impedita poſt feſtum Dedicationis S. Michaelis Archangeli, ad quod tamquam appendix quædam credita ſunt ſpectare, cum in eo feſto Eccleſia etiam omnium SS. Angelorum memoriam faciat; nec enim naſcuntur, nec moriuntur Angeli, ut iis, ſicut hominibus beatis, dies natalis tribuatur; ſed cum omnes ſint adminiſtratorii ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis; ii dies eorum venerationi ſolent decerni, qui aliqua ipſorum apparitione, aut Baſilicæ ſub eorum nomine dedicatione, vel auxilii hominibus præſtiti, aut miniſterii alicujus functione præ aliis inſignis exiſtunt, aut aliunde deſumpta occaſione aliqua, vel opportunitate. Sic ob myſterium Incarnationis, cujus Gabriel nuntius fuit, dies 18. Martii, vel propinqua alia diei 25. eidem Archangelo, dies 8. Maii Michaeli ob ejuſdem apparitionem in Monte Gargano, & dies 29. Septembris eidem Michaeli ob dedicationem Eccleſiæ in ejus honorem erectæ in eodem Gargano Monte dedicatæ venere. Prædictum vero Angelorum Cuſtodum feſtum Clemens X. die 13. Sept. 1670. in præcepto poſuit, & ne perpetuo vagum foret, diei 2. Octobris addixit, duobus præcedentibus per officia SS. Hieronymi, & Remigii impeditis.

II. Ritum *duplicem*, non exprimens cujus claſſis, aſſignat feſto Paulina Conſtitutio, hinc orto dubio, cujus ſpeciei cenſendum foret, *duplicis minoris* Congregatio reſpondit; quoties enim feſto alicui conceſſus reperitur ritus duplex abſque ulla expreſſione, conceſſio intelligenda eſt de duplici minori, ut firmat Decretum 2. Oct. 1683., in cujus expoſitione tradentur, quæ ad præſentis explanationem deſerviunt. Paulina Conſtitutio in ſingulari numero notat *Feſtum S. Angeli Cuſtodis*, & conſimilis adnotatio in Breviario perſtitit uſque ad reformationem Breviarii anno 1631. ſub Urbano VIII. habitam, poſt quam hæc alia in plurali numero ſubrogata fuit, *in feſto SS. Angelorum Cuſtodum*, quare ſit dubium, cur præſens Decretum per quatuor annos eadem reformatione antiquius, in plurali numero recenſeat *feſtum Angelorum Cuſtodum*, & non magis in ſingulari *feſtum Angeli Cuſtodis* conſonanter ad Indultum, & Breviarium?

III. Agitata a veteribus dudum fuit quæſtio, nec a recentioribus neglecta, an unius hominis unus tantum, an vero plures Angeli ſint Cuſtodes? Ethnici, quales ferunt Ægyptii, & quidam ex Platonicis, tres cuique homini Angelos Cuſtodes tradiderunt. Unum, qui animam regat, bonas excitando cogitationes, ſalutaria conſilia ſuppeditando, voluntatemque ad ea flectendo. Alterum, qui vitæ ſit cuſtos, & hominem ad ea adjuvet, ad quæ natus eſt, & deſtinatus, ſive ad proſperam, ſive ad adverſam fortunam, qui & *Genius* appellatur. Tertium Angelum *profeſſionis* ſpiritum nuncupant; quod homini, qui jam incipit artem certam profiteri, adſit, & ei in tali profeſſione præſto ſit, & director. Veteres item ex Catholicis Theologis, præſertim græca philoſophia imbuti, ab Ethnicis præceptoribus decepti, nonnulla Sacris Scripturis diſſentanea tradidere. Pro unici Angeli cuſtodia ſtare videtur *Act.* 12. primitiva Eccleſia in ædibus Mariæ congregata; cum enim Petrus Dei ope per Angelum ſolutus carcere, pulſaret earum ædium fores, hocque puella Rhode, quæ ad vocem Petrum agnoverat, nuntiaret intus, Petrum adſtare januæ, reſponderunt illi, *Angelus ejus eſt*, non obſcure deſignantes peculiarem Petro, & conſequenter reliquis omnibus Angelum eſſe deſtinatum. Pro pluribus ſtat hiſtoria Jacobi Patriarchæ, cui in ſubſidium, & ſolatium apparent duæ Angelorum turmæ, necnon hiſtoria Eliſæi, in cujus gratiam, & defenſionem juſtus exercitus flammeorum equitum oppoſitus erat infeſtis Syriorum copiis. Sed expedita eſt conciliatio, ut ſuus cuique ordinarie deputatus ſit Angelus, ad quem tamen ordinem non ita Deus ſe applicat, quin velut extra conſuetum morem plures nonnumquam Angelos uni homini libera ſua voluntate adjungat; unde & anima Lazari non ab Angelo, ſed ab Angelis in ſinum Abrahæ legitur deportata *Luc.* 16.

IV. Dum unum dumtaxat audis cuilibet deputari Angelum, id limita pro *ex officio & ſpeciali mandato*, quod non impedit, quin juvetur a pluribus ex charitate, aut generali mandato juxta Pſal. 9. *Angelis ſuis Deus mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis;* unde & Lucæ 15. per ea verba, *Gaudium erit coram Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente*, plures, immo omnes generatim Angeli ex generali mandato, ac charitate de unius ſalute indicantur ſolliciti, & gaudentes. Secundo in Pontificibus, Epiſcopis, Regibus, & aliis perſonis publicis, quibus præter Angelum, quem habent delegatum ab ortu nativitatis, alium ſuperioris ordinis a tempore ſuſceptæ curæ, concedunt Theologi cum D. Thoma 2. 2. *diſt. 11. quæſt. 1. art. 2. ad 4.* Tertio in Sacerdotibus, quibus celebrantibus Angelum alterum adſiſtere, eorumque preces, & hoſtiam Deo offerre, eruit D. Thomas 3. *par. quæſt.* 83. *art. 4. ad 9.* ex verbis illis Canonis: *Supplices te rogamus, omnipotens Deus, jube hæc perferri per manus Sancti Angeli tui in ſublime Altare tuum &c.*, quare & *Judic.* 13. Manue ſacrificante, *cum aſcenderet flamma Altaris in Calum, Angelus Domini pariter in flamma aſcendit*, & Zachariæ *Luc.* 1. incenſum adolenti *apparuit Angelus ſtans a dextris Altaris*. Quarto quia cum dentur Angeli ſingulis Nationibus, Regnis, Provinciis, Civitatibus, Eccleſiis, & Communitatibus præfecti, dum hi Communitatum curam habent, cauſam inſimul gerunt ſingulorum hominum, qoi ad eaſdem attinent.

V. Quæ cum ita ſint, fit indubium, quod dum Paulus V. ſolemnia Angeli tutelaris inſtituit, haud poteſt intelligi de uno dumtaxat Angelo cuilibet ex hominibus ad cuſtodiam deputato, alias in dicto feſto nec quilibet ſuos proprios recoleret Angelos, ſed magis de cunctis Angelis immediate, & mediate ad cuſtodiam quorumcumque hominum conſtitutis, aut ſaltem de iis omnibus, qui ex officio, & ſpeciali commiſſione ad dictam cuſtodiam ſunt delegati. Officii qualitas, quæ adhuc integre immutata permanet, Pauli V. aperiat mentem, & præſertim collecta, quæ eſt vera, & germana notio ejus, de quo fit officium. *Deus qui ineffabili providentia Sanctos Angelos tuos ad noſtram Cuſtodiam mittere dignaris, largire ſupplicibus tuis, & eorum ſemper protectione defendi, & æterna ſocietate gaudere.* Fallimur, ſi hanc ſerio ponderans, rationem nobis non facias.

VI. At ſi ita eſt, cur non magis feſtum *Angelorum Cuſtodum* fuit inſcriptum? Vocabulum *Angelus* non individuum quoddam, ſed omnem cæleſtium ſpirituum, qui ad externum miniſterium a Deo mittuntur, multitudinem deſignat, nec nomen naturæ eſt, ſed officii, uti advertunt Sancti Patres ſuper illud Pſalmi, *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus*. Nomen vero *Cuſtos* determinat miniſterium, facitque quod ubi *Angelus* ex ſe aptus eſt ſignificare quoslibet Cæleſtes ſpiritus ad externum miniſterium miſſos, in ſua ſignificatione arctetur, notetque dumtaxat eos ex iiſdem, qui ad externam cuſtodiam deputantur, omnes tamen hujuſmodi, non particularem aliquem, niſi inſuper addatur reſtrictiva alia, puta *Angelus Cuſtos Petri*. Rite itaque Paulus V. hoc feſtum *Angeli Cuſtodis* potuit inſcribere, etſi in honorem Angelorum omnium Cuſtodum fuerit inſtitutum, quinimmo in ſingulari numero elegantius indubie fuit expreſſum, licet & *Angelorum Cuſtodum* illud potuiſſet nuncupare, eo quod idem omnino reddit illud *Angeli Cuſtodis*, vel *Angelorum Cuſtodum* dicere. Ex his habes, unde Decretum facile vindices, dum ante prædictam reformationem hujuſce feſti meminerit in plurali numero. Quod ſi quæras, cur in reformatione feſtum *Angelorum Cuſtodum* notatum fuerit? Facilis eſt reſponſio, hoc quippe factum fuit ad tollenda minus peritorum dubia, qui ex numero ſingulari illud in honorem unius dumtaxat Angeli, qui ſcilicet cuilibet reſpective recitanti aſſignatus eſt, inſtitutum eſſe perperam arbitrabantur.

VII. Hujuſce itaque ſubjectum feſti non eſt tantum particularis Angelus Cuſtos cujuſque particularis feſtum celebrantis, ſed ſunt ſimul omnes Angeli, qui ad cujuſque cuſtodiam ſunt delegati, ita ut feſtum celebrans, nedum ſor proprium, vel proprios excolat Angelos, ſed etiam omnes aliorum. A ſubjectorum mutatione, & viciſſitudine non liberatur, quoniam cum in vivis modo ſint plures homines, modo pauciores, nec ſuccedentium hominum, ſaltem de neceſſitate, ſint iidem cuſtodes Angeli, qui erant præcedentium, ſubjectum feſti mutationi, ac viciſſitudini manet obnoxium, niſi dicti feſti ſubjectum fiant Angeli omnes, qui ad cuſtodiam deputati fuerunt, ſunt, & erunt.

DECRETUM II. CAPITIS, IN ORDINE CCXLI.

Cum in omnibus Dominiis Imperio ſubjectis recitetur ex indulto Apoſtolico officium proprium SS. Angelorum Cuſtodum cum octava menſe Septembri, non eſt de eis recitandum etiam ſecunda die Octobris. S. R. C. 30. Sept. 1679. *in una Cappucinor.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 103.

I. OFficium S. Angeli Cuſtodis, quod procurante Ferdinando Auſtrio Paulus V. Eccleſiæ univerſali ut ſupra indulſerat, eodem itidem inſtante, dignitate Imperiali poſtmodum aucto, memoratus Pontifex Styriæ tantum pro Dominica prima Septembris ſub ritu duplici 2. claſſis cum octava indulſit, & ad preces Leopoldi I. Imperatoris Clemens IX. extendit ad Provincias omnes, ac Ditiones tam hæreditarias, quam alias

eidem Leopoldo *ut Romanorum Cæſari, Hungariæ, & Bohemiæ Regi ſubjectas*, ut liquet ex ſequenti indulto: *Clemens Divina providentia Papa IX. ad pias preces Auguſtiſſimi Imperatoris ſibi porrectas per Eminentiſs. Card. Spinolam induſſit, ut in omnibus Provinciis, ac Ditionibus, tam hæreditariis, quam aliis, ſibi ut Romanorum Cæſari, Hungariæ, & Bohemiæ Regi ſubjectis, officium S. Angeli Cuſtodis cum octava ab omnibus Chriſtifidelibus utriuſque ſexus libere recitari poſſit prima Dominica Septembris cujuslibet anni, prout in Indulto ſa. me. Pauli V. Auguſtiſſimo Ferdinando ſecundo pro Styria tantum conceſſum fuit. Die 30. Julii 1667.* Patens eſt autem, quod hocce Indultum etiam Regularibus utriuſque ſexus, licet generaliter ab octavis locorum deppellantur, favorabile extat, cum in *Chriſtifidelium* numero proculdubio recenſeantur, & inſuper Indultum Chriſtifidelibus *utriuſque ſexus* facultatem elargiatur, cum tamen ex fœmineo ſexu ſolum Regulares familiæ extent, quæ divino incumbant officio. Quod ad indultum cum præſens reſpiciat Decretum, dum notavit *In omnibus Dominiis &c.*, idcirco ad nonnullas dubitationes abigendas, quas pati poſſet, ſequentes addimus illationes.

II. Inferes 1., quod to *menſe Septembri* non ſtat pro qualibet die ejuſdem menſis ab libitum aſſumenda, ſed *pro Dominica prima ejuſdem menſis*, ut expreſſe cantat indultum. Dubitant nonnulli, num hæc Dominica ſit, quæ prima in menſe recurrit, an vero quæ proximior eſt Kalendis ejuſdem menſis, quæ in proprio de Tempore *prima Septembris* nuncupatur, licet quandoque in præcedenti menſe recurrat? Ac dubitandi rationem adimit Decretum, dum hoc feſtum *menſe Septembri* celebrari aſſerit, ubi ſi pro Dominica proximiori Kalendis ejuſdem fuiſſet indictum, perſæpe in menſe Auguſto recoleretur. Tum quod indultorum verba juxta obvium eorum ſenſum, & communem intelligentiam ſunt accipienda, menſis autem a prima die, quæ in menſe ipſo, non præcedenter recurrit, communiter cenſetur incipere. uti & prima menſis Dominica putatur illa, quæ in menſe ipſo, non in antecedenti occurrit. Unde feſtum Roſarii pro prima Dominica Octobris conceſſum, feſtum Patrocinii pro Dominica ſecunda Novembris, & feſtum 7. Dolorum B. Mariæ pro Dominica tertia Septembris Ditionibus Auſtriacis indultum, cenſentur currere in iis Dominicis, quæ reſpective ſunt prima, ſecunda, & tertia attento ordine a Dominica prima, quæ in menſe recurrit, non ab ea, quæ proximior eſt Kalendis menſis. Et quidem alias quanam unquam in Dominica celebraretur prædictum Patrocinii feſtum, quando Dominica, quæ eſt ſecunda Novembris attento ordine a Dominica proximiori Kalendis, juxta Rubricas omitti debet? Accedit, quod Decretum quoddam 19. Junii 1700. *in Curien.* editum, diem octavam SS. Angelorum Cuſtodum *fere ſingulis annis* aſſerit incidere in feſtum Nominis B. Mariæ, quod utique evenit, ſi eorundem feſtum primæ Dominicæ, quæ in menſe occurrit, cenſeatur addictum, ſecus vero ſi Dominicæ proximiori Kalendis, ut vel leviter conſideranti patebit.

III. In contrarium objiciunt, quod Dominica proximior Kalendis *prima* menſis in Proprio de Tempore nuncupatur, uſus plurium Eccleſiarum, quæ in ea dictum agunt feſtum, & Rubrica particularis in die octava ejuſdem feſti, quæ notat *lectiones 1. nocturni de Dominica ſecunda*, cum tamen alias forent quandoque de tertia. Verum facilis eſt ſolutio; hinc ad primum dicimus, eam Dominicam dumtaxat dici *primam* ad effectum ponendi initii alicujus libri de Scriptura cum ſuis Reſponſoriis, ut nos edocet Rubrica tv. *n.* 7., & Rubrica Dominicæ ſecundæ Novembris, quæ Dominicam hanc omittendam eſſe edicit, per hoc ſolum quod vacent ejuſdem lectiones. Ad 2. memorato uſui, ſi quis eſt, opponimus communiorem Eccleſiarum uſum; & ad 3. reponimus, quod ea Rubrica intelligi debet de Dominica ſecunda, quæ in menſe recurrit.

IV. Inferes 2., quod verba illa Decreti, *In omnibus Dominiis Imperio ſubjectis*, non ſtant reſtrictive, ſed ſolum exemplicative, & aſſertive, aſſerendo ſcilicet plura, in quibus dictum officium recitatur, ſed non negando, quod in aliis æque celebrari non valeat, ſcilicet in Styria, Hungaria, & Bohemia, ut expreſſe concedunt memorati Pontifices.

V. Quæres 1. Quæ loca veniant *per Provincias, & Ditiones ſubjectas Cæſari ut Cæſari*? In primis veniunt omnes Urbes Imperiales, de quarum aliqua dum Cæſar loquitur, in ſuis Diplomaribus ſemper dicit; *Noſtra, & Sacri Romani Imperii Urbs*. Secundo omnes Provinciæ, Ditiones, Civitates, & loca, quæ ſunt proprie dicta feuda Imperii, cum ejuſmodi feuda ſint vere ſubjecta Cæſari ut Cæſari, ut liquet ex communi definitione feudi apud Schranderum *tract. feudali p. 2. c. 2.*, unde fit, ut omnes ſubditi feudorum Imperialium provocare valeant ad Cæſarem, velnti ſupremum Dominum, ac Judicem, ad quem quia etiam provocant per Germaniam, cives pagorum, & oppidorum, quæ tamquam allodialia poſſident Vaſſalli Imperii, ideo talium locorum Clerus a favore Indulti minime depellitur.

VI. Quæres 2. Quæ loca veniant per Ditiones ſubjectas Leopoldo *tamquam Hungariæ, & Bohemiæ Regi*? Gobat *tract.* 5. *caſu 23. num. 650. in append. lit. g.* vult deſignari loca omnia, in quibus Leopoldus mediate, vel immediate dominabatur. Tu id in hac univerſalitate ne intelligas, ſed limita ad loca, in quæ *ut Hungariæ, & Bohemiæ Rex* mediatum, vel immediatum habebat dominium; dictio enim illa *ut* in Indulto poſita, quæ reduplicativa eſt, reſtringit ſenſum conceſſionis ad loca pertinentia ad duplicem illam Coronam, nec ſinit eamdem extendi ad alia, quibus licet principaretur, non tamen *ut Hungariæ, & Bohemiæ Rex*, ſed qua Princeps eorumdem locorum. Dicere autem, quod dictio *ut* ibi ſtat ſpecificative, & reddit ſenſum *Leopoldo, qui eſt Romanorum Cæſar, Hungariæ, & Bohemiæ Rex*, admodum volenta eſt textus interpretatio, ac conſequenter rejicienda, præſertim cum ab hujuſmodi locutionibus Pontificia Decreta ſoleant abhorrere. Quod ſi dictio *ut* in Indulto deeſſet, cantaretque, *ſibi Romanorum Cæſari, Hungariæ ac Bohemiæ Regi ſubjectis*, ex latiſſima interpretatione, quæ in reſcriptis gratiæ fieri debet, ad cuncta loca, quibus ipſe legitime dominabatur, lubens extenderem.

VII. Quæres 3. de Urbibus, vel Provinciis, quarum conceſſionis tempore Leopoldus erat ſolum Dominus in jure, non de facto, eo quod ſe inique ab Imperio, aut dictis Coronis ſubtraxiſſent?

VIII. R. non gaudere Indulto, quia reſcriptum accipit interpretationem ab intentione ſupplicantis, cujus precibus in dubio concedens ſe conformaſſe cenſetur, *Cap. Inter dilectos §. cæterum de fid. inſtrum.*, non videtur autem Imperator cogitaſſe, niſi de fidelibus Provinciis, & Ditionibus.

IX. At quid ſi aliquæ earumdem poſtmodum ſe inique ſubtraxiſſent? Gratiæ Pontificiæ participes forent, quia tunc revera ipſæ ſuberant Oratoris imperio, ac proinde aderant in mente ſupplicantis, qui de earum infidelitate, & rebellione non cogitabat. Id potiori jure ſentimus, ſi quæ ex iiſdem poſtmodum a Turcis, vel ab aliis fuiſſent occupatæ, cum tunc nec in culpa ſint, ob quam ad alienum Dominium tranſierint.

X. Quid vero, ſi nonnullæ tunc temporis ſub tyrannica Turcarum poteſtate gemiſſent? A favore non depellerentur, nedum poſtquam ad Oratoris imperium tranſiſſent, ſed etiam pro tempore, quo ſub Turcico gemerent dominio; ipſæ enim integro jure ad proprium ſpectant Principem, tametſi alieno invitæ pareant, quare dignæ utique ſunt, ut a ſui legitimi Principis mente, & favoribus minime decidant. Idem dicito de Terris illis, quæ cuicumque Tyranno alteri obedientiam invitam præſtaſſent.

XI. Si quæ autem ex dictis Terris Cæſari tunc paruiſſent, & poſtmodum per legitimam ceſſionem ad alterum deveniſſent Principem, favore adhuc gauderent, quia tunc aderant in Concedentis, & Oratoris mente, nec demeritum ullum habent, ob quod conceſſo privilegio ſpolientur. E contra vero ex defectu actualis ſubjectionis gratia non fruerentur Terræ illæ, quæ per legitimam ceſſionem alteri parebant Imperio, nec hæ ſupponuntur fuiſſe in Oratoris mente, licet reapſe ad Imperium, vel dictas Coronas attineant. At quid, ſi deinceps ad ejuſdem, vel ſucceſſorum dominium tranſirent? Beneficio privatæ videntur ob defectum ſubjectionis tempore Indulti; Si quis tamen in hoc, ſimilive caſu benigniori ſententiæ adhæreret, non refragaremur admodum ex interpretativa Principum mente.

XII. Remaneret agere de locis illis, quæ ad aliquod ex dictis dominiis in temporalibus ſpectant, ſecus in ſpiritualibus, aut e contra, ſed quoad hoc lectorem amandamus ad caput de Qualitate officii, in quo deciſum apparet, partem quamlibet Diœceſis, ſub quocumque Dominio exiſtat, ſequi debere ſuam Cathedralem etiam quantum ad officia ſtatuum, & Dominiorum, quare ſi Cathedralis Eccleſia ſita ſit intra dicta Dominia, loca quælibet, quæ eidem in ſpiritualibus parent, feſtum Angeli Cuſtodis agere poſſunt, licet ipſa extra limites dictorum Dominiorum poſita ſint, & e converſo.

XIII. Inferes 3., quod to *Officium SS. Angelorum Cuſtodum*, etſi in plurali numero a Decreto notetur, adhuc in nihilo differt ab Indulto, quod in ſingulari numero legit, *Officium S. Angeli Cuſtodis*, propter ea, quæ late dedimus in præcedenti Decreto. Quæ licet ita ſint, non leve dubium excitant, an a locis indultariis in Kalendariis in ſingulari, an in plurali numero notari debeat?

XIV. Pro deſcriptione in plurali numero ſtat Breviarium Romanum, quod ceteris in exemplum deſervire debet, præſertim cum antiquitus in eo ſignatum veniret in ſingulari numero juxta verba Indulti Eccleſiæ univerſali facti, & tamen in reformatione Breviarii adhuc putatum extitit, in plurali numero deinceps eſſe deſcribendum; quidni igitur & in præſenti caſu, quamvis Indultum in ſingulari numero ejuſdem mentionem faciat? Præſens etiam favet Decretum, quod neglecto ſingulari numero, quo Indultum utitur, notat *Officium SS. Angelorum Cuſtodum*; & ratio ipſa, ob quam Breviarii reformatio quoad ſingularem numerum facta extitit, ad præcavenda ſcilicet puſillorum dubia, ac offenſionem, cum adhuc perſtat, & æque pro hiſce indultariis locis militet, idipſum faciendum demonſtrat.

XV. Pro deſcriptione in ſingulari numero faciunt verba Indulti, a quibus uti feſtum pendet in eſſe, ita in tali eſſe, ſeu denominari, & præſertim quia Indultum eſt poſterius memorata reformatione, adeoque hac non obſtante ſequendum; cum eidem, quatenus opus ſit, deroget pro locis indultariis, cum reformationem ſciens, ejuſque rationem, adhuc ſingularem numerum abhibuerit.

XVI. Pro libera deſcriptione ſub utroque numero valent, quæ data ſunt in præcedenti Decreto, videlicet idem omnino eſſe, *Feſtum Angeli Cuſtodis*, & *Feſtum Angelorum Cuſtodum*. Promiſcuus item loquendi modus, quem de eo tenent Decreta, nam ubi Indultum numerum ſingularem adhibet, præſens Decretum pluralem uſurpat, non leva ſuffragium pro libertate deſcriptionis ſuppeditat. Equidem fatemur, quoad rem utroque modo rite exprimi, ſed conſultior videtur pluralis numerus adhiberi

juxta

Digitized by Google

juxta praxim Breviarii Romani reformati propter rationes ſuperius adductas; tum etiam quia cum ſit idem omnino feſtum, & non minus in honorem Angelorum Cuſtodum omnium inſtitutum, ac ſit feſtum, quod de iiſdem die 2. Octobris univerſalis colit Eccleſia, quod propterea in Locis indultariis ceſſat, ut ſtatim dicemus, non minus etiam habere debet eumdem deſcriptionis modum.

XVII. Ad Decreti ſcopum hora eſt deſcendamus, & de duobus inſtruimur. Primum eſt, quod in locis ut ſupra indultariis de Angelis Cuſtodibus officium item fieri non poteſt cum Eccleſia univerſali die 2. Octobris, cui præcedenter ad præſens Decretum a Clemente X. jam fuerat addictum; etſi enim de eodem Sancto plura diverſæ rationis feſta fieri permittat Eccleſia, ut de die natalitia, & de translatione, aut aliquo admirando ejuſdem facinore, plura tamen, vel duo feſta ſub eadem ratione de eodem ſimul inſtitui ſemper abhorruit, ut de eadem die natalitia, de eadem translatione &c., quare Galliarum Eccleſiæ, quæ de die natalitia S. Ambroſii agunt die 4. Aprilis, ab ejuſdem officio temperant die 7. Decembris, & Bergomenſis, & Veneta Eccleſiæ ſilent die 5. Septembris ſuper laudes S. Laurentii Juſtiniani, quas recolunt die 8. Januarii; & ut particularia prætereamus exempla, poſteriora Indulta officiorum SS. Nominis Jeſu, & B. Mariæ, necnon B. Mariæ de Monte Carmelo facta Eccleſiæ univerſali, ceſſare fecerunt particularia Indulta eorumdem officiorum, ut late traditum fuit in Capite 12. Cum itaque feſtum Angelorum Cuſtodum, quod die 2. Octobris univerſalis colit Eccleſia, idem omnino ſit, quod in præfatis locis Indultariis colitur Dominica prima Septembris, & ſub eadem ratione inſtiturum, ſcilicet de iiſdem qua cuſtodibus, utique eorumdem alterutrum ceſſet oportet, adeoque minus ſolemne, cujuſmodi eſt, quod agitur die 2. Octobris. Ex his habes alterum, de quo itidem inſtructi manemus, quod videlicet, etſi Indultum in numero ſingulari ſignet feſtum *Angeli Cuſtodis*, in memoriam *omnium Angelorum Cuſtodum* eſt conſtitutum, ut ſuperius dicebamus, alias haud potens foret, feſtum Angelorum Cuſtodum die 2. Octobris ceſſare facere, utpote quia in illo, ut in iſto, non omnes Cuſtodes colerentur Angeli, ſicuti hac de cauſa feſtum unius, vel alterius Sancti non impedit feſtum omnium Sanctorum.

XVIII. Litem quamdam movet Gobat *loco cit.*, num videlicet tale feſtum Angelorum Cuſtodum ex cauſa gravi, & rationabili a locorum Ordinariis poſſit alteri Dominicæ addici, quam & reſolvit affirmative, pluribuſque præſertim Juris textibus nititur probare. Verum cum circa ea, quæ ad divinum ſpectant officium, Ordinariis quibuſcumque quid diſponere ſit ſevere inhibitum, & officia licet in ſua conceſſione diebus Dominicis affixa, ſi etiam impediantur, in alteram diem Dominicam immutari non poſſint, ut in ſuis reſpectivis Capitibus late traditur, undequaque ruit prædicti Auctoris opinio.

XIX. Quæ diximus in Capite 12., videlicet quod feſta particularibus locis conceſſa, ſi poſtmodum ad Eccleſiam univerſalem extendantur, celebrari ab omnibus debent in die univerſalis Eccleſiæ, & non in die particularis Indulti, carpere videntur Decretum, dum declarat præfata loca indultaria ceſſare debere ab officio Angelorum Cuſtodum die 2. Octobris, in quo illud univerſalis colit Eccleſia, & ejuſdem celebrationi incumbere in Dominica prima Septembris juxta particulare Indultum. Verum fas eſt diſtinguere inter feſta particularibus locis primum conceſſa, & ad Eccleſiam univerſalem poſtmodum extenſa, & inter feſta, quæ cum prius forent Eccleſiæ univerſali conceſſa, deinde particularibus locis pro altera die fuerunt recitari indulta. Hæc dubium non eſt, quod in locis indultariis in die particularis Indulti recitari queunt, etſi altera die ab Eccleſia univerſali celebrentur, quia cum particulare Indultum poſterius ſit univerſali conceſſione, huic pro locis indultariis profecto derogat, dum tale feſtum eiſdem locis pro altera die concedit. Quæ autem data ſunt in memorato Capite, ſolum procedunt de officiis particularium locorum, ad Eccleſiam univerſalem poſtmodum extenſorum, cujus rationis non extat feſtum Angelorum Cuſtodum, & quando etiam extaret, limitationes, quas regulæ generali ibidem fecimus, in præfata Dominica idem feſtum Angelorum optime tuerentur.

XX. Hæc quidem ſolummodo evincunt, prædicta loca non teneri ſequi diem Breviarii Romani in celebratione memorati feſti; an autem poſſint, & quidem cum integra ſolemnitate ſibi particulariter conceſſa in die 2. Octobris illud recolere, quæ in laudato cap. 12. tradita ſunt, affirmative reponendum eſſe ſuadent, & ad rem facit admodum celebre principium illud, quod ſtatuens cenſetur tacite ſtatuiſſe id, quod expreſſe ſtatuiſſet, ſi ipſe interrogatus fuiſſet. *Gloſ. L. tale pactum*, §. *fin. ff. de pact.*, quod communiter cenſetur obtinere veritatem in reſcriptis gratiæ, ſaltem quando non agitur de ſubſtantia gratiæ conceſſæ mutanda in aliam, ſed de ſolo accidente, ſeu circumſtantia commutanda in aliam, quam lubentior conceſſiſſet Princeps, nec eſt contra finem intentum ab Oratore, ſitque ſine cujuſquam præjudicio; atqui reſcriptum, de quo hic diſſeritur, eſt reſcriptum meræ gratiæ, agiturque ſolum de circumſtantia temporis, mutanda in diem univerſalis Eccleſiæ, quam Summus Pontifex lubentior ſtatuiſſet, ſi exoratus fuiſſet, quæque cum dictas Eccleſias cum univerſali Eccleſia concordare faciat, Eccleſiæ intentioni per plurima Decreta nobis manifeſtatæ conformior videtur, & notabiliter opportunior venerationi Angelorum, quæ unice ab Oratore intenta extitit, ergo optime præſumi poteſt, quod Dominica prima Septembris ſolum ad indulgentiam deſignata fuerit, & conſequenter quod prædictæ Eccleſiæ die 2. Octobris conceſſo indulto æque bene valeant gaudere.

DECRETUM III. CAP., IN ORDINE CCXLII.

Officium Angelorum Cuſtodum concurrens cum alio duplici minori, debet habere integras Veſperas. S. R. C. 1. Martii 1681. *in una Canon. Regul. Lateran.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 116.

I. *Cum alio duplici minori*. Relativa hæc verba ſunt, ac conſequenter denotant feſtum Angelorum, de quo diſpoſitio ponitur, duplex minus itidem eſſe, & ſic quod conceſſum eſt pro Eccleſia univerſali, non pro Dominiis Imperio ſubjectis, licet & pro hoc æque Sanctio procedat, quoties concurreret cum alio duplici 2. claſſis. Id limita, ſi concurſus foret in paritate ritus cum feſto alterius Angeli, quo in caſu dividerentur Veſperæ, aut cum feſtis Domini, vel Deiparæ, in quo his concederentur integræ, & tunc ſtatim Sanctio veritatem univerſim aſſequitur, nititurque verbis illis Rubricæ de concurr. n. 2. *Feſta Domini præferantur omnibus aliis, feſta B. Mariæ feſtis Sanctorum, & feſta Angelorum, & Apoſtolorum ceteris aliis*, quæ toties examinata fuerunt in cap. de octavis, & de repoſitione, & concurrentia feſtorum, ac in Decr. 16. cap. 1. Equidem hoc Decretum per ſtatim exponendum lædi videtur, at quando etiam res ita foret, indubium eſt per plurima alia poſteriora fuiſſe renovatum, plenoque ſuo robori reſtitutum, ut infra conſtabit.

DECRETUM IV. CAPITIS, IN ORDINE CCXLIII.

Veſperas SS. Angelorum Cuſtodum eſſe dimidiandas cum ſequenti duplici minori ſtatuit S. R. C. 27. Sept. 1698. *in una Ord. Cappuccin.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 208.

I. Niſi Decretum limites ad caſum concurſus cum feſto alterius Angeli, puta Archangeli Raphaelis, quod plerique recolunt die 24. Octobris, læſionem recipit præcedens Decretum, cui nunc contraria ſtatuuntur. Attamen non leves adſunt cauſæ, a quibus ad dicti Decreti derogationem Congregatio potuit ecitari, & omiſſis iis, quæ officiis aliis poſſunt eſſe communes, & alibi fuerunt productæ, & dilutæ, conſiderationem vertimus ad ea, quæ Angelis ſunt particularia. Quærunt Theologi, num homines aſſumantur ad ordines Angelorum? Et D. Thomas 1. *par. qu.* 107. *art.* 8. in hunc modum reſpondet: *Dicendum, quod ordines Angelorum diſtinguuntur ſecundum conditionem naturæ, & ſecundum dona gratiæ. Si ergo conſiderentur Angelorum ordines ſolum quantum ad gradum naturæ, ſic homines nullo modo aſſumi poſſunt ad ordines Angelorum, quia ſemper remanebit naturarum diſtinctio; quam quidam conſiderantes poſuerunt, quod nullo modo homines transferri poſſunt ad æqualitatem Angelorum, quod eſt erroneum. Repugnat enim promiſſioni Chriſti dicentis Lucæ* 20., *quod filii reſurrectionis erunt æquales Angelis in Cælis. Illud enim, quod eſt ex parte naturæ, ſe habet ut materiale in ratione ordinis, completivum vero eſt, quod eſt ex dono gratiæ, quod dependet ex libertate Dei, non ex ordine naturæ, & ideo per donum gratiæ homines mereri poſſunt tantam gratiam, ut Angelis æquentur ſecundum ſingulos Angelorum gradus, quod eſt homines ad ordines Angelorum aſſumi*. Itidem S. Gregorius *homil.* 34. *in Evang.*, Magiſter *in* 2. *diſt.* 9., aliique plurimi Angelis pares in gratia, & gloria, immo & ſuperiores faciunt plures ex hominibus.

II. Cum itaque dignitas, quæ præferentiæ cauſa eſt, fundetur in gratia, quæ majoris gloriæ eſſentialis eſt menſura, & homines in hac gratia æquare, immo & ſuperare queant Angelos, Eccleſia, quæ non noſcit, quanta ſit cujuſque Sancti gratia, ac proinde gloria eſſentialis, duci merito potuit ad diviſionem Veſperarum edicendam, quemadmodum hac eadem de cauſa dimidiari voluit Veſperas inter Sanctos homines, de quorum gratia per Sacras Scripturas non reperitur edocta, cujuſmodi ſunt Sancti omnes præter Deiparam, Joannem Baptiſtam, & Apoſtolos. Quatenus tamen præcedenti Decreto per præſens derogari cenſeatur, adhuc illud per poſteriora plurima ſtatim exponenda innovatum extitit, & præſens omni vi expoliatum, & verum adhuc manet, quod Angeli in concurſu cum Sanctis hominibus, ſi Deiparam demas, in paritate ritus integras ſortiuntur Veſperas.

DECRETUM V. CAPITIS, IN ORDINE CCXLIV.

In ſecundis Veſperis de SS. Angelis Cuſtodibus fieri debet tantummodo commemoratio, non vero a Capitulo de Translatione S. Claræ apud Franciſcanos. S. R. C. 14. Maii 1707. *in Bononien.* ex Merato in Indice Decret. Breviar. num. 245.

I. Die 3. Octobris Translationem S. Claræ ſub ritu duplici minori Franciſcanus recolit Ordo, qui dum docetur integras elargiri Veſperas præcedenti feſto Angelorum Cuſtodum, nos inſimul inſtruimus, Sacram Congregationem recedere a deciſis in præcedenti Decreto, & innovare Decretum hujus Capitis tertium, ad quod Decretum edendum quæ rationum momenta cauſa extitere, utique & ad idem innovandum. Lubet adjicere Decretum aliud, & ſit 6. Capitis in ordine 245., in quo per hæc verba: *In Regno Galliæ in ſecundis Veſperis S. Remigii debere fieri totum de Sanctis Angelis, & ſolam commemorationem S. Remigii declaravit S. R. C.* 20. *Auguſti* 1712. *in una Galliar. apud Meratum in Indice Decr. Brev. nu.* 245.

Digitized by Google

245. Sanctus Remigius, qui in Regno Galliæ duplex minus eſt, Sanctis Angelis adhuc integras cedit Veſperas.

II. Quis vero dubitaret adhuc de innovatione Decreti tertii, ſi adduceremus poſterius Decretum aliud, in quo expreſſe declaratur, *idem Decretum eſſe ſervandum*, & ſervandum in quocumque feſto SS. Angelorum, & Archangelorum? Rubrica enim *Inter feſta*, quæ illud in ſua diſpoſitione innititur, non Angelis cuſtodibus in ſpecie, ſed Angelis generatim favorabilis extat. En Decretum ipſum, & ſit 7. Capitis, in ordine 246. *Declarari poſtulat, an feſtum SS. Angelorum, & Archangelorum debeat habere utraſque Veſperas integras in concurſu alterius duplicis minoris, ad tenorem novi Decreti emanati, ut aſſeritur, 14. Maii 1707., & S. R. C. reſpondit, ſervandum eſſe Decretum. Ita die 16. Sept. 1730. in una Ord. Hieroſol., ſeu Meliten. apud Meratum in Indice Decr. Brev. n. 277.* Equidem Decretum 14. Maii 1707. de ſolis ſecundis diſponit Veſperis, quia de his petitio dumtaxat proceſſit, at & de primis eadem currit ratio, & Rubrica *Inter feſta* utraſque Angelis diſerte concedit Veſperas, & ideo merito ſervari præſcribitur idem Decretum, tamquam & de primis diſponens Veſperis.

III. Supereſt diſſolvamus, quæ ex aſſumptione hominum ad ordines Angelorum in oppoſitum ſupra fuerunt tradita. Etſi itaque detur, hominum nonnullos æquales eſſe, immo præſtare aliquibus Angelorum, haud tamen omnibus, faleturque Granadus *to. 3. in 3. par. tract. 16. diſp. 3.* Michaelem, qui ſupremus creditur Seraphinorum, a nullo hominum excedi, aut æquari, idemque par eſt credere de Gabriele, & Raphaele, quos tres dumtaxat ſingulariter colit Eccleſia. In ceteris autem Angelorum feſtivitatibus cum officium non agatur de ſingulari aliquo eorumdem, ſed de omnibus conjunctim, interque ipſos multi ſint haud dubie hominibus præſtantiores, ſtat firma ratio, primas in æqualitate ritus Angelis præ hominibus tribuendi. Ceterum Rubrica *Inter feſta* diſerte Angelis cunctis favorabilis extat, & merito, quia in dubio præſumptio ſtat pro Angelis, quos ſemper ſaltem naturæ ſuperioritas diſcernit ab hominibus, quos *minoratos paulo minus ab Angelis* eſſe ſcimus.

IV. Dubium tantummodo foret, an etiam Angeli in paritate ritus præferri debeant Joanni Baptiſtæ, & Apoſtolis? Quæſtio hæc eſt, quæ in Rubricis ſolutionem non habet, quoniam *de concurr. num.* 2., ubi feſtis dignioribus præferentia decernitur, nulla diſtinctione facta Angelos inter, & Apoſtolos, quorum nomine venire, vel ſubintelligi creditur S. Joannem Baptiſtam, ſubdunt: *& feſta Angelorum, & Apoſtolorum ceteris aliis.* Neque ex Patribus tuto definiri valet, ex iiſdem ſunt quippe, qui Joannem, & Apoſtolos Angelis præferunt, qui æquant, & qui poſtponunt. Nobis tamen arridet magis ſententia Angelis favorabilis; poſtquam enim Chriſtus *Luc. 7.* de Joanne dixit, *Inter natos mulierum non ſurrexit major*, ſubit tamen, *Qui autem minor eſt in Regno Cælorum, major eſt illo*, quod plures ex Patribus de Angelis dictum explicant, ut ſit ſenſus, Angelorum minimum antecellere Joannem & gratia, & gloria, unde Ambroſius *lib. 5. in Luc.* ea verba dicta fuiſſe aſſerit, ut denotaretur, *Joannem infra omnes Angelos æſtimari.*

C A P U T XXX.

De Feſtis Deiparæ.

I. Revocanda hic minime eſſe putamus, quæ perſæpe in hoc Tomo ſparſim de Deiparæ feſtis tradita ſunt, ſed ſolum de iiſdem agere, prout Decreta, quæ exponenda ſuperſunt, expoſtulabunt; hic autem ea examini ſubjicere arbitrati ſumus, tamquam ſupplementum quoddam ad Caput de Repoſitione, ad quod eorumdem plurima ſpectare noſcuntur. Trium tantum feſtorum in Mariæ honorem tunc temporis inſtitutorum meminit Gratianus *can. Pronunciandum de conſecr. diſt.* 1., ſcilicet Purificationis, Aſſumptionis, & Nativitatis, quartum addit Bernardus *ſerm. 1. in Salve Regina*, & eſt Annunciationis feſtum; nunc vero inducta ſunt alia plurima, & merito quidem, nam *quis*, exclamat Germanus Conſtantinopolitanus orat. de dormitione Deiparæ, *peccatoribus adeo enixe patrocinatur? Quis aberrantium cauſam tantopere tuetur?* At quoniam numquam finis foret, ſi in laudibus Deiparæ calamo indulgere vellemus, ad Decretorum properamus examen.

DECRETUM I. CAPITIS, IN ORDINE CCXLVII.

Benedictus XIII. conceſſit, ut in toto Eccleſiaſtico Statu ab omnibus, qui ad horas canonicas tenentur, ſequentia B. M. V. officia in ejus reſpective feſtivitatibus recitari, & Miſſæ reſpective celebrari debeant. Videlicet die 23. Januarii Deſponſationis B. M. V. cum S. Joſeph; feria VI. poſt Dominicam Paſſionis de ſeptem Doloribus B. V., diei 16. Julii B. M. V. de Monte Carmelo; Dominica 2. Novembris Patrocinii B. M. V., die 10. Decembris Tranſlationis Sacræ Domus Lauretanæ, & die 18. Decembris Expectationis Partus B. V., & ita decrevit, & ſervari mandavit die 23. Aug. 1725. *in Decreto totius Status Eccleſiaſtici*, ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 265.

I. Voces *Debeant*, & *Mandavit*, quibus Decretum utitur, apud Clerum totius Status Eccleſiaſtici, etiam Regularem, qui non minus venit eorum nomine, *qui ad horas canonicas tenentur*, conceſſa officia in præcepto utique conſtituunt, & ideo etiam transferibilia in caſu impedimenti, qualia reipſa eſſe declarat Decretum 5. Maii 1736. in capite de feſtis affixis diebus mobilibus expoſitioni ſubjectum; quo & in capite tradidimus, quæ ad Dolorum feſtum attinent, quod nunc de præcepto eſt apud univerſalem Eccleſiam, cui & traditum fuit feſtum B. Mariæ de Monte Carmelo, de quo infra reſervamus agere; quod & præſtabimus de Deſponſationis feſto, quare ſupereſt nonnulla dumtaxat tradere de Patrocinio Deiparæ, & Tranſlatione Lauretanæ Domus.

II. Patrocinii feſtum validiſſimæ innititur interceſſioni Deiparæ, cui prætermiſſis, quæ uſque per exceſſum de ejuſdem efficacia Sancti Patres locuti ſunt, nobis accommodare liceat reſponſionem, quam 3. *Reg.* 2. dedit Salomon Matri ſuæ: *Pete, mater mea, neque enim fas eſt, ut avertam faciem tuam.* Die 6. Maii 1679. Ditionibus Regis Catholici fuit conceſſum, & ſenſim locis aliis, & adeo, ut modo quaſi ſit Eccleſiæ univerſalis officium. Regulariter alicui Dominicæ menſis Novembris reperitur addictum, quarum numerus peti non debet a Dominica proximiori Kalendis, ſed a prima, quæ in menſe recurrit, nullo quoque reſpectu habito ad Dominicam ſecundam, quæ quantum ad lectiones, & antiphonas non infrequenter omittitur. Non deſunt tamen uſus aliqui, qui ejuſdem celebrationi in aliis Dominicis incumbunt, ut Patavii in Dominica 4. Octobris, & adhuc in ſtata menſis die, ut Venetiis, & Brixiæ die 14. Novembris.

III. Domus, in qua Verbum caro factum eſt, anno 1291. ab Infidelium poteſtate miniſterio Angelorum in Dalmatiam devenit, anno 1294. repetito Miraculo in Picenum tranſlata, in Recitenenſis agri ſylva piæ Matronæ, cui *Laureta* nomen, propria concedit; hinc *Lauretana* nomen Domui Virginis obvenit, quam & in ipſo Piceno ter ſedem infra annum mutaſſe, memoriæ proditum eſt. Perinſignis hujus Tranſlationis officium Picenæ Provinciæ Congregatio indulſit 26. Novemb. 1632., officio proprio, quod antea de communi recitabatur, approbato per Innoc. XII. die 16. Sept. 1699., ad ſextam lectionem additis verbis illis *Ipſius autem Virginis &c.* Anno 1719. 19. Maii ad Etruriam reperitur extenſum, nunc a Benedicto XIII. ad totum Eccleſiaſticum Statum, & deinde ad Dominia Reipublicæ Venetæ, Regis Catholici, & alia loca. Celebratur die 10. Decembris, qua creditur in Picenum tranſlata Domus, & ſub qua in Martyrologio Romano ex Decreto 31. Aug. 1699. invenitur deſcripta. In officio adhibentur plurima a communi Dedicationis Eccleſiæ deprompta, tamquam de Æde per divinum Verbum, Deiparam, & Archangelum Gabrielem Incarnationis nuntium ſanctificata; at Decretum per ea verba; *ſequentia B. M. V. officia in ejus reſpective feſtivitatibus recitari debeant*, inter Deiparæ feſta illud collocat, & cohærent, quæ in fine habet lectio ſexta ejuſdem officii, unde dubium non eſt, quod in eo facienda non eſt commemoratio octavæ Conceptionis, ne de eadem Deipara ſimul fiat officium, & commemoratio.

DECRETUM II. CAPITIS, IN ORDINE CCXLVIII.

Officia B. M. V., nempe Deſponſationis, Patrocinii, Tranſlationis Almæ Domus, & Expectationis Partus a s. m. Benedicto XIII. die 25. Aug. 1725. pro toto Statu Eccleſiaſtico conceſſa, ſub ritu duplici majori celebrari debent. Ita declaravit, & ſervari mandavit S. R. C. 15. Sept. 1736. *in una dubior.* ex Merato in Indice Decr. Brev. nu. 338.

I. Mancum carpes Decretum, quod non meminerit feſtorum ſeptem Dolorum, & B. M. de Monte Carmelo, quæ una cum ceteris ad Statum Eccleſiaſticum protenſa fuere. At Data Decreti, quæ fuit eo tempore, quo memorata feſta Eccleſiæ univerſali ſub ritu duplici majori jam diſerte erant conceſſa, Decretum illico vindicat. Dubium autem de ritu eorumdem feſtorum excitaverant conceſſiones plurimæ, vi quarum alicubi ſub ritu duplici minori, alibi duplici majori eadem celebrabantur officia, quæ cum extenſa fuerint ad Statum Eccleſiaſticum nulla ritus expreſſione facta, non apparebat, quonam ex dictis eſſent recolenda. Pro *duplici majori* Congregatio pronuntiavit, conceſſionem, quæ facta fuerat ad augendum cultum erga Deiparam, pro favorabiliori hunc ad effectum Indulto interpretata, & quatenus opus ſit, *ita ſervari mandans*. Hinc tamen non fit, quod ubi dictorum feſtorum aliqua ritu duplici minori reperiuntur conceſſa, ſub majori recitari queant, favorabile namque eſt ſolum Decretum Statui Eccleſiaſtico, & loca reliqua excedere non valeant limites propriorum indultorum, quæ ſi pro *ritu duplici* ſimpliciter cantarent, non expreſſo *minori*, adhuc ſub duplici minori celebranda eſſe ſtatuit Congregatio 2. Oct. 1683.

DECRETUM III. CAPITIS, IN ORDINE CCXLIX.

Regularium Superiores non veniunt ſub nomine Ordinariorum, & conſequenter non poſſunt aſſignare aliquam ex Dominicis Novembris pro recitatione officii de Patrocinio B. M. V., quod multis in locis permittitur celebrandum in aliquo die Dominico præfati menſis a locorum Ordinariis eligendo. S. R. C. 22. Janu. 1701. *in una Camaldulen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 222.

I. Hiſpaniarum potiſſimum Regnis conceſſum fuit Patrocinii officium pro aliquo die Dominico Novembris, *ab Ordinariis locorum* eligendo, & factum eſt dubium, num Regularium Prælati, non pro Clero Sæculari, pro quo id muneris Epi-

ſcopis

ſcopis ſupponebatur commiſſum, ſed pro ſuis ſubditis, qui ab iiſdem tamquam Ordinariis independenter ab Epiſcopis pleno jure reguntur, ad aſſignationem præfatæ Dominicæ poſſent devenire? Negative Congregatio reſpondit, & in rationem adducit, quod Regularium Superiores non veniunt ſub *Ordinariorum* nomine, quibus ab indulto commiſſa eſt prædicta aſſignatio. Rationi hujuſmodi reniti videntur Doctores, qui Regularium Prælatos tamquam ſuorum ſubditorum *Ordinarios* unanimiter agnoſcunt, & in his illos ordinariam ex perpetuo privilegio juriſdictionem, immo & majorem, & pleniorem, quam Epiſcopus habeat in Clericos ſuæ Diœceſis, fatentur habere poteſtatem, ut inter alios docet Tamburinus *de jure Abbat. tom.* 1. *quæſt.* 4., ubi jura congerit, & Auctores. Facili tamen negotio nodum hunc diſſolvunt Indulti verba, quæ dictam faciunt facultatem, non *Ordinarii* abſolute, ſed *Ordinariis locorum*, quod & deſignant ea Decreti verba, *A locorum Ordinariis eligendo*, quibus ut congruant ea anteriora, *Regularium Superiores non veniunt ſub nomine Ordinariorum*, perneceſſe eſt, intelligantur nomine *Ordinariorum locorum*, quorum appellatione venire dumtaxat Epiſcopos, & habentes jura Epiſcopalia in Sæculares perſonas, notat Rota *deciſ. 798. part.* 4. Etſi itaque Regulares Prælati ſuorum ſubditorum ſint vere *Ordinarii*, adhuc quia non ſunt *Ordinarii locorum*, quibus dicta aſſignatio eſt commiſſa, neque pro ſuis ſubditis eamdem Dominicam poterunt aſſignare.

II. Anno 1740. 1. Octob. prodiit Decretum, & fit 4. cap., in ord. 250. nempe *ſi Dominica Novembris ab Ordinario loci aſſignata pro recitatione officii de Patrocinio B. M. V.*, *occurrat feſtum altioris ritus, transferatur officium Patrocinii juxta Rubricas in primam diem non impeditam*; hoc autem volumus intelligas pro locis, ubi feſtum Patrocinii per terminos præceptivos conceſſum fuit, aut pro regnis, vel Religionibus, non vero pro aliquo particulari loco, ſicuti late traditur in cap. de feſtis affixis diebus mobilibus.

DECRETUM V. CAPITIS, IN ORDINE CCLI.

Omnibus Fratribus, & Monialibus Ordinis Minorum S. Franciſci indulgetur, atque conceditur, ut in recitatione officii Deſponſationis B. M. V. cum S. Joſeph fiat ab ipſis commemoratio ejuſdem S. Joſephi, tum in utriſque veſperis, tum in laudibus, & reſpective etiam in Miſſa cum antiphonis, & oratione a S. R. C. approbatis. Ita S. R. C. 1. Julii 1713. *in una Ordin. Minor. Obſerv.* Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 255.

I. QUOD Deſponſatio Deiparæ cum S. Joſeph in ſolis ſteterit ſponſalibus, & non in verum uſque Matrimonium fuerit progreſſa credidere nonnulli, quorum opinio tamquam contraria communi SS. Patrum ſenſui, veriori Evangelii interpretationi, & receptæ inter Hebræos opinioni, quod Jeſus foret fabri filius, univerſaliter rejicitur, & de temeritate inſimulatur. Cum itaque feſtum in memoriam conjugii fuerit inſtitutum, dubium fit, *cur Deſponſatio* inſcribatur? Quod inter Catholicos Doctores plene non conſtet de contracto matrimonio, reponunt nonnulli; at hoc nobis non arridet admodum, cum illorum opinioni, quæ communiter rejicitur, tantum honoris Eccleſiam deferre non potuiſſe arbitremur, quare diceremus magis hoc ideo factum eſſe, quia cum tunc temporis, quo feſtum recolitur, plures ex Sanctis Patribus Mariam ſponſam Joſeph faciant, poſt tres menſes a ſalutatione Angelica in uxorem tantum acceptam, quando videlicet Joſeph ignarus myſterii, Mariam prægnantem occulte dimittere cogitabat, & ab Angelo admonitus, *accepit eam conjugem ſuam*, utique ſatius adjudicavit Eccleſia uti *Deſponſationis* vocabulo, quod plerumque ſacræ uſurpant litteræ, & aliunde D. Thoma interprete 3. *par. q. 29. art. 2. ad 2.*, & pro conjugio aptum eſt recipi, quod prædictam ſalutationem præceſſiſſe, abunde ſuadet infamia fornicationis filii, quæ alias in Chriſtum, & incontinentiæ, quæ in Sponſos derivaſſet.

II. Eccleſia Nannatenſis die 15. Januarii, & Eccleſiæ aliæ die 22. Decembris ſolemne habent hoc feſtum excolere, quod tamen communiter diei 23. Januarii reperitur addictum. *Cur autem*, ait Guyetus lib. 2. cap. 4. qu. 1., *potius iſta*, *quam illa die*, *quis dicat? Niſi quod inſciis*, *quo die ſacrum illud conjugium initum ſit*, *nihil commodius occurrit*, *quam ut illius memoriam non longe a Partus feſto recolerent*. Nobis tamen lubet dicere, quod improbabile non eſt, quod die 23. Januarii communiter fuerit conſignatum, quod in ea contigerit mors Carnutenſis cujuſdam Canonici, a quo Deſponſationis feſtum primam agnoſcit originem.

III. Sæculo xv. e vivis exceſſit prædictus Canonicus, qui in die mortis ſuæ per Capitulum Cathedralis ſolemnem quotannis agi legavit commemorationem S. Joſeph Sponſi Deiparæ. Hanc ad diſpoſitionem implendam Joannes Gerſon tres exhibuit modos, inter quos emicuit ille de peragendo officio Deſponſationis B. M. cum S. Joſeph, quem ad effectum & officium ipſum compoſuit, & a Legato Pontificio fuit demandatum. Sæculo xvi. Paulus Papa III. Ordini Minorum feſtum Deſponſationis indulſit, in quo nunc ab iiſdem commemorationem S. Joſephi fieri conceditur; viſum eſt enim congruum, in hujuſmodi feſto, quod in honorem Mariæ deſponſatæ Joſeph creditur inſtitutum, non præterire Sponſum, ad quem relationem habet,

DECRETUM VI. CAPITIS, IN ORDINE CCLII.

In Deſponſatione B. M. V. non eſt facienda commemoratio S. Joſephi, niſi conſtet de ſpeciali conceſſione. S. R. C. 5. Maii 1736. *in Einſidlen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 285.

I. RUmor, cui alas valde & addiderat multorum devotio, præcedentis Decreti tumquam univerſalis indulti adeo ſe ſe diffuderat, ut occaſionem nedum fecerit inſerendi in nonnullis Diœceſum Kalendariis præfatam S. Joſephi commemorationem, ſed etiam Patri Forti in quodam Decretorum libro Cremonæ typis edito, evulgandi generale indultum ejuſdem commemorationis pro locis, ubi agitur Deſponſationis feſtum. *Specialem conceſſionem* Congregatio expoſcit; propria enim auctoritate divino officio nihil addi poteſt, & præcedens Decretum, & quodcumque aliud ſimile indultum ſpeciales gratiæ ſunt, quæ ultra perſonas expreſſas non extenduntur. Ceterum etſi Congregatio non ſemel ſuper eadem commemoratione ſpecialiter indulſerit, ad fovendam petentium devotionem quodammodo diſpenſationem fecit, per quam ad abundantiam permittitur commemoratio in officio, in quo eſt omnino ſuperflua, quodque eſt continua commemoratio S. Joſephi. Sapientiſſimi in mentem adducito Gerſonis Conſilium, per quod in præcedenti Decreto ex communi approbatione vice commemorationis officium Deſponſationis inductum fuiſſe vidimus, & ſi vales, denega, quod ſuperfluat commemoratio S. Joſeph in officio Deſponſationis, quæ duas perſonas neceſſario importat, viruro ſcilicet & ſponſam, quarum unum ſine altero nec eſſe, nec concipi valet.

II. Conſimile prodit Decretum aliud, & fit 7. cap., in ord. 253. *Quæſitum fuit*, *an die 23. Januarii in feſto Deſponſationis B. M. V. ſit facienda commemoratio Sponſi S. Joſephi tam in officio*, *quam in Miſſa? Et reſponſum fuit: ſervetur Rubrica*, *quæ habetur in officio Deſponſationis. S. R. C. 23. Junii 1736. in Brugen. Quod & omnino confirmavit die 16. Febr. 1737. in Mechlinen. ad 3. dub.*, *ut refert Meratus in Indice Decr. Brev. num.* 317. En Rubricam, quæ ſervari mandatur: *Deinde fit commemoratio S. Joſeph*, *ſi conceſſa eſt*, *ante alias quaſcumque commemorationes*, *etiam feſti duplicis*, *aut Dominicæ*. Dictio *ſi conceſſa eſt* ſpecialem conceſſionem exquirit ad eamdem commemorationem, cetera vero verba eidem concedunt præferentiam ſuper reliquas commemorationes, moris inſtar, qui ſervatur pro S. Paulo in feſtis S. Petri, & e contra. Ex commemorationibus aliæ ſunt, quæ inſeparabiliter comitantur, & ſequuntur feſtum, quocumque die celebretur, & hæ cenſentur intrinſecæ, & pertinentes ad officium, quod agitur, unumque cum eo veluti efficere, unde ab officio ſejungi non poſſunt, & tales ſunt commemorationes prædictæ SS. Petri, & Pauli, & S. Joſeph. Aliæ vero ſunt, quæ feſto per accidens dumtaxat junguntur, ratione ſcilicet diei, in qua occurrit, vel celebratur, & hæ cum ſint mere accidentales, & nihil attinentiæ habeant ad officium, jure relictæ ſunt Rubricarum diſpoſitioni.

III. Pro qua commemoratione in uſum erunt antiphonæ, verſus, & oratio feſti 19. Martii, quæ noviſſime fuerunt approbatæ, & ab eadem Rubrica aſſignantur, & quidem etiam apud Ordinem Minorum, licet horum Indultum antiquius ſit illarum approbatione; antiquarum enim approbatio antiphonarum deſiit ad approbationem novarum, & ideo hæ in illarum locum etiam apud præcedentes Indultarios debent ſubrogari.

DECRETUM VIII. CAPITIS, IN ORDINE CCLIV.

Quæſitum fuit, an officium Expectationis Partus B. M. V. conceſſum ſit omnibus Regnis Hiſpano Monarchæ ſubjectis, an ſolum aliquibus? Reſponſum fuit: Indultum Gregorii XIII. eſſe tantum pro ſola Hiſpania. Ita S. R. C. 4. April. 1705. *in Lycien.* Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 233.

I. CUM Quadrageſimali tempore Sanctorum feſta olim permittere Eccleſia refugeret, in Hiſpania Annunciationis feſtum ad diem 18. Decembris ſtare translatum extitit, at præfata tepeſcente diſciplina, mori Romano etiam Hiſpaniarum Eccleſiæ accedentes, die 25. Martii illud celebrandum cenſuere, in eadem die 18. Decembris in Toletana Eccleſia ſubrogata feſtivitate alia, *Expectationis* dicta, quam deinde & aliæ Hiſpaniarum Eccleſiæ ſuſcepere. En quæ habet Gregorius XIII. in ſuis litteris ſub datum 1573. *Quamvis Annunciationis B. M. feſtum ſuum ſolum nunc teneat*, *& octavo Kalendas Aprilis in univerſa Catholica Eccleſia celebretur*, *Toletana tamen Eccleſia utramque retinet ſolemnitatem*, *alteram menſe Martio*, *ut Romana Eccleſia*, *quæ magiſtra omnium Eccleſiarum*, *& mater eſt*, *ſanctiſſimum inſtitutum ſequatur; alteram octavo ante natalem Domini die: tum quod hæc ſolemnitas ab ipſa Toletana Eccleſia inſtituta fuerit*, *& magna veneratione ab aliis Eccleſiis ſuſcepta*, *per univerſam Hiſpaniam hactenus celebretur*. Quæ ſolemnitas *Expectatio Partus B. M. V.* fuit appellata, & quadrat admodum tempori, in quo uti ab Eccleſia ſuſpiria, & deſideria SS. Patrum expectantium Redemptorem per antiphonas majores, incipient *O*, deſignantur, ita belle figuratur Maria in expectatione proximi partus ejuſdem Redemptoris.

II. De quo feſto ſtatuitur, quod Indultum Gregorii XIII. ſoli favorabile eſt Hiſpaniæ, ac conſequenter quod extra Hiſpaniam prædictum feſtum celebrari non valet, neque in locis Hiſpaniarum Monarchæ ſubjectis, niſi eorumdem aliqua ſpecialem teneant conceſſionem Indultum Gregorii XIII. pro Eccleſia To-

letana eamdem approbat ſolemnitatem, & implicite etiam pro tota Hiſpania quatenus laudat eam *per univerſam Hiſpaniam* celebrari, approbaſſe cenſetur. Hiſpania autem non comprehendit loca cetera, quæ in Italia, aut Indiis, vel alibi Hiſpaniarum parent Regi. Apud Barboſam *in collect.* 84. *num.* 3. per Decretum S. R. C. 11. Junii 1605. jam hoc dubium patet diremptum: *Officium de feſtis per Breve Apoſtolicum ſpecialiter conceſſis Regno Hiſpaniarum, ut eſt feſtum Expectationis, & alia ſimilia, non poteſt in Luſitania recitari, attento quod Regna ſunt diverſa, quamvis ſub unius Regis poteſtate exiſtant.* Tunc enim temporis etiam Luſitania parebat Hiſpaniarum Regi, & ſolum ſub Philippo quarto anno 1640. ab Hiſpania iterum avulſa fuit, & ad alterius Regis Dominium devenit. Hinc edifcant Eccleſiæ plurimæ, quæ ſimilium officiorum recitationi nimis facile, & prodige incumbunt, ſedulo ponderanda eſſe Indulta, ut divini officii oneri, ut par eſt, rite queant ſatisfacere. Hanc quoad rem recolantur tradita in Decr. 2. cap. 29., quoad lectionem homiliæ, quoties occurrit in feria IV. quatuor Temporum, quæ dedimus in Decr. 17. cap. 4., & quoad antiphonas laudum, quæ dabimus de laudibus agentes.

DECRETUM IX. CAPITIS, IN ORDINE CCLV.

In feſto Expectationis Partus B. M. V. hymni ſunt concludendi cum verſibus, *Virtus, honor, laus, gloria &c.*, & breve Reſponſorium ad Primam debet eſſe, *Qui venturus es in mundum* S. R. C. 26. Nov. 1735. *in Hiſpalen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 281.

I. CONſimile Decretum aliud, & ſit 10. Capitis, in ordine 256., in ſuo Decretorum Indice num. 321. ſub his terminis refert Meratus: *Quæſitum fuit, an die 18. Decembris in feſto Expectationis Partus B. M. V. ſit finis hymnorum* Jeſu tibi ſit gloria &c., *ſicut in aliis feſtis B. M. V., an non? Et reſponſum fuit, ſervetur Rubrica. S. R. C. 23. Junii 1736. in Burgen., & idem confirmavit die 16. Febr. 1737. in Mechlinen.* Sed quæ Rubrica ſervanda erit? Generaliſne poſita ſub tit. 20. n. 4., quæ *quandocumque ſit officium B. Mariæ*, in fine omnium hymnorum dici mandat *Jeſu tibi ſit gloria &c.*? Nequaquam, ſed particularis in ipſo poſita, quæ ſicut ſpecialiter de hoc feſto diſponit, ita pro eodem Rubricæ generali exceptionem facit, quam & feciſſet Auctor Rubricarum generalium, ſi fuiſſet officium Breviarii Romani. Cum enim in hoc feſto Maria in expectione Partus, ſeu Nativitatis Chriſti inſpiciatur, & hac de cauſa abactis hymnis propriis ſumpti fuerint de Adventu, qui magis quadrant officio, quod agitur, utique & omitti debuit terminatio *Jeſu &c., qui natus es de Virgine*, quæ Chriſtum fatetur natum, qui tamen in officio expectatur naſciturus, & uſurpari ea Adventus, uti & verſus ad Primam, *Qui venturus &c.*, in quibus itidem expectatur Virginis partus, & Chriſti nativitas.

II. Verum etſi hoc congrue factum ſit circa verſum Primæ, *Qui venturus es in mundum*, qui officio quadrat admodum, quemque uti proprium Adventus habet, & in occurrentia inducit feſta, non ſic videtur de terminatione hymnorum *Virtus, honor, &c.*, quæ communis eſt, nec Adventus propria, quæque nec dicitur in feſtis, nec in officio ipſo Adventus ad horas, nec in hymno *Verbum ſupernum*, qui concluditur per *Patri, ſimulque Filio*. Quare cum officio non magis quadret, quam Horarum ceteræ hymni magis ſuis propriis concluſionibus deſeri, ut fit in officio Adventus. Hoc tamen factum extitit, quia cum officia quælibet B. Mariæ præ ceteris habeant terminationem propriam, hac nec præfatum feſtum defraudari debuit, unde cum ſolita *Jeſu &c.* non apte ut ſupra quadret officio, aſſumpta fuit concluſio hymni *Creator alme ſyderum*, qui eſt primus hymnus dicti feſti, & eodem privilegio honorata. Dicenda propterea ea erit etiam in præfato matutini hymno, qui ejuſdem metri eſt, inſtar terminationis *Jeſu*, quæ ad omnes hymnos ejuſdem metri in feſtis B. Mariæ adhibetur, & præſertim quia Rubrica, quæ ſervari mandatur, notat *in fine omnium hymnorum dicitur* Virtus, honor &c.

III. Nos tamen non adeo in verſiculo *Jeſu, &c. qui natus es de Virgine* incongruitatem feſto, quod agitur, agnoſcimus, ut neceſſe fuerit in alium commutari. Duplicem diſtinguimus nativitatem, unam in utero, aliam ex utero, & cum videamus in Annunciationis feſto, in quo Virgo Divinum concepit Filium, Jeſuſque vix conceptus inſpicitur, adhoc a Rubricis dici præſcriptum verſum *Qui natus*, to *natus* ſumpto pro *nativitate in utero*, credimus non minori jure dici potuiſſe in feſto Expectationis, quod ſupponit Jeſum fere a novem menſibus conceptum. Obſervamus itidem, quod in Annunciatione Antiphona *Poſt partum* tamquam feſto minus conſona, in Antiphonam *Angelus Domini* commutatur, quod & præſtatur in Conceptione B. Mariæ ratione temporis Adventus, in quo celebratur, & tamen retinetur verſus *Qui natus* in utroque caſu; cur autem hoc, niſi quia cum aptus ſit accipi & pro nativitate in utero, & ex utero, nullam incongruitatem ſervat cum officio, quod agitur. Animadverſione dignum etiam apparet, quod in Nativitate, & Conceptione B. Mariæ per anticipationem adhuc dicitur *Qui natus*, etſi hæ feſtivitates repræſentent Virginem præcedenter ad Nativitatem, & Conceptionem filii; hoc autem in ſenſu quid umquam vetare poteſt, quin dicatur & in feſto Expectationis, quando etiam pro nativitate in utero aptus non foret recipi? Diceremus itaque, quod mens fuit in hocce officio Mariam ſuſpiriis SS. Patrum aggregare, veluti illud ſubſtituendo Antiphonæ illi *o Virgo Virginum*, quæ inter eadem ſuſpiria olim ab Eccleſia recitabatur; quare ſicuti in officio, in quo præfata dicebatur Antiphona, & in quo recenſentur SS. Patrum ſuſpiria, adhibetur verſus proprius Adventus *Qui venturus es in mundum*; ita in officio Expectationis, in quo propterea & uſurpantur pluſima alia de Adventu, idem verſus apprime congruere, ut reipſa congruit, creditus fuit, ac conſequenter verſus *Qui natus*, qui ad Primam in alium commutabatur, nec in hymnis adhibendus, ſed magis, ut omnia ſint conſona, & præfatum Mariæ officium inſtar aliorum ejuſdem feſtorum propria terminatione gauderet, in concluſionem, quam hymnus primarum veſperarum dictorum officii, & temporis habet, commutandus.

DECRETUM XI. CAPITIS, IN ORDINE CCLVII.

Clerici Regulares Congregationis Theatinorum poſſunt quotannis die 2. Februarii officium de Purificatione B. V. M. recitare cum octava. Clemens X. In Conſt. data 30. Aug. 1671., quæ extat *in Bullario recentiſs. editionis Rom. to. 7. num. 75.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 96.

I. PRimogenitorum, *qui vulvam aperiebant*, lex *Exodi* 13. erat, ut ſanctificarentur, & offerrerentur Domino, & pretio quinque ſiclorum redimebantur; Genitrices vero, quæ *ſuſcepto ſemine* peperiſſent maſculum, *Levit.* 13. jubentur quadrageſima a partu die purificari in Templo oblationibus Agni anniculi in holocauſtum, & Pulli Columbæ, ſive Turturis pro peccato, aut duorum Turturum, vel duarum Pullorum Columbarum, unius in holocauſtum, alterius pro peccato, ſi manus offerentis non habuiſſet, quod ſatis eſt pro agno. Cum Chriſtus Matris *vulvam non aperuerit*, ſed clauſo exiverit Virginis utero, & Maria *non ſuſcepto ſemine*, ſed opera Spiritus Sancti Jeſum pepererit, profecto Maria his legibus minime tenebatur, utramque tamen implere voluit, & ceteris puerperis ſe conformare; hinc *Lucæ* 2. inſtruimur & de præſentatione Chriſti in Templo, & de oblatione duorum Turturum, vel duorum Pullorum Columbarum, licet Evangeliſta diſerte non explicet, an Turtures, vel Pulli Columbarum oblati fuerint, contentus expreſſiſſe, quod oblatio pauperum peracta fuit. Oblationis quinque ſiclorum nec Evangeliſta meminit, ſed Suarez 3. *par. to. 2. qu. 37. diſp. 16. ſect.* 1. §. 4. rite ponderat, quod dubitandum non eſt, quin Chriſtus, qui legem implevit quoad potiorem ejus partem, ſcilicet quoad oblationem ſui ipſius, impletam voluerit etiam quoad alteram, ſeu quoad ſiclorum oblationem.

II. Hæc ſunt myſteria, quæ Eccleſia recolit in Purificationis feſto, quod *Hypante*, ſeu *Hypapante*, hoc eſt *humilis occurſus* a Græcis dicitur, quia S. Simeon Chriſtum infantem occurrit, dum ad Templum, ut offereretur, a Parentibus portabatur; qua de cauſa & *feſtum S. Simeonis* appellatum invenitur, addiderunt nonnulli, *& Annæ*, quippe etiam hæc Chriſto ut ſupra obviam ivit, gratulans, & benedicens Deo. Ab Eccleſia Romana inter feſta Deiparæ recenſetur, dicitur *Purificatio B. M. V.*, ideſt oblatio, quæ poſt partum a Deipara facta fuit ex veteris legis inſtituto; ex officio autem, ait Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 5. num.* 10., ejuſdem feſtivitatis, quod majori ex parte ad Chriſtum refertur, facile dignoſcitur, ad utrumque, Chriſtum ſcilicet, & Mariam, ſpectare, unde Beda apud eumdem: *ſolemnitatem nobis hodiernæ celebritatis, quam quadrageſima Nativitatis die debitis veneramur officiis, maxime ejuſdem Salvatoris noſtri ſimul & intemeratæ Genitricis ejus humilitati dedicatam, ſacra Evangeliſtæ lectio deſignat, exponens eos, qui legi nihil debuerant, implendis ſe legalibus per omnia ſubdidiſſe Decretis.* Nos adderemus, quod cum inter oblationes Chriſtus etiam extiterit, & propterea hoc feſtum *Oblatio Chriſti ad Templum* etiam nuncupetur, eo magis cenſeri debet jure ad Chriſtum attinere, quo hic in dignitate ceteras antecellit oblationes, perſonaſque ipſas offerentes, ad quod forſan reſpexiſſe credimus, dum illud Græci inter feſta Domini connumerarunt.

III. Reliquum foret in medium producere, quæ de origine, & antiquitate feſti ab Auctoribus multa cum varietate traduntur, ſed ea fortaſſe dabimus, dum de proceſſione, & cereorum uſu alibi differemus; hinc deſcendentes ad Decreti explanationem, nihil peculiari dignum ducimus conſideratione, in eo quippe nonniſi Theatinis conceditur celebrare feſtum cum octava, ad cujus rectam pro omni eventu celebrationem abunde deſerviunt, quæ a nobis ſparſim traduntur.

DECRETUM XII. CAPITIS, IN ORDINE CCLVIII.

Feſtum Purificationis B. M. V., quando occurrit in Dominicis privilegiatis, niſi ſit Titulus Eccleſiæ, quoad officium, & Miſſam, in ſequentem diem transferendum eſſe declaravit S. R. C. 9. Aug. 1681. *in Bergomen.* ex Regeſtis ejuſdem S. R. C.

I. DOminicæ privilegiatæ, in quas Purificatio valet incidere, ſunt ritus duplicis 2. claſſis, unde juxta Rubricas dubium non eſt, quod Purificatio prævalet, ubi duplex primæ claſſis eſt, ſcilicet, ubi eſt Titulus Eccleſiæ, aut Patrona principalis loci, cedit vero, ubi dumtaxat ritu duplici 2. claſſis, ut in Breviario Romano, recolitur. *Quoad Officium, & Miſſam*, notat Decretum, ut hinc ediſcas candelarum benedictionem, & proceſſionem nihilominus non transferri, ſed diei 2. Februa-

rii

rii manere addictas, quemadmodum mandant Rubricæ Miſſalis. At in quam diem transferenda erit? *In ſequentem* addit Decretum, & jampridem id ſanxit Clemens VI. Gavanto teſte *ſect. 7. cap. 4. nu. 2.*, ac expreſſe firmat Rubrica Miſſalis de Miſſa, ac per conſequens etiam de officio, cui Miſſa debet conformari. An autem in ſequenti die ſit reponenda in excluſionem feſtorum prius translatorum, aut altioris ritus, vel adhuc occurrentis feſti, quæſtio alia eſt, de qua in ſequenti Decreto.

DECRETUM XIII. CAPITIS, IN ORDINE CCLIX.

Dies tertia Februarii non poteſt aſſignari alicui Sancto duplici, vel ſemiduplici ſemper translato, pro ejus certa, & perpetua ſede. S. R. C. 9. Aug. 1681. *in Bergomen.* ex Regeſtis ejuſdem S. R. C.

I. QUæ in capite nono dicebamus de immutatione Sanctorum perpetuo translatorum differenda ultra primam diem non impeditam, quoties occurrit, congrua ratio aliqua, abunde præſens probat Sanctio, dum diem 3. Februarii a præfata immutatione liberam debere eſſe ſancit, non alia utique de cauſa, niſi ut in ea locari queat Purificationis feſtum, quando transferri contingit, ad evitandum periculum translationis ejuſdem intra quadrageſimale tempus, cum quo incongruitatem ſervat inſtar feſti SS. Nominis Jeſu, pro cujus propterea repoſitione diem 28. Januarii relinquendam eſſe vacuam vidimus in Decr. 12. cap. 9. Uti enim in feſto SS. Nominis Chriſtus inſpicitur ut puer octo dierum, ita in feſto Purificationis ut puer quadraginta dierum, quare ſi feſtum SS. Nominis cenſitum eſt incongrue celebratum iri intra quadrageſimale tempus, in quo Chriſtus inſpicitur ut vir ſupra annos triginta, & ideo relicta fuit vacua prima dies non impedita, ſcilicet 28. Januarii, ita prima dies non impedita, adeoque 3. Februarii, relinqui debuit vacua pro Purificationis feſto, quod cum quadrageſimali tempore æqualem ſervat incongruitatem, ut nos dicebamus in Decr. 2. cap. 10., ubi id privilegii jam Purificationi ſecimus, etſi nobis præſentis non innoteſceret emanatio Decreti.

II. *Non poteſt aſſignari*. Conſimilis eſt ita expreſſio illi, quam Congregatio tenet de prædicto feſto SS. Nominis, quare quæ de hoc dedimus in memorato Decr. 12. cap. 10., Purificationi ſunt applicanda, videlicet ut ſi alicubi die 3. Februarii occurrat feſtum aliquod, transferendum minime ſit, ut in ea collocetur Purificatio, tametſi intra quadrageſimam transferri deberet, cum qua cæteroquin tantam inconvenientiam non habet, ut magis omitti debeat, quam intra eandem transferri, ſed magis tunc relinqui debebit ut ſupra libera dies 6., aut alia prima non impedita, ut quantum fieri poteſt, caveatur dictum incommodum, atque periculum. Modus namque loquendi, quem habet Decretum, indicat quidem occupandam non eſſe diem 3., ac conſequenter hac impedita nec primam non impeditam, ſed non præſcribit, quod ut conſulatur repoſitioni Purificationis, occurrens in ea feſtum debeat abigi, quinimmo cum hoc fieri quammaxime refugiant Rubricæ, Sanctio utique id exprimere debuiſſet, ſi voluiſſet, ut diſerte ſemper videmus expreſſum, quoties id privilegii fuit conceſſum, quemadmodum videre eſt in Decretis, quæ accidentaria immutatione donant feſta Annunciationis, S. Joannis Baptiſtæ, & S. Benedicti.

III. Etſi tamen Purificationis feſtum in ſequenti die donatum non fuerit accidentaria immutatione, inviti credimus Decreti menti aſſerentes, quod Purificatio in die 3. præfata, ubi non eſt impedita, aut hac impedita in prima ut ſupra non impedita, repoſitionem habere queat in excluſionem feſtorum etiam altioris ritus, & prius translatorum, ſaltem quoties alias intra Quadrageſimam transferri deberet, quoniam unice ad prædictæ incongruitatis cavendum incommodum ea dies deſtinata fuit libera, & aliunde feſtum aliud abſque ullo incommodo alia die æque integre, & ſine ulla incongruitate reſumitur. Falleret hoc tamen, quoties feſtum aliud majorem, vel æqualem cum quadrageſimali tempore haberet inconvenientiam, cujuſmodi eſt feſtum SS. Nominis Jeſu; tunc enim cum eadem habeatur incongruitas, & feſtum illud potiora teneat ſuæ repoſitionis argumenta, prius reponi deberet, tametſi Purificatio intra Quadrageſimam transferenda foret. Hæc dedimus in Decret. 2. cap. 12., quare eadem hic libaſſe ſufficiat, præſertim quia ibi, & in Decret. 3. ejuſdem capitis ſenſum expoſuimus Decreti Clementis VI., Rubricarum; & quorumcumque Decretorum, quæ Purificationi pro die ſequenti poſſunt eſſe favorabilia. Quatenus tamen in defectu impedimenti diei 3. Februarii cenſeri deberet dies propria, & aſſignata pro Purificationis repoſitione, ut ex Merato dicebamus in Decr. 12. cap. 9. de die 28. Januarii ſancitum eſſe pro Conventualibus S. Franciſci in favorem feſti SS. Nominis, id quidem obeſſet priori repoſitioni SS. Nominis; ſed nos dicimus quid ſimile in favorem Purificationis non eſſe indultum, nec ad rem ſuffragari poſſe Decretum SS. Nominis, utpote quod eſt particulare & relate ad feſtum, & relate ad perſonas; quare cum ea, quæ adduximus, ſint valida prioris repoſitionis, immo fortaſſe & exceptionis argumenta, utique contemnenda non ſunt, donec in favorem Purificationis quid aliud particularius ſtatuatur.

IV. Par autem non eſt ratio, ſi diei 3. Februarii feſtum aliquod aſſignatum fuiſſet, recedendum ſiquidem foret ab aſſignatione, tamquam perperam facta, & contra Congregationis Decreta, tametſi his illa antiquior eſſet, quia obſtaret adhuc congrua aſſerta ratio, cui inviti credimus Decretum Clementis VI., atque Rubricas, dum Purificationi in caſu translationis diem ſequentem aſſignant, & aliunde feſtum e ſua propria die amotionis non perſentit incommodum, cum ſupponatur in aſſignata, & æque bene in altera poſſit immutari. An autem ad feſtorum immutationem neceſſaria ſit Apoſtolica facultas, jam negative diximus in cap. 4., & nunc extra dubitationem omnem reperitur poſitum, cum per ſequens Decretum, quod erit 14. cap., in ord. 260., ita maneat deciſum: *Aſſignatio alterius diei officio in perpetuum impedito, fieri poteſt inconſulta Sacra Rituum Congregatione*. *S. R. C. 22. April.* 1741. Quomodo vero fieri ea debeat, & quinam ordo ſervari queat, ex ibi dictis patet ubertim, quibus ſolum addimus, quod ſi Sancti alii poſt diem 3. Februarii primæ diei non impeditæ aſſignati fuiſſent, & in perpetuum addicti, adhuc ab hac aſſignatione tamquam perperam facta recedi poſſet, & forſitan ſatius foret ad alteram aſſignationem devenire, in qua ſervaretur ordo dignitatis, & Kalendarii. Quæ minime obeſſe credimus iis, quæ dedimus in memorato cap. 9. de facultate immutandi expirante in prima vice, & immutabilitate feſtorum jam immutatorum, niſi pro die aſſignata concedi eveniat feſtum aliud, quoniam hæc limitanda veniunt, quoties immutatio fuerit rite facta, ſecus ſi perperam, immutatio namque male facta, pro non facta jure cenſetur.

DECRETUM XV. CAPITIS, IN ORDINE CCLXI.

Ad confovendum, immo ad ſemper augendum cultum B. M. V., Benedictus XIII. officium pro ſolemnitate B. Mariæ de Monte Carmelo, prout jacet Romæ impreſſum typis Rev. Cam. Apoſtol., approbavit, ac ab omnibus Chriſtifidelibus utriuſque ſexus, qui ad horas canonicas tenentur, in poſterum ſub ritu duplici majori pro die 16. Julii quotannis recitari mandavit die 24. Septemb. 1726. *in Decr. urbis, & orbis*, ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 267.

I. HIſtoriæ, & cauſæ inſtitutionis feſti in lectionibus ſecundi nocturni ſatis manent expreſſæ; feſtum autem a Carmelitis ſuam agnoſcit originem, ad plura ſenſim loca, dominia, & civitates extenſum, & noviſſime per Benedictum XIII. ad Statum Eccleſiaſticum, e quo nunc ad univerſalem propagatur Eccleſiam. Dies 16. Julii potiſſimum delecta fuit, non defuere tamen olim uſus, qui in Dominica incidente, vel ſequente ad dictam diem celebrationi feſti, forſitan ad majorem celebritatem, incubuere, quos nunc cum Eccleſia univerſali ſe conformare debere, patet ex generali mandato, quod præſens pro dicta die *omnibus Chriſtifidelibus* indicit Sanctio, necnon ex iis, quæ late fuerunt tradita in Decr. 2. Cap. 12. Quæ dies præ ceteris cur delecta fuerit, dicant, qui ſciunt; nos enim advertentes, ejuſmodi feſtis regulariter dies decerni ex facto, quod inſtitutionis cauſa eſt, vel occaſio, id fortaſſe putamus præſtitum, quod ea die contigerit apparitio Deiparæ, & conſignatio Scapularis Beato Simoni Stok Anglico. Erit vero, qui conteſtetur id factum, quia circiter ad diem illam recurrat feſtivitas Eliæ Prophetæ, qui nebulam in eo montis Carmeli loco, ubi poſtmodum B. Virgini conſtructum fuit ſacellum, conſpexerit aſcendentem, ejuſdem Virginis typo inſignem; at cum hac in re divinatio locum magis habeat, abundet quilibet in ſenſu ſuo.

II. Officium, quod pridem recitabatur, pluribus laborabat labibus, quæ Gavantus *lib. 3. cap. 1. q. 5.* in officiis propriis agnoſcit. Ad Benedictus habebat Antiphonam prolixam uſque ad nauſeam, ad Magnificat in utriſque veſperis Antiphonas finales B. Mariæ, quæ aliis temporibus ab Eccleſia ſunt addictæ, & nulla alia, quæ etſi ex Breviario Romano decerpta, per verborum interpoſitionem, vel locomotionem levi vitio tenebantur, & in lectionibus abſolute aſſerebatur aliqua, quæ falſi ſuſpicione laborant. Hujuſmodi officia, licet particularibus locis, ut ponderavimus alibi, congruis de cauſis nonnumquam permittantur, ſecus Eccleſiæ univerſali, ad quam propterea cum extenduntur, novo aſſolent ſubjici examini; hinc mirum non eſt, ſi abrogato antiquo, officium juſſum eſt dici, *prout jacet Romæ impreſſum typis Rever. Cam. Apoſtol.*, quod cum *ab omnibus Chriſtifidelibus* ſit dici mandatum, dubium non eſt, quod etiam a præcedentibus indultariis recitari debet. Officium hoc novum depromptum ex feſto S. Mariæ ad Nives, retentis dumtaxat lectionibus antiquis ſecundi nocturni, quarum abſolutæ aſſertiones, quæ falſi ſuſpicione aliqua laborabant, per clauſulas *ut fertur*, ac *ut pie creditur*, modificatæ venere, & conceſſis novis propriis Antiphonis ad Benedictus, & Magnificat pro ſecundis Veſperis, quarum hæc ſi ob ſequens primæ claſſis feſtum ceſſet, ad Magnificat in primis poni debet Veſperis, ut diximus in cap. 12.

III. Gravis dubitatio facta fuit ſuper qualitatem Miſſæ celebrandæ, & officium, quod prout in feſto S. Mariæ ad Nives recitatur, ſimilem Miſſam adeo videbatur expoſcere, ut in quadam Miſſalis Romani editione invecta uſque fuerit. Rigidiores non acquievere adhuc, ſed S. Congregatione conſulta, hæc ſequens, quod erit 16. Cap., in ord. 262., Decretum edidit. *In feſto B. M. V. de Monte Carmelo, quod etiam a Regularibus ſervari debet die 16. Julii, quamvis officium recitetur juxta Conceſſionem Benedicti XIII. prout in feſto S. Mariæ ad Nives, tota tamen Miſſa, & non tantum Evangelium, dicantur illa, quæ a Sede Apoſtolica approbata eſt, & quæ incipit* Gaudeamus omnes &c. *S. R.* C. 5. *Maii* 1736. *in Einſid. apud Meratum in Indice Decr. Brev. num.* 304. Quæ Congregationis reſponſio ſi inſtar conceſſionis habeatur, cunctas illico adimit dubitandi

cauſas; ſi vero ut declaratio, idipſum hæc præſtat ratio, quod indultum non eſt prima feſti conceſſio, ſed ejuſdem extenſio; indubitata autem eſt regula, quod in extenſionibus diſpoſitioni juris antiqui relictum intelligitur, quidquid aliter in Decreto extenſivo non exprimitur, quare cum indultum duntaxat corrigat officium, & prout dicendum ſit, præſcribat, quis non videt, quod Miſſa *Gaudeamus* dicenda eſt juxta antiquum indultum? Et quidem Miſſa nulla in ſui parte inaptitudine, aut ſuſpicione falſi laborabat, quæ corrigendi officii cauſæ extitere. Quod vero veluti curſim tenet Decretum de Regularibus ad dictum feſtum die 16. Julii ſervandum adſtrictis, jam diſcuſſum fuit ſupra, & adhuc luculentius in citato cap. 12., ubi & tradidimus præcedentes indultarios perſeverare poſſe in ritu tale feſtum excolendi, ſi ſibi conceſſus altior ſit conceſſo Eccleſiæ univerſali, ſecus ſi depreſſior, Decretum namque latum dignoſcitur *ad confovendum, & agendum cultum Deiparæ*, non minuendum.

DECRETUM XVIII. CAP., IN ORDINE CCLXII.

Officium ſemel in hebdomada conceſſum, recitari debet in Sabbato, quando fieri deberet de S. Maria in Sabbato. S. R. C. 7. Febr. 1699. *in Tarviſina*, ex Merato in Indice Decr. Brev. nu. 213.

I. SAtis conſtare arbitror ex alibi dictis, quod de officii votivis præſens ſtabilit Sanctio, quare calamum duntaxat dirigo ad officium S. Mariæ in Sabbato, de quo adverto dici, *quando fieri deberet*, ut hinc inferam, non liberæ, ſed neceſſariæ eſſe recitationis, vox namque *Debet* neceſſitatem importat, & ſonat præceptum. Votivum illud dixere aliqui, ſed cum proprie votivum ſit illud, quod eſt mere voluntarium, jam vides proprie votivum eſſe non poſſe, niſi votivum illud dixeris, quia ex voto Eccleſiæ forraſſe traxit originem. En quod de eo tenet Rubrica VIII. *In omnibus Sabbatis per annum extra Adventum &c. ſemper ſit officium de S. Maria eo modo, quo ſit de feſto ſimplici;* unde bene Guyetus *lib. 4. cap.* 19. ſic contrarium aſſerentes refellit: *Officium B. Mariæ in Sabbato eſt ordinarium diei, in quo dicitur, eoque ſenſu non votivum:* & idipſum præſtat Gavantus *par.* 1. *tit.* 4. *lit.* N., & *ſect.* 8. *cap.* 6. *num.* 1., ubi & hujuſce officii Pium V. facit auctorem, quaſi hic loco officii parvi B. Mariæ, ad cujus quotidianam recitationem una cum officio Domini Clerus tenebatur, illud ſubrogaverit, primuſque in Breviarium invexerit. At licet id verum ſit de officio, quod modo recitatur, antiquius tamen eſſe officium S. Mariæ in Sabbato, & in Concilio apud Claremontem Urbem celebrato indictum, diſerte idem fatetur, licet quo ritu tunc temporis celebraretur, aſſerat non apparere. Scribit Radulphus prop. 20., *Urbanus II. in Galliam veniens, Concilium apud Claremontem Urbem celebravit anno Domini* 1096. *de menſe Novembris, in quo ſtatutum eſt, quod horæ B. M. V. quotidie dicantur, officiumque ejus diebus Sabbatorum ſolemniter fiet.*

II. Durandus *in Ration. lib.* 4. *cap.* 1. quinque affert cauſas, ob quas Sabbatum potiſſimum Deiparæ ſit dicatum, & argumentum late proſequuntur Spinellus *tract. de Maria Deipara cap.* 29. *num.* 18., Vicecomes *lib.* 3. *de Miſſæ ritib. cap.* 21., & Benedictus XIII. *tom.* 2. *ſerm.* 16., aliique plurimi, quos curioſus poterit Lector recolere; nobis enim ſufficiat recenſere miraculum quoddam, vi cujus ab imagine Deiparæ Conſtantinopoli olim aſſervata, in feria ſexta poſt veſperas recedebat velum, quod eam cooperiebat, & celebratis veſperis in Sabbato deſcendebat idem velum, & velabat imaginem ut prius uſque ad ſequentem feriam ſextam.

III. Dignum, quod diſtincta ſerie recenſeatur, cum non reputemus Decretum quoddam ſuper feſtum SS. Nominis latum, utpote quod non continet, niſi alibi ubertim diſcuſſa, & firmata, præſentem expoſitionem claudat, ſitque Decretum 14. cap., in ord. 268. *Occurrentibus in Dominica infra octavam Nativitatis B. M. V. officiis SS. Nominis B. M. V., & octavæ S. Roſæ Viterbienſis Ordinis Minorum, transferatur primum in aliam diem, & in ea Dominica fiat de ſecundo, nempe de die octava S. R. C.* 22. *janu.* 1707. *in una Ord. Minor. Obſerv. apud Meratum in Indice Decr. Brev. num.* 253. Quatenus autem dies octava præfertur recolatur caput de octavis, & quatenus officium SS. Nominis, licet Dominicæ addictum, donatur beneficio translationis, videri poterunt ibidem dicta, & in cap. de feſtis affixis diebus mobilibus.

DECRETUM XIX. CAPITIS, IN ORDINE CCLXV.

Quando transfertur officium Patriarchæ S. Joſeph, & Annuntiationis B. M. V., ambo 2. claſſis, quocumque in contrarium non obſtante, prius debet transferri, & recitari officium de Annuntiatione, & poſtea de S. Joſeph. S. R. C. 28. Novemb. 1682. *in Faventina*; & deinde idem confirmavit die 30. Junii 1689. *in Vigilien.*, & deinde in Decreto generali 14. Julii 1692. ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 134.

I. PRiori repoſitione donatur officium SS. Annuntiationis, etſi poſterius tranſlatum ſit officio S. Joſephi; hoc autem utique expoſcit dignitas, qua Deipara præſtat Sanctis cunctis, aperteque deducitur ex Rubrica *Inter Feſta*, quam late expoſitam fecimus in capitibus de repoſitione, & concurrentia feſtorum, *Ambo* 2. *Claſſis*. At quid ſi officium S. Joſeph alicubi ſit 2. claſſis? Dabit ſequens Decretum. Nonnihil negotii aliquibus viſa eſt facere clauſula illa, *quocumque in contrarium non obſtante*, quaſi ex privilegio Annuntiationi præferentia conceſſa ſit, & non ei competat vi Rubricarum, quod foret contra multoties a nobis tradita. At facilis eſt ſolutio; ſcite enim nos admonet Barboſa *claſ.* 82., quod eſt clauſula de ſtylo curiæ, & formula quædam in Decretis, & Conſtitutionibus poni conſueta, quæ ſi quod eſt, quod obſtet, ei derogat, & ſi non eſt, quod obſtet, nihil operatur, niſi eam mavis appoſitam ad evertendam prioritatem translationis, quam nonnulli perperam ſentiunt prævalere adverſus majorem dignitatem. Hæc firmant generalem regulam, qua ſtatutum remanet feſta B. Mariæ in paritate ritus prius reponenda eſſe, quam feſta Angelorum, & Apoſtolorum, ac Sanctorum omnium; & quidem licet hæc forent prius translata, quam illa, ita ut dignitas feſtorum, prout a Rubrica *Inter feſta* recenſentur, prævaleat contra priorem translationem, & prius reponenda ſint feſta Domini, quam B. Mariæ, feſta B. Mariæ, quam Angelorum, & feſta Angelorum, quam Apoſtolorum, & feſta Apoſtolorum, quam aliorum ſanctorum. Id modo duntaxat denotat præſens Sanctio, nam ut diximus, cum nunc feſtum SS. Annunciationis donatum ſit privilegio accidentariæ immutationis in certam diem, in hac præferentiam habet etiam contra duplicia altioris ritus translata, immo etiam occurrentia, ſi ſint ejuſdem ritus, & dignitatis, ſicuti ſuo loco magis dicitur.

DECRETUM XX. CAPITIS, IN ORDINE CCLXVI.

Etſi ſecundum Rubricas Breviarii Romani, cum plura feſta æqualis ritus transferenda ſunt, unum ante aliud transferri debeat eo ordine, quo erant celebranda propriis diebus: attamen quia eo anno, ſcilicet 1690. 11. Februarii, & 11. Martii ſpecialis prærogativa conceſſa fuit translationi feſti Annunciationis B. M. V. Matris Dei incidentis in feriam VI. Paraſceve, vel Sabbatum Sanctum: idcirco ob ſpecialem reverentiam Dominicæ Incarnationis hoc ſpeciali privilegio decoratur idem feſtum Annunciationis, nimirum ut quotieſcumque contingit feſtum prædictum, etiam quoad ſolum officium, poſt octavam Paſchæ transferri, idem ceteris ſemper feſtis æqualis ritus præponatur, licet temporis ordine ſit in Kalendario poſterius illis. S. R. C. 14. Junii 1691. *in Decreto generali*, ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 171.

I. ETſi *ſecundum Rubricas &c.* Quatenus hæc verba juxta Rubricas feſta æqualis ritus reponenda aſſerunt ſervato ordine Kalendarii, & hinc ſpeciale privilegium prioris repoſitionis Annunciationi facere fatentur, vix ſuſtinent expoſitionem, quæ illa vindicet a contradictione alias ſtatutis per Congregationem ipſam, & a nobis non ſemel firmatis, quæque eadem liberare valeat a peccato in Rubricas, ſecundum quas eſſe diximus; quod in repoſitione feſtorum nedum ordo Kalendarii, ſed etiam dignitatis ſervari debeat. Si tamen ita accipiantur, ut in ſuo etiam claudant ſinu feſta ejuſdem ritus, & dignitatis, utique ad Rubricarum tramites ſtant, & a nobis alibi firmata, ac inde exurgit privilegium, de quo infra dicemus.

II. *Attamen quia eo anno &c. ſpecialis prærogativa &c.* Eſt hujuſmodi ſpecialis prærogativa, ut quando Annunciatio incidit in feriam VI. in Paraſceve, aut Sabbatum Sanctum, transferri debeat quoad officium, & feſtivationem ſtatæ, & ſive in feriam 2. poſt Dominicam in Albis, tamquam in propriam diem, & ſedem, perinde ac ſi in eadem occurreret, ut dicitur in Decr. 14. cap. 13.

III. *Idcirco ob ſpecialem reverentiam Dominicæ Incarnationis hoc ſpeciali privilegio decoratur.* Speciale privilegium, de quo infra, Annunciationi conceditur, & ſpecialem ob cauſam, *nimirum ob ſpecialem reverentiam Dominicæ Incarnationis*, adeoque tale privilegium nulli alteri feſto, licet ejuſdem B. Mariæ, altioris ritus, vel ſolemnitatis eſt adaptabile. In die Annunciationis perfectum fuit ineffabile myſterium Dominicæ Incarnationis, in ejuſdemque officio recolitur, & licet quando tale feſtum transfertur, non amplius celebretur in die actæ Incarnationis, adhuc in eo officio translato indubie Dominica recolitur Incarnatio, in cujus propterea reverentiam rite concedi poſſit præfatum privilegium.

IV. Dices: Totum officium eſt de B. Virgine, ergo nihil in eo agit Eccleſia de Dominica Incarnatione.

V. ℟. Cum Suarez *tom.* 1. *de Relig. cap.* 5. *nu.* 5. quod,
„ ſicut feſtum Conceptionis Virginis magis eſt feſtum ejuſdem
„ Virginis, quam Matris ejus Annæ, quamvis ex illa Con-
„ ceptione magnus honor, magnaque Dei dona (ut credendum
„ eſt) in glorioſam Annam redundaverint, ita feſtum Incarnatio-
„ nis Chriſti principaliter eſt feſtum perſonæ conceptæ, & my-
„ ſterii, licet ſimul ad Virginem pertineat, quatenus in illo
„ ſummam dignitatem, excellentiſſima gratiæ dona conſecuta
„ eſt. Quapropter ſi ſecundum ſe ſpectetur feſtum, ſummæ di-
„ gnitatis, & lætitiæ inter omnia, quæ ad humanitatem Dei
„ pertinent, eſſe videtur, quia in illo ſupremum beneficium
„ Deus hominibus contulit, & maximum omnium mirabilium
„ ſuorum operum fecit. Tamen quoad nos non videtur do-
„ num illud perfecte collatum uſque ad Virginis partum, &
„ ideo quoad exteriorem lætitiam ſolemnius illa Nativitatis fe-
„ ſtivitas celebratur. Et ob eamdem cauſam feſtivitas illa præ-
„ cipue ad Chriſtum, hæc vero ad Virginem referri videtur,
„ & ſine dubio Eccleſiaſticum officium ad Virginem, præcipue
„ dirigitur. „ Hæc Suarez, ex quibus patet feſtum ad Virginem

nem ſimul ſpectare, & Chriſtum, & licet officium præcipue ad Virginem dirigatur, adhuc in eo ſimul recoli Dominicam Incarnationem, cujus gratia factum fuit privilegium, de quo agimus

VI. Dices, quod ſi res ita foret, etiam Conceptio Mariæ, ejuſdemque officium inſtitui debuiſſet in honorem Annæ, quæ in ea conceptione creditur magna dona accepiſſe, & non in honorem illius Mariæ conceptæ. Verum diſpar eſt ratio, quia omne mirabile, quod in conceptione Mariæ accidit, ex parte Mariæ ſe tenuit, nam præſervatio a communi culpa originali non fuit donum Annæ conceſſum, quæ ordinario, & communi modo, hominis ſcilicet interveniente opera, concepit, ſed partui, ſeu conceptui, ſcilicet Mariæ gratuito donatum, & ideo Conceptionis feſtum, in quo Mariæ præſervatio a communi culpa potiſſimum recolitur, in honorem ejuſdem inſtitui debuit, & non ſimul Annæ, quæ dictum peccatum in filiam, ſi hæc ſpeciali privilegio præſervata non fuiſſet, proculdubio transfudiſſet: quinimmo & dona gratiæ, quæ in ea conceptione Annam creditur accepiſſe, non ex conceptione activa, ſed paſſiva, ſeu ex parte Mariæ conceptæ in eam derivarunt. At non ſic evenit in conceptione Divini Verbi, in qua nedum Maria ſummam Deiparæ dignitatem, & excellentiſſima gratiæ dona conſecuta eſt, ſed inſuper eidem mirabile illud, & inauditum datum extitit, quod Virgo manens intacta præter rerum ordinem filium conciperet; quare bene & in honorem Mariæ ea feſtivitas inſtitui potuit, in qua mirandum illud accepit, immo ad eamdem etiam præcipue officium dirigi, quoad exteriorem lætitiam, ſolemnitatem, & officium veluti reſervata Dominica Incarnatione ad Nativitatem Chriſti, in qua tale donum, ut bene Suarez, fuit nobis perfecte collatum.

VII. *Nimirum ut quotieſcumque contigerit feſtum prædictum, etiam quoad ſolum officium* (hinc nota diſpoſitionem procedere pro caſu translationis, quoad ſolum officium, nam quando etiam transfertur feſtivitas, recolendum eſt Decretum 14. Cap. 13.) *poſt octavam Paſchæ transferri*, idipſum tamen eſt, tametſi transferatur ante octavam Paſchæ, puta ob ejuſdem occurſum in Dominicam Paſſionis, motivum namque privilegii eſt Dominica Incarnatio, quæ in eo non minus recolitur, *idem ceteris ſemper feſtis*, ergo non ſoli feſto S. Joſeph, ut nonnulli limitant, ſed ceteris cunctis *æqualis ritus*; non ergo ſi feſta alia altioris ſint ritus, *præponatur*, in repoſitione ſcilicet, *licet temporis ordine ſit in Kalendario poſterius illis*, nempe non attento Kalendarii ordine, in quo Annunciatio poſterius foret deſcripta. En en privilegium, quod nunc fit Annunciationis feſto.

VIII. Cum itaque per illa verba *æqualis ritus* evidens fiat, non donari Annunciationem priori repoſitione relate ad feſtum duplex 1. claſſis, niſi ubi & ipſa primæ claſſis foret, dubium fit, num id privilegii ſaltem habeat, ut præponenda ſit feſtis ejuſdem claſſis, ſed majoris dignitatis, ſcilicet Domini? Et cum major hæc dignitas altiori æquipolleat ritui, negative quæſtionem diſſolvimus in laudato Decreto 14. Cap. 13. Et quidem ex primis verbis illis Decreti *Etſi ſecundum Rubricas &c.* ſatis aperte eruitur privilegium dumtaxat conſiſtere, ut Annunciationi ea præferentia concedatur, quæ aliis deberetur feſtis ratione prioris translationis; unde cum feſtis Domini, licet æqualis ritus, prius translatis nedum præferentia debeatur ratione prioris translationis, ſed etiam vi majoris dignitatis, ſuper feſtis Domini Annunciationi præferentia non videtur conceſſa. Quid ſi dicas, etiam in Annuntiatione Dominicam recoli Incarnationem, adeoque eſſe feſtum Domini, reponimus, quod ita quidem, ſed quia officium præcipue ad Deiparam dirigitur, Dominicæ Incarnationis, cujus præcipua ſolemnitas ad Chriſti Nativitatem eſt reſervata, dignitas non attenditur, ſed tamquam feſtum B. M. unice conſideratur, inſtar Purificationis feſti, quod licet itidem feſtum Domini ſit, & in eo colatur Chriſti oblatio, & præſentatio ad Templum, adhuc tamquam feſtum Mariæ communiter obſervatur, & regitur, ut ponderat Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 5. num.* 10. Quatenus vero Annuntiatio inter feſta Domini connumeretur, & ob Dominicam Incarnationem, cujus gratia privilegium factum extitit, tamquam feſtum itidem Domini conſideretur, haud refragamur, ceteris feſtis Domini æqualis ritus prius translatis eſſe præponendam, ſed hoc ipſo Annunciatio non præfertur feſtis majoris dignitatis, quia Chriſti dignitas inſpicitur etiam in Annunciationis feſto. Hoc admodum probabile redditur ex motivo facti privilegii, adeoque in caſu etiam quando quoad chorum ſimul & forum transfertur in feriam ſecundam poſt Dominicam in Albis, occurrentibus feſtis aliis Chriſti, quæ ejuſdem ritus forent, præferendum eſſet.

IX. Hinc habes privilegium in eo ſiſtere, non quidem quod præferatur feſtis aliis prius translatis Sanctorum, hoc quippe ei competit ratione majoris dignitatis, hoc clamant Rubricæ, & ferunt Decreta plurima Congregationis præſenti antiquiora, ſcilicet 27. Aug. 1633., 28. Novemb. 1689. in capite de Repoſitione feſtorum expoſita; ſed quod præferatur quibuſcumque feſtis aliis Deiparæ prius translatis ejuſdem ritus, quibus ratione anterioris translationis prior repoſitio deberetur, quinimmo & feſtis Chriſti quatenus Annunciatio inter feſta Domini annumeretur, alias quippe nihil novi Annunciationi concederetur, cum tamen Decretum *ſpeciale privilegium* eidem facere fateatur ob ſpeciale motivum, ſcilicet *ob ſpecialem reverentiam Dominicæ Incarnationis*.

X. Noviſſime prodiit Decretum aliud, & ſit 19., Cap. in ord. 267., his terminis conceptum: *Quando feſtum Annunciationis B. M. V. transfertur ſimul cum præcepto audiendi Sacrum (ut evenit, ſi occurrat feria VI. in Paraſceve, vel Sabbato Sancto) ad feriam 2. poſt Dominicam in Albis, præfertur cuicumque duplici, etiam 1. claſſis, eo die occurrenti. Si vero transfertur abſque præcepto audiendi Sacrum, præfertur cuicumque feſto translato, licet 1. claſſis, non autem feſtis eo die occurrentibus.* S. R. C. 2. Sept. 1741., cujus in medium procedat Decretum aliud ſub eadem die emanatum, & ſit 20. cap., in ord. 268. *Obligatio audiendi Sacrum non reddit ſolemnitatem majorem, ſed relinquit officium in ſuo ritu. Quare reponendum prius erit officium altioris ritus præ alio minoris, quamvis iſtud haberet adnexum præceptum audiendi Sacrum. Cum ſit peculiaris tantummodo prærogativa feſti Annunciationis B. M. V., & S. Joſeph ex Decretis tum Alexandri VIII., tum Clementis XI., quod iſta feſta ſic translata quibuſcumque aliis feſtis tam translatis, quam occurrentibus præferantur, quando cum illorum officio transfertur ſimul obligatio audiendi Sacrum.* Ita in Regeſtis ejuſdem S. R. C. reperiri ex Roma mihi authentice reſcriptum habeo.

XI. Si demas, quod dicitur de obligatione audiendi ſacrum non alterante ritum officii, nec inducente præferentiam prioris repoſitionis, vix aliud eſt, quod ſtet ad alias ſtatuta per Decreta perſæpe iterata, per Decreta generalia, & per Decreta a ſummis Pontificibus ipſis confirmata. Firmatur primo, quod *quando Annunciatio transfertur ſimul cum præcepto audiendi ſacrum ad feriam 2. poſt Dominicam in Albis, præfertur cuicumque duplici, etiam 1. claſſis, eo die occurrenti*, & adverſatur Decretis generalibus 11. Febr., & 11. Martii 1690. ab Alexandro VIII. approbatis, ut videre eſt in Decr. 14. cap. 13., ubi quantum ad officium attinet, Annunciationi in ea feria non plus privilegii ſit, quam habeat in propria die, & ad effectum præfatæ repoſitionis diſerte ſolummodo transferenda dicuntur feſta, *quæ non ſint altioris ritus*. Firmatur 2. *Annunciationem, quoties transfertur quoad ſolum officium, eſſe præferendam cuicumque duplici translata, etiam 1. claſſis*, & pugnat cum Generali Decreto 14. *Junii* 1691., cujus expoſitioni hucuſque incubuimus, & in quo expreſſe dicitur præponenda dumtaxat ceteris feſtis *æqualis ritus*. Haud dubium eſt, quod hæc omnia facile ad concordiam revocarentur dicendo, quod id privilegii poſtmodum factum fuit ob eamdem rationem, ob quam prius ut ſupra privilegiata fuerat; at quoniam id nobis admodum videtur exorbitans, nec congrue in die ſubrogata plus privilegii conceſſum iri, quam feſtum habeat in propria, idcirco cum nullibi Annunciationi legamus factum fuiſſe privilegium expellendi a propria die feſtum occurrens 1. claſſis, aut prævalendi contra Dominicas privilegiatas 2. claſſis, nec id in die ſubrogata eidem conceſſum eſſe credimus, quapropter a Decretis prædictis generalibus nec minimum recedendum eſſe arbitramur, & mendum irrepſiſſe in exaratione Decreti, ita ut ubi habetur *etiam 1. claſſis*, legi debeat *etiam 2. claſſis*, quod facile eſt evenire, & aliunde ſtatim tollitur quæcumque contrarietas. Ducimur autem ad id aſſerendum, tum quod ſimili privilegio decoratum aſſeratur feſtum S. Joſeph, quando transfertur etiam quoad forum, cum tamen juxta Romanum ritum quoad forum numquam transferri contingat; tum quod id privilegii feſtis Annunciationis, & S. Joſeph factum dicatur ex Decreto Alexandri VIII., cum tamen ab Alexandro VIII. feſto S. Joſeph nullum fuerit factum, & Annunciationi ſolum privilegium præferentiæ ſuper feſtis 2. claſſis, ut videre licet in memorato Decreto 14. cap. 13., nec quid ſimile a Clemente XI., cujus etiam meminit Sanctio, conceſſum nobis licuit obſervare, nec adinvenit Meratus ipſe, utpote qui alias in ſuis Indicibus, ut tenebatur, retuliſſet.

XII. Lubet adjicere Decretum aliud, quod erit 23. cap., in ord. 269. *Feſta octavam habentia, quibus in aliquibus locis ob perpetuum impedimentum alius dies eſt aſſignatus, ſunt ſemper celebranda ſine octava, ſi de ea nihil poſt aſſignatam diem remaneat, vel cum reſiduo octavæ, ſi aliqui dies ſuperſint, cum quibus pariter feſtis, in alium diem perpetuo translatis, non transfertur indulgentia eiſdem conceſſa, S. R. C. 16. Septemb.* 1741. Etſi itaque feſta per generalem poteſtatem factam in alia die immutata veniant in perpetuum, adhuc eorumdem octava petenda erit, non a die aſſignata, ſed a die, in qua in Breviario ſtate recurrit, ita ut ſi feſtum immutetur in diem aliquam infra octavam, celebrandum ſit cum reliquis diebus octavæ, quæ ſuperſunt; ſi autem poſt octavam, prorſus ſine octava, etſi octava juxta Rubricas eidem deberetur. Quod tamen limita primo in feſtis, quæ immutantur quoad chorum, & forum, ut dicebamus de feſto Annunciationis in Decr. 14. cap. 13. Secundo fortaſſe in feſtis, quæ per particularem conceſſionem immutata venirent, ita ut præſens Sanctio locum non habeat, niſi in caſu immutationis habitæ vi Decretorum generaliter immutandi feſta perpetuo impedita poteſtatem facientium. Non vult itidem Sanctio ad immutationem Sanctorum indulgentias transferri, qua de re cum jam egerimus in Decreto ultimo cap. 13., & 1. cap. 12., ulteriora non ſunt hic verba facienda. Quæ autem dedimus de translatione indulgentiarum ad feriam 2. poſt Dominicam in Albis, quando in hac quoad chorum, & forum immutatur Annunciationis feſtum, adhuc in ſua probabilitate ſubſiſtunt, nec per hoc Decretum credimus aboleri.

AD

AD CAPUT XXX.

De Feſtis Deiparæ.

APPENDIX.

De Feſtis SS. Annunciationis, & Purificationis.

DECRETUM PRIMUM Cap. in Ord. 429.

Quando feſtum Annunciationis B. M. V. transfertur ſimul cum præcepto audiendi ſacrum ad feriam ſecundam poſt Dominicam in Albis, præfertur cuicumque duplici, etiam primæ claſſis, eo die occurrenti. Si vero transfertur abſque præcepto audiendi ſacrum, præfertur quidem cuicumque feſto translato, licet primæ claſſis, non autem feſtis eo die occurrentibus. S. R. C. 2. Septemb. 1741. *in Aquen.*

TRansfertur Annunciationis feſtum ſimul cum præcepto audiendi ſacrum, quando incidit in feriam VI. Paraſceves, aut in ſequens ſabbatum, & tunc juxta Decreta, de quibus in cap. 13. tom. 1., transfertur in feriam ſecundam poſt Dominicam in Albis, tamquam in diem propriam, & in ea habendum eſt, perinde ac ſi eadem die occurreret. Habet Decretum, quod in memorata die *præferendum eſt cuicumque dupliri, etiam primæ claſſis, occurrenti*; at id non ſtat ad rituum regulas, quia in ea die plus juris habere nequit, quam habeat in propria, ſeu die 25. Martii, unde cum ab hac abigatur retenta ſola feſtivitate, ſi incidat feſtum duplex 1. claſſis, utique nec diſſimiliter eſſe poteſt de prædicta feria ſecunda, quam tunc adipiſcitur tamquam propriam. Ita quidem de feſto Annunciationis apud Eccleſiam univerſalem, apud quam eſt ſolummodo ritus duplicis ſecundæ claſſis, ſed Decretum diſponit de feſto pro locis, in quibus duplex eſt primæ claſſis, & tunc quidem immutationem aſſequitur in prædicta feria ſecunda in excluſionem feſti etiam duplicis primæ claſſis occurrentis, quemadmodum apud Eccleſiam univerſalem, apud quam eſt duplex ſecundæ claſſis, in eadem feria ſecunda fixam ſedem obtinet cum excluſione feſti duplicis ſecundæ claſſis occurrentis. Hac de re magis dicemus infra, ubi & de eodem Annunciationis feſto reſervamus agere pro caſu, in quo transfertur quoad ſolum officium, quia non amplius locum habet præſentis diſpoſitio Decreti.

DECRETUM SECUNDUM Cap. in Ord. 430.

Quando feſtum Purificationis occurrit in aliqua Dominica ſecundæ claſſis, ejus officium transferendum eſt in feriam ſecundam immediate ſequentem, quamvis impeditam, translato ab ea quocumque alio feſto, ne continuatio myſterii Dominicæ Incarnationis diu protrahatur. S. R. C. 7. Maji 1746. *in Varſavien. in explic. Rubricæ Miſſ. de bened. Candel.*

UBI audis *translato ab ea quocumque alio feſto*, id intellige de feſto inferioris, vel æqualis ritus, non altioris, aut ſi ejuſdem, majoris tamen dignitatis, qua de re in ſequenti Decreto reſervamus agere, convertentes modo ſermonem noſtrum ad caſum quemdam, de quo impræſentiarum conſulimur. Forolivii ex conceſſione Clementis XI. officium agitur de B. M. ab Igne cum octava, quæ ex privilegio ſibi facto *non admittit, niſi duplex primæ claſſis occurrens*, & cum perſæpe infra eamdem octavam incidat Dominica ſeptuageſimæ, ſexageſimæ, vel quinquageſimæ, ſit dubium, de quo officium agi debeat, de Dominicane, vel de octava? Kalendarium Diœceſanum de octava aſſignat officium, & Dominicæ nonniſi commemorationem tribuit, & pro hac agendi ratione hoc militat argumentum; Octava non admittit, niſi duplex primæ claſſis occurrens, ſed nulla ex dictis Dominicis eſt primæ, ſed omnes ſecundæ claſſis, ergo non admittit officium ullius ex iiſdem Dominicis. Ex clero Forolivienſi non deſunt plurimi, quibus minus arridet memorata methodus, & officium de Dominica fieri debere contendunt, exemplo ducto ab octava Epiphaniæ, quæ licet pari privilegio gaudeat, utpote quæ non admittit, niſi duplex primæ claſſis occurrens, adhuc infra eamdem agitur officium de Dominica occurrente, licet hæc privilegio nullo ſuffulta ſit, nec ejuſdem officium de octava cenſeri valeat, cum commemorationem octavæ admittat, & ipſa cui commemorationem deperdat in ſecundis veſperis, ſi in ſequenti die occurrat officium primæ claſſis. Si Clementinæ conceſſionis termini nobis plene innoteſcerent, fortaſſe nec nobis deeſſent plurima, quibus impeteremus Diœceſani Kalendarii praxim, quam modo hoc unico argumento propterea putamus refellere: Dominicæ præfatæ ſi non majori, quam prædicta octava, certe non minori privilegio gaudent, de iiſdem habet quippe Rubrica Breviarii: *Dominicæ ſecundæ claſſis, quæ non omittuntur, niſi occurrente Patrono vel Titulari Eccleſiæ, & ejuſdem Dedicatione*; in paritate autem ritus, & privilegii quæ unquam alia præferendi poteſt eſſe ratio, quam major dignitas? Nonne Rubricæ ubique conſtanter clamant: *Officium de digniori?* Digniores itaque cum ſint Dominicæ, utpote feſta Domini, qua de cauſa & præſens Decretum in earum occurſu translationi committit feſtum ipſum Purificationis, quidni etiam præferendum erit officium earumdem Dominicarum, officium octavæ, quod translationis beneficio non gaudet, ſupplendo per ejuſdem commemorationem? Et maxime quia non minus officium Dominicæ translationi non ſubjacet, per quod evertitur argumentum quoddam, quod produci ſolet in favorem dierum octavarum, quæ ratione ſuæ intransferibilitatis donatæ repetiuntur præferentiæ privilegio ſuper duplex majus, & quodcumque aliud, quod non eſt altioris ritus, licet majoris ſit dignitatis.

DECRETUM TERTIUM Cap. in Ord. 431.

An quando feſtum Purificationis B. M. V. occurrit in Dominica privilegiata, ejus officium transferri debeat in feriam ſecundam immediate ſequentem, an in primam diem non impeditam feſto duplici, vel ſemiduplici? Reſponſum fuit: Quando hujuſmodi caſus intervenerit, officium Purificationis eſſe transferendum in feriam ſecundam immediate ſequentem, quocumque feſto etiam æqualis, non tamen altioris ritus in eam incidente, & idem ſervandum mandavit, quando feſtum Annunciationis B. M. V. occurrat in Dominica privilegiata; quod ſi in hebdomada majori, vel paſchali, tunc Annunciationis officium pari cum privilegio in feriam ſecundam poſt Dominicam in Albis transferri voluit, atque hoc Decretum generalibus Kalendarii Romani Rubricis adjici præcepit. S. R. C. 20. Julii 1748. *in una urbis, & orbis.*

FEſta Purificationis, & Annunciationis nunc accidentariæ immutationis privilegio ita donantur, ut ſi contingant a Dominica privilegiata (vel feſto quolibet altioris ritus) e die proprio abigi, reponi debeant in die immediate ſequenti cum translatione cujuſcumque feſti, quod in ea occurreret, niſi hoc foret altioris ritus, quo in caſu retineretur feſtum cum ulteriori protractione Purificationis, vel Annunciationis. Quo privilegio Annunciatio quoque donatur pro feria ſecunda poſt Dominicam in Albis, quando eamdem evenit transferri, licet quoad ſolum officium, ob occurſum in diem aliquam majoris hebdomadæ, vel ſequentis octavæ Paſchalis. Quod ſi alicubi prædicta feſta forent perpetuo translata, puta ob occurſum cum Patrono principali loci, tunc in die immediate ſequenti non accidentariam, ſed perpetuam aſſequerentur immutationem; ubi vero forent primæ claſſis, & adhuc transferri contingerent, tunc in die immediate ſequenti reponenda forent cum excluſione feſtorum, etiam primæ claſſis, ea die occurrentium; vult namque Decretum, quod locus prædictis feſtis in die immediate ſequenti paretur cum excluſione feſtorum æqualis ritus, ſolumque excipit caſum, in quo occurreret feſtum ritus altioris. At quid, ſi occurreret feſtum ejuſdem quidem ritus, ſed majoris dignitatis? Utile in ſequenti die non reperirent ſpatium; cum enim major dignitas ad effectum expulſionis alterius feſti majori æquipolleat ritui, & univerſim Rubricæ conſtanter clament: *Officium de digniori, translatio de minus digno*, profecto officium agendum foret de feſto digniori cum translatione Purificationis, ſeu Annunciationis, quæ jam & e ſuo proprio die non abiguntur a Dominicis privilegiatis ſecundæ claſſis, niſi quia hæ etſi ſint ejuſdem ritus, majoris extant dignitatis, cum reputentur inter feſta Domini. Quando autem ob feſtum altioris ritus occurrens, in aſſignata die reponi non poſſunt, an idem juris, & privilegii habeant in ſubſequenti proximiori die, eſt quæſtio altera, quam nos ex eo negative decidimus, quod etſi ſanctio præſens caſum probe noverit, ulteriorem translationem demandat, nullum iiſdem privilegium faciens, non leve utique argumentum generalibus Rubricarum legibus prædicta feſta fuiſſe relicta, adeoque amandanda in primam diem non impeditam, cum privilegio fortaſſe tamen prioris repoſitionis relate ad alia translata, non quidem loquendo de Annunciatione, quæ vel nullam, vel parem inconvenientiam habet cum feriis Quadrageſimæ, vel Paſchalibus, ſed loquendo de Purificatione, ſaltem quando alias transferri deberet intra Quadrageſimam, cum qua ſervat incongruitatem aliquam, quam in primo tomo deſcripſimus, & fortaſſe quando etiam intra Quadrageſimam non invehenda eſſet, ſi attendatur ratio, ob quam præcedens Decretum Purificationem donat in ſequenti die privilegio accidentariæ immutationis, nempe *ne continuatio myſterii Dominicæ Incarnationis diu protrahatur*.

Ex his luculenter habes, ad quos trahas limites, quæ a nobis tradita ſunt in tomo primo cap. 10., & 30. de Purificationis feſto, & cap. 13., & 41. de feſto Annunciationis, quod modo etiam quando transfertur quoad ſolum officium, immutandum erit, & celebrandum in una ex ſupradictis diebus tamquam in die propria, ut ſupra translato, ſi quod eadem die officium de præcepto occurrat, vel prorſus omiſſo, ſi occurrens officium fuerit ad libitum. Dies item 26. Martii relinquenda erit libera ab aſſignatione feſti perpetuo translati, & idipſum eſt de feria ſecunda poſt Dominicam in Albis, ne feſtum in iiſdem diebus affixum, neceſſe ſit, amoveri ad parandum locum Annunciationi, quando hanc transferri contingit; ultra autem prædictas dies nulla alia relinquenda erit libera, quia ut dicebamus, non adeſt in caſu congrua ratio aliqua protrahendi ulterius immutationem feſtorum perpetuo translatorum, cum Annunciatio vel nullam, vel parem incongruitatem ſervet cum feriis Quadrageſimalibus, atque Paſchalibus. Non ſic eſt de Purificatione, quæ cum incongruitatem ſervet cum Quadrageſimali tempore, relinquenda quidem erit vacua dies tertia Februarii pro ejuſdem repoſitione, ſed ſi alicubi dies iſta impedita ſit per feſtum altioris ritus, ab aſſignatione immunis remaneat dies quarta ſubſequens, ubi S. Andreas Corſinus, qui extra diem natalitium in Kalendario Romano colitur, die altero in legitimo

pa-

Digitized by Google

particularium Eccleſiarum uſu celebratur, ſin dies alia Februarii, ut conſuli valeat repoſitioni Purificationis ante Quadrageſimam, vel ſaltem, quantum fieri poteſt, minus in Quadrageſima celebretur. Conſimilem dicendi modum habuimus tom. 1. cap. 10. Decr. 2. num. 10., immo ad rem magis expreſſum, videlicet *tot liberos relinquendos eſſe Februarii dies, quot ſufficiunt ad conſulendum pro omni eventu repoſitioni utriuſque feſti* (Purificationis nempe, & SS. Nominis Jeſu) *ante Quadrageſimam, vel ſaltem ad cavendum, ut quantum fieri poteſt, minus in Quadrageſima celebrentur*, & quis crederet, diſpoſitionem ejuſmodi, quæ aperte lata dignoſcitur ad conſulendum *pro omni eventu* repoſitioni prædictæ, *vel ſaltem ad cavendum, ut quantum fieri poteſt, minus in Quadrageſima celebrentur*, Kalendariſta Cremonenſis anni 1750. unice alligat caſui incidentiæ eorumdem feſtorum in Dominicas privilegiatas, & hinc me carpit, quaſi in prædicto caſu agnoverim plures Februarii dies liberos ante Quadrageſimam, quæ tunc incidit in diem 5. ejuſdem menſis, cum tamen ipſe cap. 9. num. 17. ultro fatear in prædicto eventu Kalendarium Romanum dies non habere liberos, niſi 28. Jan., & 3. Febr.? An hic ſit, vel eſſe poſſit diſpoſitionis ſenſus, lector ponderet, dum ego propter veterem viri amicitiam tibi Kalendariſtæ hanc humanitatem faciens, non conviciis, ſed mitibus hiſce verbis juvo intelligentiam tuam. Caſum incidentiæ in Dominicas privilegiatas immediate antea profero, & diſerte aſſero, quod in eo ad repoſitionem utriuſque feſti ſufficiunt dies 28. Jan., & 3. Febr., ergo diſpoſitio ſubſequens non eſt de præfato caſu, ſed magis *pro omni eventu, & ſaltem ut quantum fieri poteſt, minus &c.*, ut aperte ſe verba explicant. Si dixeris, præcedentem diſpoſitionem progredi, & prædictum incidentiæ caſum ſaltem etiam comprehendere pro locis, in quibus dies 28. Jan. eſt impedita, nolo, tricemus, ſed magis notes ea verba *quacumque alia de cauſa*, quæ tu referens, conſulto, ne dicam malitioſe, omiſiſti to *alia*; probe enim noveras, quod to *alia* alterum ab expreſſo importat caſum. Quod ſi dicas, quod ita quidem, ſed eadem verba præcedit dictio *Aut*, quæ eſt disjunctiva, in litteris valde parvulus adhuc es, & modicus, ut ſcribas, & multo minus, ut ſcribcores carpas, qui nondum noſcis amplitudinem terminorum, quam ad rem, de qua agitur, non te appello ad Auctores, quos fortaſſe parum noviſti, ſed magis ad mea, quæ præ manibus habes, commentaria part. 1. num. 4.. Crede, quod ulteriora ſubticens, obſequium tuum, quod fucatis fortaſſe verbis mihi oſtendis, & profiteris, abunde remuneror, & te ſolum moneo, ne tangas montes, quia fumigabunt. Quod addis de feſto SS. Angelorum Cuſtodum celebrando apud Imperii loca in Dominica proximiori Kalendis Septembris, & non in prima, quæ in menſe recurrit, ego non reluctor, plene abundes in ſenſu tuo, te tamen monitum facio, quod in probationem non aſſumis, niſi ea argumenta, quæ ego in contrarium adduco, & adeo miſerrime ſolvis, quæ in probationem profero, ut vel invitus cogaris dicere, quod Decretum 19. Junii 1700., licet non in ſcopo, in verbis falſa exaret.

C A P U T XXXI.

De Sanctis veteris Teſtamenti.

I. QUotquot ex Sanctis viris occubuere ante Chriſti paſſionem, ſeu conditam gratiæ legem, quinimmo fortaſſe & promulgatam, ad vetus Teſtamentum pertinere videbantur, & pridem crediti ſunt. Quæ deducta fuerunt a Marta *de Canoniz. Sanct. part. 4. cap. 3. num.* 18., & a Pignatello *conſult. 39. num. 15. tom.* 5., eos ex iiſdem ad Evangelii ſtatum ſpectare faciunt, qui commendantur ab Evangeliſtis, aut Chriſtum natum viderunt, vel eumdem propinquitate, ſeu carnis affinitate proxime attigerunt. Id approbant D. Thomas, qui 2. 2. *qu.* 174. *art.* 4. Joannem Baptiſtam, Suarez, qui 3. *part. diſp.* 8. *ſect.* 1. *in fine* Joſephum Mariæ Sponſum, Raynudus, qui *tom.* 15. *Heteroclita ſpir. pag.* 285. *num.* 10. Innocentes pueros, noviſſime Benedictus Papa XIV. qui *de Canon. lib. 4. cap. 19. num.* 14. Magos, & Paſtores Chriſti adoratores, & demum Guyetus, qui *lib. 1. cap. 5. qu.* 8., *& lib. 3. cap. 16. qu.* 5. præter enumeratos ad novum Teſtamentum ſpectare aſſerit Zachariam, & Eliſabeth Parentes Joannis Baptiſtæ, Simeonem ſenem, & Annam Propheti ſſam, Joachim, & Annam Deiparæ Parentes, Lazarum, Zacchæum, Nicodemum, Joſephum ab Arimathia, militem Longinum vulgo dictum, qui lancea Chriſti latus aperuit, Latronem (Dimam vocant) Chriſtum in Cruce confeſſum, Cleopham Diſcipulum, Joannam uxorem Chuſæ, Mariam Jacobi, Mariam Salome, & Mariam Cleophæ, ac Nathanaelem, niſi is ſit idem, qui Bartholomæus Apoſtolus ex mente Gavanti, aut ut volunt alii, Urſinus primus Bituricenſis Archiepiſcopus.

II. Cultui Sanctorum veteris Teſtamenti, aliorumque defunctorum, antequam Chriſtus Cælorum portas aperuerit, eorumdem deſcenſum ad Limbum, & viſionem beatificam poſt obitum dilatam, haudquaquam officere evincunt tradita per Caſtellanum *de Canoniz. Sanct. qu. 4. num.* 88., Lezanam *conſult. 3. num.* 102. Raynaudum *loc. cit. num.* 15., Guyetum *lib. 1. cit.* ac D. Bernardum *epiſt.* 98. Idipſum hæc facit ratio, quod æque Sancti ſunt, ac alii, & eiſdem cultus publici partes omnes perinde ac ceteris ab Eccleſia deferuntur, nempe eorumdem recenſio in Martyrologio Romano, ut Malachiæ, Habacuc &c., invocatio in Litaniis majoribus, communi nempe invocatione illa *Omnes Sancti Patriarchæ, & Prophetæ*, & in Litaniis pro Animæ commendatione *SS. Abel, & Abraham*, Eccleſiarum in eorumdem honorem conſtructio, Reliquiarum veneratio, Officii, & Miſſæ celebratio, immo & nonnullorum feſtivatio, ut oſtendunt exempla SS. Joachim, Annæ, Joſeph, Innocentium, Joannis Baptiſtæ, ac Machabæorum, ut taceam feſtivitates, quas de iiſdem particulares agunt Eccleſiæ.

III. In Orientali Eccleſia Sanctis veteris Teſtamenti cultum exhibitum fuiſſe noſcimus ex Menologio Græcorum, quod ad diem 3. Januarii meminit Malachiæ Prophetæ, ad diem quintam Micheæ Prophetæ &c., & ex aliis Synaxariis, & Menologiis, in quibus Graveſone teſte *hiſt. Eccl. vet. teſtam. tom.* 1. *pag.* 378. ad diem 9. Decembris habetur mentio Abrahæ, & ad 10. Lot; ac ex Joanne Nicæno *in Epiſt. de feſto Natalis Dom.*, ubi memorat feſtum de Majoribus Chriſti ante legem, & feſtum aliud de Chriſti Majoribus a Matthæo recenſitis, quorum illud celebrabatur Dominica poſt diem 11. Dec., hoc Dominica inſequenti. Nec ejuſdem cultus monumenta deſunt in occidentali Eccleſia, unde Venetiis inveniuntur Eccleſiæ in honorem SS. Hieremiæ, Zachariæ, Danielis &c., & nedum in iiſdem Eccleſiis reſpective de iiſdem tamquam de ſuis Titularibus mos eſt juxta Rubricas officium, & octavam facere, ſed etiam ſub ritu ſemiduplici, a toto ejuſdem Civitatis Clero, & id non refragante Apoſtolica ipſa Sede, dum approbavit Conſtitutiones Synodales id toti Clero demandantes, necnon ſub die 9. Octobris, & 12. Decemb. 1609. lectiones recitandas in feſtis, & per octavas SS. Danielis, & Zachariæ per Moniales reſpective SS. Danielis, & Zachariæ ejuſdem Civitatis. Bononiæ itidem Eccleſias ſibi erectas habent SS. Iſaias, & Job, & hic itidem habet Ferrariæ, Faventiæ, Senis, Piſauri, Albani &c. At quoniam inutilem navaremus operam, ſi Eccleſias alias, & Altaria Sanctis veteris legis conſecrata recenſere vellemus, curioſus conſulat Lector Baronium *in notis ad Martyr.*, & Lezanam *conſul. 3. num.* 90. Ex quibus volumus inferas de iiſdem in Eccleſiis, quarum ſunt Titulares, aut in quibus eorumdem aſſervantur Reliquiæ inſignes, ſtatim poſſe officium juxta Rubricas, & Decreta fieri; abſolute hæc namque, & abſque ulla limitatione de Titularibus, & Reliquiis officium indicunt. At unde depromendum erit officium? Elaborat admodum Guyetus *lib. 3. cap. 16. qu.* 4., *&* 5., in aſſignandis plurimis, quæ ex Breviario deprompta, uſitari queunt, eique aſſentitur Gavantus *ſect. 5. cap. 12. num.* 22., at conſultius eſt recurrere ad reſpectivum commune, neglectis iis, quæ aliunde mutuari poſſent.

IV. In Occidentali præſertim Eccleſia ab initio uſque ad præſens tum quoad numerum Sanctorum, tum quoad qualitatem celebritatum, tum quoad Eccleſias dicatas, Miſſas, & officia celebrata, maxima ſemper adfuit differentia inter Sanctos novi, & veteris Teſtamenti: hinc ſcite nos admonet Raynaudus *num.* 16. quod etſi idipſum paſſim fieri de abſoluta Pontificis auctorttate concedi queat, non tamen de ordinaria diſciplinæ, & conſuetudini Eccleſiæ alligata, quinimmo nec id expedire communiter cenſent Auctores, quorum aliqui in rationem adducunt viſionem beatificam iiſdem poſt obitum dilatam, & eorumdem deſcenſum ad Limbum. Aſt hæc ratio æque militat in Sanctis Machabæis, & Joanne Baptiſta, quorum ſolemnia in Eccleſia ſunt admodum antiqua, quinimmo & in Sanctis cunctis Evangelicis, puta SS. Joſeph, Annæ, & Joachim, quorum feſta, poſtquam ad legem veterem non ſpectare agniti ſunt, in Eccleſia univerſali indicta fuere, & aliorum inſtar coluntur. Bened. XIV. *de canoniz. lib. 4. part. 2. cap.* 28. *num.* 5. potiorem excogitavit aliam, quod videlicet per cultum Sanctorum, qui Chriſtum ſunt ſubſecuti, aptius Catholicis inſinuatur, Chriſtum Cælorum portas aperuiſſe, & neminem, niſi per eum, conſequi beatitatem, licet & Sancti veteris legis ex fide in Chriſtum ſalvi facti ſint. Bollandiani *in vita S. Joſeph comment. hiſt.* §. 2., quod pro legis gratiæ defenſione occiſi Martyres utilius proponebantur honorandi ad excitamentum fidelium inter perſecutiones certantium. Aliam nos addimus, ut ſcilicet patens fieret, quod ad adventum novæ lex veter ceſſavit; quod hujus obſervantia non amplius neceſſaria erat contra hæreticos aliter ſentientes, & ut Judæi a Judaiſmo ad fidem recens converſi, a nimia affectione, quam habebant ad legem veterem, averterentur.

V. Dices: At ſi ita res eſt, cur ſimiliter in Eccleſia Orientali non fuit præſtitum? Nos monet Thomaſſinus *lib. 1. cap. 9. num.* 3., quod magnæ item curæ fuit Eccleſiæ Orientali prædictis non incumbere feſtis, adeoque non ubique, ſed tantum alicubi ea fuiſſe celebrata; additque, quod cum hæc ſolemnia viderentur nonnullis negotium faceſſere, coactus fuit S. Gregorius Nazianzenus SS. Machabæorum vindicem agere initio orationis habitæ in eorumdem die feſto. Quod ſi eorumdem Sancti aliqui cultum obtinuere ſpecialem, hoc præſtitum fuit ex tolerantia, ne Judæi a converſione retraherentur, & ut horum deſideriis, ac ſtudiis aliquantulo indulgerentur, ſicuti ſimili de cauſa in Orientis Eccleſia diu tolerata extitit conſuetudo agendi Paſcha more Judæorum luna 14., in quamcumque diem incidiſſet, licet Pius Papa anno 159. eam ſuo Decreto reſcidiſſet.

VI. Quæſtio ſuccedit, cur Occidentalis Eccleſia ex Martyribus veteris legis Machabæos, & hos ſolos præcipuo officii cultu honoret? S. Bernardus *epiſt.* 98., *&* 313., id ait procedere, quod eorumdem Martyrium eſt unicum Martyrium veteris Teſtamenti, quod Martyrio novi Teſtamenti aſſimiletur, quia nempe ſoli ipſi paſſi ſunt, ne juſtitiam desererent, reliqui vero, quia eamdem deſerentes reprehendebant, & perituros prædicabant. Verum tanti Patris ratio non omnibus arridet, vel

quia

quia nihil intereſt ad rationem martyrii, quod Martyr cædatur, quia reprehendit vitia, aut quia juſtitiam profitetur; vel quia reprehenſio generoſa vitii poteſt eſſe luculentior actus virtutis, & proinde cultu dignior; vel quia ex Evangelicis S. Jo. Baptiſtam Eccleſia Martyrum cultu honorat, quem ob vitiorum reprehenſionem conſtat fuiſſe decollatum. Conſimilis eſt ratio, quam adducit Thomaſſinus *lib.* 1. *cap.* 9., nempe quod cum prioribus Eccleſiæ ſæculis tantum Martyrum celebritates agitarentur, uni Machabæi ſine ulla dubitatione ex veteri lege Martyres extiterant, neque confugiendum erat ad arcana Theologorum, quos vulgus intelligentia aſſequi non valet, ut etiam alii Martyres excogitarentur. Addit, quod Machabæi fuerunt ultimi ex Martyribus Synagogæ, & eorum memoria quodammodo recens erat, quando Eccleſia incepit, & eorumdem hiſtoria diligenter conſcripta; & quod eſt veriſimile, quod ſicut Heleniſtarum Judæorum opera, qui Chriſto ſtatim nomen dederunt, & in Eccleſia Orientali fuerunt recepti, in Orientali Eccleſia Machabæi conjuncti fuerint Martyribus novi Teſtamenti, ſic quod eorumdem cultus ab Orientali ad Occidentalem tranſierit Eccleſiam. Tu tamen dicito, quod aliqui ex lege veteri in Kalendarium Eccleſiæ Occidentalis invecti fuere, ut non videretur reprobatus cultus Martyrum veteris Teſtamenti, Machabei vero præ ceteris fuerunt delecti, quia ſunt celebriores, ſoli denique, quia utilius Martyres novæ legis proponebantur imitandi. Eos autem ſolos Orientalis non coluit Eccleſia, quia Hebræi, cum ſemper maximo honore affecerint memoriam, & tumulos Prophetarum, Patriarcharumque, etiam poſtquam Chriſto nomen dederunt, nihil de ejuſmodi ſtudiis remiſerunt, & ſibi licere facile arbitrati ſunt Martyrum honoribus eoſdem augere, quorum ſepulcris, corporibuſque potiebantur. Decreta, quæ ad Sanctos veteris Teſtamenti artineant, nobis cum non ſuppetant exponenda, ad Sanctos Evangelicos, qui olim de veteri cenſiti ſunt lege, & quodammodo ſpectant, cum nova non inceperit, niſi poſt Chriſti paſſionem, ſermonem convertimus. Sunt hi autem, qui cum ante Chriſti paſſionem occubuerint, cum laude ab Evangeliſtis memorantur, quippe aut Chriſtum natum viderunt, aut eumdem propinquitate, ſeu carnis affinitate proxime attigerunt.

DECRETUM I. CAPITIS, IN ORDINE CCLXX.

Cum enixe, ac ſæpius Sacra Cæſarea Majeſtas inſtiterit, ut feſtum S. Joachim perinde ac S. Annæ conjugis, eſſet in Eccleſia univerſali de præcepto, S. R. C. re mature, nec ſemel diſcuſſa ita denique cenſuit annuendum, ut ne feſta præcepto multiplicentur, debitus tamen honor Genitori Matris Dei non denegetur, feſtum ejuſdem S. Joachim a die 20. Martii ad Dominicam poſt Aſſumptionem B. Virginis ejus Filiæ transferatur, in eaque ſub ritu duplici majori, ut & feſtum S. Annæ conjugis ſub eodem ritu deinceps celebretur. Die 20. Sept. 1738. *in ua urbis*, *& orbis* approbante Sanctiſſimo die 3. Oct.

I. SUNT ex hæreticis, qui ſanctitatem, & cultum Joachim, & Annæ tollere curarunt, & ex catholicis Tillemont. *not.* 3. *in vit. B. M.* Sery *Exercit.* 18., & S. Petrus Damianus *ſerm.* 3. *de Nativ.* non quidem ſanctitatem, & cultum, ſed nomen iiſdem contendunt, quod nominis non meminerint Evangeliſtæ, volentes Matrem appellari *Annam*, quod *gratiam* ſonat, & Patrem *Joachim*, quod *præparationem Domini* reddit, qui tituli eorumdem quidem proprii ſunt, & congrui, ſed ad eorumdem verum nomen impertinentes. Verum illos refutat Caniſius *lib.* 1. *cap.* 4. *de Maria Deip.*, hos Gotti *de verit. Cath. Relig. tom.* 4. *par.* 1. *cap.* 3., nec locus eſt dubitandi, cum tota orientalis, & occidentalis Eccleſia a tot ſæculis eorumdem ſanctitatem, ac nomina pro certis habuerit; unde Jacobus Edeſſæ Epiſcopus ſcriptor ſæculi 8. *Ut oſtendunt hiſtoriæ, quas viri ſtudioſi ſcripſere, ſacra virgo Maria Mater Chriſti, filia erat Annæ, & Joachim juſti.*

II. Baillet *in vita S. Annæ* ex probatis eruit monumentis, a Juſtiniano I. Imperatore anno 550. Conſtantinopoli in honorem S. Annæ ſacram ædem fuiſſe conſtructam, & a Juſtiniano II. itidem alteram ineunte ſæculo octavo, & Thomaſſinus lib. 2. cap. 22. Leonem Imperatorem cognomento philoſphum S. Annæ ſacellum in aula dicaſſe ex Theophanis probat hiſtoria, Damaſcenus in tribus orationibus de Nativ. B. M. cum laude meminit S. Annæ, & Joachim, & in Libro Pontificali juſſu Leonis III., qui floruit ſæculo 8., legitur picta Romæ in Eccleſia S. Pauli hiſtoria SS. Joachim, & Annæ. Quæ utique oſtendunt antiquitatem cultus dictorum Sanctorum in utraque Eccleſia, orientali, & occidentali. Qui cultus non ſibi tamen, ſaltem in occidentali Eccleſia, vindicavit officium, alias S. Bernardus *Epiſt.* 174. ſcribere non potuiſſet, non eſſe inducendum officium Conceptionis Mariæ, quia hoc conſequenter inveheret officium Genitorum ejuſdem. Hinc Bollandiani *ad diem* 20. *Martii* officium S. Joachim non faciunt antiquius Julio Papa II., a quo volunt anno 1510. in Breviarium fuiſſe inductum, a Pio V. poſtea expunctum, a Gregorio XIII. anno 1584. reſtitutum, & ſub Gregorio XV. reformatum, & Spondano teſte *ad annum Chriſti* 1622. *num.* 1. illud eſt, quod nunc recitatur, quare fallitur Gavantus, dum *ſect.* 7. *cap.* 5. *num.* 20. prædicti officii Gregorium XV. inſtitutorem facere videtur, niſi id intelligas de confirmatione & reformatione. Officium vero S. Annæ Gavantus *ſect.* 7. *cap.* 9. *num.* 26. apud Minores S. Franciſci ab anno uſque 1263. aſſerit celebratum, a Gregorio XIII. reſtitutum, & ſub ritu duplici indictum, ſed Baronius *in not. ad Martyr.* præfatum Gregorium ejuſdem facit auctorem, quod tu intellige de reſtitutione, cum a Pio V. fuerit expunctum. Etſi autem de anno inſtitutionis non conſtet, antiquius eſſe officio S. Joachim veroſimiliter oſtendit vetuſtas cultus, quo S. Anna gaviſa eſt præ S. Joachim, & ſane Commeni edictum ante annum 1200. S. Annæ celebritatem memorat, & a conſtitutione Emmanuelis Imperatoris ponitur inter eas ſolemnitates, quibus vacandum eſt religionis gratia, quas inter pro Eccleſia univerſali etiam collocata extitit a Gregorio XV. anno 1622. 23. April., nec Urbanus VIII. in reformatione feſtorum circa eamdem quidquam immutandum eſſe duxit.

III. Qui feſtivationis honos ut itidem S. Joachim, qui in generatione Deiparæ, ſi non potiores, nec utique minores habuit partes, deferreretur, cum enixe ſupplicaretur, Congregatio advertens incommoda plurima quæ ex feſtorum numeroſitate proveniunt in hac ſeneſcentis mundi ætate, in qua refrigiſcit charitas multorum, & tanta malignatus eſt Inimicus in ſancto, ut quæ ad glorificandum divinum nomen ſunt inſtituta, in ejuſdem offenſionem perverſi convertant homines, & adeo, ut Urbanus VIII. ad feſtorum moderationem progrediendum eſſe cenſuerit, haud putavit diem 20. Martii, in qua S. Joachim feſtum recurrebat, indicendam eſſe feſtivam, ſed magis feſtum S. Joachim e die 20. Martii ad Dominicam poſt Aſſumptionem Deiparæ eſſe transferendum; eleganti admodum, ac induſtrio modo parcens indictioni novorum feſtorum de præcepto, & promovens honorem prædicti S. Joachim, cujus cum laus plurima, & potior honos ſit tantæ Filiæ genitorem præ ceteris fuiſſe, præfata Dominica, quæ poſt feſtum præcipuum, & infra octavam ejuſdem Filiæ recurrit, ad id muneris merito delecta extitit.

IV. Ubi vero feſtum S. Joachim ſub rito duplici dumtaxat minori celebratum fuerat, nunc ſub majori inducitur, uti & feſtum S. Annæ pro ſua reſpective die, nempe 26. Julii, ſic congrue Genitores Deiparæ ſecernendo a communi aliorum Sanctorum maſſa, quibus ritus duplex minus paſſim invenitur conceſſus, paremque ritum iiſdem decernendo, ſicuti in generatione ſuas reſpective æquas habuere partes, paremque proinde honorem, & decus. Nihil tenet Decretum de lectionibus primi nocturni, ſed ex elevatione feſti S. Joachim ad ritum duplicem majorem lectiones de communi *Beatus vir*, quæ præcedenter legebantur dumtaxat, dum intra quadrageſimam recurrebat, nunc ſemper eruuntur dicendæ, cum ex Decreto 12. Julii 1664. in feſto quolibet duplici majori de reſpectivo communi legi debeant, ſi proprias non habeat, numquam de ſcriptura occurrente. Juxta Gavanti ſententiam *ſect.* 7. *cap.* 5. *num.* 20. congruit, quod nona lectio, quæ continet ſummum privilegium S. Joachim, jungatur octavæ, & in Miſſa ejuſdem, ut tempori congruat, dicetur Graduale *Diſperſit* cum ſuo verſu *Potens*, & omiſſo tractu dicentur duo *Alleluja* cum verſu *O Joachim* cum uno *Alleluja* in fine, prætermiſſo primo verſu tractus, utpote minus proprio. Ratione Dominicæ, & octavæ in ejuſdem Miſſa *Credo* locum habebit, ſecus ſi poſt octavam transferatur, cum ſit de Confeſſorum claſſe, & ritus duplex majus ex Decreto 12. Junii 1700. aptus non ſit ſymbolum in Miſſam invehere; qua de cauſa nec dicetur in Miſſa S. Annæ. Cum feſtum S. Joachim incidit in dies octavas S. Laurentii, aut Aſſumptionis, etſi altiori gaudeat ritu, transferendum eſt, & quamvis ſit ex officiis affixis diebus Dominicis, adhuc quia eſt officium Eccleſiæ univerſalis, translationem patitur, ut late traditum eſt in cap. de octavis, & de feſtis affixis diebus mobilibus. Pridie ejuſdem Dominicæ in Martyrologio erit Annuntiandum, non tamen, etſi modo ſit inter feſta de præcepto mobilia, de neceſſitate a Parochis erit inter Miſſarum ſolemnia publicandum, cum jam ea dies habeatur feſtiva ratione occurrentis Dominicæ, & nonniſi hujus cauſa reipſa ſit illud feſtivum; & demum in hymno dicetur *meruit ſupremos*, cum ſit extra diem natalitiam.

DECRETUM II. CAPITIS, IN ORDINE CCLXXI.

Officium S. Joſephi Sponſi B. M. V. cum novis antiphonis, verſibus, lectionibus 1. nocturni, reſponſoriis, & capitulis approbavit, & ab omnibus Chriſtifidelibus tam Sæcularibus, quam Regularibus, qui ad horas canonicas tenentur, die 19. Martii in feſto S. Joſeph in poſterum recitari, & in Breviario apponi mandavit S. R. C. 3. Febr. 1714. *annuente Clem. XI. die* 4. *ejuſdem menſis*, *& anni*, Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 256.

I. IN prioribus Eccleſiæ ſæculis aut nullum, vel modicum in Eccleſia occidentali viguiſſe cultum erga S. Joſephum, non eſt, quod vocetur in dubium, cum ejuſdem nulla habeatur mentio in Martyrologiis Uſuardi, & Adonis, quorum primum prodiit initio ſæculi 9. ſecundum itidem in ſæculo 9., ſi ſit Adonis Vienneſis, vel in ſæculo 11., ſi opus credatur Adonis Trevirenſis. Facile eſt aſſignare cauſam adeo retardati cultus, quod videlicet creditus ſit de veteri Teſtamento; & hæc eſt cauſa etiam ceteris communis, ſed nec deſideratur ſpecialis, ad vitandum nempe ſcandalum Hæreticorum, ac rudium ad fidei myſteria gentium, qui hinc Joſephum putare poterant Patrem Chriſti naturalem, & de Virginei partus fide dubitare. Fide autem jam ſatis corroborata, & Eccleſiaſtici cultus honore etiam ad Confeſſores laudabiliter traducto, viſum eſt rationi congruum, ut non omnino prætermitteretur in ſacris,

cujus

cujus tanta laus erat in Evangelio, quamvis ante Evangelium defuncti, ut belle ponderant Bollandiani *in vita S. Joſeph comm. hiſt. quæſt.* 2.

II. Sancti Joſephi coltus, iiſdem referentibus Bollandianis, a Patribus Carmelitis ab Oriente in Occidentem fuit invectus, & eumdem proſecuti ſunt Dominicani, & Franciſcani, facta exinde eidem acceſſione magna ex ſingulari devotione, qua S. Tereſia erga S. Joſephum afficiebatur, & ex iis, quæ ſcriptis tradit Gerſon, qui obiit anno 1429., & Iſidorus de Iſolanis. In Kalendarium Romanum dumtaxat invectus fuit a Sixto IV. teſte Platina in illius vita, ſed ſub ritu ſimplici, temporibus Innocentii VIII. ad duplicem elevatus, & ſub Clem. X. 29. Novemb. 1670. ad duplicem 2. claſſis. Gavanto teſte *ſect.* 7. *cap.* 5. *num.* 19. officium olim fuit propriiſſimum, & a Pio V. fuit mutatum, & certe temporibus Guyeti de communi recitabatur, unde *lib.* 3. *cap.* 16. *qu.* 5. miratur admodum, quod cum tam multa ſuppetant ex Evangelio, unde officium proprium texi facile potuiſſet, non ſaltem Antiphonæ aliquæ, aliquaque reſponſoria deprompta fuerint, non hymni proprii inducti, æque ac de S. Magdalena. Hoc pii viri deſiderium partim impletum extitit die 21. Novemb. 1671., quod Sacra Congregatio hymnos proprios, ac Antiphonas ad Benedictus, & Magnificat approbavit, nunc plene, & ubertim, cum officium undequaque propriſſimum, & ex ſacris litteris excerptum, pro Eccleſia univerſali fuerit demandatum, quod cum contineat S. Joſephi Deſponſationem cum Deipara, pinatam Jeſus paternitatem, accuratam cuſtodiam, & a perſecutoribus tutelam impigram, ipſius Chriſti voluntariam ſubjectionem, ac obedientiam aſſidue eidem præſtitam, aliaque privilegia plurima, qoibus S. Joſeph præ ceteris Sanctis extitit inſignis, quadrat admodum, quoniam ejuſdem Sancti laudes apprime effert, validum patrocinium deſignat, & cultum promovet, auget, & fovet.

III. Si primæ impediantur veſperæ, earumdem Antiphonæ, cum ſint propriæ, in ſecundis, in quibus repetuntur ex laudum, tamquam in aptiori loco videntur apponendæ, ſicuti Decretum 23. Junii 1736., ne reſponſorium proprium omittatur, loco penultimi illud dicendum indicit, & Gavantus *ſect.* 3. *cap.* 9. *num.* 1. ad fugiendam repetitionem, in die octava S. Joannis Baptiſtæ legi conſulit homiliam alicujus diei infra octavam, ſi quæ vacavit, etſi aſſignetur homilia feſti. At obſtat Decretum 5. Maji 1736., quod hymnorum S. Hermenegildi tranſpoſitionem potius jubet, ne facta poſteriora, & mors prius legantur quam facta priora, & vita; officium autem S. Joſeph etiam ad nocturnos, & laudes habet undequaque propria juxta ordinem hiſtoriæ diſtributa; qua de cauſa nec antiphonæ primarum veſperarum poni queunt ad laudes, translatis iis laudum ad 2. Veſperas. Si tranſpoſitionem ad laudati Decreti limites adhibeas, ita ut Antiphonæ primarum Veſperarum juxta ſuum ordinem ponantur ad nocturnos, & quæ nocturnorum ſuperſunt, ad laudes, & conſequenter etiam ad horas dempta de more quarta, & Antiphonæ laudum ad 2. veſperas, & ſi his feſtum careat, ad horas, ſic utique ordo tenetur hiſtoriæ, & vix quid proprium omittitur; at adhuc obſiſtunt Antiphona primarum veſperarum ad Magnificat, & reſponſoria, non quidem primi nocturni, quæ ex hiſtoria Joſeph Hebræi ſunt deprompta, & S. Joſepho tantum appropriata, ſed 2. nocturni, quæ prius legerentur, etſi de poſterioribus factis agant. Praxis, quam ſervat Eccleſia, dum hymnos proprios S. Martinæ, & S. Venantii jungit, & ad modum unius legit, alium ſuggerit agendi modum, ſed caſui minime eſt adaptabilis, quippe hinc exurgerent diſſimiles admodum, & diſcolores Antiphonæ, nec congruum, ut in prædictis hymnis, nexum habentes, ut conſideranti patebit. Quapropter & hunc, & primum agendi modum nos reprobamus, ſecundum vero, qui hiſtoriæ ordinem parum lædit, & aliunde propriorum poſitioni conſulit, ſequi poterit, quia tam ingenti non terretur tranſpoſitione, ad quam nos haud putamus adſtringi poſſe Clerum. Quæ tranſpoſitio utique ſervanda eſt in hymnis juxta ordinem hyſtoriæ itidem efformatis, ita ut hymnus veſperarum legatur ad matutinum, hymnus matutini ad laudes, & hymnus laudum ad 2. veſperas, & ſi his fortaſſe feſtum careat, hymni matutini, & laudum, qui ejuſdem metri ſunt, jungantur, & ad modum unius legantur; quod fieri adhuc ſit licitum, quoties feſtum habeat 2. veſperas, & in iiſdem placeat hymnum primarum veſperarum legere. Hæc indubia ſunt, ſi attendantur ea, quæ de hymnis SS. Martinæ, Venantii, & Hermenegildi fuerunt diſpoſita, ut magis patens fiet, cum de hymnis agetur.

IV. Meratus in ſuo Indice num. 284. refert Decretum aliud, & ſit 3. cap., in ord. 272. *Relatis in S. R. C. ab Eminentiſs. D. Card. Belluga die* 26. *Novembris anni proximi præteriti, Rever. Archiepiſcopi, & Capituli Metropolitanæ Hiſpalenſis enixis precibus, quibus ſupplicatum fuit pro elevatione officii S. Joſephi ad ritum duplicem* 1. *claſſis? Sacra eadem Congregatio tunc reſpondit* Dilata. *Repropoſitis iterum hujuſmodi inſtantiis per dictum Emin. Ponentem, eadem S. C. reſcripſit:* Pro gratia elevationis abſque octava. *Ita die* 21. *April.* 1736. *in Hiſpalen.* Vox *Dilata* ſignat tunc nihil fuiſſe deciſum, & ad alium diem deciſionem fuiſſe dilatam, in qua reſcripſit *pro gratia elevationis*, ſed non pro Eccleſia univerſali, ſed pro Eccleſia ſupplicante, & addit *abſque octava* ad præfocandam aliquorum opinionem, qui ex conceſſione officii ſub ritu duplici 1. claſſis etiam octavam arbitrantur cenſeri conceſſam,

DECRETUM IV. CAP., IN ORDINE CCLXXIII.

Si Dominica 3. poſt Paſcha, cui pro aliquibus locis eſt affixum officium Patrocinii S. Joſephi, occurrat feſtum S. Marci Evangeliſtæ, vel SS. Apoſtolorum Philippi, & Jacobi, officium Patrocinii transferatur juxta Rubricas ad primam diem non impeditam. S. R. C. 22. April. 1741. ex Regeſtis ejuſdem S. R. C.

I. SUarez inter ceteros adeo plurima recenſet 3. *par. tom.* 2. *diſp.* 8. in laudem S. Joſeph, & nos ipſi nonnulla ex ſacris Scripturis excerpta, attigimus in Decr. 8. cap. 13., ut ſi eadem attendantur, indubie Apoſtolis ſit præferendus. Rem extra dubium modo cenſent poſitam Meratus *ſect.* 3. *cap.* 9. *num.* 3., Pittonus *Deciſ. pro ſacris rit. num.* 1401., aliique plurimi per Benedictum XIII., dum ſuo Decreto 19. Decembris 1726. nomen S. Joſeph in Litaniis inſeruit ante Apoſtolos; quod & ſentire videtur Gavantus, quippe *ſect.* 3. *cap.* 8. *num.* 6. ex Litaniarum ordine octavarum præferentiam deſumit. In oppoſitum *lib.* 2. *cap.* 7. *qu.* 4. ſcribit Guyetus de S. Joſeph: *Nec Patriarchæ titulus, nec locus ante Apoſtolos ulla ratione eſt tribuendus, quidquid ſecus tentaverint devoti recentiores aliqui.* Et Iſidorus de Iſolanis *de donis S. Joſeph cap.* 7. *par.* 4. habet: *Joſeph in Sanctorum ordine Confeſſorum primus nominandus.* Et quidem Eccleſia eumdem in Confeſſorum claſſe ſemper habuit, & tamquam Confeſſore & Confeſſorum officio eſt venerata, ut ex Martyrologiis, Miſſalibus, atque Breviariis, etiam antiquioribus, aperte eruitur, & quod majoris momenti eſt, etiamnunc, etſi ritu altiori, officio proprio, & deſcriptione in litaniis ante Apoſtolos honoretur, *Confeſſoris* titulo in Breviario deſcribitur; quare cum Confeſſorum claſſis inferior ſit illa Apoſtolorum, & huic primas cedat, videre non eſt, cur S. Joſeph poſtponi non debeat Apoſtolis, qui a Rubrica *Inter feſta* poſt Deiparam, & Angelos ſuper ceteros Sanctos omnes præferentia donantur.

II. Ad ea, quæ in laudem S. Joſeph ab Auctoribus congeruntur, reponit Guyetus lib. 4. cap. 13. qu. 5. *Et vero valeat Suarii docta non minus, quam pia in gratiam Sponſi ſanctiſſimi Genitricis Dei Mariæ argumentatio, ſitque vere Joſeph Apoſtolis, ut ſanctitate, ſic & gloria non impar. Subſcribam ego ejus opinioni, nec invitus, inter concionandum profitebor; at non eſt privati cujuſquam jus illud, de quo agimus, præferentia in divinis officiis ei tribuere, niſi accedente Eccleſiæ auctoritate legitima.* Non ſunt ſiquidem eadem undequaque tuta, & licet pro concionatoribus valere queant, non pro regulandis divinis officiis, pro quibus ſtant generales Rubricæ, in quibus nulla mentio Sancti Joſeph habetur, ſed poſt Deiparam, & Angelos Apoſtoli præferentia honorantur, & ab hoc honore S. Joſeph non obſcure abigitur, dum in corpore Breviarii inter *Confeſſores* rejicitur.

III. Votum, quod nunc Benedictus Papa XIV., tunc Fidei Promotor in Sacram Congregationem produxit, dum agebatur de loco deſcribendi in Litaniis S. Joſephum, exaratum ad longum habetur *in ejuſdem lib.* 4. *de canoniz. cap.* 19., & cum rationum nervus, quæ pro priori deſcriptione ad Apoſtolos adducuntur, ſiſtat potiſſimum in priori S. Joſephi morte, Patriarchatu, & antiqua Eccleſiæ praxi, quæ olim in Litaniis Eccleſiæ univerſalis, in iis Ordinis Prædicatorum, & aliis eumdem ſtatim poſt S. Joannem Baptiſtam invocabat, & inſuper in eodem voto expreſſe dicatur, hinc haud erui poſſe ejuſdem præferentiam ſuper Apoſtolos, nec valere argumentum a Litaniis ad Breviarium, nec a Breviario ad Litanias, ſaltem quantum attinet ad Sanctos veteris Teſtamenti, aut Evangelicos, in quorum claſſe proculdubio S. Joſeph connumeratur, proculdubio argumentum ex priori S. Joſephi deſcriptione in Litaniis undique eruit. Et quidem in deſcriptione prædicta, quod ad Sanctos veteris legis, & Evangelicos attinet, liquido conſtat ordinem temporis, non dignitatis attentum fuiſſe. Diſcipuli Domini, quorum plurimi non fuerunt Martyres, præferuntur martyribus, Innocentes ante ceteros martyres, & Maria Magdalena ante virgines, & martyres invocantur, cum tamen martyres ratione dignitatis prius Diſcipulis Domini, & SS. Innocentibus cauſa excellentioris martyrii invocari debuiſſent, ſicut & virgines, & martyres tum ratione virginitatis, tum ratione martyrii ante S. Mariam Magdalenam. Patriarchæ itidem, & Prophetæ ante Apoſtolos deſcribuntur, & tamen quantum ſpectat ad Breviarium, non ſuper Apoſtolos, ſed infra æſtimantur, & tamquam de claſſe martyrum, vel confeſſorum inſpiciuntur, & regulantur, ut concinne ponderat Guyetus *lib.* 3. *cap.* 16. *quæſt.* 5., & *cap.* 33. *quæſt.* 7., obſervat Eccleſiarum praxis, & præcipue Venetæ, quæ Prophetarum, & Patriarcharum pluribus incumbit officiis, & non obſcure indicat Breviarium ipſum, dum non aſſignat commune aliud, quod in dictis officiis adhiberi queat. Litaniæ pro Animæ commendatione, quæ ante Apoſtolos invocant Sanctos Abel, & Abraham, adhuc validius argumentum nobis ſuppeditant, & validius adverſariis ipſis teſtibus, quippe Meratus *ſect.* 9. *cap.* 5. diſerte aſſerit, quod hinc eorumdem præferentia ſuper Apoſtolos minime erui poteſt, ſi autem id ipſe putat de Sanctis iſtis, quomodo unquam priorem deſcriptionem S. Joſephi cenſere valet ineluctabile argumentum præferentiæ ſuper Apoſtolos?

IV. Præferentia S. Joannis Baptiſtæ ſuper Apoſtolos, quatenus peteretur ex deſcriptione priori ejuſdem in Litaniis, utique obeſſe poſſet; at ea petitur ex dignitate, quam alibi vidimus

mus in ſacris litteris in ejuſdem favorem haberi. Et licet de eodem ſileat Rubrica *Inter feſta*, loquuntur tamen aliæ officii, & Miſſæ regulæ, nempe Rubrica in Miſſali præfixa orationi *A cunctis*, in qua S. Joannes prius Apoſtolis nominari decernitur, & Confeſſio ipſa tam ad Primam, quam ad Completorium, in qua etipſa ante Apoſtolos nominatur; hæ autem deſerviunt in exemplum, non Litaniæ, quoad methodum in officio, & Miſſa etiam in reliquis tenendam, ut dicebamus in Decr. 20. cap. 1. Nihil autem hujuſmodi habet S. Joſeph præter deſcriptionem in Litaniis, quæ ad rem non relevat.

V. Benedictus XIV. *loc. cit. num.* 57. S. Joſepho *Patriarchæ* nomen rite convenire aſſerit, quatenus eſt Pater putativus Chriſti, qui prædeſtinatorum, & electorum caput eſt, & meminit Iſidori de Iſolanis, e Perez, qui eumdem etiam Prophetam faciunt, quatenus lumine angelico illuſtrante, ſupremum cognovit myſterium Filii Dei, ſatagitque, ut opportuno tempore toti manifeſtaretur orbi, eumdem Filium educando. Cum itaque de Patriarcharum, & Prophetarum choro creditus fuerit, nonniſi in Litaniis deſcribi potuit ſub eorumdem ſerie, quæ communi invocatione abſolvitur, *omnes Sancti Patriarchæ, & Prophetæ;* at ſicuti ex priori Patriarcharum, & Prophetarum deſcriptione non eruitur eorumdem præferentia ſuper Apoſtolos, quomodo unquam quid ſimile erui valet in favorem S. Joſeph? Quare dum in occurſu Patrocinii S. Joſeph cum feſtis Sancti Marci, aut SS. Apoſtolorum Philippi, & Jacobi ſtatuitur tranſlatio Patrocinii, nonniſi ſtatui credimus, quod de jure ſtatuendum erat, nec confugiendum eſſe arbitramur ad doctrinam Merati, qui *ſect. 3. cap. 9. num.* 3. feſta ſecundaria, cujus rationis fecit prædictum Patrocinium, etſi Sanctorum digniorum, poſtponenda eſſe ſtatuit feſtis aliorum Sanctorum primariis; hæc enim alibi jam ſatis confutata extitit.

VI. Magis negotii proculdubio faceſſunt Decreta noviſſime per Sacram Congregationem edita ſub die 11. Maji 1743. En primum, quod erit 5. cap., in ord. 274. *An de Patrocinio S. Joſeph ſit recitandum officium in Dominica 3. poſt Paſcha, quando in ea occurrunt feſta D. Marci Evangeliſtæ, vel SS. Apoſtolorum Philippi, & Jacobi? R. affirmative in locis, in quibus feſtum Patrocinii S. Joſeph eſt duplex 2. claſſis*. Decretum etſi feſtum Patrocinii in occurſu Apoſtolis præferat, clauſulam per ea verba *in locis, in quibus feſtum Patrocinii S. Joſeph eſt duplex 2. claſſis*, adjicit, per quam facile ipſum concilias, cum præcedenti, in quo Patrocinii tranſlatio demandatur, ſi dicas hujus mentem reſtrictam eſſe pro locis, in quibus inferiori ritu gaudet. Idipſum eſt de ſecundo, quod ſit 6. cap., in ord. 275. *An de Patrocinio S. Joſeph concurrente cum dictis feſtis, ſint de eo integræ recitandæ Veſperæ? R. affirmative*, in quo præferentia etiam in concurſu conceditur. At hujuſmodi non ſtat ratio, quoniam Decretum tertium, ad noſtrum inſtitutum erit 7. cap., in ord. 276., mandat inſuper S. Joſephum in oratione *A cunctis*, & in ſuffragiis eſſe præponendum Apoſtolis Petro, & Paulo, in quibus Sanctorum dignitas, non ritus attenditur: *An in oratione* A cunctis, *& in ſuffragiis ſit præponendus S. Joſeph Apoſtolis Petro, & Paulo? R. affirmative*. Dicendum eſt itaque, quod præcedens una cum ibi traditis proceſſit Decretum attentis iis, quæ de S. Joſepho ſtatuta, & certa habebantur, nunc privilegium ſit magnis gratiis plurimis, & prærogativis excelſis Sponſi Deiparæ, & Patris putativi Chriſti, qui ceteroquin eidem ſe ſubjici dignatus eſt, perinde ac ſi ſui verus extitiſſet pater, nulli alteri Sancto communicatis, & per ipſum Evangelium manifeſtatis innixum; non incongrue enim Congregatio putavit, quin Deus, qui ad tam excelſa Joſephum elegit munera, etiam gratiæ, & gloriæ donis ditatum fecerit correſpondentibus iiſdem muneribus; & quod quando etiam non ſuper Apoſtolos ditatus fuiſſet, non ægre hi ferent, honoratiorem locum cedere Sancto illi, qui cum Matre Chriſti matrimonio dignatus eſt, cuique ſe Chriſtus ipſe ſubditum voluntarie fecit. Nolo autem hinc inferas etiam Joanni Baptiſtæ eſſe præponendum, quo nullum majorem inter natos mulierum ſurrexiſſe ex Evangelio diſcimus, quique adhuc ab Eccleſia in Litaniis prius invocatur. Cedat itaque Joſeph Baptiſtæ in occurſu, & concurſu, in oratione *A cunctis*, & ſuffragiis, & in omnibus præponatur reliquis Sanctis.

VII. Prodeat nunc Decretum aliud, & ſit 8. cap., in ord. 277. *An dictum Patrocinium poſſit transferri ad aliam diem, quando non habet locum in dicta Dominica tertia? R. negative, ſed omittendum*. Pugnat cum præcedenti, quod tranſlationem demandat, & cum plurimis aliis relatis in capite de feſtis affixis diebus mobilibus, necnon cum quarto capitis 30. intra Decretum 4. expoſito. At facile hæc omnia vindicas, ſi dicas hoc Decretum procedere pro locis, quibus per terminos præceptivos, aut ad inſtantiam Principum conceſſum non eſt; credi enim non debet, quod tam repetita Decreta in his circumſtantiis tranſlationem præſcribentia, hoc uno fuerint, & cenſeri debeant abolita. Claudat expoſitionem Decretum aliud, quod erit 9. cap., in ord. 278. *An ſolemnitates Nat. S. Jo. Baptiſtæ, & SS. Apoſt. Petri, & Pauli excludant omnia feſta in ipſis occurrentia, ſalva ſemper ſolemnitate Corporis Chriſti? R. affirmative, ſalva ſemper ſolemnitate Corporis Chriſti*. Nonniſi confirmata veniunt, quæ alibi, & præſertim in Decr. 16. cap. 1. tradita fuere de præferentia Nativitatis S. Joan., & SS. Apoſtol. Petri, & Pauli ſuper quodcumque feſtum aliud, licet Titulare, vel Dedicationis Eccleſiæ, & adhuc ſub ſolemnitate excultum. Ad Rubricarum tramites præſervatur ſolemnitas Corporis Chriſti, & implicite edocemur de quocumque alio feſto Domini, vel B. Mariæ, ſi quod ejuſdem ritus poſſet ſimul occurrere. Quod ſi ita eſt de feſto SS. Petri, & Pauli, idipſum a fortiori erit de feſto S. Joſeph, ubi duplex 1. claſſis eſt, utpote quod præſtat SS. Petro, & Paulo, & idipſum ſit dictum de quocumque feſto alio duplici 1. claſſis Apoſtolorum, qui SS. Petro, & Paulo in dignitate æquales exiſtunt.

CAPUT XXXII.

De Commemorationibus.

I. SI quæ ad præſens caput attinent, vel attinere queunt, hic exarare vellemus, fere cuncta, quæ in aliis ſunt pertractata capitibus, repetenda eſſent, noſtraque incaſſum plus æquo percrebeſceret oratio; quare contenti erimus, ea dumtaxat, quæ ſuperſunt, examinare Decreta. Commemoratio in duo ſinditur genera, communium ſcilicet, & quæ Sanctorum ſuffragia dicuntur, de quibus in ſequenti capite, & particularium, de quibus modo ſumimus agere. Hæ locum habent in laudibus, & veſperis, ſeu in occurrentia, & concurrentia, ſtantque in priori caſu loco officii, & in ſecundo vice veſperarum, quæ dici deberent de eo, cujus ſit commemoratio, ſi ejuſdem officium, vel veſperæ ab alio digniori non impedirentur; quare commemoratio ſupplet locum officii, vel veſperarum, & in loco eorumdem eſt ſubſtituta.

II. Ea igitur in laudibus, & in occurrentia commemorationem apta ſunt ſuſcipere, quorum officium ab alio impediri valet, & in alium diem transferri non poteſt, cujuſmodi ſunt Dominicæ, feriæ majores, feſta ſimplicia, vigiliæ, & octavæ, & nunc etiam ea feſta 9. lectionum, quæ intra annum non reperiunt utile ſuæ repoſitionis ſpatium, de quibus late egimus in cap. 6. Cetera feſta 9. lectionum, cum impedita in alium diem transferantur, apta non ſunt per commemorationem ſuppleri, uti nec feſta ad libitum, quæ in caſu impedimenti omiſſioni manent obnoxia. Ejuſdem rationis ſunt feriæ minores per annum, quarum officium in defectu alterius ſubrogatur, ſicuti & officium S. Mariæ in Sabbato, quod cum pro diebus non impeditis ſit conceſſum, vere non impeditur, cum officium aliud occurrit.

III. In concurrentia vero officia ea omnia, quæ habent, & prout habent veſperas, & hæ impediuntur, apta ſunt loco veſperarum commemorationem ſortiri; quæ autem ſint hujuſmodi officia, jam traditum fuit in capite de concurrentia. Diximus *apta ſunt per commemorationem ſuppleri*, quia quandoque etiam commemorationem deperdunt. Quiſque autem jam videt, quod in ſuperioribus tradita, præſens caput expoſcunt.

DECRETUM I. CAPITIS, IN ORDINE CCLXXIX.

In feſto SS. Nominis B. M. V. non eſt facienda commemoratio de ejuſdem Nativitate, & in ſecundis veſperis de Nativitate cadentibus in Sabbato, non eſt facienda commemoratio de prædicto SS. Nomine. Ita S. R. C. 23. Sept. 1684. *in Decreto generali*, Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 152.

I. DUM a ſecundis veſperis Nativitatis Deiparæ ablegatur commemoratio ſequentis feſti SS. Nominis ejuſdem B. Mariæ, & a feſto ejuſdem SS. Nominis commemoratio octavæ Nativitatis, generalis firmatur regula illa communiter recepta, quod de uno, & eodem in eadem parte officii non poteſt ſimul fieri officium, & commemoratio; ideo enim reſpective commemoratio SS. Nominis, aut octavæ prædictæ ſilenda decernitur, quia utrumque officium eſt de eadem Deipara. Suffragium ſuum non denegat Rubrica VIII. *num.* 3., dum ſi feria VI. celebratum ſit officium 9. lectionum de B. Maria, nulla commemoratio decernitur de ſequenti officio S. Mariæ in Sabbato, ubi & Rubrica 35. *num.* 4., quæ in officio B. Virginis ſupprimit ejuſdem ſuffragium.

II. Quam regulam approbant, & ad Sanctos omnes extendunt Auctores, inter quos Gavantus *ſect.* 3. *cap.* 12. *num.* 23., *& ſect.* 5. *cap.* 18. *numer.* 14., & Guyetus *lib.* 3. *cap.* 17., *quæſt.* 13., unde ab officio Vigiliæ Patroni, aut a feſtis ſemiduplicibus inventionis, tranſlationis, aliiſque, depellunt ſuffragium ejuſdem. Guyetus tamen *lib.* 4. *cap.* 14. *quæſt.* 4. hanc limitat regulam, quando feſtum aliquod B. Virginis concurreret cum altero in honorem Myſterii, aut facti alicujus particularis de eadem inſtituto, habenteque propriam Antiphonam cum verſu, & oratione, perinde ac ſit commemoratio octavarum Nativitatis Domini, Epiphaniæ &c. in Dominicis infra eaſdem octavas; at id contrarium eſt proculdubio Decreto S. R. C. 3. Septembris 1672., quod a feſto SS. Annunciationis depellit commemorationem feſti 7. Dolorum, etſi ſint feſta de diverſis myſteriis, & proprias habeant Antiphonas cum verſibus, & orationibus. Nec productum ſuffragatur exemplum, nam eæ Dominicæ, ſicuti & ceteræ, in honorem SS. Trinitatis potiſſimum ſunt inſtitutæ, cujus myſterium in illis octavis ſufficienter non excolitur.

III. Scribit Gavantus ſect. 7. cap. 7. num. 3. *ſi concurrant feſta Aſcenſionis, & Inventionis S. Crucis, fiat commemoratio de feſto S. Crucis, licet videatur feſtum de eodem Domino, & differentia ſatis patet in diverſitate myſterii, quidquid alii contra ſcripſerint*; quidni igitur idipſum fieri poterit in diverſis Deiparæ myſteriis? Fateor, quod magis arrideret mihi id, quod contra ſcripſere Auctores ſuppreſſo nomine allegati, verum cum

obſi-

obſiſtat communis uſus, qui in omnibus Chriſti feſtis agit alterius commemorationem, cum quo concurrit, ut in feſto SS. Nominis Jeſu de præcedenti octava Epiphaniæ, quoties cum hac concurrit, idcirco præfatam arbitror fallere regulam in ſolis feſtis Dei, & Chriſti, eo quod cum ab ipſis reſpective ut auctore, & interceſſore bona noſtra cuncta procedant, de iiſdem numquam a nobis ſatis agitur. Refert Meratus in Indice num. 331. Decretum aliud, & ſit 2. cap., in ord. 280. *Feſtum SS. Nominis Mariæ celebrandum eſt Dominica infra octavam Nativitatis ejuſdem, & quando dies octavæ Nativitatis incidit in Dominica, nulla fit commemoratio octavæ. S. R. C. 23. Junii 1736. in Einſidlen.* Quæ Sanctio, quatenus commemorationem octavæ ſupprimit in feſto SS. Nominis, confirmat ea, quæ nunc tradidimus, quatenus vero incidit idem feſtum SS. Nominis celebrandum etiam in occurſu in diem octavam Nativitatis, expoſitionem habuit in Decr. 8. cap. 18.

DECRETUM III. CAP., IN ORDINE CCLXXXI.

In ſecundis Veſperis S. Æmiliani Abbatis (quod eſt duplex majus apud Benedictinos) quæ coincidunt cum primis Veſperis de feſto omnium SS. Monachorum ejuſdem Ordinis, eſt facienda commemoratio de S. Æmiliano, ſi ritus id permittat, nulla habita ratione, quod ſit etiam ipſe unus ex iiſdem Sanctis Monachis, quorum feſtus dies celebrari incipit in dictis veſperis. S. R. C. 23. Junii 1736. *in Einſidlen.* Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 329.

I. ÆMilianus unus eſt ex Sanctis Monachis, qui cum in feſto omnium Sanctorum Ordinis Benedictini, quem profeſſus fuit, ſit comprehenſus, in concurrentia cum eodem non poſſe commemorationem videbatur habere, ne ſimul cum officio commemorationem aſſequeretur. Stetit tamen Congregatio pro prædicta habenda commemoratione, edocta quippe a feſto, & octava omnium Sanctorum univerſalis Eccleſiæ, quæ in Breviario ipſo Romano nihilominus particularium Sanctorum commemorationem non reſpuunt, adjudicavit cum Gavanto *ſect. 5. cap. 18. num. 9.* pro generalibus ſpecialia non eſſe omittenda, regulæque generalis illius de bis non ſimul agendo de eodem ſenſum manere reſtrictum ad bis ſpecialiter, & aperte, non vero una vice ſpecialiter, & aperte, altera generaliter, & latenter. Dat aliam idem Auctor reſponſionem, videlicet quod reſpective feſtum, vel commemoratio omnium Sanctorum poteſt intelligi de aliis omnibus, de quibus commemoratio ſpecialis facienda non eſt, aut officium. De hac re ſermo redibit in Decreto ultimo ſequentis capitis, quare addimus dumtaxat, pari ratione idipſum pronuntiandum eſſe de feſto omnium Sanctorum aliorum Ordinum, aliove pari, aut ſimili caſu, ut nos ipſi diximus in Decr. 17. cap. 4. de Reliquia particulari concurrente cum feſto generali Reliquiarum.

DECRETUM IV. CAP., IN ORDINE CCLXXXII.

Ubi feſtum S. Petri ad Vincula, vel Converſionis S. Pauli eſt Titulus Eccleſiæ, ſemper per octavam facienda eſt commemoratio diſtincta alterius, prout in die feſti, non autem unica utrique communis per Antiphonam *Petrus Apoſtolus &c.* S. R. C. 2. Sept. 1741. ex Regeſtis ejuſdem S. R. C.

I. COmmune id habent Sancti Apoſtoli Petrus, & Paulus, ut quemadmodum in vita dilexerunt ſe, & in morte non ſunt ſeparati, ita nec unquam in feſtis, aut officiis ſeparentur, abſque eo quod ſaltem in officio unius fiat commemoratio alterius. Uti in feſti S. Petri per diſtinctam Antiphonam fit commemoratio S. Pauli, & e contra, ita proculdubio faciendum itidem eſt infra octavam, quando de alterutrius octava officium agitur; alias quippe, ſi communes utrique adhiberentur Antiphonæ, & orationes ad Benedictus, & Magnificat, iiſdem etiam redderent commune officium, quod ceteroquin eſt particulare. Dubitatum ſolum extitit de caſu, in quo tum octavæ verb. gr. S. Petri, tum ſolita S. Pauli commemoratio agenda foret; viſum eſt enim utramque commemorationem per unam mediantibus Antiphona, & oratione utrique communibus bene poſſe ſuppleri, & idipſum eſt, quoties & occurrentis feſti, & alterius ſolita commemoratio fieri deberet, præſertim cum non deſideretur exemplum in Breviario ipſo Romano, quod die 30. Junii in 2. Veſperis ſub una communi Antiphona *Petrus Apoſtolus*, & oratione *Deus qui hodiernam* claudit & commemorationem præcedentis feſti Commemoationis S. Pauli, & commemorationem octavæ, ſeu magis S. Petri, quæ diviſim deberent fieri. Bona videtur iſta argumentatio, ſed Sacræ Congregationi bona viſa non eſt, quæ propterea reſpective feſti, aut octavæ, & alterius S. Petri, aut Pauli commemorationem diſtinctam faciendam eſſe voluit, prout in die feſti notatur, nec unicam utrique communem per Antiphonas *Petrus Apoſtolus*, aut *Glorioſi principes terræ* poſſe ſuppleri. Utique bene, nam commemoratio feſti, aut octavæ ſtat loco officii, quod de alterutro particulariter deberet fieri, ſi minime impediretur, unde per particularem Antiphonam feſti fieri debet, & non per communem, quæ hoc ipſo confunderet ea, quæ ſunt officii, & quæ ſunt commemorationis, & commune redderent officium, quod particulare eſt inſtitutum. Par nec eſt ratio de exemplo producto feſti Commemorationis S. Pauli, quod eſt ſupplementum quoddam præcedentis feſti SS. Petri, & Pauli; nos enim monet Baronius *in notis ad Martyr.*, quod pridie ſoleret ſummus Pontifex obire Pontificias functiones in utraque Eccleſia S. Petri, & S. Pauli, ſed ob diſtantiam locorum conſultius viſum eſt eas S. Pauli in ſequenti die reſervare, ad quam propterea traxit & officium quoddam S. Pauli, quod *Commemorationis* vocabulo inſcripſit, quod non eſt niſi quædam repetitio præcedentis feſti, ſeu commemoratio ſpecialis de S. Paulo, de quo in præcedenti feſto actum eſt, inſtituta ad ſupplenda omiſſa. Mirum itaque non eſt, ſi peractis, & abſolutis omiſſis ad Miſſarum ſolemnia, veſperæ, quæ alias dici debuiſſent, incipiant a communi Antiphona *Juravit Dominus*, & per communem Antiphonam *Petrus Apoſtolus* terminentur.

II. Quæ Veſperæ hoc habent ſpeciale, quod cum ex octavæ ſemiduplices eſſe deberent, ritu duplici peragantur; incongruum quippe viſum eſt, peracto officio duplici uſque ad Nonam, ritu ſemiduplici peragere Veſperas, quæ ceteroquin ſunt etiam de eo, de quo officium duplex factum fuit. Hinc merito Gavantus *ſect. 7. cap. 8. num.* 30. refellit Recentiorem quemdam, qui in occurſu Dominicæ hujus commemorationem prætulit illi communi de SS. Apoſtolis, quaſi hæc commemoratio non deſerviret pro dimidio Veſperarum, ab octava S. Jo. Baptiſtæ ſibi abrepto, quæ ritu duplici inchoatæ fuerunt, ac conſequenter etiam debent terminari. Quoniam vero in Eccleſia propria non tamquam ſupplementum, ſed tamquam particulare feſtum ad recolendum Titulum cenſetur inſtitutum, communes non debent eſſe veſperæ, ſed de S. Paulo, non tamen commemoratione ſolita S. Petri in iiſdem neglecta. Quid denique præſtandum ſit infra octavam ejuſdem S. Pauli, octavarium Romanum abunde te inſtruet.

III. Factum eſt dubium, num quando feſtum Commemorationis S. Pauli ob incidentiam in diem octavam Corporis Chriſti, vel alia de cauſa in aliam diem transfertur, ſecundæ Veſperæ deberent eſſe integræ de S. Paulo, aut magis terminari cum hymno, Antiphona, & oratione utrique communibus, ut fit, quoties in proprio die ſolam habet commemorationem? In poſtrema recognitione Breviarii quæſtio hæc propoſita fuit, & Reformatores cum in diverſa ſciſſi fuerint placita, res dubia facta eſt, & in dubio favendum eſſe S. Paulo decrevere. Quorum Decretum, cum in Breviarium Romanum per hanc Rubricam fuerit invectum, *ſi Commemoratio S. Pauli venerit in die octava Corporis Chriſti, extra propriam Eccleſiam transfertur in primam diem infra octavam, Dominica, vel feſto non impeditam, & totum officium fit ut in propria Eccleſia*, adeoque cum integris Veſperis de eadem, ut propria Eccleſia fieri demandatur, obedientiam utique expoſcit, & aſſequatur, ſed cum debita veneratione nobis liceat ſubdere, quod oppoſitum eſt longe probabilius, uti ſuperius dicta, a quibus propterea minime recedimus, dilucide oſtendunt; nobis enim perſuadere non poſſumus, quod præfatum feſtum extra propriam diem habere queat illas Veſperas, quibus in propria die deſtituitur. Differens foret ratio, ſi extra octavam Apoſtolorum transferetur, nam cum octava, de qua deberent eſſe Veſperæ, jam exſpiraverit, Veſperas habere non poſſet, ac conſequenter ne feſtum truncum maneret, & mutilatum, tunc neceſſe foret eidem eas Veſperas concedere, quas octava deberet habere. Ad hunc caſum una cum Decreto limitaremus Rubricam, ſed cum hæc obſiſtat per ea verba, *transfertur in primam diem infra octavam*, per quæ deſignatur, ejuſdem diſpoſitionem etiam infra octavam locum habere, opus eſt, aliter decernentium valeat auctoritas.

IV. Quoties in alium ut ſupra diem transfertur Commemoratio S. Pauli, dubium fit, num in præcedentibus diebus, in quibus commemoratio octavæ fieri debet, hæc eſſe debeat tantum de S. Petro, ut fit in feſto ejuſdem Commemorationis S. Pauli, an magis de utroque, SS. ſcilicet Petro, & Paulo, de quo tamen fieri non poſſe videtur, cum ejuſdem feſtum non fuerit actum. Reſpondet bene Gavantus de utroque unitim per communem Antiphonam eſſe faciendam, quoniam commemoratio, quæ per octavam itidem fit de S. Paulo, non eſt relativa ad feſtum Commemorationis ejuſdem, ſed ad præcedens feſtum, quod ex hymnis, oratione, & aliis nedum in honorem S. Petri, ſed etiam S. Pauli diſerte noſcitur inſtitutum. Quod autem in feſto Commemorationis S. Pauli in laudibus tantummodo fiat de S. Petro, non eſt, quia præcedens feſtum in utriuſque memoriam non ſit inſtitutum, ſed quia eo die officium eſt ſpecialis commemoratio S. Pauli, unde ulterius alias de eodem non eſt addenda. Quod autem dictum eſt de hiſce feſtis, pari ratione extende ad utramque Cathedram S. Petri, quæ ubi octavam habent, per diſtinctam Antiphonam de S. Paulo fieri ſemper debebit commemoratio, ſive de Cathedra fiat officium, ſive ejuſdem officium per ſolam commemorationem ſuppleatur.

DECRETUM V. CAP., IN ORDINE CCLXXXIII.

Commemoratio de S. Dominico ex conceſſione Clementis Pp. X. a Franciſcanis facienda, quando fit officium de S. Franciſco, fieri debet tantum in officio S. Franciſci, quod ſemel in menſe ab iiſdem recitatur, poſt alias commemorationes. S. R. C. 27. Sept. 1698. *in una Ord. Cappuccin.* Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 209.

I. ANno 1215., quo celebrabatur Concilium Lateranenſe primum, cum Falcone Epiſcopo Ituriſſæ S. Dominicus Romam devenit, Ordinis, cujus fundamenta jecerat, confirmationem ab Innocentio III. petiturus, a quo Ituriſſam remiſſus, ut cum Fratribus prius Regulam approbatam deligeret, de communi conſenſu Regula S. Auguſtini accepta, anno in ſequenti

Ro-

Romam denuo pervenit, & ab Honorio III. Innocentii ſucceſſore Ordinis confirmationem obtinuit. Nocte in viſione apparuit illi Jeſus, tres lanceas in peccatores vibrans, in quorum auxilium accurrens Deipara, pro venia rogavit Filium, eique oſtendit Dominicum ſervum fidelem, cujus opera, & prædicatione mundus reſipuiſſet; deinde ſervum alterum in eodem munere ſocium egregium, & adjutorem, & ira Dei Filii quievit. Die ſequenti S. Franciſcus, divina Providentia ſic diſponente, occurrit S. Dominico, a quo vi ſignorum agnitus fuit pro ſocio ſibi a Deo deſtinato, hinc eumdem amplexatus, de viſione monitum fecit, & poſt varia colloquia ſe ſe mutuo in fratres, & individuos ſocios accepera, idemque ſuis reſpective præcepere Diſcipulis.

II. Hinc Prædicatorum Ordo quodammodo Eccleſiam Romanam imitatus, quæ in officio S. Petri commemorationem agit de S. Paulo, in officium S. Dominici memoriam (ideſt commemorationem) S. Franciſci invexit; quem oſum æmulatus Franciſcanus Ordo petiit, & obtinuit a Clemente X. facultatem agendi commemorationem S. Dominici in officio S. Franciſci; quæ an in ſolo votivo, vel etiam feſtivo officio S. Franciſci facienda foret, ortum eſt dubium. Et in ſolo votivo Congregatio reponit, quia cum Dominicani in ſolo officio votivo S. Dominici memoriam agerent de S. Franciſco, non ultra intelligi poterat facultas a Clemente ad inſtantiam Franciſcanorum facta pro rependenda vice, quam ſuo Fundatori tribuebat Prædicatorum Ordo. Circa locum eidem commemorationi præſtandum, his erat alia; & videbatur eidem ſuper omnes præferentiam deberi, inſtar illius de S. Paulo in officio S. Petri, & e contra. At *poſt alias commemorationes* illi locus aſſignatus fuit, utpote quæ eſt mere votiva, & ob devotionem aſſumpta, & ideo etiam in ſolo officio votivo agi conceſſa, ubi illæ ſunt de præcepto, & integrant officium diei, ac conſequenter iiſdem cum recti ordinis perverſione interjici non debuit, nec veluti extranea commemoratio inter intraneas permiſceri. Diſpar autem eſt ratio de commemoratione S. Pauli, & e contra, & S. Joſeph in feſto Deſponſationis Deiparæ, quia hæ feſtivæ ſunt, & veluti pars quædam feſti, quod agitur, ut magis dicitur, cum de præfata S. Joſeph commemoratione in feſto Deſponſationis ab indultariis agenda, ſermo fuit.

DECRETUM VI. CAP., IN ORDINE CCLXXXIV.

Quæſitum fuit, ſi uno die occurrant plures martyres, quorum officium unum ſit ſemiduplex, & aliud ſimplex, utrum in Veſperis pro commemoratione ſimplicis dicenda ſit antiphona *Gaudent in Cælis* de 2. Veſperis, ut exemplum eſt 16. Sept., & utrum detur ibi regula, vel exceptio regulæ Rubricæ de comm. num. 8.? Et reſponſum fuit ſervandam eſſe Rubricam IX. de comm. num. 8., niſi aliter aſſignetur in propriis locis, ut ibi docet eadem Rubrica. S. R. C. 10. Jan. 1693. *in una Galliar.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 177.

I. GEneratim edocet Rubrica 9. *de comm. num.* 8. variandam eſſe antiphonam pro eo, de quo fit commemoratio, quoties ea deſervit pro eo, de quo factum eſt officium, ita ut in primis veſperis deſumenda ſit ex laudibus, & in laudibus ex primis veſperis, ſic mutato dumtaxat loco iiſdem antiphonis, quæ alias dici debuiſſent, ſufficientem varietatem inducentibus. In oppoſitum die 16. Sept. in Breviario Romano adeſt exemplum, per quod pro officio ſimplici plurium martyrum, ſcilicet SS. Euphemiæ, & Sociorum, ſimul occurrente cum alio ſemiduplici SS. Cornelii, & Cypriani ſimiliter martyrum, in veſperis non aſſignatur ad varietatem antiphona laudum, ſed ſecundarum veſperarum, nempe *Gaudent in Cælis*; hinc quæſitum fuit, num ibi daretur regula idipſum præſtandi in ſimili concurſu duorum feſtorum de SS. Martyribus, ſeu pro his fieret exceptio regulæ Rubricæ prædictæ, quæ antiphonam ex laudibus generatim depromendam eſſe præſcribit? *Servandam eſſe Rubricam 9. de comm. num.* 8. reponit Sanctio, adeoque univerſim antiphonam, quoties varianda venit, etiam pro SS. Martyribus, in veſperis ex laudibus eſſe ſumendam, & in laudibus ex 1. veſperis, cum namque Rubricæ verba ſint generalia, etiam generaliter ſunt intelligenda. Addit *niſi aliter aſſignetur in propriis locis, ut ibi docet eadem Rubrica*, per hæc eadem ſcilicet verba, *niſi aliter ſignetur*, per quæ deſignatur, quod particulares diſpoſitiones pro caſu, pro quo ſunt latæ, generalibus quidem derogant, & ſunt ſervandæ; ſed hinc inferendum non eſt ad alios occurrentes caſus ſimiles, exemplis ſiquidem utendum non eſt, cum leges ſupponunt.

DECRETUM VII. CAP., IN ORDINE CCLXXXV.

In feſto SS. Cornelii, & Cypriani die 16. Sept. pro commemoratione SS. Euphemiæ, & Sociorum, dicatur in primis veſperis antiphona *Gaudent in Cælis &c.*; & in laudibus *Iſtorum &c.*, prædictæ tamen antiphonæ dicendæ non ſunt, quando officium SS. Cornelii, & Cypriani transfertur, ex quo occurrat in Dominica; tunc enim in primis veſperis Dominicæ dicenda erit Antiphona pro dicta commemoratione *Iſtorum &c.*, & in laudibus Antiphona *Veſtri capilli &c.* S. R. C. die 14. Decemb. 1709. *in Ferrarien.* Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 251.

I. ANtiphonas, quarum meminit Sanctio, pro commemoratione SS. Euphemiæ, & Sociorum die 16. Septembris eſſe dicendas, dubium eſſe non poteſt, cum eaſdem Romanum aſſignet Breviarium, nec refragetur Rubrica *de comm. n.* 8., quæ per ea verba, *niſi aliter ſignetur*, diſerte indicat, particulares diſpoſitiones, & notationes eſſe ſequendas, etſi diſpoſitioni, quam inibi generatim firmat, non inveniantur conformes. Credidere nonnulli eaſdem Antiphonas prædictis Sanctis particulari de cauſa fuiſſe aſſignatas, & non tantum varietatis gratia, ad quam æque bene deſerviebat obedientia generalis Rubricæ, adeoque eſſe itidem uſurpandas, tametſi feſtum SS. Cornelii, & Cypriani ob occurſum Dominicæ, aliave de cauſa transferri contingat. In oppoſitum ſtat Congregationis deciſio, quæ in caſo prædictæ translationis Antiphonas, prout in communi, vult eſſe ſumendas; cum enim variatio inducta non fuerit, niſi ad tollendam ipſeitatem Antiphonæ, cum hæc auferatur translato feſto SS. Cornelii, & Cypriani, cur Antiphonæ reſpectivi communi, quæ minime ſunt impeditæ, deſumendæ non erunt? Id jam adnotatum habebat Rubrica eidem diei præfixa, quæ in caſu antedictæ translationis ſignat, *& antiphonæ, & verſus non varientur*. Equidem tamen hæc Rubrica obſcurum admodum reddebat ſenſum, cum namque ibi Rubrica jam variatas aſſignet Antiphonas, dum in caſu præfatæ translationis non variandas edicit, æque bene de recitandis nihilominus iiſdem Antiphonis, prout notabantur, intelligi poterat. Plura haberemus inique, quibus oſtenderemus Rubricæ ſenſum non eſſe alium, quam quem eidem nos præſtabamus, ſed una Rubrica explicet ſenſum alterius, ſcilicet ea, quæ habetur in feſto S. Hilarii, in cujus 2. veſperis Antiphonarum, & verſuum variatio itidem inducitur pro commemorationibus, & poſtea ſubditur: *Sed ſi feſtum S. Pauli transfertur ob diem Dominicam* (olim erat ſemiduplex) *non variantur antiphonæ, & verſus, ſed dicuntur ut in eodem communi*. Generalem hinc habes regulam in ſimilibus obſervandam tam in antiphonis, quam in verſibus.

DECRETUM VIII. CAP., IN ORDINE CCLXXXVI.

In feſto S. Caroli Borromæi 4. Novembris in primis veſperis pro commemoratione SS. Vitalis, & Agricolæ mm. Antiphona erit *Iſtorum eſt enim* &c. cum verſu *Lætamini in Domino &c.*, & ad laudes ſubſtituetur verſus *Exultent juſti &c.* poſt Antiphonam *Veſtri capilli &c.* S. R. C. 5. Maji 1736. *in Einſidlen.* Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 294.

I. IN primis veſperis, & laudibus S. Caroli Borromæi duæ occurrunt commemorationes faciendæ, una de octava omnium Sanctorum, de SS. Vitale, & Agricola martyribus altera. Cum octava proprias habeat Antiphonas, haud impedit Antiphonas de communi, & prout in communi pro SS. Martyribus uſurpari, non ſic tamen eſt de verſiculis, quorum identitas contingit in laudibus, cum eumdem verſiculum *exultabunt Sancti* utraque commemoratio expoſcat. Etſi ſolum in laudibus eveniret verſiculorum identitas, ad varietatem in verſiculum laudum inducendam, verſiculus veſperarum *Lætamini* ad laudes præſcriptus fuerat adhiberi, & ad veſperas *exultent juſti*; & hoc fortaſſe, quia Rubrica *de comm. num.* 8. ad ponendam varietatem in laudibus, recurrit ad verſiculum primarum veſperarum; poſito autem verſiculo veſperarum *Lætamini* in laudibus, verſiculus laudum *exultabunt Sancti*, quem itidem habet octava, poni non poterat in veſperis, adeoque ad verſiculum aliud communis neceſſe erat confugere. Diſſona viſa eſt, adeoque proſcripta hujuſmodi diſpoſitio, utpote quæ verſum *Lætamini*, qui in veſperis non impeditur, in alterum ſine neceſſitate commutat, & ut in verſum laudum, in quo ſolum contingit identitas, varietatem invehat, ſine ulla neceſſitate etiam in verſum veſperarum mutationem inducit; cum tamen recitato verſu *Lætamini* in veſperis, quibus competit, per ſolam ſubſtitutionem alterius verſiculi in laudibus neceſſitudini bene ibat conſultum, in mutationibus enim, ut ponderat Gavantus *ſect.* 3. *cap.* 11. *num.* 28., ultra neceſſitatem deſæviendum non eſt, ſed prout ſola cogit neceſſitas. Unde memoratæ Rubricæ recurſus intelligendus eſt pro caſu, in quo & in veſperis, & laudibus evenit ipſeitas, in quo bene tollitur per eoſdem verſus, qui jam pro commemoratione fuerunt dici præſcripti.

II. Gavantus ibidem quæſtionem excitat, num ſi ſimul occurrant feſtum 9. lectionum, & ſimplex ejuſdem qualitatis, puta duorum martyrum, & in veſperis pro commemoratione ſimplicis verſus laudum, puta *Juſtus ut palma*, fuerit recitatus, idem verſus laudum adhiberi queat in laudibus pro ejuſdem ſimplicis commemoratione, ſi feſtum 9. lectionum verſum proprium habeat, an adhuc ex 1. veſperis deſumi debeat, ne idem verſus pro eodem ſimplici deſerviat & in veſperis, & in laudibus? Nullam mutationem in verſu ad laudes, in quibus jam varietas habetur, & nihil eſt, quod vetet & in veſperis, & in laudibus pro eodem Sancto eumdem verſum uſurpari, prædictus tuetur Auctor, cujus ſententia conformis apparet Rubricæ *de comm. numer.* 8., quæ in feſto S. Agathæ ad varietatem verſiculorum aſſignat commemorationi S. Mariæ in Sabbato, ſi ſequenti die de ea fit officium, verſiculum *Benedicta tu* ex laudibus, abſque eo quod notet ad laudes in officio S. Mariæ in Sabbato dicendum eſſe verſum *Diffuſa*, qui omiſſus fuit, & aſſignatus eſt primis veſperis S. Mariæ in Sabbato. Nec obeſſe videtur eadem Rubrica, quæ ad effectum variationis invehendæ, vult in laudibus ad veſperas eſſe confugiendum, & e contra, ſupponit

ſiqui-

ſiquidem identitatem & in laudibus, & in veſperis evenire. At quoniam hæc ex conjecturis magis eruuntur, & aliunde per tranſpoſitionem dicuntur eadem, licet diverſo loco, quæ jam dici deberent, & ſatis patens eſt intentio ſequentis Decreti, ut in laudibus, & primis veſperis idem verſus de eodem Sancto minime dicatur, tu in propoſito caſu, aliove ſimili ſubſtitue nihilominus verſum primarum veſperarum, & e contra, & idipſum facito in caſu allegato S. Mariæ in Sabbato. Quod autem de verſu dictum eſt, pari ratione procedit de Antiphona.

III. Eidem Auctori adhæremus magis, quatenus *num.* 29. Antiphonas ad Benedictus de Communi Confeſſorum Pontificum, & non Pontificum facit eſſe diverſas, & unam pro officio, & alteram pro commemoratione poſſe deſervire; ſatis enim illa Pontificum per ea verba *Dicit Dominus* diverſificatur ab illa non Pontificum, quæ eorumdem loco tenet *Intra in gaudium Domini tui*, unde Breviarium ipſum Romanum cum in feſto S. Bonaventuræ pro currenti officio dixiſſet Antiphonam Pontificum, aſſignabat olim Antiphonam non Pontificum pro commemoratione S. Henrici tunc ſimplicis, & eadem die occurrentis.

IV. De verſu *Ora pro nobis* difficilius eſt ſtabilire, num per ſequentia verba puta *S. Auguſtine*, & *S. Dominice* diverſificetur adeo, ut pro officio, & Commemoratione valeat uſurpari. Pro diverſitate faciunt, quæ modo dicta ſunt in diverſitatem præfatarum Antiphonarum, quibus addi poteſt, quod in officio S. Eliſabeth Reginæ Portugalliæ dicitur verſus *ora pro nobis, Beata Eliſabeth*, licet non ſignetur verſum *ora pro nobis, Sancta Dei Genitrix*, in ſuffragio de S. Maria eſſe variandum. Pro identitate ſentit Guyetus *lib. 6. cap. 17. qu. 6.*, cui nos ſubſcribimus, quia alias nunquam variandæ forent orationes, utpote quæ per nominationem reſpectivi Sancti ſemper ſufficienter forent diverſæ, quod eſt contra eamdem Rubricam *de commem. n. 8.*, nonniſi enim per nominationem reſpectivi Sancti verſus cenſeri poſſent diverſi. Par nec eſt ratio de præfatis Antiphonis, quia verba, quæ in fine tenent, nec in ſenſu, nec in materialibus terminis conveniunt, & idipſum fortaſſe eſt de verſu *ora pro nobis, Sancta Dei genitrix*, qui licet in petitionis ſcopo conveniat cum eo S. Eliſabeth, non tamen in materialibus terminis, ut fortaſſe eveniret, ſi cantaret *S. Maria*, utpote quia tunc non diverſificarentur verſus, niſi in Sanctorum nomine, quorum interceſſio imploratur. Cum itaque bis verſus *ora pro nobis* ut ſupra dici deberet, eumdem commuta in alium de reſpectivo communi de eo, de quo commemoratio eſt facienda; & quatenus in memorato caſu S. Eliſabeth, quod non conſulerem, diverſitatem in verſus invehendam eſſe putes, pro S. Maria ad Veſperas dicito *Diffuſa*, & ad laudes *Benedicta tu*, ut habet officium ejuſdem S. Mariæ in Sabbato.

V. Non deſunt Antiphonæ ad Magnificat, vel Benedictus, in quibus de Sanctis, de quibus officium agitur, dicitur *ora pro nobis*, quæque ſibi correſpondentem verſiculum *ora pro nobis*, itidem habent, & quæritur, an recte, vel ſatius ſit eumdem verſum in alterum de communi commutari? Reapſe Antiphona *Sancta Maria*, & verſus *ora pro nobis*, quæ in ſuffragiis pro Deipara dicuntur, nihil obſtare, quominus dicantur, videntur oſtendere, cum in dicta Antiphona eadem ferme deprecatio habeatur. Nos tamen dicendum credimus, quod ſi Antiphona in petitionis ſcopo, & in materialibus fere terminis conveniat cum verſu, nec quid aliud inſertum teneat, atque commixtum, ſatius eſt verſum in alium commutari; ſecus vero, ſi res ita minime ſe habeat, ut aperte deſignat memorata Antiphona *Sancta Maria*, necnon iteratæ preces demonſtrant, quæ omnes eo vergunt, ut interceſſionis ſuffragium Sanctorum, quos precamur, in nos derivet.

VI. In caſu identitatis juxta eamdem Rubricam variationem item patitur Oratio; an autem Oratio *Da quæſumus*, quæ eſt communis S. Liborio, & vigiliæ S. Jacobi Apoſtoli, varianda ſit, quando dicta vigilia anticipatur in Sabbato, affirmat Pittonus *de ſacr. ritib. n. 1213.*, & pro S. Liborio aſſignat orationem *Exaudi*, nec diſſimiliter putat Meratus *ſect. 7. cap. 9. n. 23.*, nos vero variationis neceſſitatem non agnoſcimus, quoniam verba illa, *Quam prævenimus*, quæ habentur in oratione vigiliæ, & deſiderantur in illa S. Liborii, hanc ab illa diverſam eſſe faciunt, exemplo ducto ex iis, quæ ſuperius fuerunt tradita de præfatis Antiphonis Confeſſoris Pontificis, & non Pontificis. Quando vero ob reputatam identitatem varianda foret, nedum in laudibus, in quibus evenit identitas, ſed etiam in primis veſperis oratio variata adhibenda eſſet, cum diſſonum ſit pro eodem feſto diverſam in veſperis ab ea laudum orationem uſurpari.

DECRETUM IX. CAP., IN ORDINE CCLXXXVII.

Quando Antiphonæ, & verſus in Veſperis variandi ſunt pro commemoratione alicujus ſimplicis facienda, *tunc ad Veſperas* Primo accipienda eſt Antiphona cum verſu laudum. Si vero plures ſint commemorationes ſimplicium, tunc ſecunda commemoratio ſumetur ex 2. veſperis cum verſu 2. nocturni; tertia vero commemoratio fiet deſumendo Antiphonam primam ex tertio nocturno cum verſu ejuſdem nocturni *Ad laudes*. Prima commemoratio cum verſu erit propria ex primis veſperis. Secunda commemoratio fiet cum Antiphona tertii nocturni, & verſu aſſignatis jam in primis veſperis. Tertia autem commemoratio fiet deſumendo Antiphonam, & verſum dictos ſecundo loco in primis veſperis, nempe Antiphonam ſecundarum veſperarum, & verſum ſecundi nocturni. S. R. C. 5. Maji 1736. *in Einſidlen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 295.

I. UNiverſim non præſcribitur ordo ſervandus in variatione commemorationum, ſed ſolum pro caſu plurium occurrentium ſimplicium, unde in textu *variandi ſunt pro commemoratione alicujus ſimplicis*, & infra, *ſi vero ſint plures commemorationes ſimplicium*. Et ſermo eſt de ſimplicibus per ſe, non per accidens, his namque diſpoſitio non quadrat, ut infra dicetur.

II. *Tunc ad veſperas primo accipienda eſt Antiphona cum verſu laudum*, & hoc eſt juxta Rubricam *de comm. n. 8.*, quare ſi caſus accidat in confeſſore Pontifice, deſerviet Antiphona *Euge* cum verſu *Juſtum*, Antiphona namque Sacerdos cum verſu *Amavit* dicta ſupponitur in officio. *Secunda commemoratio ſumetur ex 2. veſperis*, & ſic erit Antiphona *Amavit*, non tamen cum ſuo verſu *Juſtum*, qui deſervit pro prima commemoratione, ſed *cum verſu ſecundi nocturni*, ſcilicet *Elegit eum*, ut ordine procedatur, quo verſus in communibus ſunt diſpoſiti. Nos autem monet Gavantus *ſect. 3. cap. 11. n. 31.* præeligi Antiphonas ad magnificat, & benedictus, quia ſunt Antiphonæ nobiliores, tum ratione Canticorum Evangelicorum, tum vicinioris aditus ad orationem. *Tertia vero commemoratio fiet deſumendo Antiphonam primam ex tertio nocturno cum verſu ejuſdem nocturni*, propterea in uſum erit *Domine, iſte Sanctus* cum verſu *Tu es Sacerdos*. Gavantus ibidem ſentit pro prima Antiphona primi nocturni, eique adhæret Meratus *n. 17.*, tu vero a Decreto ne diſcedito, in cujus conſpectu deperit Gavanti auctoritas, in hac re minime culpabilis, utpote qui ſcripſit ante editionem Decreti; non ſic Meratus, qui Decretum in ſuo Indice allegat. Gavanti ratio eſſe potuit, quia ea Antiphona eſt in ordine prima, at in Congregatione prævaluit altera, nempe quia per tertium nocturnum juxta Gavantum ipſum ſignificatur tempus gratiæ, ad quod regulariter attinent Sancti, de quibus commemoratio eſt facienda.

III. *Ad laudes prima commemoratio cum verſu erit propria ex primis Veſperis*, adeoque *Sacerdos* cum verſu *Amavit*, ut allegata diſponit Rubrica, & ut primo ſimplici detur ea Antiphona cum verſu, quam jam ad Veſperas habere debebat, quod per tu *propria* aperte deſignatur. *Secunda commemoratio fiet cum Antiphona tertii nocturni, & verſu aſſignatis jam in primis Veſperis*, nempe *Domine, iſte Sanctus* cum verſu *Tu es Sacerdos*; non autem præſcribuntur Antiphona, & verſus ſecundarum Veſperarum, ne repetatur in laudibus ea Antiphona cum verſu, qui pro eodem jam dicti fuerunt in Veſperis. *Tertia commemoratio fiet deſumendo Antiphonam, & verſum dictos ſecundo loco, nempe Antiphonam ſecundarum Veſperarum, & verſum ſecundi nocturni*, & ſic Antiphonam *Amavit* cum verſu *Elegit*; & hoc eamdem ob cauſam, ſcilicet ad cavendam repetitionem Antiphonæ, & verſus in Veſperis pro eodem dictorum.

IV. Quæ, ut dicebamus, ſolum procedunt pro caſu plurium ſimplicium, quorum nomine, quatenus ad præſens attinet, veniunt etiam ſuffragia, quæ de Patrono, aut Titulo ejuſdem qualitatis fieri deberent; credimus autem pro omni eventu eſſe ſufficienter proviſum, cum vix credibile ſit plures tribus commemorationibus ſimplicium ejuſdem qualitatis poſſe ſimul occurrere. Quod ſi res ſecus foret, quæ inferius tradentur, facile oſtendent, quænam Antiphonæ, & verſus valeant ſubrogari. At quid, ſi præcedentis feſti ejuſdem qualitatis commemoratio facienda foret? Præſcriptus mox frangitur ordo; tunc enim pro præcedenti feſto uſurpanda eſt Antiphona cum verſu ſecundarum Veſperarum, quæ jam in uſum eſſent, ſi de eodem fierent Veſperæ, adeoque erit Antiphona *Amavit* cum verſu *Juſtum*, in reliquis vero minus læde ordinem, quam fieri poteſt, unde pro primo ſimplici deſerviet Antiphona *Euge* cum verſu *Elegit*, quia verſus *Juſtum* jam dictus fuit; pro ſecundo ſimplici *Domine, iſte Sanctus* cum verſu *Tu es Sacerdos*; & ſi adhuc ſimplicium commemorationes ſuperſunt, ſubſtitue Antiphonas, & verſus, de quibus infra dicemus. Ad laudes vero pro primo ſimplici erit Antiphona *Sacerdos* cum verſu *Amavit*, pro ſecundo cum jam aſſignata Antiphona de eodem dicta fuerit in Veſperis, ſubſtitue Antiphonam, quæ eidem aſſignata fuerat pro Veſperis, & fuit ſibi prærepta a commemoratione præcedentis feſti, nempe Antiphonam ſecundarum Veſperarum *Amavit*; verſus vero itidem erit, qui in iiſdem Veſperis dici debebat, nempe verſus ſecundi nocturni *Elegit*, qui licet in Veſperis jam dictus fuerit, non tamen pro ſecundo, ſed primo ſimplici. Pro tertio denique ſimplici ad Decreti tramites remanent Antiphona,

& verſus, qui ſubſtitui poſſunt, nempe prima Antiphona tertii nocturni *Domine iſte Sanctus* cum ſuo verſu *Tu es Sacerdos*, & ideo ad alia confugiendum non erit.

V. Duas jubet breviter expedire quæſtiones, quæ ad rem maxime conferunt, & ſtatuendis viam ſternunt. Prima eſt, undenam ſit deſumenda commemoratio octavæ, quando varianda eſt ob occurrens feſtum ejuſdem qualitatis, aut ſi ejuſdem qualitatis non eſt, reſpectivum commune eaſdem habet Antiphonas, aut verſus, ut tempore paſchali eſt commune Apoſtolorum, & Martyrum?

VI. R. 1. quod ſi die præcedenti actum non ſit de feſto altero ejuſdem qualitatis, de quo propterea facienda ſit commemoratio, in primis veſperis nihil variandum venit, quia jam de feſto dicitur Antiphona cum verſu primarum veſperarum, & octavæ debetur Antiphona cum verſu ſecundarum. Sic tamen non evenit in laudibus, & 2. veſperis, in quibus eædem Antiphonæ cum verſibus, quos expoſcit feſtum, etiam octavæ deberent tribui. Quis fortaſſe putabit in laudibus ſumendam eſſe Antiphonam cum verſu primarum veſperarum, & in ſecundis veſperis Antiphonam laudum cum verſu itidem primarum veſperarum, aut ad varietatem cum eo ſecundi nocturni, quia verſus laudum, cum ſit idem cum verſu ſecundarum veſperarum, jam dicitur in officio; id autem erui videtur ex Rubrica *de comm. n.* 8., quæ in laudibus recurrendam eſſe mandat ad primas veſperas, & in veſperis ad laudes, uti etiam præſens prælat Decretum.

VII. Verum ad præſens Decretum quod attinet, dumtaxat procedere pro caſu ſimplicis ſimul occurrentis, jam ſatis eruitur ex textu. Idipſum eſt de allegata Rubrica; tum quia habet, *ſi Antiphona, & verſus feſti, de quo ſit commemoratio &c.*, dies autem infra octavam in Rubricarum ſenſu vere *feſtum* non eſt. Tum quia tam de Antiphona, quam de verſu mandat, quod *in veſperis ſumantur ex laudibus*; ſi autem in ſecundis veſperis ſumerentur ex laudibus, varietas quidem poneretur in Antiphona, non in verſu, cum verſus laudum ſit idem, ac verſus ſecundarum veſperarum, qui in caſu pro feſto jam dictus fuiſſet. Luce itaque meridiana clarius elucet, quod inibi ſermo eſt de feſto ſimplici, cui eatenus in laudibus adſcribuntur Antiphona, & verſus primarum veſperarum, & in primis veſperis Antiphona, & verſus laudum, quatenus de eo dicantur, ſi non in proprio loco propter impedimentum, ſaltem in diverſo eædem Antiphonæ, & verſus, qui dici deberent, ſi in proprio loco non impedirentur.

VIII. Pateat itaque mens Rubricæ, cum nos ponderamus, quod in utriſque veſperis aſſignatur octavæ Antiphona cum verſu ſecundarum veſperarum, adeoque quod pro variatione inducenda, niſi, & prout neceſſitas cogit, nunquam recurrendum eſt ad Antiphonam primarum veſperarum, quæ pro octava uſurpari haud reperitur indicta, ſed ad Antiphonam ſecundarum, unde in laudibus dicenda erit Antiphona ſecundarum veſperarum, & in ſecundis veſperis Antiphona laudum. Nec refert, quod Antiphona ſecundarum veſperarum itidem pro octava in primis veſperis dicta fuerit, utpote quæ jam pro octava bis nata eſt dici, in utriſque nempe veſperis; in noſtro autem caſu nonniſi bis ſimiliter dicitur, ſcilicet in primis veſperis, & laudibus, & in laudibus loco ſecundarum veſperarum, in quibus impeditur, & a quibus per commemorationem in laudes transfertur. Quoniam vero tam in laudibus, quam in 2. veſperis verſus convenirent cum verſibus feſti, ideo in laudibus, & ſecundis veſperis verſum primarum veſperarum adhiberi conſuleram, quemadmodum idem verſus puta *Juſtum deduxit*, jam & in laudibus, & 2. veſperis deberet deſervire, ſi per verſum feſti impeditus non eſſet.

IX. R. 2. quod ſi die præcedenti actum ſit de feſto ejuſdem qualitatis, ac conſequenter pro hoc adhibenda ſit Antiphona cum verſu ſecundarum veſperarum, pro commemoratione octavæ deſerviet Antiphona laudum cum verſu ſecundi nocturni, cum verſus laudum jam dictus eſſet pro commemoratione, vel in veſperis feſti præcedentis. At quid ſi itidem occurrat feſtum ſimplex ejuſdem qualitatis? Dicito Antiphonam primam cum verſu tertii nocturni?

X. Altera quæſtio eſt, quænam Antiphonæ, & verſus uſurpari debeant pro commemoratione ſimplici per accidens, incidentis in feſtum ejuſdem qualitatis? Cum ſimplex per accidens præ ſimplici per ſe, etiam gaudeat commemoratione in ſecundis veſperis, utique claret, quod ſi incidat in feſtum ejuſdem qualitatis, occurrit identitas Antiphonarum, & verſuum cum officio in utriſque veſperis, & laudibus, ſi in primis veſperis ponatur Antiphona cum verſu laudum, & in laudibus Antiphona cum verſu primarum veſperarum, equidem invehitur varietas in laudibus, & primis veſperis; at quid poſtea præſtabis in ſecundis? Alterutram ex Antiphonis laudum, aut primarum veſperarum repetere, vel aliam ex nocturnis ſubrogare, contra memoratam Rubricam eſſe videtur, quæ ſemper, ſi fieri poteſt, eaſdem Antiphonas, quæ ablato impedimento dici deberent, alio loco præſcribit. Tu itaque in primis veſperis dicito Antiphonam cum verſu ſecundarum veſperarum, in laudibus Antiphonam cum verſu primarum veſperarum, & in ſecundis veſperis Antiphonam laudum cum verſu itidem primarum veſperarum; jam enim vides, quod ſtatim omnes, quæ alias dici deberent, Antiphonas recitas, & ſi iteras verſum primarum veſperarum, non aliud præſtas, quam præclare deberes de verſu laudum, qui & ad laudes, & ad 2. veſperas foret dicendus, quare huic verſui non ſubrogas, niſi verſum primarum veſperarum.

XI. Quod ſi incidat aliquam ex dictis Antiphonis, aut verſibus fuiſſe occupatam per commemorationem digniorem præcedentis, vel ſequentis feſti, aut octavæ, aliam vel aliam ſubſtitue, minus quam fieri poteſt, læſo ordine teneri præſcripto. Idipſum eſt, ſi ſimul occurrat feſtum ſimplex ejuſdem qualitatis; pro minus enim digno ſemper confugietur ad alias Antiphonas, & verſus, digniori, quoad fieri poteſt, reſervatis iis quæ eidem competunt, ut etiam docet Gavantus *ſect.* 3. *cap.* 11. *num.* 30. Quibus non obſtat exemplum Breviarii Romani, quod aliter præſtat in primis veſperis S. Pauli 1. Eremitæ, quoniam id eſt particularis exceptio per illa verba generalis Rubricæ indicata, *niſi aliter ſignetur*, ut in ſimilibus dicebamus in Decreto hujus capitis 6.

XII. Verum quia fere in infinitum percrebeſceret oratio, ſi ad particulares caſus omnes eam vellemus extendere, generalem damus regulam, ut ſerventur ea, quæ a nobis ſuperius tradita ſunt, & quoties aliter fieri ob digniorem commemorationem alteram neceſſitas cogat, ſubſtituantur alia juxta ordinem a Decreto præſcriptum, ita tamen ut de eodem ad laudes nec repetantur, quæ dicta ſunt in veſperis, nec e contra. Quod ſi pro commemorationum multiplicitate antiphonæ deſint, ſubrogentur aliæ duæ tertii nocturni, verſus vero ſumantur ex aliis communibus, qui magis quadrant, cujuſmodi proculdubio ſunt verſus omnes de communi plurimorum Martyrum, & Confeſſorum non Pontificum, ut conſideranti patebit, nihil obſtante, quod in plurali numero vel ſingulari extent concepti propter ea, quæ alibi traduntur, unde & quoties officium ſimul fit de pluribus Confeſſoribus, abſque ulla abſurditate dicitur *Os juſti &c.*

XIII. Quæ diximus de Antiphonis, & verſibus, itidem intellige de ſolo verſu, vel de ſola Antiphona, quatenus alterutra dumtaxat variatione indigeat. Varietas induci & debet in orationibus, deſumendo aliam de reſpectivo communi, & quatenus deſint, de alio omiſſis ſemper iis, quæ non congruunt, & additis, quæ competunt illis, de quibus fit commemoratio, ut to *Martyris*, aut *Pontificis*. Quæ data ſunt in Decr. 19. cap. 1., recolenda ſunt, licet fallant, quatenus ad varietatem orationes Miſſæ uſurpandas edicunt; bene enim ibi, quia aliæ non ſuppetunt orationes, quæ convenire queant, at non bene in caſu noſtro, quia in quolibet communi plurimæ adſunt orationes, vel in aliis communibus, quæ paucis immutatis optime accommodari queunt.

DECRETUM X. CAP., IN ORDINE CCLXXXVIII.

Si occurrat officium novem lectionum de pluribus Sanctis Virginibus, & Martyribus eo die, quo cadit feſtum ſimplex ejuſdem qualitatis, ſervanda eſt pro commemoratione ſimplicis Antiphona *Iſtorum eſt Regnum Cœlorum &c.*, ut in feſto SS. Perpetuæ, & Felicitatis Virginum, & Martyrum. S. R. C. 7. Dec. 1680. *in una Canon. Regul.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 113.

I. PRudentes Virgines in Antiphonam ad Magnificat pro utriſque veſperis, & ad Benedictus in laudibus aſſignat commune Virginum, ſola conditione adhibita, *ſi fuerint plures*: hinc dubium eſt, num locum habeat in ſolo officio Virginum, & Martyrum, an vero etiam in eo Virginum tantum: Pro ſolo officio Virginum, & Martyrum ſtat Oratio, quæ eidem correſpondet antiphonæ; habetur enim in ea *Sanctarum Virginum, & Martyrum &c.* At Rubrica prædicta Virginibus cunctis, *dummodo plures ſint*, indubie favorabilis extat, cum nihil aliud expoſcat, & commune ipſum, quod abſolute *Virginum* inſcribitur, & notat expreſſe, quæ dicenda ſunt, necne, quoties martyres non ſunt, rem extra dubium collocat. Accedit, quod ea Antiphona nihil continet, quod ſolis Virginibus non quadret, quinimmo nonniſi, quatenus Virgines item ſunt, Martyribus competit, & pro non Virginibus uſurpabilis non eſt. Ita etiam videtur ſentire Gavantus *ſect.* 8. *cap.* 4. *num.* 6., & Guyetus *lib.* 3. *cap.* 14. *quæſt.* 4. Nec obſunt, quæ ex oratione fuerunt objecta, in ea ſiquidem poſitum extitit to *Sanctarum Virginum, & Martyrum* ad indicandam orationem, quæ in officio plurium SS. Virginum, & Martyrum dici debet, quæque ratione præferentiæ prius ponenda erat, ſed hinc rite argui nequit accommodari non poſſe, & in eo recitari, quemadmodum etiam per omiſſionem to *Virginum* recitatur die 7. Martii in officio SS. Perpetuæ, & Felicitatis, quæ Virgines non ſunt.

II. Cum itaque nonnunquam occurrat, vel occurrere queat officium novem lectionum de pluribus ſanctis virginibus eo die, quo cadit feſtum ſimplex plurium SS. Virginum, & Martyrum, puta diei 21. Octobris, quo triumphum SS. Urſulæ, & Sociarum univerſa colit Eccleſia; incidit dubitatio, quænam Antiphona dicenda ſit pro ſimplicis commemoratione: Et Congregatio reſpondit antiphonam *Iſtarum eſt enim &c.*, quam Breviarium Romanum die 7. Martii dicendam præſcribit pro commemoratione SS. Perpetuæ, & Felicitatis; hæc enim *pluribus* apte convenit, & licet pro prædictis ſanctis, quæ martyres tantummodo ſunt & non Virgines, ſit efformata, nihil tamen habet, quod virginibus minus ſit conſonum; quare hac eadem de cauſa ſicuti Antiphona *Prudentes Virgines*, in officio plurium Virginum, & Martyrum, quia nihil habet, quod martyrio contrarietur, ratione virginitatis, qua eædem ſimiliter fulgent, locum habere poteſt, ita erit de Antiphona *Iſtarum* relate ad officium plurium SS. Virginum, & Martyrum, utpote quæ nihil in ſe continet, quod virginitati obſtet, & aliunde ratione illorum verborum, *& laverunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni*, iiſdem optime convenit, quatenus martyres ſunt.

III. Quæ

Digitized by Google

III. Quæ licet ita ſint, ſi officium ſimplex ſit Virginum ſimul, & Martyrum, ſecus vero ſi ſit Virginum tantum; ut enim modo dicebamus, verba illa *& laverunt &c.*, ſolis martyribus antiphonam appropriant, redduntque illam virginibus tantum inaplicabilem, ſicut verba illa *Prudentes virgines*, martyribus, quæ virgines non ſunt, antiphonam, quæ incipit *Prudentes virgines*, haudquaquam competere ſinunt. At ſi Antiphona *Iſtarum* adhiberi non poteſt, quænam ad varietatem erit uſurpanda? Ex communi, puta *Veni Sponſa Chriſti*, aliæque. At pleræque ſunt in numero ſingulari conceptæ? Nihil officit; ut enim obſervat Guyetus *lib. 3. cap. 9. quæſt. 3.*, adhuc ſatis pluribus conveniunt, ſi de unaquaque ſeorſim vere enuncientur; unde reapſe in earumdem officio dicuntur antiphonæ *Hæc eſt virgo ſapiens &c.*, *Hæc eſt quæ neſcivit*, aliæque ſimiles, licet itidem ſingularem numerum ſonent.

IV. Tacet Decretum de verſu, ſed cum conſequatur ad Antiphonam, & non minus optime quadret, utique ex eodem feſto verſus *Gloria*, *& honore* deprometur; quatenus tamen etiam verſus variatione indigeat. Oratio *Da nobis*, quæ recitatur in feſto SS. Perpetuæ, & Felicitatis, ſi dicta ſit in officio, utere alia de communi in numero plurali, ut *Deus, qui inter cetera &c.*. Ex quo communi utique deſumendæ itidem forent antiphonæ verſus, & orationes, quoties commemorationes aliæ ejuſdem qualitatis forent faciendæ.

V. In eo, quod Decretum SS. Perpetuam, & Felicitatem nuncupat *Virgines*, mendum eſt in textu, vel ex ſolita Typographorum incuria, vel ex petentium errore facile invectum; Breviarium enim Romanum eas nobis tamquam ſolas martyres proponit, & de Felicitate ſcribit Martyrologium Romanum, quod cum eſſet prægnans, expectata eſt, ut pareret, antequam torqueretur, juxta legem ab Ægyptiis primo latam, & ab iis a Græcis acceptam, tandemque ad Romanos dilapſam, teſte Plutarcho *lib. de his, qui ſero a numine puniuntur cap. 4.*

VI. Quæres, quænam Antiphonæ ad Magnificat, & Benedictus uſurpari debeant in officio plurium Sanctarum Martyrum, ſed non Virginum? Cenſet Guyetus *lib. 3. cap. 14. quæſt. 4.* in uſum eſſe poſſe Antiphonam *Iſtarum*, & verſum *Gloria*, aſſerens non incongruum eſſe in ſimili mutuare, quæ habentur in Breviario Romano. Verum cum commune non Virginum nihil hujuſmodi habeat, & expreſſe demandet officium nihilominus faciendum eſſe, ut ibi ſignatur, ſolaque excipiatur oratio, haud a Rubricis videtur recedendum. Poſt præſens tamen Decretum, quod ut ſupra prædictam Antiphonam, etſi commune Virginum nihil hujuſmodi teneat, pro commemoratione plurium Sanctarum virginum, & martyrum aſſignat, Guyeti ſententia plurimum probabilitatis accepit.

CAPUT XXXIII.

De Commemorationibus communibus, ſeu ſuffragiis Sanctorum.

I. GRadimur ad Commemorationes *communes* dictas, quod non uni, aut alteri officio particulares ſint, ſed cuilibet officio feriali, & ſemiduplici communes, *ſuffragia Sanctorum*, utpote ad horum auxilium implorandum inſtitutæ, & *memoriæ* a Radulpho *prop. 14.*, quod in iiſdem fiat memoria eorumdem Sanctorum. Excluduntur ab Adventu, ut in adventu Principis cedant ſervi; a tempore Paſſionis, ut uni Chriſto in illo tempore, quo ejuſdem repræſentatur paſſio, vacemus; a tempore paſchali, quia cum juxta Joann. *Epiſt. 1. cap. 2.* Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam apud Patrem advocatus noſter factus ſit ſingularis, æquum eſt, quod eo tempore ſpes noſtra ſpecialiter elevetur ad unicum ejus ſingulare refugium; ab officio denique duplici, & ab octavis, ad majorem celebritatem; ceteris vero temporibus in officio feriali, & ſemiduplici, quod non ſit infra octavam, ſemper dicuntur. Recolatur Durandus *lib. 6. cap. 2.*, *& cap. 60.*

II. Fiunt de S. Maria, & de SS. Petro, & Paulo tanquam Patronis totius Eccleſiæ; de Patrono principali loci, & Titulari Eccleſiæ tanquam particularibus Protectoribus; qua de cauſa a Regularibus additur ſuffragium Inſtitutoris, & apud eorumdem aliquos etiam præcipuorum, vel adhuc omnium Sanctorum indigenarum ſub una commemoratione, quod ſcilicet in omnes Ordinis, quem reſpective fundaverunt, aut profeſſi ſunt, protectionem particularem teneant. Ultimo loco fit commemoratio de Pace, quia ultimum, quod expectamus, eſt pax æterna, & quia in pace bona omnia continentur. In officio feriali additur commemoratio de Cruce, de qua in Decreto 1. quod ſuffragium de Cruce excluſis ceteris locum habet toto paſchali tempore in feriali, & ſemiduplici officio extra octavam, ad recolendam ejuſdem Crucis victoriam, a qua reſurrectio ortum habuit. Quæ dedimus in Decr. 14. cap. 3., & in Decr. 13. cap. 24. de ſuffragiis Patroni loci, Titulari Eccleſiæ, Inſtitutoris, & Sanctorum Religionum, ac Titularibus relata ad Beneficiarios pluribus auctos beneficiis, inane eſt repetere.

DECRETUM I. CAP., IN ORDINE CCLXXXIX.

Commemoratio de Cruce ordinaria ſufficit in Eccleſiis dicatis in honorem S. Crucis pro commemoratione Tituli Eccleſiæ. S. R. C. 30. Martii 1621. *in una dubior.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 44.

I. OFficio feriali ultra, & ante alia ſuffragia, Crucis commemorationem aſſignat Rubrica 35. *n. 1.*, cur autem non item officio ſemiduplici, cum a Cruce pendeat noſtra ſalus, miratur Gavantus *ſect. 5. cap. 18. n. 2.*, & fortaſſe id factum aſſerit, quia feſtis, quibus lætitia convenit, haud tamen videtur cruciatuum imago. Potior eſt dubitatio, cur cuicumque alteri ſuffragio, licet digniori, puta SS. Trinitatis, præferri debeat. Gavantus *n. 7.* vult id fieri, quia feriæ indicium eſt; quam rationem approbat Guyetus *lib. 3. cap. 17. quæſt. 11.*, etſi optet, Gavantus eam paulo amplius elucidaſſet. Meratus *n. 4.* carpit Guyetum, quod ipſe alioquin Gavanti rigidus cenſor, in majori lumine eam non collocaverit, additque de ſuo, æquum eſſe, quod eadem præferatur, quia per ſe exigitur ab officio feriali, unde cedere non debet aliis, quæ per accidens ratione Tituli adjunguntur. Optima eſt iſta ratio, a nobis ipſis adhibita, dum præferentiam fecimus commemorationibus S. Joſeph in officio Deſponſationis, & SS. Petri, & Pauli viciſſim in alterutrius officio; uti enim hæ ſpectant tamquam complementum ad officium, quod agitur, ita commemoratio Crucis ad officium feriale; quare ut teneretur dignitatis ordo, eamdem ſeparari non oportuit ab officio feriali.

II. Factum eſt dubium, num in feriali officio ultra hoc Crucis ordinarium ſuffragium addendum foret aliud ratione Tituli in Eccleſiis in honorem S. Crucis erectis, & Congregatio voluit ſufficere ordinarium juxta generalem illam officii regulam, quod de eodem bis fieri non poteſt, officium ſcilicet, & commemoratio, aut duplex commemoratio, ſicuti & generatim, & ſpeciatim tradunt Guyetus *quæſt. 7.*, & Gavantus *num. 7.* Conſonat Sanctio iis, quæ in pari caſu de ſolito ſuffragio S. Mariæ definita ſunt, ut infra apparebit, necnon iis, quæ de SS. Nomine B. Mariæ definita ſunt, ut infra apparebit, necnon iis, quæ de SS. Nomine B. Mariæ, & de Feſto 7. Dolorum ſtatuta fuerunt, & a nobis alibi expoſita.

III. At ſi in officio feriali ceſſat ſuffragium Tituli Crucis ratione ordinarii, quod in eodem fit, non ceſſabit tamen in officio ſemiduplici, in quo cum locum non habeat ſuffragium ordinarium, locum acquirit ſuffragium Tituli, quod a Rubricis non minus manet præſcriptum. Sed faciendumne erit cum præferentia ad alia ſuffragia digniora? Guyetus *quæſt. 11.* caſum reputat impoſſibilem, eo quod una, eademque Eccleſia, etſi pluribus ſit dicata, de uno ſolum, & principaliori Titulari ſuffragium facere poteſt, quare ſi ratione Tituli addit ſuffragium Crucis, nullum aliud dignius addere valet. Ita quidem, ſed quia in Decr. 14. cap. 3. vi conſuetudinis Bulla Piana antiquioris ſervari poſſe diximus pluralitatem ſuffragiorum de diverſis Titulis, & inſuper de Patrono loci, in quem Chriſtum, reſque ad eumdem attinentes aſſumi poſſe in præliminaribus cap. 2. probabiliter tuiti fuimus, ſuffragium indiximus, caſus non remanet impoſſibilis, & ideo in caſu ordinem dignitatis arbitramur eſſe cuſtodiendum, cum ſuperius allegata ratio ſuffragio Crucis non amplius opituletur.

IV. Quod ſi in officio feriali ſufficit ordinarium Crucis ſuffragium, in uſum erunt antiphona, verſus, & oratio, quæ pro ordinatio aſſignantur, etiam in Eccleſiis S. Crucis; an autem itidem extra officium feriale? Guyetus *quæſt. 7.* non improbat adhiberi antiphonas, & verſus ex laudibus, & 2. veſperis Exaltationis S. Crucis. Tu tamen ab ordinario, quod pro communi ſuffragio aptius fortaſſe quadrat, nequaquam diſcedito, ſicuti ordinarium S. Mariæ communiter uſurpatur, & ſtatutum eſt adhiberi in Eccleſiis ſub quocumque titulo eidem dicatis.

DECRETUM II. CAPITIS, IN ORDINE CCXC.

Commemoratio ordinaria de Cruce non ſufficit in Eccleſiis dicatis in honorem SS. Salvatoris pro commemoratione Tituli Eccleſiæ. S. R. C. 23. Aug. 1704. *in una Camaldulen.* ex Merato ſect. 5. cap. 18. num. 5.

I. GAvantus *ſect. 5. cap. 18. num. 7.*, & Guyetus *lib. 3. cap. 17. quæſt. 7.* putarunt in Eccleſiis SS. Salvatoris, & Redemptoris ſufficere ſuffragium Crucis ordinarium, quia cum ſuffragium Crucis ſit de eodem Chriſto, alias bina de eodem commemoratio haberetur. Addit Halden *par. 2. tit. 1. n. 4.*, quod commemoratio Crucis etiam pro quibuſcumque aliis Titulis ad Chriſtum attinentibus, puta Transfigurationis, deſervit, ſicuti una de S. Maria deſervit pro omnibus ejuſdem titulis. At nimis iſte progreditur Auctor; uti enim feſta Chriſti ad differentiam illorum de Sanctis, non reſpuunt commemorationem aliorum Chriſti feſtorum, niſi quoties feſta forent de Chriſto juxta eumdem reſpectum, & rationem, unde feſtum Aſcenſionis non reſpuit commemorationem Inventionis S. Crucis, & feſtum SS. Nominis Jeſu præcedentis octavæ Epiphaniæ, ita nec ſuffragium de uno expellet ſuffragium alterius. Indubium itaque ſit, quod ſuffragium illorum titulorum Chriſti, quorum feſta admitterent commemorationem feſti Crucis, etiam ſuffragium Crucis compatitur, & ſolum dubitatio manet de ſuffragiis SS.

Redemptoris, & Salvatoris, quæ illi de Cruce æquipollere videntur, quia Chriſtus nonniſi media Cruce mundum redemit, atque ſalvavit. At quoniam etſi Crux fuerit inſtrumentum noſtræ ſalutis, & redemptionis, non reſpicit immediate, uti *Redemptoris*, *&* *Salvatoris* tituli, ſed ſolum mediate Chriſtum, qui medio eo inſtrumento operatus eſt ſalutem noſtram, & redemptionem, idcirco proſcriptis ſententiis Gavanti, & Guyeti Congregatio merito præſcripſit ultra ordinariam Crucis commemorationem, illam SS. Salvatoris, & Redemptoris in Eccleſiis ſub his titulis erectis.

DECRETUM III. CAPITIS, IN ORDINE CCXCI.

Commemoratio S. Mariæ in ſuffragiis Sanctorum debet fieri in Eccleſiis eidem dicatis, etiamſi ejus officium parvum in choro recitatum fuerit. S. R. C. 10. Januat. 1624. *in Bononien.*, & 13. Junii 1682. *in una Ord. S. Franc.*, necnon 10. Junii 1690. *in una Ordin. Minor. Obſerv. S. Franc.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 15.

I. COmmemorationem S. Mariæ ſilendam eſſe inter Sanctorum ſuffragia, quando in choro dicitur officium parvum ejuſdem, expreſſa Rubrica eſt 35. *num.* 4., an autem ſileri & debeat in Eccleſiis eidem dicatis, negative Congregatio reponit in præſenti Sanctione, quam duabus aliis in textu obſervamus confirmatam; nobis autem liceat addere duas alias, quas hoc comprehendit Decretum, quod erit 4. cap., in ord. 292. *In Eccleſiis Titularibus B. M. V. inter Sanctorum ſuffragia facienda eſt commemoratio de B. M. V., non obſtante quod in Choro recitetur ejuſdem officium parvum.* S. R. C. 17. *Junii* 1684. *in una urbis*, *&* 14. *Aug.* 1691. *in Romana dubior, apud Meratum in Indice Decr. Brev. n.* 151. In Eccleſiis B. Mariæ dicatis ex duplici capite ejuſdem ſuffragium venit addendum, ratione ſcilicet generalis patrocinii, quod de univerſali gerit Eccleſia, & cauſa particularis protectionis, ſeu Tituli, ſub qua quieſcit, & ſub quo inſcripta eſt particularis Eccleſia illa. Dubium non eſt, quod laudata Rubrica diſponit de generali B. Mariæ commemoratione, & pro hac ſupplere decernit obſequium illud generale, & commune, quod eidem per officium parvum exhibetur; at non cogitavit de commemoratione ejuſdem tanquam Titularis debita, & particulari, quæ cum vi alterius Rubricæ in præcepto ſit conſtituta, integrum jus ſuum ſervat, quod per generale obſequium illud minime deperit. Deperit quidem, quoties generalis fit, ne agatur bina commemoratio de eadem Deipara; at neceſſe non eſt, deperear, dum officium parvum dicitur, quod cum officio divino omnino extraneum ſit, utique non ſequitur in eadem parte officii divini bis agi de eadem Deipara. Bene itaque per obſequium generale, quod Mariæ per officium parvum exhibetur, exiſtimatum extitit ſuppletam iri poſſe commemorationem ejuſdem generalem, at non particularem Tituli, quæ particulari ratione eidem reperitur debita.

II. Opinio fuit Gavanti *ſect.* 5. *cap.* 18. *n.* 3., privatum recitantem officium parvum, teneri ad commemorationem generalem S. Mariæ, perinde ac ſi illud minime recitaret; hanc tamen conditionem adjicit, *niſi recitet ratione Chori*, quæ dupliciter valet intelligi, videlicet quando quis adſcriptus choro, tempore abſentiæ illud recitat, ut choro ſuæ Eccleſiæ conformetur, vel ſi privatim recitans, intentionem habeat illud recitandi, perinde ac fit in choro ab iis, qui eidem interſunt. Guyetus *lib.* 3. *cap.* 17. *q.* 13. privatim ut ſupra recitantem, ab onere dictæ commemorationis abſolute liberat, & bene, quia Rubrica 35. *n.* 4. univerſim ſilendam eamdem eſſe docet, *quando dicitur ejus officium parvum*, nec addit *in Choro*, nec *ratione chori*, quare non videtur, cur liber cenſeri non debeat, qui privatim recitat officium parvum, quod licet extra chorum non ſit demandatum, *poſſe tamen dici pro temporis opportunitate* eadem nos monet Rubrica. Quod tamen limita in adſcriptis Eccleſiæ Titulari S. Mariæ, nam ſi non obſtante eodem officio parvo, chorus dictæ Eccleſiæ tenetur commemorationem agere de Sancta Maria tanquam Titulari, utique & privatim recitans.

III. Succedat quæſtio alia, num videlicet ex propria devotione privatum, vel in choro recitans idem officium parvum, a dicta commemoratione cenſeatur immunis, vel ſolum quando idem officium juxta Rubrica recurrit? R. ſemper dictæ ceſſare onus commemorationis, a qua allegata Rubrica abſolute liberat, *quando dicitur ejus officium parvum*, nec habet clauſulam, *ſi juxta Rubricas recurrat*. Qua de cauſa etiam illas ex Eccleſiis cenſemus liberas, quæ ratione ſanctæ conſuetudinis ad dictum fortaſſe recitandum tenentur officium etiam in ſemiduplicibus, & Dominicis. Rite autem nos monet Gavantus ad effectum prædictæ commemorationis omittendæ haud expoſci, quod officium parvum intermiſceatur officio diei, quia nihil hujuſmodi exquirit Rubrica, ſed ſolum, quod idem recitetur officium, & quando etiam hoc contenderetur neceſſarium, quia ad Rubricæ tramites ita dici debet, adhuc dum ſeparatim dicitur, cum unum in ordine ad aliud dicatur, jam ex ſe ſuo ſe aptat loco.

IV. Quæſtio alia eſt, num adſcriptus choro alicujus Eccleſiæ, in qua ratione officii parvi dicta ceſſat commemoratio, hanc agere debeat, ſi ipſe extra chorum privatim recitans, officium parvum minime recitet? Et certum eſt, quod abſens a choro, dum recitatur officium parvum, ſe cum choro conformare debet in omiſſione dictæ commemorationis, ſi choro interſit, dum officium divinum recitatur, abſque eo quod teneatur privatim eamdem ſupplere commemorationem, pro eodem in hoc caſu choro etiam ſupplente. Uniformitas cum proprio choro idipſum expoſcere videtur, dum officium divinum extra chorum privatim recitatur, & quod chorus itidem ſupplere queat; hoc tamen limita, ad eos, qui per accidens, aut una, vel altera vice a choro abſunt, non autem qui per multum temporis, aut coadjutores habent.

DECRETUM V. CAPITIS, IN ORDINE CCXCIII.

In Eccleſiis B. M. V. ſub quocumque titulo dicatis, in feriali officio debet fieri commemoratio de eadem S. Maria tanquam de Titulari, etiamſi ejuſdem officium parvum in choro fuerit recitatum. S. R. C. 23. Aprilis 1695. *in Foſſanen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 189.

I. UTI officium parvum perimere aptum natum eſt generale ſuffragium S. Mariæ, ita viſum eſt idoneum ſupplere commemorationem, quæ de eadem tamquam Titulari in propriis Eccleſiis fieri deberet, quoties hæ S. Mariam abſolute, & ſimpliciter in Titularem habent, aut ſub ratione aliqua, quæ juxta dicta in Decr. 6. cap. 2. in eamdem tandem ſimpliciter ſumptam collineat, præcedentibus Decretis, quæ nihilominus ſuffragium mandant, acceptis de Eccleſiis ſub particulari ratione, puta Conceptionis, vel Purificationis, Deiparæ dicatis, pro quibus titulis generale officii parvi obſequium minus aptum ſatisfacere videtur. Verum Eccleſiis *ſub quocumque titulo*, adeoque etiam S. Mariæ abſolute dicatis, non obſtante recitatione officii parvi ſuffragium de S. Maria, tanquam Titulari committitur; etſi enim hi tituli, quatenus Deiparam abſolute, & ſimpliciter, & non ſub ratione ſpeciali aliqua inſpiciunt, particulares non ſint, & generici appareant, quia tamen B. Mariam non minus, ac reliqui cuncti, conſtituunt in particularem Patronam Eccleſiæ, quam intitulant, proculdubio non minus particulares ſunt, adeoque non minus quoque inepti, quibus ſatisfieri queat per officium parvum, quod tanquam generale obſequium perimere ſolum conſtiturum eſt ſuffragium generale B. Mariæ tanquam Patronæ totius Eccleſiæ.

DECRETUM VI. CAPITIS, IN ORDINE CCXCIV.

Pro ſuffragio B. Mariæ in Eccleſiis eidem dicatis ſub quocumque titulo, ſive Aſſumptionis, ſive Conceptionis &c., ſufficit conſueta Antiphona *Sancta Maria ſuccurre miſeris &c.* S. R. C. 23. April. 1695. *in Foſſanen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 190.

I. BInam commemorationem de eodem, licet ſub diverſis reſpectibus, & rationibus inſpecto, ſimul fieri non poſſe, ex generali regula, quæ ſolum in feſtis Domini fallit, in hoc, & præcedenti capitibus, & alibi non ſemel diximus, quare dubium non eſt, quod ultra commune ſuffragium, quod per conſuetam Antiphonam *Sancta Maria* Deiparæ exhibetur, addendum aliud non eſt, ubi eadem eſt Titularis ſub quocumque titulo. Cur magis in uſum ſit Antiphona *Sancta Maria*, & non Antiphona ex feſto, in qua recolitur particularis ratio Tituli, fit dubium; at *communes* ſunt commemorationes iſtæ, unde in iiſdem *communia* ſatius adhibentur, quinimmo quæ in feſto uſurpantur, perſæpe non quadrant, & in alia neceſſe eſt mutari, vel nonnulla omitti. Antiphona autem *Sancta Maria* cum Deiparam abſolute reſpiciat, nec quid in ſe habeat, quod particularibus rationibus, ſub quibus Titularis eſſe poteſt, minus ſit conſonum, & in ea exoretur admodum appoſite validum ejuſdem patrocinium, haud dubie rite delecta extitit pro commemoratione quorumcumque Titulorum. Hinc Gavantus *ſect.* 5. *cap.* 18. *n.* 7., & Guyetus *lib.* 3. *cap.* 17. *q.* 8. in uſum eſſe volunt ſuffragium *Petrus Apoſtolus* in Eccleſiis SS. Petro, & Paulo, aut alterutri dicatis, & quidem tametſi ſub particulari ratione aliqua, puta S. Petri ad Vincula, Converſionis S. Pauli &c. iiſdem dedicatæ forent. Quæ licet ita eſſe putemus in feſtis, quæ jam inter ſuffragia proprium habent, non tamen probamus ſententiam Guyeti, qui exceptis Eccleſiis ſub titulo S. Joannis ante portam latinam, & Decollationis S. Joannis Baptiſtæ, in quibus ex feſto ſuffragium proprium depromi autumat, in ceteris omnibus aſſerit ſuffragium faciendum eſſe, perinde ac ſi Eccleſia abſolute Sancto dedicata foret, nos enim conſultius eſſe credimus ſuffragium peti ex feſto, ſi Antiphonas, quæ quadrent, aut facile accommodari queant, habeat, ut ſuffragium undequaque apte conveniat nedum ſubjecto, quod Titulus eſt, ſed etiam rationi illi, ſub qua eſt Titulus, nec aliam videmus poſſe eſſe cauſam, ob quam in duobus aſſertis caſibus S. Joannis ante portam latinam, & Decollationis S. Joannis Baptiſtæ ex reſpectivis feſtis deſumi debeat.

II. Sit autem generalis regula, ut pro ſuffragio ad laudes ſumatur Antiphona cum verſu ad Benedictus, & ad veſperas Antiphona cum verſu ſecundarum veſperarum ad Magnificat, ſi feſtum, de quo faciendum eſt ſuffragium, proprium habet officium, & ex hoc ſuffragium deſumi cogat neceſſitas, vel ut colatur particularis ratio Tituli, aut deficiat commune aliquod, quod appoſite valeat deſervire, extra hos enim caſus ſatius nos adjudicamus ex reſpectivo communi peti ſuffragium, quia plerumque propria, quæ uſurpantur in feſto, pluribus de cauſis minus apta cenſentur inter ſuffragia recitari. Quoties propria ex feſto hunc ad effectum deſumuntur. Antiphonæ ad Benedictus, & ad Magnificat ſecundarum veſperatum cum ſuis reſpectivis verſibus deſerviant, quia ut belle ponderat Gavantus *num.* 10., ſuffragium eſt quaſi

repeti-

repetitio feſti per annum, unde inſtar dierum infra octavas, quæ itidem ſunt repetitio feſti, Antiphonas, & verſus ut ſupra debet habere. Secus vero eſt, ſi depromantur ex communi, ne ob occurrentiam feſtorum ejuſdem qualitatis, Antiphonarum, & verſuum frequens mutatio ad varietatem inducendam fieri debeat. In hoc itaque caſu potius conſulimus Antiphonas aliquas, quæ magis quadrant, ex nocturnis, aut ex laudibus cum verſu ſecundi, & tertii nocturni uſurpare, & nihil eſt, quod vetet, eamdem Antiphonam, & verſum ad Benedictus, & Magnificat adhiberi, cum id ſimiliter præſtet Breviarium Romanum circa ſuffragium Deiparæ; quod enim dicunt nonnulli, Antiphonas aliquas, etiam proprio arbitrio, aut ſine Congregationis conſenſu efformatas, ſubſtitui poſſe, nos approbare non poſſumus, pluribus a Decretis inſtructi, in officio divino nihil, vel minimum apponi, vel miſceri poſſe, quod non fuerit a Sacra Congregatione approbatum. Non adeo tamen reluctaremur, ſi quis ex alio communi mutuaret Antiphonas, aut verſus, dummodo Sancto apte conveniant, quia ſunt ex approbatis dici in officio divino.

III. Cum propria ex feſto depromuntur, communiter Auctores aſſerunt, vocem *hodie*, aliamve ſimilem, ſi adſit, eſſe omittendam, uti & in collecta vocem *Natalitia*, *vel feſtivitatem* in *commemorationem* eſſe immutandam, aut prout magis licuerit, accommodandam, ne falſa enuntientur. Ceterum licet & nos ipſi ita faciendum eſſe putemus, haud tamen arbitramur per præfatas voces falſum iri enuntiatum, quia ut ſcite monet Suarez *de Sacrif. Miſſæ qu.* 83. *art.* 2. *diſp.* 80. *ſect.* 4., quandoque præſentia referuntur ad præterita; & ſane quando feſta ratione translationis extra proprium diem celebrantur, voces illæ abſque ulla abſurditate uſurpantur, & circa meridiem celebrantes, nihilominus in prima Miſſa Natalis Domini dicunt *Hanc noctem*.

DECRETUM VII. CAP., IN ORDINE CCXCV.

Si contingat fieri officium de feſto ſemiduplici in vigilia omnium Sanctorum, non obſtante commemoratione vigiliæ debent in laudibus fieri ſuffragia communia. In Miſſa tamen non debet dici oratio *A cunctis*. S. R. C. 21. Junii 1710. *in una Cappuccin. Provincia Lugdunen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 344.

I. Dubium non eſt, quod feſtum ſemiduplex per annum extra octavam occurrens, patitur Sanctorum ſuffragia, quare nec dubium eſſe poteſt, quod etiam in vigilia omnium Sanctorum ex ſe aptum eſt eadem ſuſcipere. Difficultas reſtringitur, an impediantur ratione commemorationis vigiliæ, in qua utpote in memoriam omnium Sanctorum inſtituta, etiam manent comprehenſi Sancti illi, de quibus ſuffragia ſunt facienda, quemadmodum alibi diximus inter ſuffragia locum non habere commemorationem illius, de quo fit officium, aut commemoratio in officio. Itidem ſuffragiis non obſtare prædictæ commemorationem vigiliæ nos edocet Sanctio, & conſonat Decreto 3. præcedentis capitis, in quo vidimus feſtum, & octavam omnium Sanctorum haud reſpuere commemorationes particularium Sanctorum; ſi autem has patitur feſtum omnium Sanctorum, utique & eorumdem vigilia. Etſi & feſtum ſemiduplex ſit de Sancto ex comprehenſis in omnibus Sanctis, petitio difficultatem non reperit in eo admittendo in vigilia omnium Sanctorum, cujus propterea commemorationem illius officio obſtare non autumat, ad id fortaſſe inducta ab octava omnium Sanctorum, infra quam Sanctorum officia inſpicit celebrari cum commemoratione octavæ. At cum hæc octava non minus admittat commemorationes particularium Sanctorum, utique non minus inſtruitur, particularia ſuffragia a prædicta vigilia non abigi?

II. Quærunt Gavantus *ſect.* 5. *cap.* 18. *num.* 9., & Guyetus *lib.* 3. *cap.* 17. *qu.* 11., num in Eccleſia omnibus Sanctis dicata, horum ſuffragium recuſet ſuffragia ceterorum, eo quod hi in illis cenſentur incluſi; reſpondent negative, quia ſuffragia particularia, qualia ſunt ea de B. V., & de Apoſtolis, a generalibus, uti eſt illud omnium Sanctorum, minime depelluntur; etſi enim ſuffragia S. Mariæ, & Apoſtolorum inter commemorationes communes rejiciantur, & ſic denominentur, communes tamen non ſunt, nec dicuntur, niſi quatenus locum habent in quolibet officio, quod duplex non ſit, extra octavam, & nonnulla tempora, non autem quoad ſubjectum, quo pacto particulares ſunt, & de particularibus Sanctis agunt. Statim autem jam perſpicis, quod hoc ipſo etiam commemoratio vigiliæ omnium Sanctorum non reſpuit particularia ſuffragia Sanctorum, ſicut horum particularia officia, & commemorationes minime pellit. Et quidem præfata ſuffragia non minus ac officium, & commemorationes aliæ loco officii ſubſtitutæ particularia cenſentur, utpote quæ non minus locum non habent, quoties fit officium, vel commemoratio de eo, de quo ipſa ſunt, ut in officio S. Mariæ ſuffragium ejuſdem. Idipſum eſt, ſi probetur bina ratio altera, qua utitur Gavantus, nempe de eodem binam haberi poſſe mentionem, ſemel aperte, & ſemel latenter, aut commemorationem vigiliæ omnium Sanctorum intelligi poſſe cum excluſione illorum, de quibus fit officium, aut ſpecialis commemoratio, vel ſuffragium. Hæc autem omnia pari ratione evincunt a prædicta vigilia non excludi ſuffragia, quoties officium fit de eadem.

III. Gavantus *tom.* 1. *par.* 4. *tit.* 5. *num.* 15., quod in collecta ſexageſimæ S. Paulus, non expreſſo, ſed occultiori nomine, nempe *Doctoris gentium* nominetur, aut dumtaxat cauſa ſtationis, quæ ea die eſt ad ejuſdem Eccleſiam, non ratione officii, aut commemorationis, vel alicujus votivi, non relegat ab officio ſuffragium ejuſdem; & idipſum præſtat in feria 5. poſt Dominicam 3. Quadrageſimæ de SS. Coſma, & Damiano relate ad propriam Eccleſiam, licet expreſſo nomine, ſed tamen ratione ſolius ſtationis, in collecta habeantur, ad quod indicandum in priori caſu nomen *Apoſtoli*, in poſteriori illud *Martyrum* Rubricam conſulto tacuiſſe arbitratur. Guyetus *quæſt.* 13. ſtationis titulum aperte reprobat, & ideo in propoſito caſu ſuffragium SS. Coſmæ, & Damiani non reluctatur fieri, ſecus vero in ſexageſima ſuffragium S. Pauli, quod hujus latenter tantum mentio fiat in oratione. Verum ſi non probetur ſtationis titulus, utique & ruit, quod additur de latenti mentione; in oratione enim Inventionis S. Stephani ſimpliciter habetur: *Quia ejus inventionem celebramus, qui novit etiam pro perſecutoribus exorare &c.*, & in ea S. Calliſti: *Ad amorem tuum nos miſericorditer per Sanctorum tuorum exemplo reſtaura*; quibus in verbis nec expreſſo nomine habentur Sancti, nec eorumdem exprimitur qualitas Martyris, & Pontificis; & tamen quis adeo deſiperet, ut in hiſce officiis admitteret eorumdem ſuffragia, puta in Eccleſia S. Stephano dicata? Sane autem in adductis collectis occultiori nomine veniunt SS. Stephanus, & Calliſtus, quam in illis SS. Coſmas, & Damianus, qui expreſſo nomine, licet ſine additione *Martyrum*, indicantur, ac S. Paulus, qui per vocabulum *Doctoris gentium* in communi acceptione ſatis intelligitur expreſſus. Regula igitur illa de bis non agendo de eodem, inconcuſſa ſtat in officio, commemoratione, vel aliquo votivo, etſi dumtaxat latenter nominetur, ſecus vero ſi ratione ſtationis in collecta invectus exiſtat, quantumvis in hac expreſſo nomine, & qualitate haberetur.

IV. Hinc habes indubie cæcutire Pittonum, dum *tom.* 2. *de oct. num.* 1182. in vigilia omnium Sanctorum admittit in Eccleſia iiſdem dicata fieri particulare eorumdem ſuffragium; nonne officium, & commemoratio, aut duplex commemoratio hoc ipſo fieret de omnibus Sanctis, cum tam officium, quam ſuffragium ſit de iiſdem Sanctis omnibus? Dices, quod in collecta vigiliæ Sancti omnes diſerte non maneant expreſſi. At quando ſpecialis expreſſio ad expellendum ſuffragium neceſſaria foret, nonne ea verba, *& quorum prævenimus glorioſa ſolemnia*, illos ſatis exprimerent? Si hæc verba cenſentur valida ad deſignandos Sanctos, de quibus officium agitur, quomodo non erunt valida ad depellendum ſuffragium illorum, quorum officium ſufficienter indicant?

V. Infer 2. in vigiliis Patroni, aut Titularis Eccleſiæ, vel Fundatoris Religionis, eorum officiis votivis, inventionis, translationis &c., quæ de iiſdem ſub ritu ſemiduplici celebrarentur, eſſe omittenda eorumdem ſuffragia, ut cum Rubriciſtis omnibus tradunt Gavantus *ſect.* 5. *cap.* 18. *num.* 14., & Guyetus *lib.* 3. *cap.* 17. *quæſt.* 13., & quidem tametſi eorumdem nomina in collectis non exprimerentur.

VI. *In Miſſa tamen*, ſubdit Decretum, *non debet dici oratio A cunctis*. Mendum eſt in textu, & legi debet, *In Miſſa tamen non debet dici oratio de Spiritu Sancto, ſed A cunctis*, ut in Indice Miſſalis n. 630. ſub his terminis Decretum refert Meratus iiſdem die, & anno, & in eadem Cappuccinorum editum: *In Vigilia omnium Sanctorum ſi occurrat dici Miſſa de feſto ſemiduplici, poſt orationem vigiliæ tertia oratio erit A cunctis, non vero de Spiritu Sancto*. Oratio *A cunctis* correſpondet ſuffragiis officii, & in Miſſa de feſto ſemiduplici dici a Rubricis præſcribitur, quoties illa in officio locum habent, tempore ab octava Epiphaniæ ad Purificationem dumtaxat excepto, quare videre non eſt, cur dici non debeat in Miſſa feſti ſemiduplicis incidentis in vigilia omnium Sanctorum; orationes enim Miſſæ de feſto debent eſſe, quas feſtum expoſcit, non quas Miſſa vigiliæ, quæ vacat, & in Miſſa feſti ſolam habet commemorationem.

DECRETUM VIII. CAP., IN ORDINE CCXCVI.

In commemorationibus communibus, ſeu ſuffragiis Sanctorum per annum, dum fit de aliquo Sancto, cujus antiphona habet in fine *Alleluja*, debet hæc recitari cum *Alleluja*, ſi contineat verba, quibus exprimatur gaudium, victoria, & ſimilia; alioquin *Alleluja* omittatur. S. R. C. 29. Novembris 1738. ex Regeſtis ejuſdem S. R. C.

I. Vox *Alleluja* adeo propria non eſt paſchalis temporis, ut extra illud non etiam dicatur quotidie in principio horarum, habeatur, etiam cum geminatione, in pluribus feſtis ſolemnioribus, & nonnullis antiphonis adhuc Communium Sanctorum adjuncta inveniatur. Nunc deciditur, quod ſi Antiphona, quæ pro ſuffragiis Sanctorum aſſumitur, in fine habeat *Alleluja*, cum *Alleluja* recitari debet, ſi contineat verba, quibus exprimatur gaudium, victoria, & ſimilia; tunc ſiquidem *Alleluja* quadrat apposite iis, quæ dicta ſunt, eſtque veluti pars completiva ipſius antiphonæ. Quod tamen

limita pro tempore a Septuageſima ad Paſcha, quo juxta Rubricas ſiletur *Alleluja*, ubicumque habeatur. Alioquin, ſubdit Decretum, *Alleluja* omittatur, videlicet puta ſi *Alleluja* antiphonæ adjunctum habeantur vel ratione temporis paſchalis, intra quod feſtum recurrit, aut ratione ſolemnitatis feſti, vel alia de cauſa, quæ pro ſuffragiis non militat.

II. Hinc v. gr. Eccleſiæ, quæ pro Titulo haberent Epiphaniam, aut Dominicam Aſcenſionem, cum harum antiphonæ exprimant reſpective gaudium, triumphum, & victoriam, vox *Alleluja* retinenda foret. Idipſum a fortiori eſt de Dominica Nativitate, ſecus de Pentecoſte, & Corpore Chriſti, & de hujus Transfiguratione ſaltem quoad antiphonam ad Benedictus, quantum enim ad illam ad Magnificat, in qua Diſcipuli a concepto timore excitantur, ad rem admodum videtur appoſita. Inventionis S. Crucis utraque antiphona, utpote in qua triumphus Chriſti exprimitur, vocem *Alleluja* retinere deberet, ſed cum in feſto Exaltationis eadem Antiphona ad Benedictus ſine ea voce habeatur, eadem vox ratione temporis noſcitur invecta; quod & lubet credere de antiphona ad Magnificat. Idem eſto judicium de antiphonis SS. Philippi, & Jacobi, & Joannis ante portam latinam, & ideo in omnibus, uti & in antiphona Exaltationis, in qua ſolemnitatis cauſa videtur poſita, vox *Alleluja* erit ſilenda. Idipſum præſta in antiphonis Communis Apoſtolorum, & propriis aliorum Sanctorum univerſalis Eccleſiæ, uti Deiparæ, Luciæ, Thomæ, Michaelis (niſi forte ad Benedictus) ſicuti & in Sanctis particularium locorum, niſi in quibus verba ut ſupra in Decreto habentur. In dubio liberalior eſto in omiſſione, & ubi pluries ea vox habetur, ſemel tantum eam dicito, & a verſiculis ſemper remove, nam iteratio, & dicta additio paſchalis temporis propria eſt, vel ſolemnitatem notat.

R. P. JOANNIS MICHAELIS

CAVALIERI

BERGOMATIS

ORD. EREMIT. SANCTI AUGUSTINI CONGR. OBSERV. LOMB.

SACRÆ THEOLOGIÆ LECTORIS EMERITI

OPERA OMNIA

LITURGICA,

SEU

COMMENTARIA

In authentica Sacræ Rituum Congregationis Decreta ad Romanum præſertim Breviarium, Miſſale, & Rituale quomodolibet attinentia

QUINQUE TOMIS COMPREHENSA.

EDITIO NOVISSIMA

Ab Auctore curis poſthumis aucta, & emendata, atque integro Tomo ex manuſcriptis ejus ſchedis nunc primum collecto locupletata.

TOMI SECUNDI

PARS SECUNDA.

BASSANI, MDCCLXXVIII.

SED PROSTANT

VENETIIS APUD REMONDINI.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

CAPUT XXXIV.

De Matutino, & partibus ejus.

AN vigiliæ nocturnæ, quarum nomine nunc Matutinum venit, ſint hora canonica diſtincta a laudibus, diſſident Auctores a quorum aliqui affirmant, inficiantur alii, & ſunt, qui media via incedentes, illas a laudibus diſtinguunt, ſi attendatur primaria inſtitutio, & antiquus uſus, qui vigilias nocturnas ſeparabat a laudibus, & a propria oratione concludebat, ſecus vero, ſi communis poſterior inſpiciatur Eccleſiæ uſus, qui laudes cum Matutino jungit, & ſub una oratione abſolvit. Perſicus *de hor. can. cap.* 1. *dub.* 3. *num.* 8. ſcite rem ita concludit, quod ſi quæſtio inſtituatur ſimpliciter, & abſolute, abſtrahendo ab uſu præſenti, & antiquo, & rem inſpiciendo per ſe, & ſecundum propriam naturam, & inſtitutionem, vigiliæ nocturnæ ſunt hora diſtincta a laudibus, quæ propterea adhuc habent proprium initium, ſcilicet *Deus in adjutorium*, licet per accidens, quod naturam non immutat, nunc illæ oratione non claudantur. Ad rem apprime facit cap. *Presbyter* 91. ubi enumerantur ſemper horæ canonicæ diurnæ incipiendo a laudibus ad completorium, & diſtinguuntur a vigiliis nocturnis. *Qui ſeptenarius ſacratus numerus a nobis ſic implebitur, ſi matutina* (quo nomine veniunt laudes, quæ circa Matutam, ſeu Auroram dicebantur) *Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Veſperæ, Completorique tempore noſtræ ſervitutis officia perſolvamus, quia de his dixit Propheta, ſepties in die laudem dixi tibi; nam de nocturnis vigiliis idem ipſe Propheta ait, media nocte ſurgebam ad confitendum tibi*; quod & iiſdem fere verbis dicitur *cap.* 1. *de celebr. Miſſar.*

II. Nunc tamen juxta Rubricas tamquam una hora inſpiciuntur, unde poſt nocturnos non dicitur oratio, quæ eſt finis horarum, & *de precibus* legitur: *In vigiliis preces feriales dicuntur tantum ad Matutinum, & per horas*, ubi per *Matutinum* comprehenduntur etiam laudes, poſt quas ſolum dicuntur preces, niſi per *Matutinum* proprio, & antiquo nomine appellatas mavis laudes, licet hæc reſponſio ceteroquin non quadret admodum, quia eo nomine in Rubricarum ſenſu nunc magis veniunt vigiliæ nocturnæ, de quibus lubet adjicire, quæ *lib.* 2. *de off. Eccl. cap.* 19. tradit Hugo a S. Victore: *Hoc officium ſecundum uſum Monachorum oratione, ſicut cetera, terminatur, in quo primariam ſervare videntur inſtitutionem. Noſtra autem conſuetudo humanæ infirmitati parcens, & labori, officio prædicto laudes matutinas continuat, & oratione una duo claudit officia.* Jam vides itaque, quod ſecundum ſe ſunt duo officia, ſolumque ex conſuetudine in unum fuerunt juncta ad parcendum humanæ infirmitati, & labori.

III. Quod officium, quia noctu recitabatur, *nocturnum* dicebatur, & quia populis dormientibus, qui officium recitabant, vigilias cenſebantur agere, ſeu magis, quia per diverſas noctis vigilias dicebatur, *nocturna vigilia* quoque reperitur dictum. *Vigiliarum* nomen Defunctorum officio ad hanc diem reliquum eſt, & *nocturni* appellatio cuilibet officio trium lectionum adaptatur adhuc, quinimmo & novem lectionum, quatenus in tres *nocturnos* diſtinguitur, communiori vocabulo nunc *matutinum* dicitur, quod cum laudibus conjunctum ſit, & cum laudibus continuetur, quæ *mane* recitari, & *matutinum*, ſeu *matutinæ laudes* dici ſolebant; hinc *de ritib. Monac. lib.* 1. *cap.* 3. Martene: *Matutinum S. Benedictus, aliique Scriptores antiqui vocabant illud officium, quod illuceſcente Aurora dicebatur, & a nobis laudes appellatur a voce Matuta, ideſt Aurora, eo quod Ad Auroram decantaretur.* Nunc nos de matutino, ejuſque partibus agere ſumimus, non ut laudes, de quibus in ſequenti capite, etiam comprehendit, ſed ut has excludit, & *de Matutino* adhuc caput inſcripſimus juxta communiorem appellationem, quam nunc ſibi vindicat.

DECRETUM I. CAP. IN ORDINE CCXXVII.

Ubi adeſt conſuetudo recitandi matutinum media nocte, a Clero Seculari poteſt dimitti, & mutari, ut recitetur albeſcente die ex juxta cauſa. S. R. C. 21. Julii 1607. *in Oſcen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 28.

I. DIes interdum ſumitur pro die naturali, interdum pro artificiali. Dies naturalis eſt ille, qui integra Solis circulatione perficitur, & continet 24. horas æquales, quarum aliquæ ſunt nocturnæ, diurnæ alteræ. Dies artificialis incipit ab ortu Solis, & terminatur in occaſu, & continet 12. horas inæquales, totidem etiam inæquales horas continet nox artificialis, quæ incipit ab occaſu, & deſinit in ortu Solis. Cujus inæqualitatis ratio eſt, quia cum dies artficialis in 12. horas ſit a veteribus diſtributus, & in totidem etiam nox artificialis, perneceſſe eſt, ut in æſtate horæ diurnæ ſint longiores nocturnis, & e contra in hyeme nocturnæ diurnis. Harum horarum non ſemel mentio eſt in ſacris litteris, unde *Joan.* 11. dixit Jeſus: *Nonne duodecim ſunt horæ diei?* Dies naturalis itaque complectitur noctem cum die artificiali, quare Geneſis 1. *Factumque eſt veſpere, & mane dies unus*, & dies artificialis eſt quaſi dimidia pars diei naturalis, cujus pars altera eſt nox artificialis.

II. Duodecim horæ noctis artificialis olim dividi ſoluerunt in quatuor partes æquales inter ſe, inæquales vero in ſe, ideſt longiores, vel breviores juxta noctium longitudinem, vel brevitatem, quarum quælibet tribus conſtabat horis, & omnes *vigiliæ* dicebantur; hinc Hieronymus epiſt. 139. ad Cyprianum: *Nox in quatuor vigilias dividitur, quæ ſingulæ trium horarum ſpatio ſupputantur.* Prima vigilia incipiebat ab occaſu ſolis, & terminabatur in horam tertiam, & dicebatur *conticinium*. Secunda ab hora tertia protendebatur ad ſextam, & appellabatur *intempeſtum*. Tertia, quæ in mediam noctem incidebat, & dicebatur *gallicinium*, incipiebat in hora ſexta, & deſinebat in nona. Quarta ab hora nona extendebatur ad duodecimam, ſeu uſque ad ortum ſolis, & nuncupabatur *vigilia matutina*, ſeu *antelucanum*. Quarum vigiliarum habetur mentio *Tren.* 2. *Judic.* 7., *Exo.* 14., *Luc.* 2. & 12., *Matth.*, & *Marchi* 6. & 13.

III. Vigilias has a primitiva Eccleſia ſervatas fuiſſe in recitandis nocturnis, & matutinis laudibus in Dominicis, & aliis feſtis, ita ut prima vigilia primum recitaretur nocturnum, ſecunda ſecundum, tertia tertium, & quarta laudes, plerique ex antiquis referunt Scriptoribus, unde Hugo a S. Victore lib. 2. de off. Eccl. cap. 9. *Pſalmi, & lectiones, & reſponſoria diebus feſtis, ſub tribus diſtinctionibus cantantur, quartam faciunt laudes matutinæ, tres priores nocturni, ſive vigiliæ more Romano nuncupantur, ſiquidem nox in quatuor vigilias antiquo more dividitur*: & D. Thomas lect. 6. in 1. Corinth. 14. *Antiquitus dicebantur nocturna diviſim ſecundum tres vigilias noctis, nunc autem dicuntur ſimul.* Diximus *in Dominicis, & aliis feſtis*, quia in feriis, & quando unum nocturnum duntaxat dicitur, non habebat locum dicta partitio, ſed totum continue dicebatur initio tertiæ vigiliæ, ideſt in medio noctis, laudes vero adhuc ut ſupra disjunctæ recitabantur. Quoniam autem tunc feſta, & officia 9. lectionum erant admodum infrequentia, tolerabile fiebat earumdem vigiliarum onus; at poſtquam noctu ter, atque etiam ſemel ſurgere ceſſatum eſt, officia plurima 9. lectionum invecta fuere, & nullo negotio tres nocturni plerique feſtis atributi.

IV. Qui nocturni, præſertim apud Monacos, tria diverſa noctis conſtituebant officia, & diverſis horis, licet circa horas non ubique eadem ſervaretur diſciplina, diverſis noctis vigiliis reſpondentibus dicebantur, reſervatis laudibus ad quartam noctis vigiliam oriente Lucifero, ſeu ſub ſolis ortum, a quo &

Matu-

Matutinarum Laudum traxere nomen, quinimmo ut diſtinctis his vigiliis dicerentur, iſtitutos fuiſſe, ſententia eſt Amalarii *lib. 4. cap. 9.* Qui mos ſervatus etiam extitit a Clericis Cathedralium Eccleſiarum, qui Monachorum inſtar vivebant; at teſcente pietate nimis arduum viſum fuit toties per noctem cubitum concedere, atque ad pſallendum ſurgere, hinc in quibuſdam Eccleſiis tot choros, quot erant nocturni iſtitui primitus ceptum fuit, ut per vices ſingulis his officiis intereſſent, *ſe mutantibus Clericis*, ait Scriptor vitæ S. Germani Pariſienſis de hujus Eccleſiæ Clericis, ad laudes autem communiter ſurgebant omnes. Poſtea factum eſt, ut nocturni non ſeparatim, ut ante, ſed continenter una cum laudibus decantarentur, & ex omnibus una ſolum vigilia texeretur, & ad id muneris potiſſimum delecta fuit media nox juxta illud Prophetæ: *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi*. Hinc teſte Vincentio Bellovacenſi S. Edmundus *media nocte Matutinas in Eccleſia S. Mederici audiebat*, & de S. Ludovico ſcribit Nangius, quod *in conſuetudinem duxit circa mediam noctem ſurgere ad Matutinas a Cappellanis ſuis, & Clericis in Cappella decantandas*. Quem morem docet Suarez *to. 2. de Relig. lib. 4. de hor. can. cap. 15. n. 3.* ſervari adhuc in Cathedralibus Segobienſi, & Canchenſi in Hiſpania, & Pariſienſi in Gallia, quinimmo in hac cum aliquamdiu bello Anglico ſæviente intermiſſus fuiſſet, Senatus decreto anno 1359. reſtitutus fuit ad tradita per Granoolam *lib. 1. cap. 23.* Ceterum ſcite monet Thomas Vvaldenſis *to. 3. de Sacramentalib. tit. 3. de hor. can. 24. n. 4.*, quod divina Providentia tactum eſt, ut laudes divinæ, ſi non ab iiſdem, ſaltem a diverſis in ſingulis nocturnis vigiliis celebrentur, ut veſtigium quoddam antiquæ conſuetudinis permaneret, unde aliqua Monaſteria illas recitant in prima vigilia, alia in ſecunda, aliqua in tertia, & totus fere ſæcularis Clerus in quarta.

V. Conſuetudo, quæ apud ſæcularem Clerum alicubi vix erat reſidua, media nocte ſurgendi ad matutinum pluribus de cauſis viſa eſt incommoda, hinc modo ſtatuitur poſſe dimitti, & mutari, ut recitetur albeſcente die, ſeu ultima noctis vigilia, quæ ab hora nona uſque ad ortum ſolis protenditur. Ubi nocturnorum cum laudibus junctio peracta fuit, nocturnis acceſſit *Matutini* nomen, & ad nocturnorum tempus laudes ipſæ trahi potuerunt, quidni igitur eadem de cauſa etiam nocturni ad laudum tempus? Quod tempus cum ad ſolis ortum expiret, officium, quod tunc dicitur, *nocturni* non deperdit nomen, eidemque *Matutini* illud quadrat admodum, cum de *mane* recitetur. Accedit adhuc, quod extra Matutini tempus probabiliter non cenſetur poſitum, medium namque noctis, cui addictum eſt, non ſtricte, & ſcrupoloſe, ſeu pro illo puncto, quod dividit noctem in duas partes æquales, ſed largo modo, prout ſignificat totum tempus, quod poſt dimidiam noctem inchoatur, & uſque ad Auroram, ſeu ortum ſolis protenditur, accipiendum eſſe, ex Regula S. Benedicti *cap. 7.*, & ex D. Thoma *3. part. qu. 51. art. 4. ad 2.* eruunt Doctores plurimi, & ad rem apprime facit, quod in pluribus hymnis, qui ad laudes decantantur, mentio fit auroræ.

VI. Arbitrarer ergo itaque, quod nunc canonicum Matutini tempus incipiat in occaſu, & in ortu ſolis deſinat, ita tamen ut ſub ortum ſolis ſit abſolutum, unde S. Carolus Borromæus conc. provinc. 1. par. 2. *Matutinum vel media nocte, vel ſaltem eo tempore inſtituatur, ut ſub ortum ſolis abſolutum ſit*, loquitur de ſæculari clero, quem itidem duntaxat præſens ſanctio nominat, quia Regularem propriis regulis, legibus, laudabilibuſque conſuetudinibus deſerendum eſſe putarunt, inſtar Stephani Poncherii Epiſcopi Pariſienſis, qui anno 1503. ſolum iis, qui de nullo Regulari Ordine eſſent, indulſit loco mediæ noctis nocturnale officium quatuor, aut quinque horis ſerius poſſe perſolvere. Cathedrales, & Collegiatæ Eccleſiæ de mane nunc regulariter Matutinum recitant, ſed fortaſſe ultra Decreti tramites, cum non *albeſcente die*, ſed orto jam ſole ejuſdem recitationi pleræque incumbant. *Ideo Canonici*, ait Ivo Carnutenſis Epiſt. 693., *appellati eſtis, quod canonicas leges vos velle obſervare ceteris arctius devoviſtis*; quare nec ambigo, quod ſtatuto, vel indulto tempori magis adhærere deberent, nec tempus præripere horæ Primæ recitandæ, niſi juſtis de cauſis, ob quas & Decretum Matutini tempus ut ſupra immutat, Epiſcopus aliquando diſpenſandum eſſe judicaverit. Inter has autem cauſas Braſchus *prompt. ſynod. cap. 86. num. 18.* recenſet hyemis rigorem, aeris intemperiem, aliaſque honeſtas rationes, quæ prudentis viri judicio ſufficere videantur, licet ſcite moneat, hac in re nonniſi caute admodum procedere oportere; haud enim dubito, quod ad hanc diſpenſationem gravior expoſcatur cauſa, quoniam ad trahendum Matutinum ad laudum tempus vel illa ſola uberior dignoſcitur, quod nunc Canonicorum clerus per diverſas civitatis domos reperitur diſtributus.

VII. Quibus juſtis intervenientibus cauſis diſpenſare etiam poſſe Epiſcopum ad tempus, idem cenſet Auctor, ut in choralibus Eccleſiis ſero præcedenti matutinum poſt veſperas, & completorium recitetur. Quoniam vero Concilium generale Vienneſe *in Clem. 1. de celebr. miſſar.* Prælatis præcipit, ut ſumma diligentia curent, quod *omni negligentia, ac incuria relegata, in Cathedralibus, Regularibus, & Collegiatis Eccleſiis horis debitis pſalatur*, ideo ægre vix concedunt aliqui ab Epiſcopo ſemel, vel iterum prædictam poſſe diſpenſationem ferri; quod & approbat rimoratorum praxis pro diſpenſatione confugiendi ad Sedem Apoſtolicam, quæ licet ut plurimum id muneris committat Epiſcoporum arbitrio, ut *in Mutin. 1644.*, *Bonoien. 1691.*, & *Papien. 1726.* apud Benedictum XIV. *tom. 5. notif. 19. §. 4. & 14.*, hoc tamen ipſo deſignat Epiſcopo et ſe minime competere. Hinc & in Concil. Provinc. 2. Mediol. par. 2. *Matutinum veſperi non dicatur, exceptis tamen diebus octavæ feſti ſolemnis D. N. J. C.* (ſcilicet Corporis Chriſti) *ceteriſque diebus, quibus, ex Romanæ Eccleſiæ inſtituto eſt permiſſum*, nempe triduo ante Paſcha. Quæ tamen, & adhuc complurium ſententia chorales Eccleſias non debitis horis pſallentes gravis culpæ damnantium, minime cohibere potuerunt, quin privatæ recitationis in veſperi uſus ad publicam etiam arbitrarie, & ad propriis unice commodis indulgendum traduceretur. Quo autem jure id ſibi poſſit eſſe licitum, ipſæ videant.

VIII. Poſt Veſperas, & completorium Matutinum diei ſequentis privatim recitari poſſe, ſententia eſt D. Thomæ *quodl. 5. q. 13. art. 28.* quæ nunc nullum dubium patitur, & ſolummodo digladiantur admodum Auctores circa horam, & in varia ſinduntur placita, quorum aliqua rem valde reſtringunt, alia ultra æquum ampliant; hinc nos media via incedentes, adnotamus, quod Sacra Congregatio 12. Nov. 1644. Mutinenſis Epiſcopi arbitrio committens diſpenſationem nonnullarum Eccleſiarum ſuper hujuſmodi recitationem, hanc appoſuit clauſulam, *dummodo lapſa ſit hora tertia poſt meridiem*; hoc autem intelligi debet juxta priſcam Eccleſiæ diſciplinam dies anni quoslibet in 12. horas ſecernentis, de qua ſuperius mentionem egimus, quare univerſim verum non eſt, quod elapſis tribus horis poſt meridiem juxta modernum computandi modum, matutinum dici queat; hoc enim in hyeme procedit, & adhuc citior anticipatio fieri valet, ſecus in æſtate, in qua ſerius neceſſe eſt abſolvi. Congregatio intendit regulam generalem edere, quæ tempori omni adaptari valeat, ejuſdemque diſpoſitio juxta ſubjectam materiam, ſeu regulam computandi horas divini officii, quæ adhuc eſt antiqua, licet in aliquibus ſit relaxata, abſque dubio debet intelligi; quare hora tertia ad effectum matutini pridie licite recitandi, non cenſetur elapſa, niſi poſtquam elapſæ ſunt tres ex quatuor diei partibus, ſive in hyeme, ſive in æſtate, vel quod in idem coincidit, & rem clarius explicat, niſi poſtquam elapſum eſt medium temporis, quod eſt meridiem inter & occaſum ſolis. Hæc agendi ratio aperte approbatur a Kalendario Urbis Romæ, a Directoriis particularium Eccleſiarum, & a communi Theologorum ſententia, ac quamvis propter rationes inferius referendas nunc in Quadrageſima ante prandium, & aliis temporibus ante canonicum tempus anticipentur veſperæ, adhuc matutinum anticipari non valet ultra præfatam horam tertiam, quæ eſt tempus, ad quod uſque duntaxat juxta priſcam Eccleſiæ diſciplinam veſperæ anticipari poterant, quodque, cum in eo per potiorem partem, & per ultimam ſui horam incipiat declinare dies, ſolum ad ſequentem diem ſpectare jure cenſeri poteſt. Par nec eſt ratio de veſperis ipſis, in quibus licet agatur etiam de officio ſequentis diei, ipſæ tamen reipſa ſunt onus diei currentis, adeoque ultra prædictam horam tertiam juſtas ob cauſas potuerunt anticipari. Quæ licet ita ſint de matutino ſequentis diei, ſecus tamen eſt de horis reliquis, quibus cum non ſuffragetur conſuetudo, quæ eſt optima legum interpres, utile earum tempus ad præcepti adimplementum inſtar aliorum Eccleſiaſticorum præceptorum non incipit, niſi ad mediam noctem. Quocumque autem tempore ut matutini anticipatio ut ſupra licite fiat, expoſcunt Auctores cauſam juſtam, quæ ſaltem inducat commoditatem ad pias, utiles, & honeſtas actiones matutini tempore peragendas, ut edocendi, vel addiſcendi litteras &c.

IX. Num tam in publica, quam in privata recitatione poſſint laudes a matutino, & nocturni inter ſeſe ſeparari, lubet perquirere. Equidem quoad laudum ſeparationem privatam nec ambigimus, ut ſiquidem, dicebamus, tametſi modo conjunctim recitentur cum nocturnis, adhuc ſunt horæ diſtinctæ, ſeparatim dici inſtitutæ, & ſeparatim olim dicebantur, cujus ſeparationis veſtigium etiamnunc apparet in nocte Natalis Domini, & ex proprio initio *Deus in adjutorium*, quod ſervant; & ſi cum matutino junctæ venere, ad indulgentiam factum hoc extitit, & cauſa levandi onus, & incommodum cleri, quam ad rem recoli poterunt, quæ ex Hugone a S. Victore ſuperius transferipſimus. Navarrus *cap. 3. de orat. dict. 17. & 19.* conſultius adhuc eſſe aſſerit, recitare matutinum uſque ad laudes prima parte noctis, & cum primum ſurgitur e lecto, Laudes, & Primam, & de ſeipſo fatetur; *Frequenter ſoleo ipſe dicere nocturnos tantum ſero, hora eis fere propria, circa mediam noctem, & laudes hora etiam illis fere propria ſua, circa Auroram*. Quoad publicam vero pſalmodiam facit admodum exemplum ſeparationis, quæ fit in nocte Natalis, quare itidem ſeparari poſſe dicimus; dummodo hoc fiat, ut magis proprio dicantur tempore, vel majoris devotionis ſtudio, aut animo inducendi laudabilem priſcam conſuetudinem. Quæ conditiones ſi adſint, tam in publica, quam privata recitatione etiam nocturnos ſejungi poſſe ſentimus, quinimmo de privata adhuc qualibet interveniente rationabili cauſa, vel juſta, licet levi, occaſione, ut communior tenet opinio; etſi enim hi non ſint horæ diſtinctæ, ſed unam, & eamdem efforment, adhuc ſeparatim dicebantur, & ſeparatim ſunt dici inſtituti, & ſolum ad indulgentiam ut ſupra conjuncti fuere. Quænam autem mora inter unum nocturnum, & alterum interponi queat, ſpatium trium horarum, tanquam mora antiquæ conſuetudini proportionata, communiter aſſignatur, tu tamen extende, quamdiu durat cauſa, ob quam mora fuit interpoſita, & in hac re ſcrupoloſe nequaquam procedito.

X. Cum matutinum ſeparatur a laudibus, poſt *Te Deum* addi debet collecta, ut fit in Natalis nocte, & poſt collectam oratio

tio Dominicalis, ut fit in aliis horis, nec opus eſt adjungere Antiphonam finalem B. Mariæ, quæ in fine laudum juxta Rubricas dici præſcribitur. Quoniam vero tunc laudes tamquam hora diſtincta a matutino dicuntur, iiſdem præmitti debebit oratio Dominicalis, & ſalutatio angelica, habetque locum Rubrica illa: *Ante omnes horas, præterquam ad Completorium, dicitur ſecreto Pater noſter, Ave Maria*. Quibus non officit exemplum noctis Natalis, in qua cum ſtatim poſt matutinum ſequatur Miſſa, propterea in illius fine non ſubditur verſus *Fidelium animæ*, nec oratio dominicalis, & cum laudes uniantur cum Miſſa, & quodammodo etiam cum matutino, propterea laudibus non præmittitur oratio dominicalis, nec ſalutatio angelica, ut advertit Gavantus *ſect.* 4. *cap.* 2. *n.* 4., & Navarrus *cap.* 3. *de orat. num.* 64. Quoniam vero nocturni non cenſentur tres horæ, ſed ſemper tamquam una hora ſunt habiti, neceſſe non erit, quando ſeparatim dicuntur, nocturnum collecta, & oratione dominicali concludi, & in principio alterius *Pater*, & *Ave* recitari; quia tamen ut tres horæ diſtinctæ recitantur, appoſite admodum præſtabuntur ea omnia, quæ præſtanda tradidimus, dum laudes a nocturnis ſeparantur.

XI. Durandus *lib.* 5. *cap.* 3. *n.* 3., & Belethus *in explic. div. off. cap.* 20. & 26., dum ſcribunt, quod in primitiva Eccleſia, priuſquam luceſceret, apparente aurora, pulſatis campanis cantabant *Te Deum*, & matutinas laudes, innuere videntur ad laudes ſpectare præfatum hymnum, & conſequenter dicendum eſſe ante laudes, non poſt matutinum, quando hæ horæ ſeparatim recitantur. Verum quidquid ſit de uſu antiquo, quem poſt eumdem hymnum collectam recitaſſe, ut nunc fit in nocte Natalis, docet Grancolas *lib.* 1. *cap.* 33., dubium modo eſſe non poteſt, quod præfatus hymnus pars matutini eſt, non laudum; tum quia *Deus in adjutorium*, quod initium horarum eſt, non dicitur, niſi abſoluto eo hymno; tum quia poſt hunc dumtaxat Breviarium ſignat *Ad laudes*; tum quia ſic ſervatur in nocte Natalis; tum denique quia *Te Deum* ſubrogatus eſt loco ultimi reſponſorii, quod propterea non dicitur in fine ultimæ lectionis, dum dicitur *Te Deum*, quare ut ultimum reſponſorium ad matutinum ſpectat, ita hymnus *Te Deum* ſpectare cenſendus eſt. Antiquus autem ille mos ſervatus fuit apud quoſdam Monachos, qui adhuc ultra *Te Deum* ad ultimam lectionem reſponſorium addunt.

DECRETUM II. CAP., IN ORDINE CCXCVIII.

Nomine Epiſcopi Ruremundæ quæſitum fuit a S. R. C. declarari, an Invitatorium *Hodie ſi vocem Domini audiveritis, nolite obdurare corda veſtra*, tempore Paſſionis in Quadrageſima debeat cantari, ſicut alia Invitatoria extra tempus Paſſionis, ſcilicet ſexies integre, & ter imperfecte, hoc modo poſt verſum *Quadraginta annis proximus fui &c. Hodie ſi vocem Domini audiveritis, nolite obdurare corda veſtra*, & omiſſo *Gloria Patri &c.*, *Nolite obdurare corda veſtra*, & iterum repetatur integre *Hodie ſi vocem Domini audiveritis, nolite obdurare &c.*? Et S. R. C. reſpondit, omiſſis *Gloria Patri &c.* & *Nolite obdurare corda veſtra*, repeti debere integre Invitatorium *Hodie ſi vocem Domini &c.* Ita S. R. C. 4. Julii 1683. *in Ruremunden.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 143.

I. Invitatorium ſexies dicitur integre in ordinario officio & ter imperfecte, ideſt pro medietate ejuſdem; hinc cum Paſſionis tempore omittatur *Gloria Patri*, factum eſt dubium, num nihilominus pro medietate dici deberet Invitatorium, ut fit aliis temporibus poſt eumdem verſum *Gloria Patri*? Congregatio reſpondit una cum *Gloria Patri* omittendam itidem eſſe medietatem reſponſorii, quæ poſt ipſum dicenda foret, & ſolum integre in fine repeti debere invitatorium. Deciſio conſonat Rubricæ, quæ in Dominica Paſſionis habet: *In fine hujus Pſalmi non dicitur* Gloria Patri *hoc tempore Paſſionis, ſed repetitur invitatorium, ut alias, in fine*. Si itaque *repetitur invitatorium, ut alias, in fine*, omiſſo *Gloria Patri* omitti etiam debet pars invitatorii, quæ aliis temporibus poſt ipſum dicitur, & ſolum integre repeti reſponſorium *in fine*, ut fit extra paſſionis tempus. Et quidem cum ea invitatorii pars ſit acceſſoria ad prædictum verſiculum, & ſit pars eidem correſpondens, & ad intercalandum dumtaxat appoſita, utique omiſſo verſiculo, & ipſa omitti debet. Cum Antiphona dicitur, ut in caſu præſenti, ante pſalmum, & repetitur poſt ſingulos pſalmi verſiculos, cantus *intercalaris* appellatur, plurimum commendatus reperitur, & præcipue a Concilio Aquiſgranenſi, & in uſu eſt ab antiquis uſque temporibus, quare refert Sozomenus *lib.* 5. *cap.* 20., quod cum occaſione translationis Reliquiarum S. Babylæ Antiochiæ decantaretur pſalmus 96., populus ad ſingulos verſiculos repetebat: *Confundantur omnes, qui adorant ſculptilia, & qui gloriantur in ſimulacris ſuis*. Et S. Athanaſius *Apol. de fuga*, quod cum a Diacono pſalmum 135. cantari curaſſet, populus poſt ſingulos verſiculos reſpondebat: *Quoniam in æternum miſericordia ejus*.

II. A Monachis vero invitatorium trahit originem, qui hoc ſigno mane excitabantur, & ut expergeſierent, cantabantur hæc verba, *Venite adoremus Dominum*, unde invitatorii occaſione pſalmus *Venite*, qui eſt quædam invitatio ad laudandum Deum, additus fuit, ex quo deſumptus erat verſiculus, *Venite adoremus*. Romæ olim nullum erat invitatorium, & quando receptum fuit, dicebatur his tantum diebus, quibus populus ad officium convenire conſueverat; hinc teſtatur Amalarius *ſupplem. cap.* 4., quod ætate ſua invitatorium Dominicæ dumtaxat officio, non feriali præfixum erat, quia populus plerumque diebus, quibus opus ſervile exercetur, officio non intererat, nec ad illud invitabatur; Clerici vero, & Monachi, qui ex lege ſui ſtatus ad officium tenebantur, ad hoc recitandum invitatorio opus non habebant. Eccleſia vero pſalmum *Venite* recitat ad matutini initium juxta vetus Pſalterium Romanum, quod quibuſdam in locis a Vulgata diſtert, & in die Epiphaniæ ad tertium nocturnum juxta Vulgatam illud legit.

DECRETUM III. CAPITIS, IN ORDINE CCXCIX.

Quando feſtum S. Raphaelis celebratur Dominica 3. poſt Paſcha, Antiphona primi nocturni erit *Multa magnalia*, & in ſecundo nocturno *Archangelo Raphael*; in tertio autem *Angelus Archangelus &c.* S. R. C. 5. Maii 1736. *in Einſidlen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 292.

I. Ubi aliis temporibus cuilibet pſalmo ad nocturnos ſua præmittitur Antiphona, paſchali tempore pſalmi cujuſlibet nocturni ſub una Antiphona dicuntur; hinc Decretum notat Antiphonas, quæ in quolibet nocturno dici debent in feſto S. Raphaelis, dum tempore paſchali recolitur, videlicet in Dominica 3. poſt Paſcha, cui pluribus in locis manet addictum, cum tamen alibi extra tempus paſchale, & præcipue die 24. Octobris recolatur. Officium, de quo diſpoſitio procedit, non eſt illud, quod ad uſum Romani Cleri in Breviariis pro loci indultariis die 24. Octobris habetur, cum aſſignatas ſaltem omnes, non teneat antiphonas; quare nos, qui univerſali commodo conſulimus, digredimur quærere, quænam ex antiphonis in uſum eſſe debeant, quando feſtum habens ad omnes pſalmos antiphonas, celebratur paſchali tempore, aut ad hoc transfertur. Et certum eſt, quod ſi antiphonæ omnes ſint de communi, prima cujuslibet nocturni in uſum erit, dicente Rubrica in communi Martyrum temporis paſchalis poſita: *& tres pſalmi dicuntur in quolibet nocturno ſub prima antiphona illius nocturni*. At quid, ſi antiphonæ omnes ſint propriæ? Prima ſimiliter aſſumetur, nec Clerus cogendus eſt, ut ſeligat, quæ proprior eſt, & officio adaptatior, quod ut dignoſceret, quandoque ad anguſtias uſque redigeretur. Quod ſi promiſcue habeantur & propriæ, & de communi, prima propria, quæ in quolibet nocturno occurrit, deſerviet, & quatenus in aliquo nocturno nulla propria habeatur, plures in alio, quæ ſunt propriæ, per anticipationem, aut poſtpoſitionem per nocturnos diſtribuantur, omiſſis iis de communi, ut in ſimilibus dicemus infra in Dec. 25. Quoniam vero ex antiphonis propriis aliæ ſunt, quæ *mixtæ* dicuntur, & ſunt, quæ ex pſalmis depromptæ, paucis verbis additis, vel mutatis, aut tranſpoſitis, ad rem myſterii, ſeu Sancti traducuntur, qualis eſt antiphona 3. laudum S. Stephani *Adhæſit anima mea poſt te*, ſi in officio, quod tempore paſchali celebratur, aliquæ erunt hujuſce rationis, omiſſis iis de communi, recitentur quidem, ſed hæc ratio habeatur, ut ſub iiſdem recitetur pſalmus, ex quo ſunt deſumptæ, & ad alium nocturnum non traducantur, ad quem magis traduci poterunt aliæ, ſi quæ ſunt propriæ, & non mixtæ. In defectu autem propriarum etiam iſtæ, ut adaptatæ traduci poterunt, exemplo ducto ab octava S. Stephani, in qua ad veſperas ſub præfata antiphona dicitur pſalmus *Beatus vir*.

II. Juxta præſcriptum Rubricæ 21. n. 7., quoties *antiphona incipit ſicut pſalmus, poſt antiphonam non repetitur initium pſalmi, ſed continuatur, quod ſequitur in pſalmo, ab eo loco, ubi ſecundum ritum dici deſinit antiphona*? Id limita, ſi antiphona a pſalmo diſcontinuetur per *Alleluja*, ut in poſtrema recognitione Breviarii notatum eſt in officio Dedicationis pro pſalmo *Qui habitat*. A fortiori idipſum erit, ſi antiphonæ addatur, vel intermiſceatur aliquod, quod in pſalmo non ſit, ut ſæpe evenit in antiphonis *mixtis*; quod tamen dumtaxat procedit, quoties officium duplex eſt, & integra recitatur antiphona, poniturque conſequenter diſcontinuatio, aut variatio, unde infra octavam Dedicationis, in qua ſolum inchoatur antiphona, etiam paſchali tempore pſalmus *Qui habitat*, continuabitur ab eo loco, ubi deſinit antiphona, quia per *Alleluja* diſcontinuatio non fuit poſita. Abuſus autem eſt nonnullarum Eccleſiarum in quibus quoties initium antiphonæ convenit cum pſalmo, nec cantantur antiphonæ, non fit diſtributio antiphonæ, ſed immediate ab eo, ad quem ſpectat, pſalmus inchoatur; diſerte enim allegata Rubrica edicit, quod dici debet antiphona, & quod pſalmus incipiendus eſt, ubi deſinit antiphona. Monet Gavantus *ſect.* 5. *cap.* 7. *num.* 12., quod per unam ſyllabam nunquam enuntiari debet antiphona, puta per *In*, & quod in hoc caſu ad minus addi debet ſequens dictio, quare ſi dictio, quæ additur, non habeatur in initio pſalmi, pſalmus a principio incipi debet, tametſi antiphona inciperet per *In*, ut in feria ſecunda, cujus pſalmus quintus incipit *In te Domine*, & antiphona *In tua juſtitia*. Quoties antiphona incipit per verbum plus una ex vocalibus conſtans, liberum ſit per illud ſolum Antiphonam enuntiare, cum in feriali officio plurima hujuſce rationis non deſint exempla in Breviario Romano, ſed non minus in libertate ſit poſitum, ulteriora adjicere verba, dummodo abſurde non proferatur oratio, ut *Beatus qui*; & in hoc caſu ſi in Antiphona quid dicatur, quod non ſit in pſalmo, pſalmus ab initio incipiendus eſt, ſin autem, continuetur a loco ubi deſinit antiphona, etſi in Antiphona, quæ ſequuntur, ſed non fuerunt enuntiata, diverſa ſint ab iis, quæ in pſalmo habentur.

DECRETUM IV. CAPITIS, IN ORDINE CCC.

Quando feſtum SS. Philippi, & Jacobi celebratur extra tempus paſchale, omitti debent omnia *Alleluja*; Aſteriſci vero non tolluntur. S. R. C. 5. Maii 1736. *in Einſidlen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 293.

I. AMen, & *Alleluja*, ait D. Iſidorus lib. 6. cap. 19. *ſacroſancta ſunt, ut etiam Joannes refert audiviſſe cæleſtes exercitus dicentium Amen, & Alleluja, ac per hoc ſic in terris oportet utraque dici, ſicut in cælo reſonant.* Equidem erga utrumque ex dictis nominibus tanta veneratio ſemper ſtetit Eccleſiæ, ut nulla facta interpretatione, aut in aliud idioma verſione, eadem ſemper in precibus uſitaverit: *Amen* hebræa vox eſt, quæ *ita eſt*, val *ita ſit* ſignificat, eſtque comprobatio eorum, quæ dicta ſunt, atque ut expleantur, deſiderium. In publicis precibus Populus Hebræorum reſpondebat *Amen*, unde Deut. 27. *Reſpondebit omnis populus*, & *dicat amen*; quibus verbis probabat, & rata, & firma habebat, quæ a Sacerdote dicebantur. Paulus omnes fere epiſtolas ſuas claudit voce *Amen*, qua optabat, ut gratia Dei cum illis eſſet, ad quos ſcribebat. Judæorum morem Chriſtiani imitati ſunt, quare Paulus 1. *Cor.* 4. teſtatur, populum *Amen* reſpondiſſe gratiarum actioni, & S. Auguſtinus hortatur, *ut Antiſtites diſtincte orent, quatenus populus ad id, quod intelligat, dicat amen*; ad publicarum enim precum finem mos reſpondendi *Amen* adeo cuſtodiebatur, ut in majoribus Eccleſiis, ubi populus vocem ejus, qui preces pronuntiabat, percipere non poterat, ſudariolo ſignum dabatur longius diſſitis, ut vocem extollerent, atque *Amen* reſponderent; hinc Hieronymus *lib. 2. in epiſt. ad Gal.* deſcribens clamorem, qui Romæ fiebat ad precum finem, cum *Amen* reſpondebatur, tonitruo ſimilem fuiſſe aſſerit: *In ſimilitudinem cæleſtis tonitrui amen reboat.* S. Benedictus *in Reg. c.* 11. jubet, *ut lectione Evangelii perlecta omnes reſpondeant Amen; quia debent ad verba Dei attendere, & ea per Amen aſſerere vera eſſe*, ait Boherius in *Comm. ad hanc Reg.*, hinc non deſunt, qui poſt Evangelium magis *Amen* dici probant, quam *Deo gratias*. Cum itaque reſpondetur *Amen* iis, quæ de fide credimus, *ita eſt* ſignificat, & per illud probantur, & vera eſſe aſſeruntur, quæ dicta ſunt; cum vero adhibetur in fine precum, vel collectarum, *ita ſit* deſignat, & notat deſiderium noſtrum, ut expleantur, quæ in iiſdem precibus dicta ſunt.

II. *Alleluja* vox hebræa itidem eſt, compoſita ex dictione *Hallelu*, quod idem eſt, ac *laudate Dominum*, *vocem extollite cum lætitia*, & ex dictione *Jad*, quod eſt unum ex nominibus Dei. Ceterum *Alleluja* apud Hebræos majorem longe vim habet, quam Latine voces *Laudate Deum*, quæ hortantur tantum ad laudandum Deum, ubi *Alleluja* interjectio magis eſt, vivos ſenſus exprimens cordis, ita ut lætitiam, quam quis ſentit, comprimere non valens, foras erumpit, atque in laudis, & gaudii voces effunditur, & furore quodam veluti percitus, ad Deum laudandum invitat. Tradit S. Gregorius *lib. 7. ep.* 64. Damaſum Papam auctore Hieronymo ad imitationem Eccleſiæ Hieroſolymitanæ in officium invexiſſe *Alleluja*, ſed intellige de diebus poſt paſchale tempus, & per anni curriculum, nam prædictæ vocis uſus paſchali tempore antiquior eſt in Eccleſia Romana, ut monet Bona *de div. pſal. cap.* 16. §. 7. A Septuageſima ad Paſcha, quia tempus triſtitiæ eſt, & luctus abſtinet Eccleſia a voce *Alleluja*, & hujus vice in Antiphonis, ubi habetur, nihil additur, in principio autem horarum mutatur in *Laus tibi Domine, Rex æternæ gloriæ* ex Decreto Alexandri II., ait Honorius Auguſtodunenſis *lib. 4. cap.* 17. Olim dimittebatur *Alleluja* in ultima Antiphona veſperarum Sabbati, quia officium Dominicæ non incipit, niſi a Capitulo, alibi ad Nonam, alibi in ſequenti Dominica Septuageſimæ, alibi in depoſitione ejuſdem vox *Alleluja* uſque ad nauſeam repetebatur, & alibi inſulſi prorſus, & ridiculi tenebantur modi, ut refert Guyetus *lib. 4. cap.* 18. *qu.* 16., nunc vero dimittitur ad veſperas Sabbati, bis eo geminato ad *Benedicamus Domino*, inquit *lib. 6. cap.* 33. *num.* 18. Durandus, *ut ejuſdem geminatio ad finem præcedentis temporis reſeratur, & ejus depoſitio luctui ſequentis temporis aſſignetur.*

III. Ubi voce *Alleluja* extra paſchale tempus parce utitur Eccleſia, liberaliter admodum paſchali tempore ob lætitiam Reſurrectionis Dominicæ, nempe in Antiphonis, reſponſoriis lectionum, & horarum, & verſiculis. Verſiculis tamen, qui formam precum referunt, veluti ad preces Primæ, & Completorii, *Alleluja* non adjicitur, quia preces neceſſitatem, & gemitum ſignificant, quod gaudio non convenit; neque verſibus, qui poſt reſponſoria lectionem dicuntur, inquit Gavantus *ſect.* 5. *cap.* 13. *n.* 10., quia in verſu non finitur reſponſorium, ſed in ea parte, quæ a choro repetitur, cui tamquam termino convenit augmentum lætitiæ. Hæc ratio nobis non arridet admodum, quoniam inter reſponſoria ipſa interjectum non ſemel videmus *Alleluja*, quare approbamus magis, quod habet Radulphus *prop.* 12., nempe id eſſe de Romana conſuetudine, quam uberi ſuffultam ratione credere malumus, quam eam perſcrutari. Cum itaque in officio SS. Philippi, & Jacobi *Alleluja* plura habeantur ratione paſchalis temporis, in quo recurrit, ſi extra paſchale tempus transferatur, omitti omnia illa debebunt, & ejuſdem celebratio conformari tempori, in quo agitur. Dum tamen audis *omnia Alleluja* eſſe omittenda, id univerſim ne intelligas, ſed tantum de his omnibus, quæ competunt ratione paſchalis temporis, quare in initio horarum, uti & in Antiphonis, quæ non ſunt propriæ, & in caſu deſumendæ ſunt ex communi Apoſtolorum extra tempus paſchale, ubi habetur, dicenda, & retinenda erit vox *Alleluja*.

IV. *Aſteriſcus* a verbo *Aſter* derivat, & ſtellulam denotat, quæ interpungitur pro ſigno in codicibus ad ſignificandum, quod ibi aliquid omiſſum, vel depravatum eſt, aut deficit aliquid traductionis, ſeu explicationis, vel quod alibi eadem de re agitur, atque in margine textus ſignatur. In divino officio Aſteriſci hic uſus non eſt, ſed notat pauſam, ſeu moram aliqualem, quæ fieri debet, ut in verſiculis pſalmorum, quorum quilibet Aſteriſcum interjectum habet. Ejuſdem uſus eſt ulterius in reſponſoriis lectionum, & brevibus horarum, & in invitatorio, ſed in his ultra pauſam ſignat partem, quæ repeti debet. Vide etiam in aliquibus uſibus Antiphonas, præſertim longiores, Aſteriſcis notatas, ut chorus uniformiter pauſet, & uniſonus ſit in iiſdem recitandis.

V. *Aſteriſci vero non tolluntur*, ait Decretum, & quoad eos pſalmorum dubium non eſt, cum pſalmorum verſiculi ſemper eodem modo, & ſine additione *Alleluja* dicantur. Aſteriſcis reſponſoriorum horarum aptari poſſet diſpoſitio, ſed cum omnia ſint de communi, ac conſequenter in communia Apoſtolorum extra tempus paſchale commutanda, quæ propriis gaudent Aſteriſcis, de iiſdem Sanctio eſſe non poteſt, quinimmo nec quando dicta reſponſoria forent propria, quoniam licet retinenda forent, adhuc cum Aſteriſci ponantur immediate ante *Alleluja*, & omittenda ſint omnia *Alleluja*, poſt Aſteriſcum non eſſet pars aliqua, quæ dici poſſet, & repeti. De Invitatorio procedit Sanctio, quoniam tam extra tempus paſchale, quam paſchali tempore, etſi in hoc addatur *Alleluja*, ſemper Aſteriſcus ponitur in medio Invitatorii, & nulla fit variatio quoad Aſteriſcum, & partem reſumendam, niſi per omiſſionem *Alleluja*. Aſteriſcis reſponſoriorum lectionum, quod attinet ad Breviarium Romanum, in quo feſtum SS. Philippi, & Jacobi omnia habet de communi, adeoque de communi extra paſchale tempus deſumenda, quæ proprios habent Aſteriſcos, diſpoſitio adaptari non valet, bene vero quoad Breviarium Monaſticum, quod ad minus ultimum reſponſorium habet proprium, ut diſerte eruitur ex Decreto 23. hujus capitis *in eadem Einſidlen.* edito, adeoque putamus in eodem reſponſorio mutandum non eſſe Aſteriſcum, etſi omittatur *Alleluja*. De Aſteriſcis Antiphonarum etiam intelligi poteſt Decretum, quia cum non habeantur diverſa Antiphonaria pro paſchali tempore, & non paſchali, alias in pauſando facile diſſonantia contingeret. Ex his habes, quid in ſimilibus præſtare queas.

VI. Nonnumquam in reſponſoriis lectionum duo Aſteriſci ponuntur, & tunc bene notat Gavantus *ſect.* 5. *cap.* 12. *n.* 5. quod ponuntur ad denotandum, quod non ſemper eadem pars eſt reſumenda, ſed prima repetitio reſponſorii debet eſſe a remotiori Aſteriſco, non uſque ad ſecundum Aſteriſcum, ſed uſque ad verſum, & ſecunda repetitio debet eſſe brevior, ſcilicet a viciniori, ſeu ſecundo Aſteriſco uſque ad eumdem verſum.

DECRETUM V. CAP., IN ORDINE CCCI.

In officiis Sanctorum conceſſis Regularibus infra annum, puta Conceptionis B. V. M. Ordinis S. Franciſci, ſicut etiam in officiis Translationum &c. octava Benedictio erit: *Cujus feſtum colimus &c.* S. R. C. 13. Febr. 1666. ex Merato in Indice Decret. Brev. n. 91.

I. NOcturnum olim poſt pſalmos terminabat, lectiones namque a Monachis additæ fuere, qui cum choro, ut Clerici, illico non exirent, ibique diutius periſtarent, lectionibus vacabant; & hinc petenda eſt origo *Jube Domne benedicere*, ſive veniæ in cleri officium invectæ, quam Lector ab Abbate petebat, priuſquam legeret. Refert Gregorius Turonenſis *de mirac. S. Mart. lib.* 3. Sanctum Ambroſium incipi noluiſſe, niſi lectori prius ipſe ſignum daret. *Cui celebranti ita erat conſuetudo, ut veniens lector, non ante legere præſumeret, quam Sanctus ei juſſiſſet.* Cum autem die quadam Sanctus iſte obdormiviſſet, lectorque ad legendum paratus eſſet, *jubeat*, inquit, *Dominus lectori lectionem legere.* Quoniam vero tunc temporis lectiones admodum erant prolixæ, unus alteri in legendo ſuccedebat, & hinc factum eſt, ut ad ſingulas lectiones venia petatur, *jube Domne*, non *Domine* dicendo, quia non Deum, ſed Præpoſitum Lector alloquitur, qui magnæ humilitatis gratia nec a Propoſito, ſed ab eo, cui is juſſerit, poſtulat benedici, *Jube Domne benedicere*, & Præpoſitus ut tantæ humilitatis vicem rependat, alteri non delegat benedicendi officium, nec per ſeipſum benedicit, ſed expoſcit, ut a Deo benedictio erogetur, ut advertit S. Petrus Damianus *lib. de Dominus vobiſcum cap.* 2., nunc autem communiter non benedictio, ſed deprecatio iſta fit ab hebdomadario ex commiſſione Prælati.

II. An qui ſolus recitat officium, dicere debeat *Jube Domine*, & non *Domne* quæſtio ſuccedit, & id putarunt nonnulli, quod iſte aliquem ex hominibus non habeat, qui poſſit benedicere; tum etiam quia Sacerdos in Miſſa privata dicit *Jube Domine*, non *Domne*, cum lecturus eſt Evangelium. Parem Gavantus *ſect.* 5. *cap.* 11. *num.* 4. aſſerit eſſe utriuſque rationem, ſed non eumdem uſum, at non quadrat iſta reſponſio, par namque ratio parem expoſtulat uſum. Textus Miſſalis difficultatem elideret, habet enim *Jube Domne*, non *Domine*, ſed non docet Meratus *par.* 2. *tit.* 6. *num.* 4. ex typrographorum oſcitantia *Domne* in Miſſalia irrepſiſſe, cum legi debeat *Domine*. Petrus Damianus *lib.* 3. *de Virgin.* refert hoc dubium a quibuſdam

Ere-

Eremiculis jam fuiſſe excitatum, atque reſolvit, eodem ſemper pacto officium divinum eſſe recitandum, æque ac ſi in communi diceretur, quia qui illud recitat, totius Eccleſiæ nomine orat, ac loquitur, eandemque repræſentat, quare ſicut hæc eſt una in pluribus, ita ea uno membro plures homines complectitur, ac conſequenter qui ſolus recitat, loqui poſſe, non ſecus ac ſi cum pluribus oraret, & ideo etiam dicit *Dominus vobiſcum*, *Oremus*, *Venite adoremus &c.* Equidem qui ſolus recitat, omnia dicere debet ut in Breviario, cum nulla exceptio facta ſit pro ſingillatim recitantibus, niſi forte pro confeſſione, & mutatio qualibet, vel levis, rigide maneat inhibita. Ratio, quam ex Damiano dedimus, poteſt eſſe optima; cur vero in Miſſa dicatur *Jube Domine*, & non *Domne*, non eſt facile ſtabilire, hæc tamen ratio congrua eſſe poteſt, quod Sacerdos ad Altare ratione excellentiſſimi miniſterii, quod exercet, aptius non videtur alium, quam Deum, in ſuperiorem agnoſcere, & ideo ſicuti ratione Pontificiæ dignitatis Papæ, & Epiſcopalis Epiſcopo, dum ad Matutinum in choro lectionem legunt, datum eſt dicere *Jube Domine*, & non *Domne*, ita idipſum datum eſt Sacerdoti celebranti. Quod autem ratione tantæ dignitatis his conceſſum eſt, traduci non poteſt ad ceteros, qui in choro nullum Superiorem haberent, ut ſcite monet Gavantus, ubi de cœremoniis agit, ſed ab aliis dici debet, etiam dum privatim dicitur, tanquam cum aliis, & coram Superiore diceretur, cum recitatio privata in locum publicæ ſubrogetur; dum autem qui ſolus recitat, ſibi petenti benedictionem impertit, aliorum nomine loquitur.

III. *Jube* præcedit brevis oratio, quæ dicitur *Abſolutio*, quod per eam *abſolveretur* nocturnum, inſtar orationis illius *Dominus nos benedicat &c.*, qua abſolvitur Prima, vel *Benedicat, & cuſtodiat nos &c.*, quæ dicitur ad completorii finem; operam enim perderet, qui alio pacto *Abſolutiones* iſtas explicare tentaret, cum nihil commune habeant cum abſolutione illa, quam remiſſionem etiam peccatorum appellare ſolemus, in tertia quippe tantum mentio fit peccatorum, quorum venia petitur: *A vinculis peccatorum noſtrorum abſolvat &c.* Ab hac tanquam nobiliori etiam ceteras *Abſolutiones* appellari cenſet Gavantus *ſect.* 5. *cap.* 11. *n.* 2., at cum in officio trium lectionum, quod olim erat frequentius, ut plurimum tertia abſolutio locum non habeat, non videtur; quomodo ceteris denominationem prædictam præſtare potuerit.

IV. Subſequitur denique benedictio, & circa octavam exoritur dubium, num in officiis Tranſlationum, Inventionum, Commemorationum &c. dici debeat *Cujus feſtum*, ut indiſtincte pro officio Sanctorum aſſignat Rubrica, an magis reſpective *Cujus tranſlationem*, *commemorationem &c.*, ut ſic nomen quadret officio, quod agitur. *Cujus feſtum* dicendum eſſe ſanxit Congregatio; cum enim Rubrica noſcat inter officia ipſa Breviarii Romani adeſſe, quæ propriam habent denominationem, ut Cathedræ S. Petri, Converſionis, & Commemorationis S. Pauli, Dedicationis, & Apparitionis S. Michaelis, Inventionis S. Stephani &c., & adhuc abſolute præſcribat: *Si officium ſit de Sancto 9. lectionum, octava benedictio erit, cujus feſtum &c.*; & nedum nihil in contrarium teneat in particularibus locis, quinimmo in Dedicatione, & Apparitione S. Michaelis expreſſe notet pro octava benedictione *Quorum feſtum*, dubium eſſe non poteſt, quin ita dici voluerit, quippe aliter ſe expreſſiſſet, ſi aliter voluiſſet, ut Rubrica Miſſalis præſcribit de feſtis Deiparæ juxta propria nomina in Præfatione nominandis.

V. Quæ ut magis aſſequaris, duo lubet adjicere. Primum, quod Rubrica ait, *ſi officium ſit de Sancto &c.*, officium autem eſt de Sancto, quocumque ſub nomine de eo ſit inſtitutum, & fortaſſe conſulto notavit *ſi officium*, & non *ſi feſtum*, ne dum de Sanctis ſub alio titulo agitur, ſub ejuſdem diſpoſitione putaretur non cadere. Alterum eſt, quod *feſti* vocabulum in ſacris ritibus pro *officio* uſurpari non ſemel vidimus, quinimmo officia ipſa votiva, ſeu *commemorationes* appellentur, quæ per annum ab Indultariis recitantur, non ſunt, niſi ipſa feſta repetita, inſtar octavæ, quæ licet vere feſtum non ſit, quia tamen eſt repetitio feſti, feſti nomen non effugit, & pro ejuſdem octava benedictione propterea abſque ulla abſurditate *cujus feſtum &c.* uſitatur; quis igitur adhuc ambigeret in præfatis officiis omnibus pro octava benedictione *cujus feſtum* eſſe dicendum?

VI. Prodeat Decretum aliud, & ſit 6. cap., in ord. 302. *Pro 8. benedictione in officio menſili S. Scholaſticæ, item in officio qualibet hebdomada de S. Benedicto, & in officio de B. M. V. Conceptione in Sabbatis, non eſt dicendum* cujus commemorationem &c. *ſed ſemper dicatur* cujus feſtum colimus &c. *S. R. C.* 5. *Maji* 1736. *in Einſid. apud Meratum in Indice Decret. Brev. n.* 91. Benedictio, quæ eſt undecima in officio Monaſtico, quod duodecim conſtat lectionibus, octava eſt in Romano, in quo ultra novem non recitantur lectiones, quare neceſſe haud eſt, te moneam, quod nonniſi uberem accipiunt confirmationem ſuperius tradita. Pittonus *de ſacr. ritib. numer.* 848. refert Decretum aliud S. R. C. 13. Februarii 1666., in quo in Converſione S. Pauli pro octava benedictione aſſignatur *cujus feſtum*, non *cujus converſionem*; at in Regeſtis Congregationis non reperiri docet Meratus *ſect.* 5. *cap.* 11. *n.* 6., facile tamen eſt, quod non ſit, niſi præcedens, cum ſub iiſdem die, & anno afferatur emanatum, in quo cum in officiis Tranſlationum, aliiſque hujuſmodi dicendum præſcribatur *cujus feſtum*, etiam Converſioni S. Pauli utique idem licuit accommodari.

DECRETUM VII. CAPITIS, IN ORDINE CCCIII.

Ubi celebratur feſtum SS. Gabrielis, vel Raphaelis Archangeli, ad octavam benedictionem dicatur, *Cujus feſtum colimus*, non vero *Quorum feſtum &c.* S. R. C. 13. Septemb. 1692. *in Hiſpalen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 173.

I. MArcellus Cavalieri Gravinenſis Epiſcopus, & patruus meus in Libro, cujus inſcriptio *Il Pellegrino al Gargano*, Lectorem inſtruens ſuper iis, quæ ad eruditiorum S. Michaelis attinent, nos docet ex lectionibus 2. nocturni, cur in ejuſdem feſtis dicatur pro octava benedictione *quorum feſtum*, quod fuit dubitandi cauſa, an itidem id præſtari deberet in feſtis SS. Gabrielis, & Raphaelis. En quæ habentur in ſexta lectione in feſto Apparitionis: *Eoque indicio demonſtraſſe, velle ibi cultum Deo in ſui, & Angelorum memoriam adhiberi*; & in Dedicatione: *Quo die etiam omnium Angelorum memoriam Eccleſia celebrat.* Quæ, uti & collecta eorumdem feſtorum, in qua aperte imploratur cunctorum Angelorum patrocinium, abunde oſtendunt, in iiſdem feſtis etiam aliorum Angelorum memoriam recoli, quare nonniſi *Quorum feſtum* dici debet, cum ſit benedictio per Rubricas dici præſcripta, quoties officium fit de pluribus; adnotata autem fuit in feſtis ipſis, ne ex nomenclatura S. Michaelis, quam aſſequuntur, deciperetur clerus, eadem putans in ejuſdem dumtaxat honorem inſtituta. Cum autem in officio SS. Gabrielis, & Raphaelis, horum Angelorum diviſim ſolum Eccleſia imploret auxilium, ut ex collectis aperte eruitur, quid, niſi *cujus feſtum*, unquam præſcribi potuit eſſe dicendum?

DECRETUM VIII. CAP., IN ORDINE CCCIV.

Lectiones primi nocturni in officio de feſto duplici majori ſumendæ ſunt ex ejus communi, ſi ex conceſſione non habentur propriæ. S. R. C. 12. Julii 1664. *in una Ordin. Minor. de Obſerv.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 89.

I. LEctionum uſus divino officio coævus non eſt, ſed ut alias admonuimus, a Monachis poſtmodum inductus; quo autem tempore Romæ cœperit, cum primum ſolum ſervaretur in Miſſa plene non conſtat. Canon tertius Concilii Laodicenſis anni 320. lectionem poſt ſingulos pſalmos fieri jubet: *Quod in conventu fidelium nequaquam pſalmos continuare conveniat, ſed per intervallum, ideſt per pſalmos ſingulos recenſeri debeant lectiones.* Cum lectiones officio inſeri cœperunt, e Scriptura peti ſolebant, & legebantur ex ipſo ſacro codice, & cujuſquam libri lectio, donec abſolutus eſſet, perdurabat. Eratque ejus, qui in choro præſidebat, jubere, ut lectio ceſſaret, quod faciebat dicendo *Tu autem*, reſpondente Lectore *Domine miſerere nobis*, & chorus dicebat *Deo gratias*, S. Gregorius *lib.* 4. *ep.* 44. Subdiaconos tantum, Clericoſque inferiores muneri legendi lectiones addicit, Concilium tamen Nicænum *anni* 787. *can.* 14. contentum eſt initiatis prima tonſura. Ut facilius audirentur ab univerſis, ſæpe lectores e ſuperiori loco lectiones prælegebant. *Qui ſuggeſtum aſcendunt*, ait Concilium Laodicenum *can.* 15., vel *ſuper ambonem legentes*, Concilium Nicænum *loc. cit.* Suggeſtus hi *Jube* vocabantur, quod lecturus benedictionem petens, diceret *Jube domne benedicere*.

II. *Aſcendens*, inquit Chryſoſt. hom. de Joann., & David, *qui legit, primo dicit librum, cujus eſt v. g. illius Prophetæ, & tunc profert, quæ ic dicit.* Id limita pro caſu, in quo liber incipiebat, quia ſemel perlecta Libri inſcriptione, ſequentibus diebus minime repetebatur; & hujus moris reliquia adhuc extat in die Natalis, in quo lectiones Iſajæ ſine titulo leguntur, & probabile admodum eſt, quod hæc ſit cauſa, ob quam capita etiamnum ſine titulo leguntur, quia olim erant continuatio illorum, quæ ad Matutinum, vel ad Epiſtolam Miſſæ recitata fuerant. Amalarius *lib.* 4. *cap.* 3. quærit, cur ad horarum capita, quæ pro lectione deſerviunt, nulla benedictio, ut ad nocturnos, petatur, & reſpondet, quia plerumque a Præpoſito recitabantur, unde a nemine veniam petere tenebatur.

III. Diſcimus ex D. P. Auguſtino, Ambroſio, aliiſque Lectionaria etiam fuiſſe conſtituta, in quibus continebantur lectiones per annum recitandæ, & iiſdem præſertim opus fuit, poſtquam plures nocturni inſtituti fuerunt, ne legerentur non approbata in 2., & 3. nocturno, & in primo, cui reſervatæ fuere lectiones de Scriptura, ne earundem prolixitate, quæ Præpoſiti arbitrio erat commiſſa, clerus tædio afficeretur. Libri Sacræ Scripturæ diſtributi fuerunt per annum, ſed quia nocturni contracti fuere, & homiliæ Patrum, & acta Martyrum addita, nec continenter, ut olim, perlegi poſſunt, Diſtributionis cauſas dant Auctores, quare nos dumtaxat advertimus, quod ſelectæ venere lectiones quædam ex Sacra Scriptura, quæ reſpective magis quadrare cenſitæ ſunt, & per Sanctorum communia eo fine diſtributæ, ut recitentur in primo nocturno, quando deficit Scriptura, aut feſtum ſolemniter in propria Eccleſia celebratur, ut præſcribit Rubrica 26. *num.* 9.

IV. His feſtis cenſet Gavantus *ſect.* 5. *cap.* 12. *num.* 14. ad majorem ſolemnitatem lectiones de communi concedi, & *num.* 15. laudatam Rubricam applicat feſtis quibuſcumque 1. & 2. claſſis, immo & Patronorum minus principalium, eo quod duplicia cuncta majora in Breviario vel propriis lectionibus, vel de reſpectivo communi inſigniuntur. Ad quæ conſonanter ſtabilit Decretum, quod lectiones 1. nocturni in officio de

feſto

feſto duplici majori ſumendæ ſunt ex ejus communi, ſi ex conceſſione non habentur propriæ: quare ſi feſtum aliquod, in quo lectiones de Scriptura occurrente legebantur, conſurgat eveli ad ritum duplicem majorem, continuo in eo legendæ ſunt lectiones 1. nocturni de ejus communi, etſi Decretum elevativum nec verbum habeat de iiſdem lectionibus. Quoad feſta duplicia majora id Gavantus limitat, ſi ob anguſtiam temporis ponendum ſit initium alicujus Prophetæ, vel alterius libri, quod alias vacaret, & limitationem in ſequentibus Decretis nos ipſi approbamus.

DECRETUM IX. CAPITIS, IN ORDINE CCCV.

In feſto S. Joannis Chryſoſtomi, quoad lectiones in primo nocturno legendas, ſervetur Rubrica Breviarii Romani, unde extra Quadrageſimam dicantur lectiones de Scriptura occurrente. Intra Quadrageſimam vero recitentur lectiones de communi Doctorum. Pro S. Joanne de Matha idem ſervandum, & in Quadrageſima dicantur lectiones de communi, ſcilicet *Beatus vir* &c. S. R. C. 5. Maii 1736. *in Einſidlen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. nu. 296.

I. DOctores Latinos præ Græcis id præſtat honoris Eccleſia, ut illis lectiones 1. nocturni de communi aſſignet, his de Scriptura occurrente, ut videre eſt in officiis SS. Athanaſii, Gregorii Nazianzeni, & Baſilii, quorum claſſi cum item S. Joannes Chryſoſtomus accreſcat, Rubrica Breviarii ſervanda decernitur, quæ eaſdem lectiones de Scriptura occurrente aſſignat. At quid ſi intra Quadrageſimam transferatur? Rubrica 26. *n. 9.* lectiones de communi præſcribit. Sed cujus communis erunt? *De communi Doctorum* reponit Decretum. Verum Breviarium titulum *Confeſſoris Pontificis* eidem duntaxat attribuit? Ita quidem, ſed octavo reſponſorio *In medio*, & Antiphona *O Doctor*, quæ ſunt Doctorum characteres, inſimul honorat, quidni igitur & lectionibus 1. nocturni de communi Doctorum cum de Scriptura occurrenti deficiunt? Idem eſto judicium de SS. Athanaſio, Gregorio Nazianzeno, & Baſilio, aliiſque, qui alicubi dictis Doctorum characteribus diſtincti venirent, ſecus de iis, quibus ſolum octavum reſponſorium foret conceſſum, quos cum Eccleſia iis, quæ pro Doctoribus ſunt dici inſtituta, omnimode non recognoſcat, nec noſtrum eſt iiſdem ulterius concedere, quare lectiones de communi Confeſſoris non Pontificis, vel Pontificis, prout eorumdem expoſcit qualitas, deſumendæ erunt in defectu earum de Scriptura.

II. Cum officium S. Anſelmi ritu ſemiduplici cum lectionibus 1. nocturni de Scriptura coleretur, anno 1720. 3. Febr. ritu duplici cum Antiphona *O Doctor*, reſponſorio *In medio*, Miſſa Doctorum cum *Credo* conceſſum eſt celebrari, & quæritur, num eidem lectiones *Sapientiam* debeant attribui, quando Scriptura non deficit? Pro parte negativa facit ſilentium, quod ſuper dictas lectiones ſervat Decretum, unde cum jus novum de iiſdem nihil diſponat, juris antiqui diſpoſitioni relictæ videntur, & præſertim quia Breviarium Romanum eaſdem de Scriptura aſſignat. Pro parte affirmativa ſtat praxis Eccleſiæ, quæ Doctoribus omnibus latinis ritu duplici celebratis, quorum in numero eſt S. Anſelmus, lectiones de communi *Sapientiam* concedit, idipſum præſtant Directoria particularium Eccleſiarum, etiam urbis Romæ, & noviſſime ſervat Meratus in ſuis Tabulis, unde communi huic praxi & nos deſerimus, nihili facientes Breviarium Romanum, cujus impreſſiones aliæ lectiones *Sapientiam* aſſignant.

III. *Pro S. Joanne de Matha idem ſervandum*, nempe extra Quadrageſimam lectiones erunt de Scriptura, ut notat Rubrica in eodem feſto poſita, & in Quadrageſima *de Communi*. At quæ primo, vel ſecundo loco ſunt poſitæ? *Scilicet*, ait Decretum, *Beatus vir*. Dictio *ſcilicet* de ſui natura eſt reſtrictiva, vel declarativa. Si quatenus reſtrictiva credatur poſita, deſignat, quod cum pro communi Confeſſoris non Pontificis cuique liberum ſit vel *Juſtus ſi morte*, aut *Beatus vir* uſurpare pro S. Joanne de Matha lectiones *Beatus vir* determinate aſſumi debent. Si vero quatenus *declarativa*, denotat integrum non eſſe quamlibet ex dictis lectionibus aſſumere, & explicat, quænam pro S. Joanne de Matha, aliiſque ſimilibus ſit uſitanda, quaſi diſcretio fieri debeat Confeſſores inter & Confeſſores. Ex praxi Breviarii Romani, quod ex Sanctis pluribus, qui in Quadrageſimam queunt incidere, uni S. Caſimiro *Juſtus ſi morte* adſcribit; putarunt aliqui lectiones has reſervandas eſſe iis Confeſſoribus, qui virginitatem uſque ad vitæ terminum ſervarunt illæſam, & caſtitatem ipſam morti prætulere, quod hoc acciderit in eodem S. Caſimiro. At cum Rubrica taceat, idem Breviarium in feſto S. Franciſci Aſſiſmatenſis, & adhuc liberalius Regulares Ordines, & Eccleſiæ particulares pro Sanctis indigenis dictas uſurpent lectiones, quas in approbatione officiorum particularium non ſemel etiam a Sacra Congregatione indiſcriminatim cernimus approbatas, id tuto ſtatui non poteſt, præſertim cum id quodammodo inſignibus Confeſſoribus ceteris Breviarii Romani, qui in Quadrageſimam valent incidere, & non minus virginitatem ſervaſſe credimus, atque fuiſſe paratos caſtitatem morti præferre, ſi neceſſitas vel occaſio exegiſſet, videatur injurioſum. Lectionum textus iis ex Confeſſoribus, qui in brevi conſummati, expleverunt tempora multa, ut & evenit in S. Caſimiro, eaſdem lectiones reſervatas facere poſſet, at fere cuncta itidem in oppoſitum militant, quæ nunc dicebamus, quare concludimus, quod licet id bene in utroque caſu in uſum veniat deductum, & textui quadret, eidem tamen non eſt adeo inſiſtendum, ut etiam ſecus fieri non poſſit.

IV. Conſimili de cauſa lectiones *de Virginibus* cum Gavanto *ſect.* 8. *cap.* 4. *num.* 3. Virginibus duntaxat conceduntur congrue reſervari, & lectiones *Confitebor* virginibus ſimul, & martyribus, quod in illis de virginitate tantum agatur, in his de martyrio, quod dum Eccleſia virginibus ſimul, & martyribus colorem rubeum aptat, ſuper virginitatem videtur Eccleſia æſtimare. Ceterum lectiones *de Virginibus* etiam pro virginibus & martyribus poterunt uſitari, uti eaſdem Eccleſia uſurpat in feſtis SS. Cæciliæ, & Luciæ, & præſertim quia Rubrica ſine ulla diſtinctione in communi illas aſſignat, & ſtatim ſubjungit reſponſorium *Veni Sponſa* pro ſolis virginibus, & martyribus, & iidem reſponſorium *Veni electa* pro ſolis virginibus dici præſcriptum. Hæc etiam ratio facit, quod in iiſdem Lectionibus laudatur virginitas, quæ quoque virginibus, & martyribus competit, quare non eſt, cur uſitari nequeant, ſicut quia lectiones *Confitebor* de martyrio loquuntur, iiſdem aptantur, etſi nihil de virginitate agant, ut in ſimilibus etiam diximus in cap. 32. agentes de Antiphona *Prudentes virgines*. Lectiones tamen *Confitebor* aptæ dici non ſunt in officio virginis non martyris, quod ſolius martyrii laudes efferant, ſicut nec lectiones *de Virginibus* in officio martyris non virginis, quia de ſola agunt virginitate.

DECRETUM X. CAPITIS, IN ORDINE CCCVI.

Quando October habet tantum quatuor Dominicas, ſervetur omnino diſpoſitio Breviarii Romani, & in feria V., VI. & Sabbato hebdomadæ IV. legantur lectiones de Dominica V. continentes hiſtoriam martyrii SS. Machabæorum. S. R. C. 5. Maji 1736. *in Einſidlen.* Ex Merato in Indice Decretor. Brev. num. 298.

I. PEr inſigne adeo extitit Machabæorum martyrium, ut Eccleſia, quæ a veteris legis Sanctorum cultu ſtuduit abſtinere, ſpeciali officio nedum prætereundum non eſſe cenſuerit, ſed etiam Rubricam quandam, quæ nunc ſervanda decernitur, in feriam V. Dominicæ IV. Octobris invexerit, ut conſuleret lectioni eorum, quæ fortiter iidem geſſere, quoties alias vacare deberet, eo quod illa hebdomadæ quintæ Octobris, quæ quandoque locum non habet, reperitur addicta. Speciale utique privilegium, quod nonniſi Librorum initiis per Rubricas legitur factum, quinimmo ſolo initio Libri Eſtheris; nam cetera initia hoc quidem habent, ut quoties in propria die ſunt impedita, in aliam transferantur, ſed non quando per ceſſationem eadem contingit deſinere, ut evenit in initiis, quæ ſuperveniente Septuageſima, vel Dominica prima Auguſti penitus ceſſant.

II. En modo Rubricam, quæ omnino ſervanda præſcribitur: *Si hæc hebdomada* (nempe quarta Octobris) *fuerit ultima Octobris, in tribus ſequentibus diebus* (ſcilicet in feria V. VI. & Sabbato ejuſdem hebdomadæ) *leguntur lectiones Dominicæ V., & feria II., & III. ejuſdem hebdomadæ.* Hucuſque Rubrica, quæ difficultates nullas patitur, cuique omnino conſonat ſanctio, nunc promamus ulteriora Rubricæ verba, & ſunt: *Qui ſi fuerint impediti, eo anno omittantur illæ lectiones, quæ his diebus legi non poſſunt.*

III. *Qui ſi fuerint impediti, eo anno omittantur &c.* Non poſſunt igitur ante feriam V. præfatam anticipari, nec poſt Sabbatum poni, ſed tres illæ dies duntaxat ſunt earundem utile ſpatium. Neque debent uniri, & ſex, aut novem eadem die legi, ut quæ ſunt impeditæ, omiſſioni non ſint obnoxiæ. Sed quæ earundem debebunt omitti? *Illæ, quæ his diebus poni non poſſunt.* Omnes lectiones iſtæ ſunt æque, & totæ, & integræ dici præſcriptæ, ſuaſque dies aſſignatas habent, quibus in caſu debent recitari, quare quæ earundem impediuntur, *Illæ* omiſſioni erunt obnoxiæ, nullo reſpectu habito, quod initium dicti martyrii nondum ſit poſitum; omnes enim, & earumdem quælibet ſe tamquam initia, unde omitti non poſſunt lectiones diei currentis, nec ipſarum aliqua, ut ponantur lectiones dici impeditæ, inſtar initiorum aliorum Librorum, quæ a die occurrenti poſſunt amoveri, & in alium transferri, ut in ſuo præcedentia initia impedita ponantur, nunquam vero cauſa his locum faciendi debent omitti. In eo autem diſcrimen habent ab initiis, quod cum horum una duntaxat lectio in præcepto ſit conſtituta, tria initia eadem die nihil vetat haberi, in noſtro caſu nec una lectio præcedentis diei poni poteſt, quia hoc ipſo ceſſare faceret alteram ex lectionibus, quæ non minus eſt legi demandata, & inſuper in propria ſede conſtitura, a qua cum totali ſui deperditione æquum non eſt detrudatur, ut in eam lectio altera intrudatur.

IV. Dices: Quoties Dominica quinta non vacat, ſi tamen eſt impedita per lectiones proprias feſti alicujus occurrentis, præſcribit laudata Rubrica, quod hiſtoria Machabæorum ponatur in ſequentibus feriis juxta ordinem hiſtoriæ, ita ut lectiones Dominicæ legendæ ſint in feria ſecunda non impedita, & lectiones feriæ ſecundæ in feria tertia &c., ergo idipſum erit, quoties in præcedenti hebdomada anticipantur.

V. ℞. Quod diſpar eſt ratio, nam ideo primum, quia Rubrica ſupponit, quod intra hebdomadam integra hiſtoria locum habere queat, quare ut hiſtoriæ ordo ſervetur, appoſite prius vult legi ejuſdem initium; quod ſine ullo evenit damno aliarum lectionum, quæ in ſequentibus feriis æque reſumitur. At in noſtro caſu lectiones, quæ ea die omitterentur, cauſa illas ponendi, aut ordinis ſervandi, non amplius reſumerentur in altera, ſed prorſus omitti deberent, & ideo ad Rubricæ præſcriptum illæ, quæ impeditæ manent, etiam debent omitti, praxis inſtar, quam in initiis ſervandam dicebamus.

VI. Ru-

Digitized by Google

VI. Rubrica, quatenus in caſu impedimenti lectiones prædictas omittendas diſponit, limitationes ſubit, quarum prima eſt, ut ſint omittendæ in Eccleſiarum Directoriis, in quibus ſat eſt neceſſarium onus, non arbitrarium aſſignare; cum enim modo multorum refrigeuerit charitas, & cleri fervor tepuerit, abunde ſat eſt lectiones præceptas præſcribere, ceterum ſi quis in earundem, quæ impediuntur, recitatione vult abundare ultra ex die aſſignatas, favorabiles habet Rubricas 3. 4. & 6., quæ de lectionibus agunt, quibuſque adducta non refragatur Rubrica, quæ in cleri levamen noſcitur edita.

VII. Simili anticipationis privilegio gaudet initium Libri Eſtheris, quoties Dominicam quintam Septembris, cui eſt addictum, vacare contingit, ſed tale privilegium eſt in favorem ſolius initii, quo poſito verb. gr. in feria v., ſit dubium, an in ſequentibus feria vi., & Sabbato legi debeant lectiones feriæ ii. & iii., an vero occurrentium feriæ vi., & Sabbati? Omiſſis lectionibus intermediis, communis praxis uſurpat lectiones correſpondentes feriæ vi., aut Sabbato, in quibus eas legit. Praxi hujuſmodi & nos adhæremus, utpote quæ Rubricis innititur, quæ infra hebdomadam, puta in feriam iv., translato initio aliquo, quod in Dominica occurrebat, in ſequentibus diebus legendas edicunt lectiones occurrentes, prætermiſſis iis præcedentium feriarum ii. & iii. ac ipſis feriæ iv., par enim haud eſt ratio de lectionibus Machabæorum, quarum omnes integrant eorundem martyrium; quod ut legatur, illæ ſunt anticipari præſcriptæ, & per tres dies a Rubrica diſerte diſtributæ; in noſtro autem caſu anticipatio unice fit ad ponendum initium, & lectiones feriarum ii. & iii. nullam particularem ſui poſitionis habent cauſam, nec a Rubrica ſequentibus diebus ſunt aſſignatæ, ſed ſolum hæc habet: *& legitur de eo* (nempe de Libro Eſtheris) *etiam duobus ſequentibus diebus;* quod cum æque fiat per lectiones feriæ vi., & Sabbati, non licet abſcedere a diſpoſitione Rubricarum generalium, quæ ut dicebamus, translato initio aliquo, in ſequentibus diebus occurrentes lectiones demandant.

DECRETUM XI. CAP., IN ORDINE CCVII.

Lectiones primi nocturni de Exodo, quæ leguntur in Dominica iv. Quadrageſimæ, quoties iſta ſit impedita aliquo feſto primæ claſſis, reaſſumendæ ſunt intra illam hebdomadam in feſto occurrente, carente lectionibus propriis primi nocturni, quæ deſumerentur de Scriptura occurrente, ſi feſtum illud extra Quadrageſimam incidiſſet. S. R. C. 26. Novemb. 1735. *in Hiſpalen.* Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 283.

I. NUM per feſtum primæ claſſis impeditis Dominicis Sexageſimæ (Septuageſima namque cum contineat initium libri Geneſis, hoc utique reſumi debet, quoties impeditur) Quinquageſimæ, ſecundæ, tertiæ, & quartæ Quadrageſimæ, lectiones primi nocturni earumdem Dominicarum infra hebdomadam reſumi debeant, dubium jam excitavit. Guyetus *lib. 4. cap. 16. qu. 3.*, illudque reſolvit affirmative, dummodo infra hebdomadam occurrat feſtum, non habens lectiones proprias, vel de communi aſſignatas, & ducitur, quia etſi lectiones prædictæ non ſint initia Libri alicujus, ſed mera continuatio, continent tamen ſingulæ inſignes hiſtorias ab aliis penitus diſtinctas, propriiſque nominibus, Nohemi videlicet, Abrahami, Jacobi, Joſephi, & Moyſis nuncupatas; quodque ad rem facit maxime, non fortuito, ſeu obvia currentis Libri ſerie, ſed cum delectu hiſce Dominicis privilegiatis addictas, utpote eximias ex Sanctorum Patrum interpretatione figuras, ac veluti præludia quædam myſteriorum Redemptionis noſtræ, cujus tunc primordia recoluntur. Addit, quod duæ ſaltem priores Nohemi, & Abrabam continuantur in ſequentibus feriis, quod niſi poſito initio, haud ſatis congruenter fieri a ſimili de aliis facile eſt inferre. Inſignis itidem Machabæorum hiſtoria, ne omitteretur, transferri decernitur, quidni igitur idipſum de prædictis erit dicendum?

II. Guyeti ſententia nunc quoad lectiones Dominicæ quartæ Quadrageſimæ, ſuper quibus Congregatio fuit interrogata, diſerte probatur, & ſaltem implicite etiam quoad hiſtorias ceteras, de quibus eadem procedit ratio. Hoc diſcrimen eſt inter iſtas hiſtorias, quod illæ Dominicæ Sexageſimæ, & Quinquageſimæ etiam in feriis reſumi debent, utpote in quibus lectiones Scripturæ leguntur, eæ vero aliarum Dominicarum ſolum in feſtis, quippe feriæ, cum gaudeant homilia ſuper Evangelium, aptæ haud ſunt lectiones Scripturæ ſuſcipere. Quarum hiſtoriarum utile ſpatium erit uſque ad ſequentem Dominicam, in qua cum occurrat hiſtoria alia, idem jus habens, præcedentem ceſſare facit.

III. Nunc videamus, in quibus feſtis reſumi debent. *In feſto carente lectionibus propriis*, ait Decretum, quare non vult, quod feſto præripiantur propriæ, ut illæ dicantur. Audi modo, quæ ſubjungit: *Quæ deſumerentur de Scriptura occurrente, ſi feſtum illud extra Quinquageſimam incidiſſet;* & hæc ad excludendas lectiones illas de communi, quæ ob delectum Scripturæ occurrentis feſtis aſſignantur, dum incidunt in Quadrageſimam. Hinc volo inferas, quod ſi feſtum aliquod lectiones de communi abſolute aſſignatas haberet, cum quibus & extra Quadrageſimam celebraretur, non erunt hæ omittendæ, ut præfatæ reaſſumantur hiſtoriæ, tam ſi hæ omittendæ forent, quæ per verba illa *Intra illam hebdomadam* nec anticipari, nec ulterius poſtponi poſſe ſtatuuntur. Hæ hiſtoriæ hoc commune habent cum martyrio Machabæorum, quod ultra propriam hebdomadam transferri non poſſunt; martyrium vero particulare id habet, quod in præcedentibus tribus diebus anticipari queat, ſed ſolum pro caſu, in quo propria ceſſat hebdomada, in cujus locum tres aſſertæ dies ſubrogantur, unde cum hebdomada propria aliarum hiſtoriarum numquam ceſſet, iiſdem hiſtoriis anticipationis privilegium non oportuit concedi, nec dies alias loco propriæ hebdomadæ ſubſtitui. Quod ſi tota hebdomada ſit impedita, omittantur hiſtoriæ illæ, uti omittitur Machabæorum hiſtoria, reſpective impedita propria hebdomada, ut tribus illis juxta caſuum diverſitatem, cujus poſitioni conſequenter præſens nos edocet Decretum conſulendum non eſſe per omiſſionem lectionum illarum propriarum occurrentis feſti, uti faciendum eſſe pro poſitione initii infra ſtatuemus.

IV. Dominicarum autem ſecundæ, tertiæ, & quartæ Adventus, ſi æque impediantur, par non eſt ratio, eo quod earum lectiones non continent particularem hiſtoriam, ſed ſunt mera continuatio Libri Iſaiæ, unde inſtar aliarum omitti debent, quoties impediuntur. Nihil denique addimus de Dominicis prima Adventus, & Quadrageſimæ, necnon de Dominicis Paſſionis, & Palmarum, utpote quæ a nullo feſto impediri valent. Hinc tamen volumus inferas, quod occurrente feſto non habente lectiones proprias in die, cui nullæ lectiones de Scriptura attributæ ſunt, recurri non debet ad commune Sanctorum, ſi adſit initium aliquod Scripturæ reponendum, ſed hoc erit recitandum, ut mandat Rubrica poſita in feſto SS. Cleti, & Marcellini, non obſcure eruitur ex præſenti Decreto, docent Gavantus *ſect. 7. cap. 11. n. 16.*, & Guyetus *lib. 4. cap. 16. q. 4.*, at hæc ratio oſtendit, quod eo in caſu non recurritur ad commune, niſi ob defectum Scripturæ, ac conſequenter ad commune recurrendum non eſt, quoties Scriptura non deeſt. Quod nota, quoniam hic caſus facile evenit in feriis Rogationum, & quatuor Temporum Septembris, quando initium præcedentis Dominicæ fuit impeditum.

DECRETUM XII. CAPITIS, IN ORDINE CCCVIII.

Si in Dominica iv. poſt Paſcha legantur lectiones initii Epiſtolæ B. Jacobi Apoſtoli, in feſto SS. Apoſtolorum Philippi, & Jacobi legendæ erunt lectiones ejuſdem Epiſtolæ, quæ occurrent dicendæ in illa feria. S. R. C. 5. Maii 1736. *in Einſidlen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 309.

I. VIx eſt, qui vim Decreti percipiat, quam nos brevi ſermone expedimus. Quoties feſtum SS. Philippi, & Jacobi occurrit infra Dominicam iv. poſt Paſcha, jam Rubrica eidem feſto præfixa, ſtatuit legendum eſſe de Epiſtola B. Jacobi eo die occurrente, cujus initium alias ſumendum non indicitur ob particularem rationem, quam ad feſtum habeat, ſed ſolum quia ea Epiſtola a S. Jacobo fuit edicta, quod æque verificatur de ejuſdem continuatione. At contingit non ſemel per feſtum impediri lectiones ejuſdem Dominicæ, quo in caſu ſi initium præcedenter fuit poſitum, adhuc omiſſis ceteris, quæ aliis feriis ſunt addictæ, in feſto SS. Jacobi, & Philippi dicendæ ſunt lectiones eo die occurrentes, quæ jam dicerentur, tametſi officium non foret de eodem feſto, ſed de alio, aut de feria. Verum ſi initium non fuit poſitum, non lectiones ejuſdem Epiſtolæ, quæ juxta ferias occurrunt, dici debent, ſed ejuſdem initium, & hoc eſt, quod Decretum innuere intendit; Rubrica enim, quæ occurrentis feriæ lectiones injungit, ſub conditione loquitur, nempe *ſi tunc ea Epiſtola legitur*, cui per eamdem conditionem concordat Decretum: *Si in Dominica iv. poſt Paſcha legantur lectiones initii*, quibus non lectis, utique opus eſt, prius ponatur initium, nedum quia initium eſt, ſed quia eſt illud, quod jam a feſto expoſcitur.

II. Quod ſi Dominica iv. occurrat die 2. Maii, tunc in feſto SS. Apoſtolorum ponatur initium, & ne idem initium in ſequenti die repetatur, in Dominica lege lectiones feriæ ſecundæ, ut præſcribit Rubrica eidem Dominicæ præfixa, & ad varietatem decilum fuiſſe aſſeri Gavantus *ſect. 6. cap. 15. n. 6.* Quæ autem modo dedimus, omnia æque currunt de feſto S. Joannis ante portam latinam relate ad Librum Apocalypſis, vel ad ejus Epiſtolam. Si denique feſtum S. Jacobi eveniat dividi a feſto S. Philippi, illi reſerventur lectiones de Epiſtola S. Jacobi, cujus gratia eædem ſunt inductæ, & pro feſto S. Philippi ſuppleantur ex communi Apoſtolorum.

DECRETUM XIII. CAP., IN ORDINE CCCIX.

Quando in menſe Novembris ſunt eadem die ponenda plura initia Prophetarum, dicenda eſt tantum unica lectio. S. R. C. 5. Julii 1698. *in Collen.* ex Merato in Indice Decret. Brev. num. 202.

I. LEx generalis eſt, ut quoties initium alicujus Libri impeditur, alia die reſumi debeat. Difficultas ſolum eſſe poteſt de Epiſtolis S. Pauli, quas nonniſi unum librum conſtituere cenſet Gavantus, quem alii ſequuntur, adeoque per inchoationem primæ Epiſtolæ ad Romanos ejuſdem initium ſufficienter eſſe poſitum, quin initia ſequentium Epiſtolarum, quoties impediuntur, alia die reaſſumi debeant. Idipſum conſequenter ſentit de Epiſtolis Canonicis B. Petri, & S. Joannis, quas nonniſi duos putat conſtituere diviſive libros, quorum initium per primam utriuſque Epiſtolam ſufficienter ponatur. Ita *ſect. 5. cap. 12. n. 12.*,

n. 12., & *ſect.* 6. *cap.* 17. *n.* 3., & ratio primo eſſe poteſt, quod Rubrica 26. *n.* 7. recenſet dumtaxat Epiſtolas Catholicas, & Prophetas minores, quorum initia ſint reſumenda, non vero Epiſtolas D. Pauli. 2. Nam eadem Rubrica *num.* 8. de Epiſtolis B. Pauli præſcribit nihil amplius eſſe legendum adveniente Dominica Septuageſimæ, quamvis de aliquibus nihil foret lectum. Opus eſt itaque, quod eædem omnes unus ſolum cenſeaotur liber, cujus initium ponatur per primam Epiſtolam juxta eamdem Rubricam *n.* 6., io qua circa ioitia aliorum Librorum ſit diſpoſitio.

II. Gavantus adverſantur Guyetus *lib.* 4. *cap.* 16. *q.* 2., aliique permulti, quod iiſdem Epiſtolis, non minus ac ceteris libris præmittatur *Incipit &c.*, quæ vox novum indicat librum, de quo æque abſurdum ſit legere, non poſito initio. Et quidem vel unus liber ſunt unitate numerica, & hoc eſt contra Tridentinum *ſeſſ.* 4. *de Libris can.* ubi inter libros Canonicos recenſentur 14. Epiſtolæ Pauli, quæ ſane tot eſſe non poſſent, niſi ſingulæ ab aliis ſingulis diſtinctæ haberentur. Vel quia ſunt ejuſdem Auctoris, ſed ejuſdem item ſunt Auctoris Libri quinque Moyſis, ejuſdem Lucæ Evangelium, & Actus Apoſtolorum, ejuſdem Joannis Apocalypſis, ejus Evangelium, & Epiſtolæ &c., & tamen ii omnes pro diverſis circumferuntur Libris. Vel denique ratione ejuſdem tituli, at eſt eadem quoque ratio tituli Librorum 2. 3. & 4. Regum, & 2. Machabæorum cum primo, & tamen omnes diverſi Libri cenſentur, & eorum initia, cum ſuis diebus ſunt impedita, alio die reſumuntur.

III. Frimum autem argumentum oppoſitæ ſententiæ de allegatæ Rubricæ ſilentio, cum ſit negativum, haud ſatis valet adverſus Rubricam generalem, quæ *n.* 6. docet aperte, initia Librorum, quando in propriis diebus impediuntur, in alteram non impeditam eſſe transferenda. De ſecundo denique par non eſt ratio, quia tunc contingit omiſſio ceſſatione, non impeditione, & ſolum in caſu impeditionis transferuotur initia, non autem ceſſationis, quare adveniente Dominica prima Auguſti omittitur, quidquid ſupereſt de Libris Regum, licet initia Libri 3. & 4. non fuerint poſita.

IV. En modo Rubricam 26. *n.* 7. quæ de initiis illorum Librorum, quorum plura ſimul eadem die poni queunt, quæque ex ſuperius dictis applicanda itidem venit Epiſtolis Pauli, licet harum minime meminerit. *Cum initium alicujus Epiſtolæ Catholicæ tempore Paſchali, aut alicujus Prophetæ minoris menſe Novembris infra hebdomadam illorum temporum impeditur aliquo feſto novem lectionum habente proprias lectiones de Scriptura, dictum initium Epiſtolæ, & Prophetæ, quoad commode fieri poterit, ponatur in ſequenti feria, alio ſimili initio Scripturæ ponendo, vel feſto non impedita; alioquin in præcedenti ſimiliter non impedita, ita ut aliquo modo ponatur, etiamſi plura initia eodem die poni oporteat.* Ordo itaque ſervandus in ponendis initiis, fert, quod in ſequenti feria primitus fiat, ſi per initium aliud, vel per feſtum habens lectiones proprias, non ſit impedita, ſin autem, in præcedenti ſimiliter non impedita. Non idem tamen impedimentum præſtant lectiones alterius initii, & lectiones propriæ feſti; nam hæ initia numquam ſecum compatiuntur, ubi unum initium eodem die ſtare poteſt cum altero, vel adhoc cum duobus; & in hoc caſu Decretum diſponit, quod unica tantum lectio initiorum dicenda eſt, ad tollendum nempe cleri gravamen, non neceſſitatem imponendo, ita ut ſi quis cujuſcumque initii tres lectiones ad modum unius legere velit, id arbitratu ſuo agere non valeat, ut diſerte eruitur ex Rubrica 23. *num.* 3. 4. & 6.

V. Limita ſanctionem ad caſum trium ſimul incidentium initiorum; ſi enim dumtaxat duo ſimul eodem die ponerentur, cum tres lectiones eo die legi debeant, profecto alterutrius initii duæ legendæ forent ad complendum numerum. At cujus initii duæ legentur? Duas deprome ex illo initio, quod ea die tres haberet, ſi initium aliud io eamdem diem non transfereretur; minus enim, quam fieri poteſt, lædi debet jus uniuſcujuſque.

DECRETUM XIV. CAPITIS, IN ORDINE CCCX.

Non poſſunt poni plura tribus initiis Prophetarum unica die. S. R. C. 5. Julii 1698. *in Collen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 203.

I. PRimum nocturoum nonniſi tribus conſtat lectionibus; ergo unica dies nonniſi tria patitur Prophetarum initia, quorum quodlibet unam ad minus importat lectionem; non enim ex pluribus Prophetis, quorum ſinguli diverſos conſtant Libros, una congrue fieri poteſt lectio, quando etiam id non cederet in cleri gravamen, ad quod auferendum unica initiorum, quando plura ſimul occurrunt, lectio ſtat legi præſcripta. Differens eſt ratio de feſto ſimplici duas habente lectiones, quæ cum ſint continuatio ejuſdem hiſtoriæ, bene jungi queunt; non ſic tamen Prophetæ, qui de eadem non agunt re, & aliunde adhuc per vocem *Incipit* dirumperentur lectiones illæ, quæ tentarentur uniri. Quid igitur agendum erit, quoties plura tribus inſtant ponenda? Diſtribuantur per reliquas ferias hebdomadæ. At quandoque cuncta intra hebdomadam locum non habent? Pro hoc caſu ſequentia Decreta recole.

DECRETUM XV. CAPITIS, IN ORDINE CCCXI.

Ubi ſunt plura officia habentia primas lectiones proprias, poſſunt omitti aliqua ex dictis initiis Prophetarum, occurrente legitima cauſa, S. R. C. 5. Julii 1698. *in Collen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 204.

I. UNoquoqae die hebdomadæ quintæ Novembris unum incidit Prophetarum initium, & non ſemel tot cadunt feſta tum Breviarii Romani, tum Kalendarii particularis, proprias habentia lectiones, ut etiamſi tria ex iiſdem initiis per hebdomadæ dies diſtribuantur, cuncta locum habere non poſſint; quid igitur erit agendum? Reponit Decretum: *Poſſunt omitti aliqua ex dictis initiis Prophetarum.* Cui omiſſioni ſuffragatur citata Rubrica *n.* 7., quæ de initiis reponendis per hæc verba profatur, *quoad commode fieri poterit.* Gavantus *ſect.* 6. *cap.* 21. *n.* 12., aliique, quibus nec refragatorem ſe oſtendit Guyetus *lib.* 4. *cap.* 16. *q.* 6. Supereſt ſolum videre, quandonam omiſſioni præfatæ locus patere queat, quoniam nobis Decretum patefacit, id fieri poſſe *occurrente legitima cauſa*, quæ proculdubio alia eſſe debet a multiplicitate feſtorum habentium lectiones proprias, quippe hujus prius meminerat, & adhuc occurſum legitimæ cauſæ expoſcit, quænam autem ſit hujuſmodi cauſa, io duobus ſequentibus Decretis tradere reſervamus.

DECRETUM XVI. CAP., IN ORDINE CCCXII.

Quando in feſto aliquo lectiones aſſignantur legendæ, ſive propriæ, ſive de communi, omittitur etiam initium Scripturæ, quod reponendum eſt infra hebdomadam in officio ritus inferioris, minoris dignitatis, & ſolemnitatis, etiamſi tale feſtum habeat lectiones proprias, aut ſint de Scriptura. S. R. C. 5. Maii 1736. *in Einſidlen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 297.

I. COmmune hoc habent initia quælibet, ut in propria die impedita, transferri quidem poſſint, ſed ſolum intra hebdomadam, cui ſunt addicta, ut diſerte advertit Gavantus *ſect.* 5. *cap.* 12. *num.* 12., & non obſcure eruitur ex iis, quæ ſuperius dedimus agentes de Machabæorum martyrio, aliiſque hiſtoriis inſignibus, quæ ſi locum non habent in propria hebdomada, vel in diebus ſubſtitutis loco propriæ hebdomadæ, quoties hæc ceſſat, omittendæ magis ſtatuuntur, quam extra eamdem traſferendæ. Dignum, quod ad rem advertatur, profecto eſt, quod Rubrica 26. *n.* 6., dum loquitur de initiis, quæ in Dominicis inchoantur, meminit ſolius ſequentis diei, non præcedentis, in quam transferantur in caſu impedimenti, & *n.* 7., dum Epiſtolas, aut Prophetas minores in præcedentem etiam diem anticipari concedit, diſerte ſe explicat de iiſdem, qoi *infra hebdomadam* impediuntur: cur aotem hoc, niſi quia noo vult, quod initia extra propriam hebdomadam transferri valeant, quod illico eveniret, ſi libri incidentes in Dominicam, poſſent impediti anticipari, unde rite ait Guyetus *lib.* 4. *cap.* 16. *quæſt.* 5. de Prophetis minoribus: *Item cum per duas hebdomadas diſtributi ſint Prophetæ illi minores, cavendum, ne ullus extra ſuam hebdomadam reſumatur.* Quoniam vero ex Libris quidam ſunt, quorum lectio per duas, aut plures hebdomadas perſeverat, dubium non eſt, quod per hebdomadas omnes, quibus eorumdem lectio durat, etiam eorum initium reſumi valet, nec tamen propterea cenſetur eorum initium extra ſuam hebdomadam transferri, quia tunc hebdomadæ omnes, per quas præfatorum Librorum lectiones ſunt diſtributæ, cenſentur, & ſunt propria illorum hebdomada.

II. Hæc igitur lex ſit initiorum reponendorum, ut quæ in Dominicas incidunt, nunquam anticipari valeant, ſed ſolum transferri per hebdomadam, vel hebdomadas, quibus ſunt addicta. Quæ infra hebdomadam recurrunt, locentur in ſequenti die non impedita feſto habente proprias lectiones, vel alio initio, alioquin in præcedenti ſimiliter non impedita, ita ut in paritate impedimenti ſemper ſequens dies ſit præferenda, dummodo ſit intra hebdomadam. Diximus *in paritate impedimenti*, quia ſi ſequens dies impedita foret per feſtum habens lectiones proprias, & præcedens per initium aliud, tunc non in ulteriorem ſequentem diem initium rejiciendum foret, ſed in memotata præcedenti collocandum, quia initium, quod ipſa habet, ejus eſt quidem rationis, ut reſpuat aliud initium, quod ſine ullo alterius initii damno in alia die poni valet, non tamen ejus eſt conditionis, ut quando alias fieri non poteſt, nequeat ſecum initium aliud compati, cujuſmodi eſt feſtum habens lectiones proprias.

III. Gradimur modo ad Decretum, a quo primitus edocemur, quod ſi occurrat feſtum habens lectiones proprias, vel de communi aſſignatas, legendæ eæ ſunt, tametſi eadem die occurrat initium alicujus Libri, quod in caſu omittitur, nempe *pro ea die*, eſt quippe *reponendum infra hebdomadam*, quare & de altero, quod ſuperius dicebamus, manemus inſtructi, quod ſcilicet initium quodlibet eſt reponendum ſolum intra, numquam extra propriam hebdomadam. Hæc in ſuperioribus jam fuerunt diſcuſſa, non ſic quæ ſequuntur, nempe quod tale initium ſit reponendum *in officio ritus inferioris, minoris dignitatis, & ſolemnitatis, etiamſi tale feſtum habeat lectiones proprias*, ac conſequenter quod hujuſce feſti lectiones propriæ omitti debeant gratia locum parandi prædicto initio. Indubium eſt hunc ad effectum expoſci, quod alias præfatum ini-

Google

initium diem liberam non reperiret, Rubrica namque, atque Decreta conſtanter ſemper amandant initia ad primam diem non impeditam per feſtum habens lectiones proprias, & quando propria commoda æque poſſunt haberi, his conſulendum non eſt cum alterius incommodo.

IV. Quatenus vero loco lectionum propriarum feſti ponantur lectiones initii alioquin omittendi, congrue utique parcitur feſto altioris ritus, majoris dignitatis, & ſolemnitatis, & hac de cauſa ſupprimuntur lectiones feſti inferioris. Quod ſi feſta ſint undequaque paria, illud cedat, in quod cadit initium. Omiſſioni autem earumdem lectionum cauſa ponendi initii ſuffragatur admodum Rubrica olim poſita in feſto SS. Angelorum Cuſtodum de omittendis propriis eorum lectionibus primi nocturni pro ponendo Libro Eſtheris, nunc abraſa quidem, ſed quia cum feſtum eorundem Angelorum diei 2. Octobris fuerit addictum, ad effectum non amplius poterat deſervire. Hæc itidem fuit ſententia Gavanti *ſect.* 5. *cap.* 12. *n.* 15., qui & id in poſtrema recognitione Breviarii aſſerit fuiſſe decretum, & Guyeti *lib.* 4. *cap.* 16. *q.* 6., quod tamen fieri non probat in feſto Dedicationis, Patroni Eccleſiæ, aliove iis pari, ſcilicet primæ claſſis, tu autem idem cum Gavanto judicium facito de duplici 2. claſſis, hujuſmodi enim feſta plurimæ ſunt ſolemnitatis, & ideo importare credimus *cauſam illam legitimam*, ob quam præcedens Decretum ſtatuit omitti poſſe aliqua ex initiis Prophetarum.

V. Plurimum negotii alicui faceſſent verba illa Decreti, *Aut ſint de Scriptura*, quaſi initia rejicienda non ſint in primam diem non impeditam per lectiones proprias feſti, ſed magis in feſtum ritus inferioris, aut minoris dignitatis, vel ſolemnitatis, etſi hoc non occurrat in prima die ut ſupra non impedita, nec pro præfato initio ponendo omittendæ ſint lectiones ejuſdem propriæ, uti nos exponebamus Decretum. Verum facilis eſt ſolutio; to enim *Aut de Scriptura* non ſtat pro Scriptura occurrente, ſed pro Scriptura, quæ pro lectionibus primi nocturni in communi eſt aſſignata, & hoc conſonanter ad priora Decreti verba: *Aſſignantur legenda ſive propria, ſive de communi*, ubi lectiones propriæ diſtinguuntur ab iis de communi, & ut poſteriora concordent prioribus, opus eſt, quod to *Aut de Scriptura* ſtet pro lectionibus de communi.

DECRETUM XVII. CAPITIS, IN ORDINE CCCXIII.

Quæſitum fuit: an ſi per Dedicationem Eccleſiæ, vel aliud feſtum cadens in Dominica, impediatur initium Scripturæ alis Dominicæ, & per octavam non ſit locus pro ea, eo quod omnes dies ſint dies infra octavam præter unam forte, quæ tamen habeat lectiones de communi aſſignatas, tunc tale initium ſit omittendum, vel potius reponendum in illo feſto, omiſſis lectionibus aſſignatis, & quid ſi illud ſit duplex majus? Et reſponſum fuit. Initium Scripturæ aut transferendum eſt ad diem liberam, etiamſi poſt octavam hoc eveniat, aut anticipate legendum, ſed in officio, pro quo aſſignatæ ſunt lectiones de communi, illæ ſunt legendæ. Quod faciendum eſt etiam in duplici majori, juxta Rubricam Breviarii de lectionibus. S. R. C. 5. Maii 1736. *in Einſidlen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 307.

I. VIm ut aſſequaris quæſiti, fas eſt, advertas Decretum hocce fuiſſe emanatum pro Breviario Benedictino, in quo dies infra octavam non habent niſi tres lectiones de vita Sancti, de quo fit officium, & inſtar feriarum de homilia aptæ non ſunt ſuſcipere lectiones primi nocturni, & ideo quæſitum fuit, an cauſa dicti initii ponendi ſupprimi debeant lectiones propriæ feſti infra octavam occurrentis; ubi in Breviario Romano, in quo dies infra octavam non minus novem lectionibus conſtant, quærendum magis fuiſſet, an demi debuiſſent lectiones propriæ alicujus diei infra octavam, ſi tales haberet, cum dies infra octavam cedant feſto etiam ſemiduplici. Reapſe itaque Decretum in uſum non eſt addictorum Breviario Romano, accommodari tamen poteſt relate ad octavam habentem lectiones proprias, aut ſi tota hebdomada impedita ſupponatur per feſta gaudentia propriis lectionibus.

III. Stabilit itaque, quod *initium Scripturæ aut eſt transferendum ad diem liberam*, & hoc extra dubium eſt, ſi adſit dies libera, in quam transferri valeat. *Etiamſi poſt octavam hoc eveniat*. Id limita, ſi poſt octavam duret lectio ejuſdem Libri, quia ut dicebamus in præcedenti Decreto, alioquin initium ab una hebdomada in aliam transferri non poteſt: *Aut anticipate legendum*. Fallit hoc, ſi initium incidat in diem Dominicam, ante quam anticipari non valet idem initium, ſed ſolum poſtponi, ut in Rubricis, & Auctoribus demonſtravimus in citato Decreto. Dices: Sanctio eſt de initio incidente in Dominica. Ita quidem relate ad petitionem, ſed non relate ad reſponſionem, quæ generatim lata dignoſcitur pro quocumque caſu, in quo initium impediri contingit, & conſequenter intelligi debet ad Rubricarum tramites, ita ut to *Aut anticipate legendum* applicari debeat initiis illis, quæ infra hebdomadam impediuntur, ſicut to *Aut transferendum ad diem liberam, etiamſi poſt octavam hoc eveniat*, revera ſolum competit initiis in die Dominica, nam alia adeo differri non valent, cum viciniores præcedentes dies ſunt liberæ, ſed in has anticipari debent. Dubium quodlibet adimit præcedens Sanctio, nam cum ſit *in eadem Einſidlen. & ſub iiſdem die, & anno* edita, ſi initia unius hebdomadæ in præcedentem anticipari, aut ſequentem rejici poſſent, initiorum poſitioni conſulere non debuiſſet per demandatam omiſſionem propriarum feſti occurrentis, cum ſemper vel præcedenter, vel ſubſequenter diem liberam repeiſſent, niſi dicere volumus, quod Congregatio ſimul, & ſemel contraria ſtatuerit, quod nefas eſt & excogitare.

III. Hac eadem de cauſa verba illa, *ſed in officio, pro quo aſſignatæ ſunt lectiones de communi, illæ ſunt legendæ. Quod faciendum eſt etiam in duplici majori*, reſtringenda veniunt ad clauſulam, *Dummodo poni non inſtet initium, alioquin omittendum*, cum exceptione tamen duplici primæ, & ſecundæ claſſis, ut dicebamus in præcedenti Decreto *in eadem Einſidlen.* edito, cum quo præſens indubie debet concordari.

DECRETUM XVIII. CAP., IN ORDINE CCCXIV.

In feſto S. Margaritæ Scotorum Reginæ ab aliquibus Breviariis expungi debent ultima verba lectionis: *Cujus feſtum ab eodem Pontifice conceſſum, Innocentius XI. ad octavo idus Julii transferri juſſit.* S. R. C. 5. Maii 1736. *in Einſidlen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 299.

I. ORdo, qui adhuc tribus ante Paſcha diebus ſervari ſolet, reliquia quædam eſt, & exemplum olim ſervati moris circa lectiones, cum primum tres nocturni inſtituti fuere. In primo Nocturno legebatur de veteri Teſtamento, in tertio de novo, non tamen ex Evangelio, quod Miſſæ lectioni deſtinatum erat, & in ſecundo Patrum ſermones varietatis gratia inſerti fuere; mos enim legendi in divino officio acta Sanctorum, quæ probabiles habebant Auctores, ſæculo octavo fortaſſe dumtaxat inolevit, ea vero legendi ad Miſſam ante Epiſtolam, eſt Evangelium cum brevi eorundem repetitione in Præfatione, & ſub Miſſæ medium Epiſcopo Cathedram conſcendente (unde traxerunt originem homiliæ, ſeu Sermones Patrum in martyrum laudem pronunciatæ) explicatione, admodum antiquior eſt, fiebatque prævia eorumdem actorum diligentiſſima cognitione, unde D. P. Auguſtinus ſerm. 2. de S. Steph. *Cum aliorum martyrum geſta vix inveniamus, quæ in eorum ſolemnitatibus recitari poſſimus, hujus Paſſio in canonico libro eſt.* Qui mos ſervatus fuit in Gallia ad IX. uſque ſæculum, in Hiſpania vere ultra X., actis ipſis inſertis in Miſſalibus, & Sacramentariis, numquam vero in Miſſali, & Sacramentariis Eccleſiæ Romanæ, ut diſcimus ex Miſſalibus Gelaſiano, & Gregoriano quæ ſolum in Præfationibus martyrum, & generum tormentorum parce, & caute meminerunt.

II. Brevi nunc ſermone complectimur Decreti expoſitionem. Clemens X. ad libitum cleri officium S. Margaritæ die 10. Junii quotannis celebrandum indulſit, die ejuſdem natalitia juxta Baronium *in notis ad Martyr.* At cum via uno, aut altero anno celebrari poſſet ob frequentem occurſum tunc temporis octavarum Pentecoſtes, & Corporis Chriſti, Innocentius XI. illud transferri juſſit ad diem octavam Julii, qua de cauſa in fine ſextæ lectionis adnotatum extitit; *Cujus feſtum ab eodem Pontifice conceſſum, Innocentius XI. ad octavo idus Julii transferri juſſit.* Anno 1693. die 21. Febr. idem officium Decretum extitit ſemiduplex de præcepto, & cum hoc ipſo ceſſaſſet ratio translationis ejuſdem ad diem octavam Julii, utpote quod ſi impediebatur, gaudebat beneficio translationis, priori ſuæ ſedi, & diei natalitiæ fuit reſtitutum. Verba itaque illa *cujus feſtum &c.* cum non quadrarent amplius, & ſolum apta forent dubia excitare circa diem ejuſdem feſti celebrandi, a Breviario fuerunt expuncta, ſed cum in nonnullis ejuſdem impreſſionibus adhuc haberentur, nunc Congregatio eorumdem expunctionem demandat; memoria enim præfatæ translationis nihil habebat commodi, & ſolum apta erat dubia ut ſupra excitare, unde tanti facta non fuit, ut ejuſdem retentioni conſulendum foret per adnotationem aliam ejuſdem feſti deinceps ad propriam ſedem reſtituti.

DECRETUM XIX. CAP., IN ORDINE CCCXV.

In tertio nocturno pro feſto S. Joannis Nepomuceni, tam intra, quam extra tempus paſchale ſemper dicatur Evangelium, *Nihil eſt opertum &c.* cum ſua homilia. S. R. C. 5. Maii 1736. *in Einſidlen.* Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 300.

I. JAm diximus, quod ad tertium nocturnum lectiones olim erant ex novo Teſtamento, ſed non ex Evangelio, quod Miſſæ lectioni reſervatum erat, ſæculo autem VII. juxta Meratum *ſect.* 5. *cap.* 12. *n.* 11. invectus fuit ritus legendi Evangelium, ſed ſolum quoad initium ad nimiam officii longitudinem evitandam, & ut daretur locus homiliæ, ſeu cujuſdam Patris explanationi ſuper idem Evangelium, ſicuti plerumque lectiones 2. nocturni depromptæ erant ex Patrum ſermonibus ſuper lectionibus primi nocturni, ex veteri Teſtamento excerptis. Grancolas hujuſce moris originem deducit a Regula S. Benedicti, ſed hic *cap.* 11. tantum præſcribit, ut poſt *Te Deum* legatur lectio, de Evangelio, nulla facta homiliæ legendæ mentione.

II. Paſchale tempus habet hoc præcipuum, ut peculiari officio eos colat, qui conſortes fuerunt Dominicæ Paſſionis, ubi pro Sanctis ceteris idem uſurpat officium cum additione ſolius vocis *Alleluja*. Præfatum officium ita paſchali tempori eſt proprium, ut feſtis eorumdem cunctis ſive occurrentibus, ſive in idem translatis adhibeatur, non tamen iis eorumdem, quæ a paſchale ad non paſchale transferuntur, in quibus hoc ipſo abſtinetur a recitatione eorum, quæ paſchali tempori ſunt

propria. Id tamen limita, ſi feſtum habet aliquid proprium, quod & paſchali tempore retinetur; & idipſum eſt, licet proprium non ſit, ſed de communi, dummodo eidem particulari de cauſa competat, illique ſit appropriatum. Exemplum S. Hermenegildi, in cujus officio, quia particulari de cauſa, nempe quod perfidi Patris minas contempſerit, inductum fuit Evangelium *ſi quis venit ad me, & non odit Patrem ſuum*, licet hoc ſit communi martyrum extra tempus paſchale, una cum ejuſdem homilia etiam paſchali tempore retinendum eſſe docet Rubrica ipſa Breviarii in eodem feſto poſita.

III. Pluribus locis noviſſime indultum extitit officium S. Joannis Nepomuceni, cui fuit aſſignatum Evangelium *Nihil eſt opertum* cum ſua homilia; at cum hujuſmodi Evangelium aptetur ab Eccleſia martyribus extra tempus paſchale, in eorumdemque feſtis recitetur, dubium ortum eſt, an in officio præfato recitari dumtaxat deberet, dum extra paſchale tempus transfertur, an vero etiam paſchali tempore? Reſpondit Congregatio, quod etiam paſchali tempore eſt recitandum, & deciſionis ratio eſt eadem, quam diximus de S. Hermenegildo, quia nempe tale Evangelium cum homilia eidem appropriatum extitit, qui ad ſacramentale ſecretum cuſtodiendum, non minas, non conſilia, non poteſtates inſectantium, & nullum corporis ſui caſum pertimuit.

IV. Decretum aliud ad lectiones 3. nocturni attinens, refert Meratus in ſuo Indice Brev. num. 302., & ſit 20. Cap., in ord. 316., videlicet: *Dominica tertia poſt Paſcha, ubi celebratum eſt feſtum S. Raphaelis Archangeli, in tertio nocturno recitetur homilia S. Joannis Chriſoſtomi, nempe* Cum vellet Deus &c. S. R. C. 5. *Maji* 1736. *in Einſidlen.* Verum cum univerſalis nil habeat commodi præſens Decretum, quod pro officio proprio particularibus locis conceſſo noſcitur editum, ne per inanem ejuſdem expoſitionem locus præripiatur nobis dandis melioribus; digredimur ad ſubdenda, quæ ad pleniorem præcedentis expoſitionem deſiderantur. Sunt autem, quod ſi quis ex martyribus habeat lectiones 2., aut 3. nocturni ex communi martyrum temporis paſchalis depromptas, commutari debent in eas ex communi martyrum temporis non paſchalis, ſi extra tempus paſchale transferri contingat; & e contra, ſi a non paſchali ad paſchale transferatur, lectiones ex communi martyrum temporis non paſchalis in eas temporis paſchalis permutari debebunt. Quod ut ſupra limita, ſi quæ officio, quod agitur, ſint appropriatæ.

DECRETUM XXI. CAP., IN ORDINE CCCXVII.

Cum ſæpe contingat, ut in Diœceſi celebretur unum, & idem feſtum, & alii in tertio nocturno unum aſſignent Evangelium, alii vero aliud, Religioſi ſequi debent ordinem proprii Breviarii. S. R. C. 5. Maji 1736. *in Einſid.* Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 301.

I. DE officio communi Kalendario Diœceſis, & Kalendario Regularium Sanctio procedit, & cum Breviarii Rubricæ inſtar legum ſe habeant, jure præſcribitur, quod Religioſi ſequi debeant ordinem proprii Breviarii quoad lectiones 2. nocturni, non attentis iis, quas recitat Clerus Sæcularis. Differens eſt ratio de officio pure Diœceſano, cujus recitationi ſi Regulares incumbunt, cum id non præſtent, niſi ratione indulti Diœceſi conceſſi, ad hujus tramites æquum eſt etiam Regulares ſe accommodent, & cum Sæculari Clero ſe conforment. Quod de lectionibus tertii nocturni indictum dignoſcitur, pari ratione ad cetera non minus extende.

II. Attamen volo duas Decreto limitationes adhibeas, quarum una ſit, ſi vi Kalendarii Diœceſani Regulares altiori ritu celebrent feſtum, quam habeat in Breviario Religionis; cum enim tunc utantur indulto Diœceſis quoad ritum, opus eſt & illud ſequantur quoad qualitatem officii. Altera eſſe poteſt quoad conciones, & lectiones, quas iis diebus Regulares haberent ad populum, in iis quippe debere ſe conformare Evangeliis, & Epiſtolis, quibus Clerus Sæcularis utitur illis diebus feſtis, cenſuit Congregatio Concilii apud Barboſam *in Concil. Trid. ſeſſ.* 25. *cap.* 12. Equidem hæc loquitur dumtaxat de diebus feſtivis, de quibus potior videtur eſſe ratio; ego tamen nec refragarer Decretum extendi ad cauſam præſentis Sanctionis, aliumve quemcumque ſimilem, dummodo tamen concio ea, aut lectio proferatur ſub titulo Scripturæ occurrentis, alioquin cenſeo cuicumque liberum, ſuper quemlibet Scripturæ textum quavo die concionem, vel lectionem habere.

DECRETUM XXII. CAP., IN ORDINE CCCXVIII.

In Dominica in Albis poteſt legi nona lectio de ſimplici feſto occurrente, ut accidit anno 1735. de Sancto Aniceto. S. R. C. 5. Maji 1736. *in Einſidlen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 302.

I. RUbrica *de lect. num.* 3. quinque conditiones expoſcit, ut nona lectio de occurrente feſto ſimplici recitetur, quoties ejuſdem officium impeditur. Prima eſt, ut officium, per quod illud impeditur, ſit novem lectionum, nona quippe lectio haberi non poteſt in officio trium lectionum. Secunda, quod idem officium nono careat reſponſorio, quare nona lectio ſimplicis abigitur a Dominicis Adventus, & Quadrageſimæ, aliiſque, in quibus nonum dicitur reſponſorium. Tertia, quod officium, quod agitur, commemorationem ſimplicis non reſpuat, ſaltem in laudibus, unde in officio duplici primæ claſſis, quod recuſat commemorationem ſimplicis, nec hujus lectio admittitur, bene vero in duplici 2. claſſis, quod ſimplicis commemorationem patitur in laudibus, commemoratio namque ſtat loco officii, propterea ſi illa locum non habet, utique nec nona lectio. Quarta, quod ſimplex habeat propriam lectionem, ſcilicet de ejuſdem hiſtoria, ſeu vita, unde nona lectio non dicitur de ſimplici, verb. gr. de S. Patronilla, in cujus officio lectiones de communi deſumuntur, dicitur quippe lectio de ſimplici, ut ejuſdem laudes, & merita promantur, nobiſque ejuſdem vitæ tenor in exemplum deſerviat, quem ad effectum minime facit lectio de communi, quinimmo magis confert lectio ſuper occurrenti Evangelio. Quinta, quod ſimul non occurrat legenda nona lectio homiliæ Dominicæ, aut feriæ, quippe cum his feſtum ſimplex cedat officium, utique & cedere debet nonam lectionem. Cum itaque Dominica in Albis ſit officium novem lectionum, nono careat reſponſorio, ſimplicis commemorationem non reſpuat, ejuſdem quippe officii ritus eſt ſolum duplex majus, licet ſit primæ claſſis quoad vim, & privilegium excludendi officium aliud occurrens, nec legenda occurrat nona lectio homiliæ Dominicæ, aut feriæ, cur in ea locum non habebit nona lectio occurrentis ſimplicis, ſi hoc eam habeat propriam, ut evenit in propoſito caſu S. Aniceti? Idem judicium facito de vigilia Pentecoſtes.

II. Ad Rubricarum mandata omiſſa nona lectione officii, vel octavæ lectioni adjuncta legitur nona lectio Sancti ſimplicis, qui ſi duas lectiones habuerit, ex duabus fit una lectio, ut tota Sancti legatur hiſtoria. An autem, quoties in nona lectione laus aliqua habetur, aut agitur de Sancto, de quo fit officium, ex octava, & nona lectione fieri debeat una lectio, affirmat Gavantus, quinimmo *in ſect.* 7. perſæpe legendas aſſignat utraſque, & deduci videtur ex eo, quod de feſto ſimplici modo dicebamus præſcriptum. Verum etſi id fieri ſit ſatius, & convenientius, a Rubrica tu ne diſcedito, quæ univerſim relinquit liberum, vel nonam lectionem omittere, vel eamdem octavæ adjungere; exceptionem enim feciſſet, ſi junctionis præfatæ onus imponere voluiſſet, ſicut eamdem diſerte fecit de feſto ſimplici, de quo fortior utique procedit ratio, utpote de quo alias hiſtoria admodum diminute diceretur, ubi de illo integra dicta fuit in lectionibus ſecundi nocturni, & in nona lectione ut plurimum vix aliquid attingitur, quod minimæ eſt conſiderationis.

DECRETUM XIII. CAP., IN ORDINE CCCXIX.

Quæſitum fuit, an in *feſto* S. Luciæ 13. Decembris in officio poſſit legi nona lectio propria alicujus Sancti ſimplicis, ut de S. Judoco ſolet legi in hac Diœceſi, de quo illa die fit commemoratio? Et S. R. C. reſpondit affirmative die 23. Junii 1736. *in Brugen.* Idem omnino confirmavit die 16. Februarii 1737. *in Mechlinen. ad* 6. *dubium*, ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 320.

I. COnditiones omnes quas pro nona lectione dicenda de occurrenti ſimplici in præcedenti Decreto ex Rubricis recenſuimus, in præſenti caſu concurrunt, quare dubium eſſe non poteſt, quod nona lectio legenda non ſit. Dubitandi triplex potuit eſſe ratio, quarum prima petitur ex Rubrica *de Feriis num.* 1., quæ firmant in feriis Adventus de ſimplici tantum fieri commemorationem. Secunda, quod in feriis Quadrageſimæ, quibus æquiparantur feriæ Adventus, utpote quæ non minus ſunt feriæ majores, locum non aſſequitur lectio, ſimplicis, etſi officium fiat de Sancto. Tertia, quia impediunt nonam lectionem homiliæ de occurrenti vigilia, etiam in officio de Sancto, cum tamen vigilia præferatur feſto ſimplici. Quarta addi poteſt, videlicet quod de ſimplicibus nullam Breviarium lectionem aſſignet, etſi duo eorumdem in Adventu ſemper recurrant.

II. Verum hæc facilem habent ſolutionem, unde ad primum dicimus; id eſſe verum, quoties agitur officium de feria, ſecus de feſto. Ad 2. hoc ideo, quia dicenda eſt lectio homiliæ, qua cum careant feriæ Adventus, jam non habent impediendæ jus nonæ lectionis, quam habet feſtum ſimplex, etſi huic illæ præferentiam ſortiantur, ut præſertim in ſimili dicebamus in cap. 6. Ad 3. par non eſt ratio, quia juxta Rubricam *de Vigil. num.* 2. in Adventu vigiliæ non aſſequuntur commemorationem in officio, & ideo nec nonam lectionem; feſta autem ſimplicia commemorationem minime deperdunt. Ad 4. non procedere argumentum, quia ea officia in Breviario occurrunt in diebus, quibus officium recurrit de feria, etſi quod eorum per modernas conceſſiones impediatur, vel impediri queat per feſtum novem lectionum. Ceterum argumentum, utpote mere negativum, proculdubio non concludit.

III. Ex his infer in quocumque feſto novem lectionum in Adventu locum habere poſſe nonam lectionem ſimplicis, etſi occurrat in vigilus SS. Andreæ, & Thomæ, quoniam dum Rubrica a vigiliis excludit lectionem ſimplicis, quando officium agitur de Sancto, conſulto addidit, *Quæ habeat homiliam*, ut deſignet lectionem ſimplicis ſupprimi in gratiam homiliæ dicendæ de vigilia; quare cum vigiliæ Adventus homiliam non habeant, non eſt, quod ſimplicis lectionem valeant impedire. Idipſum conſequenter erit, ſi feſtum ſimplex occurrat in Dominicis vacantibus, ut eſt, quæ poſt Circumciſionem ſtatim recurrit, uti & quando vigilia S. Joannis Baptiſtæ ob occurſum in feſto Corporis Chriſti anticipatur, cum tunc ſolum jejunium, non ejuſdem officium, ſeu homilia anticipetur.

D E-

DECRETUM XXIV. CAP., IN ORDINE CCCXX.

Quæſitum fuit, utrum in officio ſimplici Martyris, qui ſanguinem non fudit, ſemper pro ſecundo reſponſorio dicendum ſit, *Domine, prævenisti*, quacumque occurrat feria, vel tantum, dum occurrit feria IV.? & reſponſum fuit, dicendum eſſe reſponſorium *Domine, prævenisti* in quocumque officio martyrum, qui perierunt non effuſo ſanguine. S. R. C. 10. Janu. 1693. *in una Galliarum*, ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 178.

I. Docet Grancolas *lib. 1. cap. 30.*, quod poſt lectionem quamlibet olim ſequebatur oratio, cui reſponſorium ſucceſſit, & hoc id habet commodi, ut quieſcendi ſpatium legenti concedat, & ei, qui lecturus eſt, ſe parandi, atque ad auditorum attentionem conciliandam, ſpatiumque iis concedendum, quæ lecta ſunt, conſiderandi, atque meditandi. Hujuſmodi preces reſponſoria appellatæ fuere, quia ut ait Rupertus *1. par. c. 25.* veluti reſpondent lectionibus, aliquid dicendo, quod ad ea, quæ lecta ſunt, referatur. Optandum itaque foret, ut reſponſoria cum lectionibus affinitatem haberent, quibus animo altius imprimerentur ea, quæ lectio mentem edocuit. Hujuſmodi proculdubio non ſunt reſponſoria, quæ poſt lectiones de Scriptura ex communi Sanctorum depromuntur, unde ſufficiat, quod quadrent ei, de quo fit officium, ad quod omnia diriguntur.

II. Reſponſorio *Hic eſt vere Martyr, qui ſanguinem ſuum fudit*, pro Martyre, qui periit non effuſo ſanguine, alterum ſubſtituit Eccleſia, nempe, *Domine, prævenisti*, & id ad vitandum mendacium ait Gavantus *ſect. 8. cap. 2. n. 5.*, cujus rationem refellit Guyetus *lib. 3. c. 10. q. 3.* quia etiam dicitur in officio trium lectionum, quocumque die occurrat, cum tamen ſi diceretur loco alterius, ad vitanda nempe illa verba *Qui ſanguinem ſuum fudit*, ſolum feria quarta dici deberet, in qua reſponſoria ex tertio nocturno deſumuntur. Credit ipſe igitur, quod inductum illud fuerit ob excellentiam aliquam, quæ haud dubie alia non apparet, quam martyrii longioris, eoque nomine gravioris.

III. Hanc rationem approbare videtur Congregatio, dum dicendum edicit reſponſorium, *Domine, prævenisti*, in quocumque, licet ſimplici, officio Martyris, qui periit non effuſo ſanguine, & in quacumque feria occurrat; & id utique conſonanter ad Rubricam eidem reſponſorio præfixam, quæ dum illud attribuit Sanctis Joanni, Silverio, & Pontiano, qui ritu ſimplici celebrantur, & ultimo loco non minus illud notat eſſe dicendum abſque feriarum diſtinctione, argumento id eſt ſemper in eorumdem, & conſequenter etiam aliorum ſimilium officio eſſe recitandum.

IV. Valida utique eſt iſta ratio, & ubertim oſtendit præfatum reſponſorium ad vitandum mendacium non fuiſſe ſubſtitutum. Quod ut magis aſſequaris, lubet adjicere, quod adhuc in hymno dicitur *Fundenſque pro te ſanguinem*. Si cum Gavanto dicas, hoc ideo, quia apud Poetas idem eſt fundere ſanguinem, ac fundere vitam, quæ eſt in ſanguine. At nimis ſcrupuloſus ex Grammaticis es, ſi & grammatice pro *dare vitam ſuam* accipi non poſſe contendas, & id dabis vel invitus, ſi ea verba *viri ſancti ſanguinem fuderunt &c. & quia pro ejus amore ſanguinem ſuum fuderunt &c.*, quæ in officio plurimorum martyrum, qui perierunt non effuſo ſanguine, non minus dicuntur, a mendacio expurgare velis. Equidem plurima, ut conſideranti patebit, in communi martyrum inveniuntur, quæ enunciari non poſſe videntur de iis martyribus, qui vel ignem, aut vincula, foveas, verbera, ungulas, gladium, denteſve beſtiarum experti non ſunt, quæ tamen immutata minime fuerunt, nec alia eorumdem loco ſubſtituta, ſed per catachreſim aliquam cenſentur veritatem habere, puta quia hiſce martyribus adhibita venere tormenta, aut vis illata fuit aſſertis cruciatibus non impar, adeoque & eiſdem nominibus haud inepte expreſſa; quod enim adjicit Guyetus ſufficere, quod univerſim vera ſint omnia, ſi non relata ad illos, quorum ſolemnitas agitur, reſpectu martyrum in genere, quorum omnium varia, & multimoda certamina hocce officio ab Eccleſia decantantur, quodammodo reprehendi videtur a mutatione, quam Eccleſia pro feſto SS. Innocentium præſcripſit de octava antiphona matutini, *Tradiderunt corpora ſua in mortem, ne ſervirent idolis*, eo quod ipſi non ob rejectum Idolorum cultum occiſi fuere, nec ob pugnam in peccatum aliquod cauſa tuendæ juſtitiæ, caſtitatis, aut cujuſvis virtutis, quam ob rationem retinetur in martyribus ratione utentibus, qui licet non ob rejectum Idolorum cultum, tamen ob reſiſtentiam, quam propter juſtitiam fecerunt peccato alicui, cujus nomine non incongrue accipitur Idolorum ſervitus, ut eam de avaritia ſpeciatim pronunciavit Apoſtolus, uſque ad mortem fortiter decertarunt.

V. Eſt & aliud reſponſorium, incipit *Hæc eſt vera fraternitas*, quod in officio plurimorum martyrum fratrum dici mandatur poſt octavam lectionem in officio novem lectionum, & poſt ſecundam in officio trium, adeoque non minus ſemper dicendum in quocumque officio plurium martyrum fratrum. At dicendumne erit, quoties fratribus adjunguntur alii non fratres? Negat Gavantus *ſect. 8. cap. 2. n. 9.*, utiturque exemplo SS. Placidi, & Sociorum, in quorum officio non dicitur, licet inter eos duo Fratres, & ſoror ſimul obierint. Guyetus *lib. 3. cap. 11. q. 3.* rite diſtinguit, & a potiori parte determinandum eſſe aſſerit, ita ut ſi fratres ſint plures, quam non fratres, ſit dicendum, ut patet exemplo SS. Symphoroſæ matris, & filiorum ejus, & SS. Septem fratrum, & SS. Rufinæ, & Secundæ Sororum, quæ non ſunt ſorores fratrum illorum; ſi vero non fratres erunt numero plures, non erit dicendum, ut conſtat exemplo SS. Placidi, & Sociorum. At quid ſi non fratres fuerint numero pares? Breviarium eo reſponſorio non utitur, ut liquido videre eſt in feſtis SS. Marii, & Sociorum, & SS. Euſtachii, & Sociorum, in quorum utroque coluntur vir, & uxor, & duo eorum filii; Tu tamen adhuc diſtingue, de quibus in feſto fiat potiſſimum, & ſi potiſſimum fiat de non fratribus, abſtine ab illo reſponſorio, ut evenit in modo memoratis duobus caſibus, ſi vero de fratribus agatur potiſſimum, præfatum reſponſorium recita ad exemplum SS. Nerei, & Sociorum, in quorum Miſſa aſſignatum habetur, licet non in officio, quia paſchali tempore, in quo recurrunt, locum non habet, erit tamen recitandum, ſi extra tempus paſchale transferatur; eadem enim eſt ratio, ut optime advertit Guyetus, de Miſſa, ac de officio, quare ſi poſt additionem SS. Domitillæ, atque Pancratii adhuc in Miſſa congrue cenſitum eſt dici, quidni & in officio? Ex quibus abunde ruit ſententia cum ratione Gavanti, qui ceteroquin ſi in Miſſa dictum reſponſorium concedit, quia de SS. Nereo, & Achilleo potiſſimum agitur, eadem de cauſa etiam eorundem officio non deberet illud denegare. De iis autem potiſſimum agitur, qui primo loco in feſto deſignantur, & fraternitas, ob quam præfatum inducitur reſponſorium, debet eſſe carnalis, non impropria, & ſpiritualis, ac talis ſola juris fictione, qualis eſt quæ intercedit inter Religioſos ejuſdem inſtituti, ut traditum eſt in cap. 5.

VI. Uti vero hoc reſponſorium alligatum eſt officio plurimorum martyrum extra tempus paſchale, adeoque tempore paſchali, in quo aliud proprium pro martyribus habetur commune, non recitandum, ita eſt de præcedenti reſponſorio, *Domine prævenisti*, quod nec erit dicendum, quoties plures martyres non effuſo ſanguine ſimul coluntur extra paſchale tempus, quia tunc abſque ulla diſtinctione commune plurimorum martyrum præſcriptum eſt uſurpari, & idem reſponſorium communi unius martyris reperitur addictum.

VII. Pro Doctoribus a Clemente VIII. reſponſorium *In medio Eccleſiæ* fuit adjectum, quod ducto exemplo a SS. Leone, & Hilario, quibus id tribuitur Guyetus concedit Confeſſoribus omnibus, quorum extant homiliæ, orationes, tractatus in Scripturam Sacram, aliaque opera ad Eccleſiæ decus, & utilitatem exarata, quibus tamen non concedit antiphonam *O Doctor*, qua carent & prædicti Sancti Hilarius, & Leo. Guyeto nos ipſi lubentes adhæremus, addimuſque exemplum S. Anſelmi, cujus officio, antequam ad ritum duplicem eveheretur, & expreſſe antiphona *O Doctor* dici concederetur, jam dictum reſponſorium attributum erat, non tamen antiphona *O Doctor*.

VIII. Vice primi reſponſorii *Veni Sponſa Chriſti* pro virgine non martyre aſſignatur *Veni electa mea*, quod hæc nec ſanguinem pro Chriſto fuderit, nec vitam dederit. Laborat admodum Gavantus *ſect. 8. cap. 4. n. 5.*, myſticamque rationem affert, quod antiphona *Veni Sponſa Chriſti* retenta ſit in tertio nocturno pro non virgine, & ait, quod *ſponte retenta eſt, recitanda noctu, ne Sancta mulier, non virgo, rejecta videatur a nuptiis Chriſti ſpiritualibus, quibus & ipſa gaudet occultiore modo*. Rectius reponit Guyetus *lib. 3. cap. 14. q. 2.*, id ideo, quia omnis anima ſancta eſt vere ſponſa Chriſti. Quadrat autem & ſanctis fœminis veteris Teſtamenti, ob fidem in Chriſtum venturum, vi cujus & juſtificationem accipit illud noni reſponſorii *Propter amorem Domini mei Jeſu Chriſti &c.*, aliaque plurima aliorum communium.

IX. Reliquum dumtaxat eſt adnotare, quod cum officium fit de pluribus Confeſſoribus, vel Virginibus, aut aliis, mutanda non ſunt ea, quæ dicuntur in ſingulari numero, nec e contra; in plurali enim numero etiam ſingularis continetur, & quæ in ſingulari numero dicuntur, ſatis pluribus conveniunt, ſi de unoquoque ſeorſim enunciata intelligantur. Breviarium tamen in communi Confeſſoris non Pontificis ab hac lege liberat orationem, & ſermonem, in quibus, quæ dicuntur in ſingulari, vult eſſe dicenda in plurali; quod Gavantus *ſect. 8. cap. 3. nu. 5.* facit liberum, & libertatem hanc ipſe reſtringit ad ſermones de Sanctis, non tamen ad tractatus in Scripturæ libros, qualem cenſet *Deridetur juſti ſimplicitas* ex libro moralium S. Gregorii depromptum. Extendendum id foret ad ſermones etiam aliorum communium, & libertatem hujuſmodi ut ſupra reſtrictam nos inficiari non poſſumus, licet quia in ſermonibus quandoque variatio apte non quadrat, aut difficultatem reddit, eadem non uti conſulimus, bene vero in orationibus, quæ ſunt nota eorum, de quibus agitur officium.

DECRETUM XXV. CAP., IN ORDINE CCCXXI.

Quando feſtum SS. Philippi, & Jacobi cadit in Dominicam, tunc ultimum reſponſorium, quia eſt proprium, dicatur loco penultimi, quod eſt de Dominica. Ita S. R. C. 23. Junii 1736. *in Einſidlen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 251.

I. Decretum ritui Romano nec eſt, nec poteſt eſſe accommodum, in duplicibus ſiquidem novem legit lectiones, ſed octo dumtaxat habet reſponſoria, & horum nullum poſt nonam legit lectionem, ſed ſtatim ſuccedit *Te Deum*, & in

occurſu Dominicæ omittit quidem nonam lectionem de Sancto, & ejuſdem vice ſubſtituit lectionem de homilia Dominicæ, ſed poſt eandem non recitat reſponſorium aliquod de Dominica, ſed ſubjungit *Te Deum*, perinde ac ſit, quoties non occurrit Dominica. Ritus vero Monaſticus, pro quo Decretum latum dignoſcitur, duodecim tenet lectiones, & totidem reſponſoria, unum ſcilicet poſt lectionem quamlibet, & poſt ultimam lectionem dicto convenienti reſponſorio, *Te Deum* adjicit. Quoties vero feſtum incidit in Dominicam, omiſſa duodecima lectione cum ſuo reſponſorio, legit lectionem homiliæ Dominicæ, poſt quam ſubjungit reſponſorium ex eadem Dominica decerptum, deinde *Te Deum*.

II. Feſtum SS. Philippi, & Jacobi apud Ordinem S. Benedicti duodecimum proprium habet reſponſorium, ſcilicet *Tanto tempore vobiſcum ſum*, reliqua vero de communi; quare cum deberet omitti, quoties prædictum feſtum cadit in Dominicam, ut ſubrogaretur reſponſorium Dominicæ, cautum eſt, ut præfatum reſponſorium dicatur loco penultimi, quod propterea erit omittendum. Nota cauſalem, *quia eſt proprium*; propria enim particularem reſpectum habent, & particulari de cauſa inducuntur in officium, quare ſatius eſt omitti communia, & loco horum ſubrogari propria, quando hæc alias omitti deberent. Quod ſi in caſu etiam penultimum reſponſorium foret proprium, eum ceſſet ſubſtitutionis ratio, non penultimum, ſed ultimum, utpote quod impeditur, omiſſioni eſſet obnoxium. Volo autem Decretum extendas ad quemcumque alium ſimilem caſum, quinimmo & ad reſponſoria, quæ licet communia ſint, ſunt tamen propria alicui Sanctorum generi, quemadmodum ſunt *In medio Eccleſiæ* pro Doctoribus, *Domine, prævеniſti* pro Martyribus non effuſi ſanguinis, *Hæc eſt vera fraternitas* pro pluribus Martyribus fratribus, aliaque, ſi quæ ſunt id genus, quatenus omitti deberent.

III. Non deeſt tamen caſus, in quo etiam apud Romano Breviario utentes locum habere poſſet Sanctio, in feſto nempe, quod novem habet reſponſoria, puta in feſto SS. Innocentium; ſi enim hoc feſtum haberet dumtaxat nonum reſponſorium proprium, & octavum foret de communi Martyrum, quia dum incidit in Dominicam, licet de hac, cum ſit ex vacantibus, non legatur lectio homiliæ, nec ullum ejuſdem Dominicæ reſponſorium recitetur, omittitur nonum reſponſorium feſti, & ejuſdem loco dicitur *Te Deum*, deberet magis nonum reſponſorium dici loco penultimi, quod de communi ſupponitur. Si quod igitur hujuſce rationis feſtum concederetur; haud ambigo, quod de eodem in terminis Sanctio procederet.

IV. Romanus itaque id eruat commodi, ut ſi quandoque impediantur, quæ officium habet propria, hæc non omittat, ſed magis ſubſtituat loco communium; hinc in Decr. 2. cap. 12. rite animadverſum voluimus, antiphonam propriam *ego Dilectio meo* dici debere in primis veſperis S. Margaritæ de Cortona ad magnificat, quoties in ſecundis veſperis locum non habet uti, & Antiphonam propriam S. Mariæ de Monte Carmelo, quoties ob concurrentiam cum ſequenti duplici primæ claſſis alioquin deberet ommitti; tu vero idem judicium facito de quibuſcumque aliis propriis, ſive Antiphonæ ſint, ſive hymni &c. quando non minus in proprio loco impediuntur. Recolantur tradita in Decr. 2. cap. 31.

AD CAPUT XL.

De Hymnis, & Lectionibus

APPENDIX.

DECRETUM PRIMUM Cap. in Ord. 457.

In feſto tranſlato Stimatum S. Franciſci nulla eſt facienda mutatio in hymno; quæ quidem mutatio ſervanda modo eſt in feſto S. Joachim, Dominica infra octavam Aſſumptionis celebrando, S. R. C. 2. Sept. 1741. *in Aquen.*

PRima Decreti pars contrarias apta eſt ſuſcipere expoſitiones, & quod nempe in feſto tranſlato ſtimatum nulla facienda eſt mutatio in hymno per invectionem verſuum propriorum, ſed legendus ille eſt, prout in communi manet deſcriptus, licet poſtea cum verſu *Meruit ſupremos*, cum non ſit dies obitus; & quod in eo ſenſu nulla mutatio facienda eſt, in quantum legi ille debet cum ſuis verſibus propriis, quos in eo legi Rubrica præcipit. Primus intellectus magis arriſit nobis tom. 1. cap. 39. Decr. 1. num. 5., & ſatis validæ rationi manet innixus; quæ ibi recoli potent; videtur tamen, quod a Congregatione magis probetur ſecundus, Decreti pars altera nulli dubitationi manet obnoxia, nimis namque diſerta eſt Rubrica, quæ in hymno extra diem obitus dici mandat verſum *Meruit ſupremos*, & quidem licet feſtum inſtitutum ſit ad recolendam diem mortis.

DECRETUM SECUNDUM Cap. In Ord. 458.

In feſto S. Thereſiæ lectiones primi nocturni ſunt de ſcriptura, non vero de communi. S. R. C. 2. Sept. 1741. *in Aquen.*

COnceſſiones officii S. Thereſiæ particularibus locis, atque perſonis factæ, habentur apud Barboſam *Collect.* 17., quæ vero Eccleſiæ univerſali, apud Gavantum *ſect.* 7. *cap.* 12. *num.* 15. In his nulla habetur mentio de conceſſione lectionum de communi, unde cum prædictum officium ſit dumtaxat duplex minus, ex rituum regulis legendæ in eo ſunt lectiones de ſcriptura. Non ſemel evenit in officiis, quæ a Regularibus Ordinibus ad Eccleſiam univerſalem extenduntur, ut non bene perpenſis conceſſionis terminis, qui ſunt agendorum regula, atque menſura, in Breviaria perperam inſerantur cum lectionibus primi nocturni propriis, quales leguntur apud Regulares, cum tamen indultorum verba non adeo extendantur, ſed ſiſtant in lectionibus ſecundi, & tertii nocturni. Id noviſſime accidit in feſtis SS. Peregrini Latioſi, Aloyſii Gonzagæ, & Joannis a Cruce apud Dominium Venetum, quod me auctore emendatum fuit, unde nec dubito quid ſimile eveniſſe in feſto Sanctæ Tereſiæ, ut non obſcure præſens Decretum indicat.

DECRETUM TERTIUM Cap. In Ord. 459.

In die octava Dedicationis Eccleſiæ lectiones primi nocturni ſunt de communi, & non de ſcriptura, S. R. C. 2. Septembris 1741. *in Aquen.*

VIde dicta tom. 1. cap. 1. Decreto 21.

CAPUT XXXV.

De Laudibus, earumdemque partibus.

I. PLurima, quæ de Laudibus dedimus, de Matutino agentes, haud arbitramur inutiliter eſſe repetenda. *Laudes* dictæ ſunt ex Hug. *lib.* 2. *de offic. cap.* 10., eo quod laudem aperte ſonant divinam, nos tamen edocet Grancolas *lib.* 1. *cap.* 34., quod *Laudum* nomen derivat a Pſalmo *Laudate Dominum de Cœlis*, qui in iiſdem dicitur, & ubique fere ſemper dictus fuit. Poſt pſalmos dicitur capitulum, quod ſtat lectionis loco, & olim celebrantis erat illud memoriter recitare. Quoniam vero ille, cujus eſt capitula recitare, ſcilicet celebrans, officium pro arbitratu ſuo ordinare poteſt, neque alterius venia opus habet, hinc factum eſt, quod capitulis *Jube* non præmittitur. Capitula ſine titulo leguntur, quia olim continuatio erant illorum, quæ ad matutinum recitata fuerant, vel quod ex Epiſtola Miſſæ deſumerentur, quæ nunquam ſine inſcriptione legitur. Hymnus ad Laudes, Veſperas, & Completorium poſt pſalmos dicitur, ad alias vero horas ante pſalmos, quod ex Regula S. Benedicti acceptum eſt, a quo & mos canticum *Benedictus* recitandi profectus traditur. Amalarii tempore in fine Laudum dicebatur pſalmus *Miſerere*, fortaſſe ut modo fit tribus ante Paſcha diebus. Preces quædam etiam leguntur additæ, & adhuc ſuperſunt in Defunctorum officio, & in feriis majoribus ad Laudes, & Veſperas, quæ in feſtis, & ſolemnibus diebus prætermittebantur.

DECRETUM I. CAPITIS, IN ORDINE CCCXXII.

Antiphonæ feriales ad laudes ante Nativitatem omitti poſſunt in feſto ſolemniter celebrato, ut contingit in feſto S. Thomæ; ſed Antiphonæ majores ante Nativitatem etiam in feſtis ſolemnibus dicendæ ſunt ad Magnificat. S. R. C. 7. Novemb. 1607. *in Brugen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 30.

I. ROmana Eccleſia hebdomadam conſecrandam eſſe cenſuit ad Meſſiæ adventum ſuſpiriis expetendum, hinc qualibet die ad magnificat dicendam eſſe ſtatuit antiphonam propriam, quæ incipit ab interjectione *O*, quaſi ad Salvatorem adjurandum, ut ad nos a peccato liberandos venire feſtinet. Septem propterea ſunt iſtæ antiphonæ quæ licet apud Amalarium aliter diſpoſitæ ſint, eæque recenſitæ, uti Metis canebantur, Honorius tamen Auguſtodunenſis *lib.* 3. *cap.* 5. illas eodem ordine refert, quo hodie leguntur, eaſque ſeptem donis Spiritus Sancti ab Iſaja *cap.* 11. deſignatis confert, quæ Jeſus Chriſtus per Incarnationem ſuam nobis communicavit.

II. *O Sapientia* donum eſt ſapientiæ, & ſic Chriſtus dicitur tamquam Patris ſapientia ab ejus ore egreſſa, ſcilicet ex ejus ſubſtantia generata, & quatenus per Incarnationem ſuam rationem invenit nos redimendi. *O Adonai* hebraicum nomen eſt, & *Dominum* ſignificat, unde Exod. 6. 3. *Et nomen meum Adonai*. Meſſias itaque habetur in hac Antiphona pro eodem Deo, qui Populum Iſrael elegit, qui Judæis promiſſus eſt, qui Moyſi apparuit, ipſique legem tradidit, noſque venit redimere per ſpiritum intellectus. *O Radix Jeſſe*, quatenus Meſſias e Davidis genere oriri debebat, cui promiſſus fuerat. Ipſe erat expectatio gentium, advenitque ad duos Populos conjungendos, atque ſalvandos per ſpiritum conſilii, quo tanta molitus eſt ad mundum redimendum. *O clavis David*, & id ſumptum eſt ex Iſaja cap. 22. *Dabo clavem Domus David ſuper humerum ejus, & aperiet, & non erit, qui claudat, & claudet, & non erit, qui aperiat*; atque ex Apocal. 3. *Hæc dicit Sanctus, qui habet clavem David, qui aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit*. Jeſus Chriſtus in ſpiritu fortitudinis Infernum clauſit, & Cœlum nobis aperuit, viamque nobis demonſtrat, qua illuc ejus veritatis lumine adjuti pervenire poſſimus. Denotant & plenam ejuſdem poteſtatem in Eccleſiam, cujus figura eſt Regnum Davidis,

Digitized by Google

vidis, ad quam nemo revera pervenire poteſt, niſi Chriſtus ei januam aperiat, eumque trahat ad ſeipſum. *O Oriens*, ſcilicet Sol eſt Oriens, qui annuntiat, & affert lumen gratiæ, noſque illuminat ſpiritu ſcientiæ. *O Rex gentium*, qui venit ad ſubjugandas gentes, ſuæque Redemptionis participes faciendas, & notat donum pietatis, qua ad ſalvandos omnes permovebatur. *O Emmanuel* ex Iſaja 7. 14., & ex Matthæo 1. 23. proprium Meſſiæ nomen, *quod eſt interpretatum nobiſcum Deus*, ait Matthæus ibidem, & notat donum timoris filialis, qui ut Deum amemus, efficit.

III. Apud Amalarium *de ord. antiph. c.* 14. octo *O* habentur ſcilicet & antiphona alia, quæ incipiebat *o Virgo Virginum*, quam & ætate ſua in uſum fuiſſe ſcribit Durandus *lib. 6. cap.* 2. & inſuper aliam *o Toma Didyme*, quæ in feſto S. Thomæ canebatur, cujus loco in aliis ordinibus habebatur *O Gabriel*, *o Rex pacificus*, *o Mundi Domina*, *o Jeruſalem*, in qua alloquebantur modo Meſſiam, modo ejus Matrem, quæ eum parere debebat, vel Angelum, qui eam annunciaverat, vel Urbem, in qua naſci debebat. Abrogatæ fuere antiphonæ iſtæ, ſolumque, quæ Meſſiam ipſum alloquuntur, dici præſcriptæ per ſeptem præcedentes dies ad exemplum Eccliſiæ Toletanæ, quæ anno 656. Annunciationis feſtum diei 18. Decembris affixit, & uſque ad Nativitatem continuabat, & reſtitutio Annunciationis feſto diei 25. Martii juxta Romanum ritum, ſubrogavit feſtivitatem aliam *Expectatio Partus B. V.* appellatam, quam ut ſupra adhuc producit, ut alibi diximus.

V. Pariſiis per Dignitatem aliquam ſunt ſolitæ annunciari, & ut a majoribus inchoentur, communis uſus obtinuit, qua de cauſa *Antiphonarum majorum* nomen iiſdem obvenit, niſi hoc factum mavis, quod duplicentur, inſtarque officii duplicis ſolemniter decantentur. Duplex tamen officium minime efficiunt, licet ipſæ ex privilegio ritu duplici celebrentur, quare in concurſu cum ſequenti, vel præcedenti duplici, vel ſemiduplici veſperarum diviſionem, aut integritatem non habent, ſed ſolam commmemorationem, perinde ac ſi ſolemniter, & ritu duplici non recitarentur, ſed ritu feriali; & hæc eſt cauſa, ob quam ex Rubricarum præſcripto ſolitæ ſubduntur preces feriales. Cum impediuntur per feſtum occurrens, vel translatum non omittuntur, ſed adhuc dicuntur ad magnificat, non quidem pro antiphona, quæ ad idem canticum deſervit, quæ debet eſſe de feſto, ſed pro commemoratione feriæ, quæ numquam omittitur, ut clarius habet ſequens Decretum. Ex Rubricis commemoratio non importat reiterationem antiphonæ, nec cantici magnificat; quare ablegandi veniunt uſus illi, qui dum agunt de feſto, poſt hujus collectam dicunt integram antiphonam feriæ, repetunt magnificat, & poſt hoc iterum antiphonam, ſed commemoratio feriæ facienda eſt more ſolito.

VI. Difficultatem aliquam utique ingerunt verba illa Decreti *in feſtis ſolemnibus*, quaſi idem faciendum non ſit in feſtis non ſolemnibus, ſed penitus eam diſſipat tum ſequens Decretum, quod occurrente feſto ſemiduplici ſolam commemorationem feriæ per occurrentem antiphonam majorem demandat; tum dictio *etiam*, quæ legis diſpoſitionem ad caſum magis dubitabilem extendit, & minus dubitabilem implicat, quando etiam *feſtum ſolemne* ob petitionem in Decretum non eſſet invectum, & per feſtum ſtato die in anno ſolitum celebrari, explicari non poſſet juxta ea, quæ late tradit Guyetus *lib.* 1. *cap.* 13. *q.* 3.

VII. Antiphonas haſce majores præcedunt aliæ ad Laudes, ſed ubi illæ ſunt ſeptem, iſtæ ſunt tantummodo ſex, quia cum ponantur ad Laudes, locum habere non poſſunt in feſto S. Thomæ, quod ſemper iiſdem diebus recurrit, ad differentiam antiphonarum majorum, quæ cum ad magnificat ſint dici inſtitutæ, adhuc cum per feſtum impediuntur, pro commemoratione feriæ deſerviunt, quem ad effectum etiam deſervirent Antiphonæ feriales illæ, ſi ad Benedictus inſtitutæ dici forent, ſuperfluum enim viſum fuit etiam pro feria, in quam incidit feſtum S. Thomæ, præfatas aſſignare antiphonas, quæ ſemper omiſſioni forent obnoxiæ, & ideo cautum eſt, ut quæ in feſtum S. Thomæ incidunt, transferantur in Sabbatum, cui propterea propriæ aſſignatæ non fuere. Quid ſimile factum habemus in octava Epiphaniæ, cui quinque ſolum aſſignatæ ſunt dies infra octavam, quia dies una per officium Dominicæ ſemper impeditur; Et ſi hæc cadit io diem octavam, in præcedenti Sabbato anticipatur, ut occupetur dies illa, quæ alias remaneret vacua.

VIII. De hiſce antiphonis nunc ſtatutum habemus, quod omitti poſſunt *in feſto ſolemniter celebrato*, ideſt ſolito celebrari, cum enim iis diebus fieri valeat etiam de officio ſemiduplici, & in hoc propriæ ad Laudes dici debeant antiphonæ, utique in eodem, licet non ſolemniter, ſive ſine pompa celebrato, antiphonæ feriales dici non valent: ut enim ablegem uſum nonnullarum eccleſiarum, quæ dum feſtum occurrit, completis omnibus de feſto, rurſus dicunt Laudes cum his antiphonis, & pſalmis ferialibus, opus non eſt, quod multis utar verbis.

IX. *Ut contingit in feſto S. Thomæ*. Hoc quoad omiſſionem intellige, non quoad translationem earumdem antiphonarum ad aliam diem; in quam enim diem transferendæ illæ forent? Non utique in ſequentes, cum omnes propriis gaudeant antiphonis. Non in præcedentes, quæ nunc uſque ad diem quintam Decembris per officia novem lectionum ſunt occupatæ, unde inconſonanter admodum, & cum interruptione deberent recitari. Quando vero dies 16. adhuc inimpedita foret, anticipationem earumdem, quam liberam Gavantus *ſect. 6. cap. 2. num.* 8. & Guyetus *loco cit.*, & neceſſariam Meratus *in annot. ad præſens Decretum* facere videntur, nos approbare non poſſumus, dum enim Rubrica, quando Dominica incidit in vigiliam Nativitatis, antiphonas Dominicæ in Sabbato anticipat, & antiphonas, quæ occurrunt in die S. Thomæ, & in Sabbato ponendæ forent, in diem 16. non anticipandas edicit, ſed *eo omnino omittendas*, falli haud credimus, dum dicimus eaſdem antiphonas adeo ſeptem memoratis diebus eſſe addictas, ut ſi in iiſdem dici non valeant, magis ſint omittendæ, quam anticipandæ; & ſi anticipatione gauderent, nec opus fuiſſet, propriis antiphonis Sabbatum ſpoliatum facere, ut in eo collocentur incidentes in feſtum Sancti Thomæ. Refert Gavantus Gregorium XIII. Hiſpanis, qui die 18. celebrant Expectationis feſtum, conceſſiſſe, ut anticipent die 16. antiphonas feriales in eodem feſto occurrentes; at privilegium id eſt, quod, ut advertit Guyetus, ad caſus ſimiles ſine concedentis venia minime extenditur, quinimmo aperte deſignat, in oppoſitum ſtare generales Regulas, alioquin ſpeciali conceſſione opus non fuiſſet.

X. Meratus, ut locum faciat prædictis antiphonis, nunc alia via progreditur aſſerens, quod ubi die 18. Decembris agitur de Expectatione B. V., ad Laudes dicendæ ſunt antiphonæ feriæ occurrentis, cum valde congruant eidem officio, & proximæ ſolemnitati Nativitatis, ut provide Sac. Rit. Congreg. ſtatuit in correctione, & approbatione Kalendarii Ordinis Minorum Conventualium Sancti Franciſci. Hucuſque Meratus, cujus profecto nulla habenda eſt ratio, cum ipſemet in ſuis Tabulis numquam eidem feſto aſſignet antiphonas feriæ, ſed opere deſtruat, quod hic doctrina ædificaverat. Et quidem inficias iri non poteſt, quod antiphonæ feriæ feſto congruentiores non ſint, & fortaſſe etiam proximæ ſolemnitati Nativitatis, vel ſaltem æque huic congruentes; hinc cum Rubrica nihil teneat de hujuſmodi ſubſtitututione, ut habet de homilia in caſu admodum infrequenti, videre non eſt, quomodo antiphonæ propriæ eidem denegari queant, ut illæ de feria recitentur. Privilegium, cujus meminimus, a Gregorio XIII. factum Hiſpanis, idipſum oſtendit, nec adverſatur, quinimmo ſuffragatur apprime particularis conceſſio Conventualibus Sancti Franciſci facta, quæ pro aliis in exemplum nedum trahi non poteſt, ſed inſuper liquido indicat a non privilegiatis aliter fieri debere.

DECRETUM II. CAP., IN ORDINE CCCXXIII.

A die 17. Decembris incluſive uſque ad Vigiliam Nativitatis Domini excluſive, fieri poteſt quodcumque officium duplex, ſemiduplex, occurrens, vel translatum, ſed in utriſque veſperis pro commemoratione feriæ dicantur Antiphonæ majores tunc occurrentes. S. R. C. 17. Maii 1692. *in Florentina*. Idem ſtatutum fuerat 17. Martii 1644. *in Neapolitana*, ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 170.

I. SEptemdialis præparatio ad Nativitatem Chriſti cum propriis antiphonis ad Laudes, necnon majoribus ad Magnificat fuit indicta, quæ die 17. Decembris conſequenter poni incipiunt, & prorogantur uſque ad vigiliam Nativitatis. Cum hujuſmodi antiphonæ officio feriali ſint affixæ, ne impedirentur a conceſſione officiorum pro iiſdem diebus temperatum fuit ſolo excepto feſto S. Thomæ, quod ob Apoſtolicam dignitatem alteri a natalitia die conſitum non eſt eſſe conſignandum, qua de cauſa ſex ſolum pro laudibus aſſignatæ fuere Antiphonæ, licet dies ſint ſeptem. Nos inſuper edocet Gavantus *ſect.* 3. *cap.* 8. *num.* 9., quod a die 17. Decembris vetitæ fuere in poſtrema recognitione Breviarii octavæ, *ne omittantur Antiphonæ privilegiatæ*.

II. Hinc cum officia novem lectionum in omiſſionem earumdem Antiphonarum non minus deſerviant, factum eſt dubium, num iis diebus locum habere poſſent? Affirmative Congregatio reſpondit; & quidem pro quocumque feſto duplici, vel ſemiduplici, occurrente, aut translato. De eo occurrente dubium eſſe non poteſt, quia dum Indultum latum eſt pro aliquo ex dictis diebus, ſuper omiſſione earumdem Antiphonarum hoc ipſo diſpenſavit. Pro translato autem facit hæc ratio, quod dies illæ ſunt mere feriales, nec ullo fciuntur privilegio ſuffultæ, quare videre non eſt, cur locum habere non debeat Rubrica, quæ feſta, quæ transferuntur, ad primam diem non impeditam conſtanter amandat. Rubrica itidem Antiphonis majoribus præfixa, per hæc verba, quæ ad feſtum S. Thomæ non videntur reſtringenda, in præfatis diebus de feſtis fieri poſſe ſupponit: *Si vero feſtum fuerit, dicuntur poſt orationem feſti pro commemoratione Adventus*, per quæ & firmatum remanet, quod Decretum ſtatuit de præfatis Antiphonis majoribus, quando per feſtum impediuntur.

III. Par autem non eſt ratio de octavis, a quarum celebratione in gratiam prædictarum Antiphonarum ceſſandum eſt, quia adhuc de Sancto agitur ut minimum in feſto, ubi de Sanctis alias nihil fieret, vel ad ſimpliciem ritum juxta noviſſima Decreta deberent redigi, ſi eorumdem officia ad eaſdem dies transferri non poſſent. Quadrageſimales feriæ te penitus reddant inſtructum, dum octavas ceſſare faciunt, & patiuntur officia quælibet occurrentia, vel translata.

Google

DECRETUM III. CAP., IN ORDINE CCCXXIV.

Ubi feſtum SS. Angelorum Cuſtodum habet octavam, non poſſunt in feſto, & per octavam terminari hymni ejuſdem metri, ſicut terminatur eorum hymnus in laudibus per ſtropham: *Deo Patri ſit gloria, qui quos redemit Filius, & Sanctus unxit Spiritus, per Angelos cuſtodiat*. S. R. C. 19. Junii 1700. *in Curien.* ex Merato in Indice Dec. Brev. n. 217.

I. GEneralem hinc habes regulam, terminationes propriæ, quas habent hymni feſti alicujus, haud extendi ad hymnos ceteros vel proprios, vel communes horarum, ſive in feſto ipſo, ſive per octavam ejuſdem. Pro feſto, quod octavam non habet, ſtat praxis Brevarii Romani, quod hymnis reliquis non aſſignat terminationes proprias hymnorum SS. Venantii, Mariæ Magdalenæ, & ipſorum Angelorum Cuſtodum. Quod ſi non in feſto, utique nec per octavam, nec ubi feſtum habet octavam, in octavam ſiquidem nonniſi a feſto derivant, nec octava unquam ratio eſſe poteſt, cur etiam in feſto dici debeant, videmus namque in feſtis, quibus ex ſa competunt, extendi, vel octavam habeant, vel non habeant, ut videre eſt in quibuſcumque feſtis Domini, & Deiparæ. Rubrica 20. id juris dumtaxat tribuit feſtis Domini, & Deiparæ, & paſchali tempori additque, quod *aliis temporibus terminantur hymni, ut ſuis locis ponitur*.

C A P U T XXXVI.

De Prima, & Partibus ejus.

I. ANte Caſſiani tempora nullam horæ Primæ veſtigium extat, teſtaturque *lib. 3. inſtit. cap.* 4. in Monaſterio Bethleemitico ætate ſua additam officio fuiſſe, ut Monachis negotium daretur, otioſis alias ad Tertiam uſque futuris, qui vel obdormiſcere cœpiſſent, vel ſi cubitum conceſſiſſent, ad Tertiam uſque, cum alıud officium, aliumve conventum ad hanc uſque horam non haberent, jacuiſſent. Sunt, qui Caſſiano antiquiorem Primam faciunt, quod aliqui ex priſcis Patribus mane orandum, & ſurgendum hortentur; at de matutinis laudibus, non de Primæ officio ſunt intelligendi, ut rite notat Bona *de div. pſal. cap.* 6. §. 4. *n.* 2. Quamvis ſit hora a laudibus diſtincta, a nonnullis adhuc legitur nullo interpoſito exercitio, ſeu intervallo ſtatim recitata. Tempus Canonicum, quo recitari debet, eſt hora prima ab ortu Solis uſque ad finem ejuſdem horæ, ut conſtat ex vocabulo, *Prima*, ex iis verbis hymni *Jam lucis orto ſydere*, nec non Collectæ *Qui nos ad principium hujus diei pervenire feciſti*. Hinc a vero abeſt ſententia illorum, qui Primam ad officium nocturnum ſpectare contendunt.

II. Prima ſine hymno, & abſque Antiphona dicebatur olim, variique fuere uſus circa pſalmos, quibus brevitatis ergo omiſſis, nunc ex Rubricis ſatis patet, quomodo ſit regulanda. Pſalmus *Beati immaculati* pro minoribus Horis peculiaris eſt Eccleſiæ Romanæ mos, & ante eumdem pſalmum ſex pſalmi Romæ recitabantur, a *Confitemini* initio ducto. Hi pſalmi poſtea in ſex dies diſtributi ſunt, in Dominicam ſcilicet, & quinque alios hebdomadæ ſequentes dies, cumque ſeptimus pro ſabbato deeſſet, inde factum, quod ea dies pſalmo caruerit. Diebus Dominicis, quando officium fit de Tempore, additur ſymbolum S. Athanaſii, de quo plura dedimus in cap. de feſto SS. Trinitatis. In Feſtis, & toto paſchali tempore præter Dominicam, in qua cum officium fit de ea, dicitur etiam ſymbolum S. Athanaſii, tres tantum recitantur pſalmi, inquit Radulphus *prop.* 10. propter feſti lætitiam, & temporis jucunditatem, quæ laborem multa canendi excludit.

DECRETUM I. CAPITIS, IN ORDINE CCCXXV.

Moniales in *Confiteor* ad Primam, & Completorium, ne dicant *Tibi mater*, nec *Tibi ſorores*, ſed ut in Breviario. S. R. C. 18. Aug. 1629. *in una Breviarii Romani*, ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 68.

I. PReces officio Primæ in Breviario Romano inſertæ fuere Gregorii VII. ævo, mutuatæ vero fuerunt a Monachis, a quibus tamen longiores noſtris dicebantur, unde Ulricus: *Ad Primam ſunt preces* 31. *verſiculorum*, & tales reapſe preces reperiuntur in Breviario quodam Caſſinate undecimi ſæculi. In Regula Chrodogandi *c.* 18. ſtatutum eſt, ut ad Primam dicatur pſalmus *Miſerere* ante *Confiteor*; & hinc ortum eſt, quod aliquot verſiculi ex eodem pſalmo fuerunt excerpti ad formandas preces, ſcilicet *Averte faciem &c.*, *Cor mundum &c.*, *Ne projicias me &c.*, *Redde &c.*, poſt quos ſubditur Confeſſio, quæ nunc dicitur inter preces, cum tamen a Monachis poſt Primam fieret. Confeſſio, quæ modo in uſum eſt, aliis verbis in præfata Chrodogandi Regula invenitur: *Prima expleta dabunt Confeſſiones; dicendo: Confiteor Deo, & tibi Frater, quia peccavi in cogitatione, locutione, & opere, propterea precor te, ora pro me*. Confeſſio invicem fiebat, & reſpondebat alter *Miſereatur tui*: fiebat autem a quolibet cum ſocio, & ideo fiebat tacite, ne invicem ſe interturbarent, atque impediretur, ne alter alterum audiret. A Præpoſito pro ſeipſo tantum Confeſſio primum facta etiam legitur, & Conventus ajebat *Miſereatur tui*, atque poſtea *Confiteor*: Præpoſitus vero repetebat *Miſereatur veſtri &c. Indulgentiam &c.* Hæc autem dicebantur ſubmiſſa voce, qui mos etiamnunc ad Primam, & Completorium ſervatur; & hinc fortaſſe factum eſt, ut in Eccleſiis plurimis, & præcipue Regularium *Confiteor* erga Præpoſitum, non vero celebrantem pronuncietur, illiuſque ſit *Miſereatur*, & *Indulgentiam* recitare, atque abſolutionem largiri. Vidi Congregationis Decretum quoddam, in quo idipſum mandatur, ſed cum de autehnticia non conſtet, ab ejuſdem recenſione abſtineo, ſolumque adverto, quod id muneris a Brevario Romano *hebdomadario* committitur, qui cum Præpoſiti vices gerat, & ejuſdem commiſſione id præſtet, perinde eſt, ac ſi a Præpoſito ipſo fieret, ſicuti hac de cauſa diximus alibi ab eodem non peti veniam, dum Capitula legit, etſi a lecturis lectiones reliquas expoſcatur.

II. Quando quis recitat ſolus, quia ex hominibus nullum præſentem habet, cui propria confiteatur peccata, vel quem precetur orare pro ſe ad Dominum Deum, ſemel tantum dicit *Confiteor*, omiſſis illis verbis *Tibi Pater*, vel *Vobis Fratres*, & *Te Pater*, vel *Vos Fratres*, & quæ ſequuntur, pronunciat in plurali numero; *Miſereatur noſtri*, *peccatis noſtris*, *perducat nos*, ſicut fit in oratione Dominica. Similiter Præpoſitus, ſeu hebdomadarius dum in choro confeſſionem facit, dicit *Vobis Fratres*, & *Vos Fratres*, ubi chorus confeſſionem repetens pronunciat *Tibi Pater*, & *Te Pater*, ut verba reſpondeant perſonæ, cui fit confeſſio, quamque precatur orare pro ſe ad Dominum Deum. Hæc cum expreſſa ſint in Rubricis, Monialibus dubitandi occaſionem dedere, an loco *Vobis Fratres*, & *Tibi Pater*, deberent dicere *Vobis Sorores*, & *Te Mater*; verbum enim *Pater*, & verbum *Fratres* maſculinum, non fœmininum appellant ſexum, & qui in maribus *Pater*, & *Fratres*, in fœminis *Mater*, & *Sorores* dicuntur.

III. Negative Congregatio reſpondit, & *ut in Breviario* ab iiſdem dicendum eſſe, adeoque *Tibi Pater*, & *Vobis Fratres*; in iis enim, quæ integrant divinum officium, variationem quamlibet in proprio capite vidimus inhibitam, & aliunde maſculinum continet fœmininum in iis, quæ fœminis ſunt adaptabilia, & appellatione *Fratrum*, & *Patris* venire etiam Sorores, & Matrem, niſi aliter conſtet de mente diſponentis, aut militet diverſa ratio, communiter Juriſperiti edocent. Et hæc eſt ratio, ob quam quæ in maſculino genere, præſertim in orationibus, expreſſa ſunt, abſque variatione ulla a Monialibus apte dicuntur.

IV. Ex Rubrica Primæ, quæ de eo, qui ſolus recitat, ut ſupra diſponit, eruit Gavantus, quod duo ſimul officium recitantes, nihil debent in textu Breviarii mutare, ſed qui major eſt, dicat *Vobis Fratres*, qui minor, *Tibi Pater*, ſicut dicunt invicem *Dominus vobiſcum*, *& cum ſpiritu tuo*: uti & Sacerdos dicit *Orate Fratres*, etiam unico tantum Miniſtro præſente, & inſerviente, & quæ in officio in plurali numero digeſta ſunt, ut *Venite adoremus &c.*, & a ſolo recitante dicuntur, licet nemo ſit, qui ſecum adoret &c.

DECRETUM II. CAP., IN ORDINE CCCXXVI.

Regulares abſque ſpeciali privilegio, ſed ſola communicatione privilegiorum aliarum Religionum, non poſſunt addere nomen Sancti Fundatoris in Litaniis, & Confiteor, S. R. C. 20. Martii 1706. *in Decreto generali*, ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 238.

I. IIs, quæ in reſpectivis capitibus de additione, vel minima, ſevere inhibita fieri Breviario Romano, nec privilegiorum communicationem ad effectum ſuffragari, late tradidimus, præſens innititur Sanctio, quæ ſpeciale reſervat privilegium, cui æquiparantur jus Breviarii proprii, aut Ordinum Conſtitutiones per Sedem Apoſtolicam approbatæ, necnon conſuetudo antiquior Bulla Piana, non moderntior, licet præſcripta, & numquam abrogata, ut ſuo loco dicebamus, quidquid doceat Guyetus *lib.* 3. *cap.* 18. *qu.* 8. Idipſum eſt de ſermonibus, & homiliis, quibus propterea, quæ ex S. Auguſtino decerptæ ſunt, vi approbatarum ut ſupra Conſtitutionum, & Rubricarum Breviarii proprii, & antiquæ ut ſupra conſuetudinis Ordo Eremitarum Auguſtinenſium rite addit *S. Patris Noſtri*, quod & præſtat in confeſſione, & Litaniis.

C A P U T XXXVII.

De Officio Capituli.

I. VIx in divino officio aliquid reperire eſt, quod a priſcis Monachorum conſuetudinibus non trahat originem. Dubium non eſt, quod Prima per orationem *Domine Deus omnipotens* abſolvitur, unde ex ipſius Rubricæ præcepto ſtatim ſubnectitur Prima B. Mariæ, quoties dicenda eſt, cum tamen alias poſt preces ceteras reſervari deberet inſtar aliarum horarum minorum, in quarum fine ſemper dicitur, numquam vero intercicitur divino officio. Quidquid ad Primam poſt præfatam orationem recitatur uſque in finem, dicitur officium Capituli, quia recitabatur in Capitulo, ubi tunc conventus habebatur. Capitulum locus erat clauſtro contiguus, atque plerumque verſus orientalem plagam; dicebatur vero *Capitulum*, quia Capitulum Regulæ inter alia perlegebatur. Quæ res nomen dedit ipſi Canonicorum, & Monachorum Conventui. Ad ſignum Campanulæ, quæ per *Miſerere* ſpatium pulſabatur, Monachi, ut ad Capitulum venirent, admonebantur, & procedebant bini quaſdam preces recitantes. Subeuntibus ex adverſo crux obvia erat, quam venerabantur, ſeſeque mutuo ſalutantes, conſidebant vultu ad Orientem converſo contra Crucem; Gentilium enim mos, quorum Sacerdotes ſacrificare volentes, ad Orientem ſe convertebant, eorumque Templa Orientem ſpectabant, ad Chriſtianos ipſos tranſivit, non quia hi, ut illi, ſolem adorarent, ſed quia adorabant ſolem juſtitiæ, qui in Scriptura *Oriens ex alto* dicitur.

II. Ubi

Digitized by Google

II. Ubi conventum erat, legebatur Martyrologium, ſeu annunciabantur Sancti, quorum feſta craſtinus recipit dies, & quorumdam mos per *Jube* veniam petere, & benedictio erat, *Dies, & actus noſtros in ſua pace &c.* quam nos dicimus ad Capitulum. Ad Martyrologii finem hebdomadarius dicebat *Pretioſa*, deinde *Ipſi, & omnes Sancti*: additio enim illa, ſeu variatio *Sancta Maria, & omnes Sancti* recentioris eſt inſtitutionis, a peculiari quorumdam pietate poſtmodum invecta.

III. Succedebat operis diſtributin ſingulis quibuſque, ſed antequam operi initium darent, recitabant preces, quæ incipiebant a *Deus in adjutorium* ter repetito, & deſinebant in orationem *Dirigere*, quæ modo contracta fuit. Preces iſtæ de opere diebus Dominicis, & feſtivis a nonnullis prætermiſſæ leguntur, ab aliis ſervatæ, quod ſit invocatio divini ausilii pro omnibus diei actibus. Veteres Monachi, ut liquet ex Libro S. P. Auguſtini *De opere Monachorum* conſcripto, aliiſque fere innumeris monumentis, manuum operibus admodum dediti erant, tum ad parandum victum, tum ad deſidiam evitandam, tum ut pauperibus opitularentur. Verum cum hinc a divinis laudibus, & utilioribus Eccleſiæ operibus retardarentur, opus deinceps intermittere cœperunt, ejuſque loco longinra officia, & preces ſubſtituerunt, & pro populorum ſalute, Infidelium converſione, hæreſum confutatione, & Evangelii dilaratione avidius laborantes, & litterarum ſtudio inſiſtentes, credidere ſe utilius Deo, ejuſque Eccleſiæ deſervire, quam ſi agros colerent, aut ſegetes meterent. Dum verò opus fiebat, eorum aliqui pſalmos canebant, alii ſilentium ſervantes, & meditationi vacabant, & alii attente audiebant, quæ a Patre aliquo legebantur.

IV. Capitulum Regulæ deinde legebatur, & exponebatur (quod in Regula Chrodogangi ante Martyrologium fiebat) vel concio quædam, ſeu ſermo habebatur. Huic Regulæ lectioni ſubſtituta fuit juxta Ritum Romanum brevis lectio, ſeu capitulum, ad quod cum a minori clerico dicatur, petitur benedictio. Sed cur, quando lectin brevis non habetur propria, deſumi decernitur ex capitulo Nonæ? Reliquia eſt moris item antiqui, juxta quam illis ex Monachis, qui lectioni Regulæ non intererant, ejus loco Nonæ capitulum recitabant. Inde examen conſcientiæ quilibet faciebat, peccatorum ſe accuſabat, & correctio, atque pœnitentia illi imponebatur, & hoc nunc medio *Confiteor* fit inter preces Primæ, ad quas ſuperius diximus fuiſſe translatum. Feria ſexta ſuper culpis, ſpiritualibuſque negotiis peculiare habebatur capitulum, quod adhuc in mea Congregatione ſervatur.

V. Legebatur quoque in capitulo Necrologium, ideſt catalogus eorum, qui dum viverent, fuerunt de Eccleſia benemeriti, benefactores, amici, aliique defuncti, & pro illis preces effundebantur; & id præſtatur adhuc communius apud Regulares Ordinis. Cum autem modo capituli officium factum ſit veluti appendix quædam Primæ; & ad divinum officium attineat, preces pro Defunctis ultimo loco arbitramur eſſe peragendas.

DECRETUM I. CAP., IN ORDINE CCCXXVII.

Poſtquam S. Canutus pro Ordine Benedictino fixe eſt repoſitus ad 20. Februarii, poteſt pridie hoc elogium dici: *S. Canuti Regis, & Martyris* VII. *idus Januarii*, non variata tamen diſpoſitione Martyrologii Romani. S. R. C. 5. Maii 1736. *in Einſidlen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 306.

I. LOngiori quam par eſt, immo & inani ſermone profecto moraremur Lectorem, ſi ſuper Martyrologiorum varietate, pluralitate, Eccleſiarum uſu, editionibus, correctionibus, & Auctoribus diſceptationem vellemus ſuſcipere, ſunt quippe hæc omnia ab eruditioribus jam occupata calamis, quare huic labori ſuperſedendum cenſemus, ne dicatur nobis illud Horatii: *In ſylvam ne ligna feras*. Contenti igitur iis, quæ in prima hujus operis parte pro opportunitate ſparſim tradidimus, adnotamus dumtaxat, quod ex vi Bullæ Gregorii XIII. Martyrologio Romano præfixæ ſub datum 14. Januarii 1584., abrogato uſu quorumcumque aliorum Martyrologiorum, Martyrologium Romanum in omnibus Eccleſiis legi debet in choro ad Primam. Quotidie autem ex Martyrologin annuncianda Decreta fuit Sanctorum memoria, ait Card. Bona *de div. pſalm. cap.* 16. §. 19., ut ad eorum facta imitanda animemur, & anticipata lectione recenſentur merita illorum, quorum feſtivitas ſequenti die recolitur, quatenus venturæ feſtivitatis celebrationem digniori apparatu præveniamus.

II. Ejuſdem Martyrologii Rubrica, praxiſque diſerte nos admonent, quod ex Sanctis, qui ſequenti die recurrunt, priori loco annunciari debet ille, de quo fit officium, utpote qui præ ceteris ſpecialem aſſequitur ſolemnitatem. Dubium non eſt, quod ut minimum ea Rubrica ſibi vindicat locum in Sanctis in natalitia die occurrentibus, quare difficultas cernitur exhibita de Sanctis, qui a die obitus translati, ſortiti ſunt diem alium fixum, non quidem in Breviario Romano, hos ſiquidem omnes praxis ejuſdem Martyrologii prænunciat, ut videre eſt in feſtis S. Hilarii, S. Pauli primi Eremitæ, ipſius S. Canuti, S. Raymundi de Pennafort, Sanctæ Martinæ &c., ſed de Sanctis, qui apud particulares Ordines, vel Eccleſias alio die, ab eo Eccleſiæ Romanæ fixe celebrantur, videlicet de S. Canuto, cujus natalitia dies ſeptima Januarii die recurrit, die 19. ejuſdem menſis in Breviario Romano ſtate officium aſſequitur, & die 20. Februarii apud Ordinem S. Benedicti.

III. Congregatin pridie diei, qua apud particulares Eccleſias feſta fixe coluntur, approbat annunciari. Talis jam fuerat opinio Guyeti *lib.* 2. *cap.* 14. *quæſt.* 5., & non aliter ſuadent exempla producta Martyrologii Romani, quod dum feſta alteri a natalitia die in perpetuum tradita, conſtanter pridie annunciat, ubertim oſtendit, idipſum a particularibus Eccleſiis in uſum eſſe deducendum, quando apud eaſdem quid ſimile occurrit, unaque patefacit, præfatæ Rubricæ mentem ad hunc, aliosque ſimiles caſus extendi. Alterum, quod per approbationem ſimplicis illius Elogii, *Sancti Canuti Regis, & Martyris* VII. *idus Januarii*, implicite Sanctio itidem approbat, ex iiſdem exemplis, & Martyrologii praxi facile eſt non minus eruere, videlicet elogium, quo annunciantur Sancti extra diem natalitiam fixi, breve admodum eſſe debere, in eoque ſat eſſe nomen Sancti indicare una cum die ejuſdem natalitia, cui reſervari debet annunciatio loci mortis, paſſionis, laudum, & vitæ qualitatis, in qua reapſe a Martyrologio recenſentur. En Elogium, quod Martyrologii Auctor die 19. Januarii addixit pro eodem S. Canuto: *S. Canuti Regis, & Martyris, cujus natalis dies agitur ſeptimo idus Januarii*. Recole iiſdem elogia pro Sanctis Hilario, Paulo primo Eremita, Raymundo de Pennafort, Martina, aliiſque ſimilibus, qui extra diem natalitiam fixe coluntur, & ſi vales, rationem non facito nobis. Voluimus autem & de altero maneas inſtructus, videlicet, quod ſi feſtum apud particulares Eccleſias alteri diei a natalitia, quinimmo & ab aſſignata in uſu Romano, reperiatur addictum, opus non eſt in elogio memoriam facere de die, in quo apud Breviarium Romanum officium aſſequitur, ſed ſolum de die, in quam ejuſdem Sancti incidit obitus: ſic enim exaratum dignoſcitur elogium, quod pro S. Canuto apud Ordinem Benedictinum dici approbatur, & Martyrologium in diebus aſſignatis non meminit diei natalitiæ, niſi ad effectum, ut laudes Sancti, quas repetere non putat, ea die recoli queant. Qui tamen ſecus facerent, alicujus peccati eos damnare non audemus. Examini ſubdenda nunc forent ea Decreti verba, *Non variata tamen diſpoſitione Martyrologii Romani*, at quid ſibi eadem velint, ſequens dabit Sanctio.

DECRETUM II. CAP., IN ORDINE CCCXXVIII.

Feſta illa, quæ a die obitus aliquorum Sanctorum translata, ſortita ſunt alium diem fixum, annuncianda ſunt iiſdem diebus, & verbis in Martyrologio Romano deſcriptis. Quod ſi eorum transferantur officia, pridie quam celebrentur, poteſt nunciari feſtum illius Sancti, de quo ſequenti die agitur ſolemnis memoria. S. R. C. 5. Maii 1736. *in Einſidlen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 314.

I. VIs ut habeatur Decreti, abs re non eſt advertere, quod in eadem Einſidlen., & iiſdem die, & anno editum fuit, hinc quippe facile eruitur, quod ejuſdem ſenſus manet reſtrictus ad feſta, quæ alium diem fixum a natalitio in Romano obtinent Breviario, quæque conſequenter in Martyrologio Romano duplicem aſſequuntur deſcriptionem, nempe & die, quo obitus incidit, & die, quo officium agitur, ut evenit in producto exemplo S. Canuti, cujus memoriam Martyrologium habet & die ſeptima Januarii natalitia ejuſdem, & die 19., qua Clerus Romanus ejus officio incumbit. Quare cum officium v. g. S. Canuti apud Ordinem Benedictinum diem aliam fixam habeat, pridie cui eſt annunciandum, factum eſt dubium, num iiſdem diebus, & iiſdem verbis, quibus in Martyrologio deſcribitur, ſit nihilominus annunciandum; verba enim illa, quæ ejuſdem elogio die ſeptima Januarii ſubduntur: *Ejus autem feſtivitas quartodecimo Kalendas Februarii celebratur*, quadrare non videbantur apud Ordinem Benedictinum, qui eamdem recolit die 20. Februarii tamquam in die fixa, & ejuſdem elogium, quod die 19. Januarii ratione officii in Martyrologium unice eſt invectum, omittendum propterea non minus videbatur, & tranſferendum ad diem præfatam 20. Februarii.

II. Nihil tamen Congregatio voluit eſſe immutandum, decrevitque eſſe legendum, prout in eodem Martyrologio, cujus lectionem facile expurgas, ſi Romano uſui, pro quo Martyrologium latum eſt, aſſeris ſine ulla abſurditate correſpondere; quæ enim particularibus Eccleſiis ſunt propria; in textu inſeri noluit Gregorius, ſed magis ſeparatim deſcribi, & pro opportunitate in eodem legi. Huc ſpectant verba illa præcedentis Decreti, *non variata tamen diſpoſitione Martyrologii Romani*, per quæ idipſum, quod modo dicebamus, aperte firmatur.

III. Ex his inferes Meratum *ſect.* 5. *cap.* 21. *num.* 3. Decreti mentem non fuiſſe aſſecutum, dum eo utitur ad confirmandam doctrinam de prænunciando feſto apud particulares Eccleſias in aliam diem immutato. Optaſſem magis eodem uſus fuiſſet ad inibi repellendum Gavantum, qui feſtum, quod transferri contingit, pridie aſſerit non debere annunciari, diſerte enim Decretum nos inſtruit, quod ſi officia feſtorum alteri diei a natalitia addictorum, transferuntur, pridie nunciari queunt; ſi autem hæc, quidni & feſta a natalitia die abacta? Adſtipulatur etiam Rubrica, dum primo loco nuncianda eſſe præſcribit feſta illa, de quibus ſequenti die fit officium. At quo elogio nuncianda ea erunt? Adhibe illud, quod ſupra memoravimus de feſtis immutatis, vel ſimpliciter dicito v. g. *Sancti Antonii Abbatis*.

IV. Nunc ſuccedit quæſtio, num etiam pridie diei aſſignatæ nunciari debeant feſtum, quod transfertur? Et dubium eſſe non poteſt, præſcribit ſiquidem Sanctio iiſdem diebus, ut exponebamus, nunciari debere feſtum, quod alteri diei ab aſſignata in Breviario Romano reperitur conſignatum apud particulares Eccle-

Eccleſias, nec breve elogium illud, quod Martyrologium pridie diei aſſignatæ legendum mandat, nuſquam legitur omittendum, quando feſtum transfertur.

V. Quando feſtum aliquod in uſu proprio alia die, quam ſit aſſignata in Breviario Romano, celebratur, exemplo feſti & vigiliæ S. Bartholomæi uſum prædictum retineri poſſe approbante eodem Breviario non ſemel nos diximus, & uſin communis obtinuit, ut ejuſdem S. Bartholomæi annuntiatio in Martyrologio uſui ipſi conformetur, ac ad talem diem transferatur; quidni igitur & in ſimilibus idipſum poterit attentari? Uti enim advertit Guyetus *loc. cit.* in hujuſmodi caſibus non intervenit mutatio, ſed potius diei propria retentio. Sane Vigilia S. Matthiæ ex mandato ipſius Martyrologii in anno intercalari transfertur ad diem ſequentem, quæ interjicitur, ut ſequatur feſtum, cujus eſt acceſſorium, & proxima præparatio.

VI. Vigilias, quæ in Martyrologio deſcribuntur, haud ambigo eſſe annunciandas, cum ad hunc effectum illas recenſeat; & primo loco ante feſta, de quibus etiam fit officium, annunciandas eſſe evincit exemplum vigiliæ S. Matthæi, quæ ante S. Euſtachium in Martyrologio ipſo deſcribitur, licet eidem, utpote duplici, in Kalendario poſtponatur. Fortaſſe factum id extitit, quia feſti rationem vigilia vere non habet, unde inepta eſt viſa, quæ inter feſta annunciaretur. Quæ ratio cum ceſſet, dum verb. gr. Vigilia S. Matthiæ incidit in diem Cinerum, quæ item feſti, quinimmo magis rationem effugit, crederem priorem nominationem deberi feriæ Cinerum, quæ eidem vigiliæ præfertur, quinimmo eandem quoad officium ceſſare facit, & inſuper ipſa officium aſſequitur.

VII. Sunt ex iiſdem vigiliis nonnullæ, quas ex legitima loci conſuetudine a jejunio excidiſſe, quinimmo & fortaſſe ab officio, alibi tradidimus, & quæritur, num nihilominus ſint annunciandæ? Dicimus affirmative inſtar eorum, quæ diximus de precibus in cap. de vigiliis; per ſe enim ſervandæ eæ ſunt, etſi alicubi per accidens non ſerventur, & ut annuncientur, ſat eſt, quod juxta generalem Eccleſiæ Romanæ uſum ea die obſerventur ſicuti in Decreto ſtatutum apparet, retinendum eſſe elogium, quod Martyrologium habet pro die juxta uſum Romanum aſſignata Sancto alicui, qui alibi aliam ſortitur aſſignationem.

VIII. Tranſlata vigilia in Sabbatum, non anticipari lectionem de vigilia in Martyrologium, licet anticipetur officium cum jejunio, ſententia eſt Gavanti *ſect. 5. cap. 21. nu. 11*, cui nec nos refragamur; cum enim caſus infrequens non ſit, ſed facilis, & obvius, id indicare debuiſſet Rubrica, ſi voluiſſet, & ſi id fieri deberet, utique in anno biſſexto non ſuppeteret, quod legeretur in vigilia S. Matthiæ, quoties incidit in Dominicam. Rubrica nec officit, quæ lectionem demandat de eo, de quo ſequenti die fit officium, loquitur ſiquidem diſerte de *feſto*, & de feſto *ſtricte* ſumpto, qua de cauſa non annunciatur officium feriale, quia feſtum non eſt, immo nec officia dierum infra octavam, & Dominicarum, quia etſi feſti nomine veniant, ſtricte tamen feſta non ſunt. Vigilia cum ex ſe feſtum non ſit, inſtar aliorum officiorum ferialium annunciationem non expoſcit, quare anticipato officio, & adhuc jejunio, neceſſe non eſt ejuſdem annunciationem anticipari, ſed magis eſt retinenda, utpote quæ fit de ea tamquam proxima præparatione ad feſtum, feſtique præventione, quam inter propterea, & feſtum nihil mediet, oportet.

IX. Octavas, quæ in Martyrologio recenſentur, nemo ambigit eſſe annuntiandas; an autem primo loco, tametſi officium non fiat de eiſdem, ſed de Patrono v. g. loci, aut Titulari Eccleſiæ, affirmat Guyetus exemplo ducto a vigilia, nam uti vigilia eſt feſti præventio, ita octava ejuſdem prorogatio, ergo uti illa eſt ſemper primo loco annuncianda, ita iſta. At hæc etſi ratio ſit, ob quam numquam vigiliæ annunciatio anticipatur, non tamen ob quam primo loco annunciatur, ſed magis, quia ſtricte feſtum non eſt; dies autem octava, quæ ſolum annunciatur, ſtrictam feſti rationem ſortitur, & more feſtivo recolitur, quare abſurdum nullum eſt, quod ejuſdem annunciato feſtorum annunciationi interjiciatur. Si quid igitur probat paritas ex vigilia deprompta, ſolummodo evincit, octavarum, ut reipſa evenit, annunciationem numquam transferri. Equidem prima die Januarii ita legit Martyrologium; *Circumciſio D. N. J. C., & octava Nativitatis ejuſdem*, ubi primo loco recenſetur Circumciſio, & nonniſi ſecundo octava; Si autem id, tametſi in officio etiam octava ſuam habeat conſiderationem, quia Circumciſio eſt potior ratio, de qua agitur officium, multo magis id verum erit, cum feſtum occurrens torali gaudet officio, & dies octava ſolam habet commemorationem.

X. Rubrica autem Martyrologii etiam permittit feſta particularium locorum annunciari, primo loco, ſi de iiſdem agatur officium, ſin autem, martyres poſt martyres in Martyrologio deſcriptos, confeſſores poſt confeſſores, virgines poſt virgines. Scite admonet Guyetus *q. 6.* quod hic ordo ſervari ſtatutus, præciſe ut ſonat, accipiendus eſt, nulla habita ratione dignitatis Epiſcopi, vel Abbatis, quare martyres addititii, licet Epiſcopi ſint, poſtponendi erunt martyribus Martyrologii, licet non Epiſcopis, ut non infrequenter evenit in textu ipſo Martyrologii, cujus quia perpetuus uſus virgines martyres nominat inter ipſos martyres, & præ confeſſoribus, idipſum preſtandum cenſet in virginibus martyribus particularibus, id nequaquam refragante Rubrica, quæ dum virgines poſt virgines collocat, de puris virginibus loquitur. Quoniam vero eadem Rubrica inter confeſſores non diſtinguit, vult Epiſcopos addititios puris confeſſoribus Martyrologii eſſe poſtponendos; ego tamen magis conſulerem hac in parte adhærere Martyrologii textui, qui fere ſemper Epiſcopos puris Confeſſoribus præfert.

XI. An dies octava feſtorum propriorum annunciari debeat, dubitat Guyetus, eo quod neque diei octavæ Aſcenſionis, neque Corporis Chriſti elogium recenſeat Martyrologium in ſerie feſtorum mobilium; affirmat vero Cœremoniale Monaſticum, & conſentiunt Biſſin, atque Meratus, ſaltem ſi de ea officium agatur ſequenti die. Porro Martyrologium dies octavas omnes feſtorum immobilium annunciat, & idipſum præſtat communis uſus de octavis mobilibus Aſcenſionis ipſius, & Corporis Chriſti, quare & tu ſimiliter facito, præſertim quia, ut dicebamus, dies octava venit *feſtorum* nomine, de quibus Martyrologium mentionem injungit. Ex uſu ejuſdem Martyrologii, volo, itidem inſeras cum Merato contra Guyetum, & Biſſum vigilias feſtorum propriorum poſſe annunciari, principali namque conceſſo, conceſſum etiam cenſetur acceſſorium. Martyrologium vigiliis mobilibus Aſcenſionis, & Pentecoſtes nullam præmittit mentionem, nec diſſimiliter agit uſus communis, cui ſi quis contrajerit, nullo peccatu notamin, quinimmo fortaſſe erit collaudandus, eo quod Martyrologium ipſum vigilias omnes immobiles annunciat, quare ſicuti ex ſimili argumento dies octavas eorundem feſtorum mobilium uſus communis annunciat, quidni idem de vigiliis erit præſtandum? Credimus namque Martyrologium per conceſſionem annunciationis feſti, conceſſam cenſuiſſe etiam annunciationem acceſſoriorum ejuſdem juxta ipſius Martyrologii praxim, quæ in ſimilibus in exemplum deſervit, & veluti legem, cum eadem utique ſit undique ratio de vigiliis, & octavis immobilibus, & mobilibus; prætermiſit autem elogium, eo quod in ſimplici nominatione conſiſtit, puta *vigilia Aſcenſionis Domini, octava SS. Corporis Chriſti &c.* Quoad ordinem vero annunciandi dies octavas, & vigilias, etiam proprias, ſervetur ille, cujus ſuperius meminimus.

XII. An Beati annuciari queant, quæſtio eſt alia, cui affirmative reſpondet Guyetus *lib. 2. cap. 14. q. 7.*, & pro indubio id habet, ſi de iiſdem fiat officium, firmat namque memorata Rubrica, primo loco annuncianda eſſe feſta illa etiam ex particularibus, de quibus fit officium conceſſo namque principali, concedi quoque cenſetur acceſſorium. Quod ſi non agatur officium, adhuc id non putat alienum, exemplo ducto a Beato Rocho, & Beato Joanne Columbino, qui in Martyrologio Romano reperiuntur deſcripti. Benedictus XIV. feliciter regnans *de canon. lib. 4. par. 2. cap. 17.* refragari videtur, adducitque Decreta plurima, quibus vetatur Beatorum deſcriptio in Martyrologio Romano, & refert conceſſiones multas per Sacram Congregationem factas in favorem nonnullorum, ex quibus eruit, ſine ſpeciali conceſſione quid ſimile non poſſe attentari. Verum hac in re diſtinguenda venit diſcriptio a nominatione, & illa cenſenda eſt inhibita, ſecus iſta: etiam enim ſancti proprii locorum juxta priſcam Eccleſiæ praxim canonizati, inconſulta Sacra Congregatione in Martyrologio Romano deſcribi non poſſunt, poſſunt tamen ſeparatim deſcribi, & in eodem Martyrologio juxta eamdem Rubricam ſuo ordine pronunciari, quare idem eſt dicendum de Beatis, præſertim quia plus non evincit argumentum ex præfatis Decretis, & conceſſionibus petitum, procedunt ſiquidem omnia de deſcriptione in Martyrologio Romano, quod in uſum univerſi cleri, ad quem Beatorum cultus extenſus non eſt, noſcitur editum, ubi nominatio prædicta non fit niſi a clero illo, ad quem itidem extenſus eſt cultus.

XIII. Huc ſpectat quæſtio, num deſcriptio in Martyrologio Romano cultum importet, quæ cum in Sacrorum Rituum Congregatione fuerit olim propoſita, Proſper Bottinius Fidei Promotor pro affirmativa parte diſſertationem exaravit, Cardinales autem in varias opiniones cum abiiſſent, controverſia reſoluta non fuit, ſed prodiit Decretum anno 1616., quod deſcriptione in Martyrologio Romano Canonizatos dumtaxat donandos eſſe firmavit. Quæ inhibitio pro Beatis habita in prædicta circumſtantia, Beatorum cultui fortaſſe favet, qui alias per præfatam deſcriptionem ad univerſam Eccleſiam, in cujus uſum eſt Martyrologium Romanum, cenſetur extenſus, ut advertunt Scacchus *de notis, & ſignis ſanctitatis ſect. 11. cap. 4.*, & Granadus *de fide tract. 7. diſp. 3. ſect. 3.* Martyrologium enim legitur ad Dei gloriam, ad laudes ſanctorum ipſorum, quorum memoria celebratur, & ut legentes, vel audientes excitentur ad imitationem & cultum eorumdem. Verſiculus itidem *Precioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum ejus* in venerationem eorum, quorum nomina lecta ſunt, adjicitur, & oratio *Sancta Maria, & omnes Sancti*, quæ ſucceſſit illi *Iſti, & omnes ſancti*, eorumdem cultum diſerte deſignat, & interceſſionem precatur, Credimus itaque, quod Beati in Romano Martyrologio deſcripti, univerſalem in Eccleſia cultum habeant inſtar eorum Beatorum, quorum meminimus cap. 3. Decret. 1. num. 23., permiſſum tamen, non præceptum, unde eoſdem nil vetat canonizari. Huic cultui non obſtant Decreta, in quibus prohibetur extenſio cultus Beatorum ultra loca, & perſonas in Brevi expreſſas, ſunt quippe hæc omnia, & alia ſimilia accipienda cum excluſione Beatorum in Martyrologio Romano deſcriptorum, in quod cum invehi nequeant ſine Sacræ Congregationis conſenſu, hoc ipſo legitimus redditur eorum cultus, qui illis obvenit ex dicta deſcriptione.

XIV. Martyrologii denique uſus Annunciationem Tranſlationum, Ordinationum, & aliarum feſtivitatum ſecundariarum declarat licitam, ita ut primo loco fieri debeat, ſi agetur

tur officium, ultimo autem loco, etiam poſt Virgines, ſi officium non fiat, nulla habita ratione, quod ſint verbi gratia translationes Apoſtolorum, ut patet exemplis Translationum Sancti Matthæi *6. Maji*, SS. Andreæ, & Lucæ *9. ejuſdem menſis*, & Sancti Thomæ *3. Julii*. Si ex Sanctis, qui in Martyrologio Romano ſunt deſcripti, aliqui cum officio recolantur, dubium non eſt, quod eorumdem lectio ceteris præmitti debet, etſi in corpore Martyrologii habeatur, at non minus certum redditur, quod in corpore poſtea ea omitti debeat, bina quippe lectio de eodem una, & eadem die nedum ſuperfluit, quia ut minus apta rejicitur. Sanctorum propriorum nuncupationi integrum ſit elogium aliquod attexere, ſed ſit admodum breve, & compendioſa indicatio, & quæ in eo allegantur, ab omni ſint procul falſitatis ſuſpicione vindicata. Hac de cauſa probatur uſus illarum Eccleſiarum, quæ de majorum conſenſu habent elogia in feſtis propriis per totam Diœceſim recitanda, ne cui ſit liberum quidquam temere, & abſque delectu proferre.

DECRETUM III. CAP., IN ORDINE CCCXXIX.

Feſta perpetuo in aliam diem translata, ſunt pronuncianda ex Martyrologio eo ipſo die, quo celebrantur. S. R. C. 2. Septembris 1741. ex Regeſtis ejuſdem S. R. C.

I. HInc uberem confirmationem habent duo præcedentia Decreta, in quorum expoſitione jam late dedimus, quæ ad præſentem Sanctionem facere valent.

AD CAPUT XLIV.

De Martyrologio.

APPENDIX.

DECRETUM PRIMUM Cap. in Ord. 466.

Feſta quæ perpetuo in aliam diem translata ſunt, pronuntiari debent in Martyrologio eo ipſo quo celebrantur, non eo die, quo notantur. S. R. C. 2. Septembris 1741. *in Aquen.*

VOlo in Decreto ſuppleas dictorum *Tantum*, atque legas, *Non eo die tantum, qua notantur*, & ſic ſenſus ſit, quod prædicta feſta prænuntiari debent, nedum in die, quo in Martyrologio Romano manent deſcripta, ſed etiam in die, cui ſunt in perpetuum affixa. Qui intellectus cum ſit conformis uſui ipſius Martyrologii Romani, Eccleſiarum praxi, atque Decretorum diſpoſitionibus, idcirco pro legitimo omnino habendus eſt, unde tuto pede excurri poſſunt, quæ a nobis traduntur in tom. 1. c. 37.

CAPUT XXXVIII.

De Tertia, Sexta, & Nona.

I. UTI nox artificialis, ita dies, ſeu ſpatium temporis ab ortu ad occaſum ſolis, in duodecim horas a veteribus fuit diſtributum, unde *Joan.* 11. ait Chriſtus in Evangelio: *Nonne duodecim ſunt horæ diei?* Horæ iſtæ longiores, aut breviores erant pro dierum ratione, unde in hyeme breviores erant, in æſtate longiores, & ſic reſpective aliis temporibus. Pro oratione diurna in quatuor partes æquales dies diſpartitus fuit, quarum quælibet conſtabat tribus horis ex prædictis duodecim diurnis, & ab ultima ſui hora oratio, quæ fiebat, denominationem deprompſit, unde dicta eſt *Tertia* prima oratio, quæ in hora tertia finiebatur, *Sexta*, quæ in ſexta, & *Nona*, quæ in nona, & quarta oratio, quæ in veſpere, ſeu in hora duodecima terminabatur, appellata fuit *Veſpera*. Horæ, quæ hiſce correſpondent partibus diei, adhuc eamdem retinent denominationem; tempus autem canonicum harum Horarum eſt ſpatium reſpective horæ illius, quam in tres horas ſupra diximus findi, quare pro Tertia ab ortu ſolis ad horam tertiam, pro ſexta ab hora tertia ad horam ſextam, pro nona ab hora ſexta ad horam nonam, & pro veſperis ab hora nona uſque ad duodecimam, ſeu uſque ad occaſum ſolis. Quantum vero attinet ad Tertiam, Sextam, & Nonam, rectius dicuntur quantum ad temporis circumſtantiam, cum finitur hora illis correſpondens, unde Tertia in fine horæ tertiæ, Sexta in fine ſextæ, & Nona in fine nonæ, ita tamen ut tota Hora canonica in fine ſuæ reſpective horæ ſit abſoluta. Additæ vero cum poſtmodum fuerint duæ aliæ horæ canonicæ, ſcilicet Prima, & Completorium, idcirco pro Prima aſſignata extitit hora prima diei, quæ incipit ab ortu ſolis, & pro Completorio hora duodecima, quæ deſinit in occaſu. Quæ tamen Horarum, ſi Tertiam fortaſſe demas, tempora nunc plurimam paſſa ſunt variationem, pleræque namque Eccleſiæ matutino Primam adjungunt, & reliquas horas continenter recitant, niſi earum aliquam interrumpat Miſſæ Conventualis celebratio, & nulla eſt, ſi nonnullas Regulares excipias, quæ tempore debito Nonam celebret, eamque meridiei non præmittat. An autem licite? Non ambigo, quia cum ea tempora per jus humanum fuerint conſtituta, conſuetudine potuerunt derogari; præſertim cum in faciem ipſius Eccleſiæ fuerit communiter introducta, unde ejuſdem ſaltem tacitus conſenſus profecto interceſſit.

II. Benedictus XIV. *tom. 5. notif. 19. §. 4.* ſcite nos admonet, quod variationi hujuſmodi fortaſſe Rubricæ cauſam dedere, quatenus poſt Nonam, præſertim in diebus jejuniorum, Miſſam Conventualem præcipiunt; cum enim Miſſæ celebratio adeo differri non poſſet, & conſuetudine inductum jam eſſet, ut ad meridiem ſolveretur quodcumque jejunium, opus fuit ante meridiem anticipare Nonam, ut poſt eam Miſſa diceretur. Quod cum fieri maxime foret percommodum, facile traductum eſt etiam ad dies, in quibus Miſſa poſt Nonam celebranda non erat; hinc anticipatio Sextæ, & Nonæ proceſſit, & Veſperæ ad horam Nonæ tractæ fuerunt, ac completorium ad veſperarum tempus, & utinam ſaltem adhuc non citius, nec continenter una poſt aliam, ſed in ſubſtituto tempore, & ſeparatim perſolverentur.

III. Ex antiquis eruitur indubiis monumentis, quod in remotis Eccleſiæ ſæculis una dumtaxat refectio in diebus jejuniorum ſumebatur, quæ in jejuniis extra Quadrageſimam differebatur uſque ad Nonam, in Quadrageſima vero uſque ad Veſperas, quæ labente ſole dicebantur, unde Beda *lib. 3. cap. 23.* de Cedda in Anglia Epiſcopo refert, quod ad Veſperam ſolum juxta morem comedebat. *Ad Veſperam juxta morem protelatus jejunium*, & Theodulphus Aurelianenſis Scriptor IX. Sæculi cap. 37. *Solent plerique, qui jejunare putant, mox ut ſignum audiunt ad Nonam, manducare; qui nullatenus jejunare cenſendi ſunt, ſi ante manducaverint, quam veſpertinum celebretur officium.* Hujuſmodi mos perdurabat adhuc ævo Micrologi, qui *de reb. Eccl. cap. 49.* ſcribit: *In hoc quadrageſimale jejunium a ceteris differt jejuniorum diebus, quod in aliis poſt Nonam, & in hoc poſt Veſperam refici debemus*, & S. Bernardus XII. ſæculi *ſerm. 5. de Quadrag.* de jejuniis, quæ a Monachis extra Quadrageſimam ſervabantur: *Hactenus uſque ad Nonam jejunavimus ſoli*, & de jejuniis Quadrageſimæ, *nunc uſque ad Veſperam jejunabunt nobiſcum ſimul univerſi.* Poſt Nonam, hoc eſt circa tertiam horam veſpertinam dicebatur Miſſa, & Veſperæ dicebantur in Miſſa poſt Communionem inſtar praxis, quam ſervat Eccleſia in Sabbato Sancto, ne ſcilicet comederetur, niſi poſt horam veſperarum. Hujuſce moris reliquia adhuc in Miſſa ſupereſt, nempe Collecta ſuper Populum, quæ plerumque ea eſt veſperarum; loco enim Poſtcommunionis, ut in Sabbato Sancto, deſerviebant veſperæ, at quando officium veſperarum a Miſſa ſeparatum fuit, retenta eſt collecta, ut benedictioni ſuper Populum inſerviret. De quo ſatis inſtruimur per collectam feriæ IV. Cinerum, *ut qui divino munere ſunt refecti, cæleſtibus muniantur auxiliis* pro locis, in quibus in eadem feria anticipari ſolebant Veſperæ, & pro ceteris aliis per collectam feriæ V. poſt Dominicam primam Quadrageſimæ, *& cæleſte munus diligere, quod frequentant*, quæ non ſunt niſi gratiarum actiones poſt Communionem. Sæculo 13. ad Nonam anticipata fuit comeſtio, & cum ea Miſſa Quadrageſimæ, & veſperarum officium, Alexandro Alenſi præcipue adjuvante, qui propterea ſcripſit de præfata refectione. *Hora refectionis magis congrua tempore jejunii eſt hora nona, quam uſque ad Veſperam*, & de Miſſa; *Miſſa in Quadrageſima, & diebus jejuniorum, hora nona.* Sæculo 14. ut tempus lucrifieret, hora nona anticipata eſt, Paludano potiſſimum auctore, & Sæculo 15. comeſtio ad meridiem traducta fuit, & quemadmodum anticipabatur refectio, anticipatum eſt officium, & ut moris antiqui veſtigium aliquod remaneret, & ſemper dici poſſet, quod quadrageſimale jejunium non ſolveretur niſi poſt Veſperas, inducta conſuetudine ſolvendi jejunium circa meridiem, invectus etiam extitit, ſemperque retentus mos dicendi in Quadrageſima veſperas ante prandium, non vero in aliis jejuniis extra Quadrageſimam, quibus nec antiquitus Veſperæ præmittebantur, ſed dicta Nona cum Miſſa ſolvebatur jejunium, unde & nunc in iiſdem jejuniis ante meridiem idipſum dumtaxat præſtatur. Ad morem antiquum, cujus ſuperius meminimus, reſpicere videntur verba illa laudati Theodulphi, qui conquerebatur de iis, qui comedere incipiebant ad ſignum Nonæ, nec expectabant veſpertinum abſolvi officium, quod ſubſequebatur: *Solent plerique, qui jejunare putant, mox ut ſignum audiunt ad Nonam, manducare, qui nullatenus jejunare cenſendi ſunt, ſi ante manducaverint, quam veſpertinum celebretur officium*; & Concilium Rotomagenſe anno 1072. *Statutum eſt nullus ut in Quadrageſima prandeat, antequam hora Nona peracta, veſpertina incipiat; non enim jejunat, qui ante manducat.*

IV. Hinc habes plurima, & primo, cur in Quadrageſima veſperæ præmittantur prandio, non autem in jejuniis extra Quadrageſimam, immo nec in Dominicis Quadrageſimæ, quæ numquam jejunatæ fuerunt. 2. Quare Veſperæ dici non incipiant mane a feria IV. Cinerum, quia nempe olim ea feria cum tribus ſequentibus ad Quadrageſimam non ſpectabat, & nonniſi circa nonum Sæculum a latinis cœpta fuit jejunari, feria namque ſecunda poſt Dominicam primam Quadrageſimæ olim prima dies erat Quadrageſimalis jejunii; in qua propterea Carthuſiani, aliique dumtaxat incipiunt anticipare Veſperas, Pariſiis vero, & alibi nihilominus in prædicta feria IV. tamquam in ea, quæ nunc eſt initium Quadrageſimæ, Romæ denique, & juxta Romanum ritum in Sabbato ſubſequenti, quia in eo incipiunt primæ Veſperæ Dominicæ, quæ licet non jejunaretur, ad Quadrageſimam cenſebatur ſpectare, & *Dominica prima Quadrageſima* ſemper fuit inſcripta. 3. Unde originem traxerit variatio canonici temporis olim ſervari conſueti in recitatione Horarum; quoad Quadrageſimam enim ab anticipatione comeſtionis provenit, & extra Quadrageſimam mos anticipandi No-

nam,

nam, eamque prandio præmittendi, qui ſervabatur in jejuniis, tamquam commodior retentus fuit, atque ad alia officia præterquam ad Miſſam, cujus celebratio quoad horam Rubricarum legibus regitur, facile traductus, unde poſtea facta eſt anticipatio Sextæ, veſperæ ſucceſſerunt in horam Nonæ, & Completorium in quaſi horam veſperarum. Ex quo habetur quartum, nempe non a Rubricis, quæ ſaltem eæ, quæ nunc in uſum ſunt, ſunt moderniores, ſed a varia diverſorum temporum conſuetudine in diebus jejuniorum ſolvendi jejunium profectam eſſe prædictam Horarum canonicarum anticipationem.

V. Horæ vero, de quibus nunc agimus, ab Apoſtolis uſque orationi fuerunt deſtinatæ, unde hora tertia orantes *Act.* 2. acceperunt Spiritum Sanctum, hora ſexta *Act.* 10. Petrus legitur aſcendiſſe ad horandum, & hora nona Petrus, & Joannes *Act.* 3. aſcendebant ad Templum. Qua de re recoli poſſunt Hieronymus *Comm. in Daniel. cap. 6.*, Cyprianus *de orat. Domin.*, & Amalarius *lib. 4. de Eccl. off. cap.* 3. Orientis Monachi Caſſiano teſte *lib.* 2., dum opus facerent, has Horas recitabant, & Dominicis tantum diebus ad eas decantandas conveniebant.

DECRETUM I. CAP., IN ORDINE CCCXXX.

Regulares Ordinis Minimorum, cum in orationibus S. Franciſcum præfati Ordinis Fundatorem nominant, non debent adjungere *de Paula*. S. R. C. 23. Decemb. 1624., ſeu melius 1629. *in una urbis pro PP. Minimis*, Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 50.

I. Antiquitus orationum, ſeu collectarum uſus non erat, & officium per *Pater* deſinebat, qui clara voce ab Abbate pronuntiabatur, ut eruitur ex cap. 13. Regulæ S. Benedicti, & ex Concilio Gerundenſi anno 517. celebrato can. 10. Hunc ritum teſte Joanne Diacono Lateranenſis olim ſervavit Eccleſia, & coeptum eſt eaſdem adhiberi in Dominicis, & feſtis, & ſerius earundem uſus ad officia cujuslibet diei pertranſiit. Edocet Grancolas ex Micrologo cap. 3. pro Miſſa ſolum deſerviſſe, dictaſque fuiſſe, cum populus conveniebat, ut ab una ad aliam Eccleſiam tranſiret ad ſtationem faciendam, quæ ſolum fiebat ad Miſſam celebrandam: *Collectæ vocari videntur, quæ apud Romanos ſuper collectam populi fiunt, dum colligitur, ut procedat de una Eccleſia ad aliam ad ſtationem faciendam*. Hinc habes cur *collectæ* dictæ ſint, quia nempe *collecto* tantum *populo*, ſeu ſuper *collectam plebem* dicebantur, ſeu quia, ut advertit idem Micrologus, *Sacerdos, qui legatione fungitur pro populo ad Dominum omnium petitiones in orationibus colligit, atque concludit*. Joannes Diaconus *cap. 3. de Canon. Eccl.* collectas *a complendo*, quatenus per eas completur, & abſolvitur officium, dictas putat, ſed ad id indicandum tale nomen minus videtur eſſe aptum. Ad rem quadrat etiam titulus Miſſæ Purificationis, qui in Sacramentario S. Gregorii eſt: *Miſſa ad collectam*, quatenus ſic intitulata credatur, quia dicebatur ad populum pro proceſſione collectum, ſed forſitan titulus ille invectus fuit, quia eo die publice colligebantur Eleemoſynæ; diſcimus namque ex 1. Corinth. ult., Eleemoſynam, quæ in ſubſidium Eccleſiæ, vel pauperum colligebatur, *collectam* dictam fuiſſe: *De collectis, quæ fiunt in Sanctos, ſicut ordinavi Eccleſiis Galatiæ, ita & vos facite*.

II. Refert Radulphus *prop.* 23., quod in Ambroſiano, & in proprio quorundam Monachorum ritu, multæ in unoquoque officio habentur orationes, & Guyetus *lib. 3. cap. 2. qu.* 8. ſe obſervaſſe fatetur in nonnullis antiquis Breviariis ad Sextam, & Nonam diverſas ſemper poni orationes. Romanus uſus exceptis Prima, & Completorio, in quibus ſemper eædem orationes dicuntur, ad reliquas horas cunctas unam, & eamdem feſti adhibet orationem. Acturi itaque de Tertia, Sexta, & Nona, cum nobis Decreta alia, quæ exponeremus, minime ſuppeterent, agere reſervavimus de orationibus, quæ eaſdem item integrant horas.

III. Peytino teſte *in Reg. Minim. quæſt.* 8. Sacræ Congregationi expoſitum fuit, in divinis officiis S. Franciſcum de Paula apud Patres Minimos cum diverſitate invocari, nomini videlicet nonnullis addentibus Patriam, nempe *de Paula*, aliis nequaquam, & ad uniformitatem ſervandam, petitum fuit declarari, an Patria apponi deberet? Negative Congregatio reſpondit, ut in producto Decreto, quod viſum eſt ruere, utpote quod fundaretur in expoſita Religionis difformitate, cum tamen univerſalis conſuetudo Religionis nomini ſemper Patriam addiderit; hinc repropoſitu dubio, eadem Congregatio 4. Febr. 1632. reſpondit: *Prædictum Decretum efficere, non obſtante quacumque contraria conſuetudine, quam abuſum eſſe declaravit*. Peytinus conatur adhuc prædictam additionem tueri, eo quod Decretum ſolam reprobat conſuetudinem, nec a petentibus Congregationi fuit expoſitum, quod ſtatuta Religionis a Gregorio XIV. anno 1581. confirmata, Patriam apponi demandant; quod Leo X. officium fieri conceſſit ſub nomine B. Franciſci *de Paula*; quod Clemens VII. confirmavit officia propria ejuſdem Sancti, in quibus habetur *de Paula*; quodque in Breviario ipſo Romano ante tempora Pii V. in oratione prædicti Sancti legebatur *de Paula*, & ſic etiam fuit ſub Sixto V., ſub quo officium fuit reſtitutum, uſque ad Clementem VIII., in cujus reformatione Patria ſublata extitit. At hinc nos eruimus, quod cum Breviarium Romanum, quod uſui Romano addictis in exemplum debet deſervire, to *de Paula* ſuppreſſerit, idipſum a Patribus Minimis præſtari debeat, non obſtantibus iis, quæ in oppoſitum fuerunt producta, præſertim quia Congregatio abuſum declarat præfatam conſuetudinem, quæ cum ſit antiquior Bulla Piana, potis eſt Apoſtolicarum inſtar Conſtitutionum tueri ipſa Sanctorum officia.

IV. Generalis autem ſit regula, ut in orationibus nomini non addatur *Patria* ad diſtinguendum Sanctum ab aliis cognominibus, quemadmodum Breviarium Romanum ſervat, quod quidem, dum officia Sanctorum in Kalendario aſſignat, quandoque quidem utitur cognomine ex Patria ſumpto, numquam vero in orationibus; id autem, quia in Kalendario nos alloquitur, qui per cognomen aliquod edoceri indigemus, quinam ex Sanctis cognominibus officium ea die ſibi vindicet, non tamen in orationibus, in quibus nos jam ut ſupra inſtructi, Deum alloquimur, qui haud eget inſtrui, cujuſnam Sancti interceſſionem poſtulemus; quare ab orationibus, aliiſque, quæ ad divinum pertinent officium, merito ad diſtinctionem Patria apponi vetatur, præſertim cum etiam Sanctorum Patria cælum ſit, ubi renaſcuntur in vitam æternam, non locus ille, in quo ſortiti ſunt vitam hanc mortalem, atque caducam.

V. Unum exemplum tamen eſt in S. Maria Magdalena, quæ licet a Magdalo Galilææ oppido ſic dicta fuerit, eandem denominationem in divino officio aſſequitur. At id factum eſſe credimus, quod ſic in Evangelio fuerit denominata ad eam diſtinguendam a Maria Chriſti Matre, quam ſicuti dignitas a ceteris mulieribus admodum diſtare facit, ita congruit, eadem ſecernatur in nomine, ita ut *Mariæ* nomen abſolute, & ſimpliciter pronuntiatum, Matri Chriſti dumtaxat adaptetur, quemadmodum olim fœminis ob reverentiam Mariæ nomen non ſolebat imponi. Credimus itaque, quod ſi alicubi de Sanctis, quæ in terris Mariæ nomen ſunt ſortitæ, officium agatur, nonniſi cum cognomine aliquo a Patria, vel aliunde deprompto, in orationibus debeant nominari, uti bene de S. Maria Ægyptiaca præſtant Eccleſiæ Rhemenſis, Senonenſis, & Pariſienſis.

DECRETUM II. CAP., IN ORDINE CCCXXXI.

In orationibus expungantur omnino cognomina, & Patriæ Sanctorum. S. R. C. 23. Junii 1736. *in Einſidlen.* Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 333.

I. Cognomina neceſſitas primum excogitavit, cum prænomen, & nomen quandoque non ſatis diſtinguerent homines, poſt uſus, & commoditas cuſtodivit, & propagavit. Per cognomen venit denominatio illa, quam ad ſui diſtinctionem a ceteris unaquæque Familia aſſumpſit; hinc S. Philippus a nobis Benitiorum ſtirpe *Benitius*, S. Andreas ab illa Corſinorum *Corſinus* reperitur dictus. Ultra cognomen, dantur nomen, prænomen, agnomen, & ſopranomen. Nomen eſt, quod unam perſonam ab altera primo ſecernit, & regulariter in ortu, baptiſmo, aut aſſumptione habitus religioſi imponitur, ut *Carolus*, *Franciſcus* &c. Prænomen, quod ex accidenti aliquo eſt alicui quidem adaptatum, ſed non ita proprium, ut etiam alteri non poſſit convenire, ut *Nonnatus* dicitur S. Raymundus, eo quod præter communem naturæ legem e mortuæ Matris diſſecto latere in lucem editus fuit. Agnomen illud dicitur, quod ob aliquod inſigne opus, vel defectuoſum de aliquo antonomaſtice prædicatur, quo pacto S. Thomas Aquinas dicitur *Doctor Angelicus*. Demum ſupranomen vel cum agnomine confunditur, vel in eo diſtinguitur, quod deſumitur a dote aliqua naturali, vel defectu, ut *Pulcher* &c. Hæc quidem ita ſunt in ſtricta acceptione, in lata vero per cognomen venit illud omne, quod nomini additur ad unam perſonam ab altera diſtinguendam.

II. Ubi in præcedenti Decreto ab orationibus Patria expungi dumtaxat præſcribitur, modo a Patria, & cognomina expungenda dicuntur, & quidem nedum cognominis vocabulo ſtrictim, ſed adhuc late accepto, pro omni ſcilicet eo, quod nomini ad diſtinctionem unius ab alio adjicitur, ſicut namque in præcedenti Decreto ponderabamus, Deum, quem in orationibus alloquimur, ut intelligat, cujus Sancti præſidium imploramus, cognomine aliquo nefas eſt indignum reputare. Adoptaſſe hac in parte Congregatio videtur ſententiam Guyeti, qui *lib. 3. cap. 2. qu.* 5. iis dumtaxat exceptis, quibus Breviarium Romanum cognomen aliquod apponit, ceteros omnes abſque alio addito cenſuit eſſe nominandos. Ex hujuſce rationis Sanctis, qui in Breviario Romano cum cognomine aliquo in orationibus recenſentur, ultra S. Mariam Magdalenam, de qua in præcedenti Decreto, modo ſunt Sancti Joannes Chryſoſtomus, de Matha, & Gualbertus, ac Sancti Petri Nolaſcus, Chryſologus, & Cæleſtinus, ac demum S. Raymundus Nonnatus. *Chryſoſtomus*, & *Chryſologus* ſunt agnomina ob auream eloquentiam prædictis Sanctis adaptata, *Nonnatus* eſt prænomen, de quo ſupra, *Cæleſtinus* eſt nomen alterum, quod a Papatu, cui renunciavit, S. Petro reliquum fuit, & *de Matha*, *Nolaſcus*, & *Gualbertus* ſunt cognomina.

III. Obſervatu dignum apparet, quod ex Sanctis, qui cognomen aliquod habent, Joannis, aut Petri nomine appellantur, ut ſpecialis aliqua his in omnibus præ ceteris ratio intelligatur inſpecta, & fortaſſe ſimilis eſt illi, quam diximus de Mariæ nomine, videlicet ut eadem nomina abſolute prolata, reſerventur Chriſti Præcurſori, qui major eſt ex Chriſti eloquio inter natos mulierum, & Petro Apoſtolorum Principi, & Petræ illi, ſuper quam Chriſtus ædificavit Eccleſiam ſuam. Hæc tamen diſciplina quoad Joannis nomen in modernioribus officiis non amplius ſervata dignoſcitur, ut videre eſt in feſtis SS. Joannum a S. Facundo, a Cruce, & Nepomuceni, & forte quia nec ſervabatur in antiquioribus, ſcilicet S. Joannis Papæ, &

Mer-

Digitized by Google

Martyris, de quo 28. Maji; quoad Petri vero nomen nihil uſquemodo legitur innovatum, nec olim ſervatum, & fortaſſe reverentia illa, quam Petri nomini deferunt ſummi Succeſſores Pontifices, qui numquam idem retinuere, vel aſſumpſere nomen, cauſa fuit, ob quam *Cæleſtini* nomen, cui unam cum Papatu renuntiavit, adjectum fuit S. Petro de Moronibus, & adhuc eſt additionis cognominis alicujus Sanctis illi, qui habent Petri nomen.

IV. Solum S. Raymundus eſt, de quo valida haud habemus cauſam, ob quam *Nonnatus* in collecta dicitur; quæ enim petitur ex accidenti prædicto, haud videtur ad effectum potis, ſunt ſiquidem potiores in Sanctis aliis, quibus tamen cognomen nullum adjicitur. Nobis credere lubet, ex extenſione hujuſce officii a Religione Ordinis SS. Trinitatis Redemptoris Captivorum ad Eccleſiam univerſalem cognomen illud in Romanum Breviarium deveniſſe. An autem etiam poſt præſens Decretum cognomina iſta retinenda ſint, in affirmativam nos propenderemus ſententiam quoad Mariæ nomen, & fortaſſe etiam Petri, in negativam vero quoad reliqua cuncta nomina. Ab hac adhuc regula exciperemus agnomina illa, ut *Chryſoſtomi*, *Chryſologi &c.*, quæ tituli honoris ſunt, & præſertim quia noviſſime cum hoc titulo in Breviarium S. Petrus Chryſologus invectus fuit. Quoad praxim tamen a Breviario Romano tune diſcedito, quod donec immutatum permaneat, deſignat nobis, Decretum parcere officiis ejuſdem, fortaſſe quia cognomina illa habent ex vi conceſſionis Apoſtolicæ eorumdem officiorum approbativæ, & ad Eccleſiam univerſalem extenſivæ. Ex eo autem, quod in Breviario perſpicies fieri, argue, quid in ſimilibus ſit faciendum, hoc ſolum adnotato, quod in hac parte vis nulla tribuenda cuicumque conſuetudini, quam in præcedenti Decreto abuſum eſſe vidimus declarari.

V. Per cognomen non venit qualitas Sancti, de qua fit officium, ſed hæc nomini, cum exprimitur, addenda ſtatim eſt, puta *Apoſtoli*, *Martyris*, *Confeſſoris &c.*, ut in uſum habet Breviarium ipſum. In ſolis Sanctis mulieribus non Martyribus nihil ad nomen additur, quia viduitas non titulus honoris eſt, Confeſſoris vero titulum, qui quadrare poſſet, ſolum Sanctis maſculini ſexus Eccleſia adaptare ſolet. Unici ſunt S. Laurentius Martyr, & S. Gregorius Papa, qui ſine qualitate exprimuntur, prioris, ait Guyetus *lib. 3. cap.* 2. *q.* 5., quod nomen ipſum ſonet lauream martyrii, poſterioris ob ſummam ejuſdem humilitatem.

VI. *Patris* agnomen Inſtitutori ſuo tribuunt aliqui Regulares, quorum morem ex Thomaſio refellit Meratus *ſect.* 5. *cap.* 16. *num.* 3, tum quod talis titulus nec Apoſtolis tribuatur, qui in toto orbe fundaverunt Eccleſiam ſanguine ſuo; tum quod *Matth.* 23. aliquem ſuper terram Patrem vocare vetemur; tum denique quia hebdomadarius orationes recitat nomine totius Eccleſiæ, cujus talis Sanctus Pater non eſt.

VII. Sanctorum denique nomen in orationibus eſſe exprimendum, perpetuus Romanus nos edocet uſus, exceptis dumtaxat feſtis S. Felicis 14. Jan., SS. Marii, & Sociorum 19. ejuſdem, S. Caliſti 14. Octobris, in quorum orationibus nomina non exprimuntur, quia ſic in Sacramentario S. Gregorii manent deſcriptæ. Idem eſt de SS. 40. Martyribus, Septem Fratribus, & Quatuor Coronatis, ſed hoc quia eorum nomina vel certe, vel commode non poterant recenſeri. Idipſum tu facito in orationibus Sanctorum propriorum, ſi horum ignorentur nomina, vel incerta ſint, ſi vero plures fuerint, eoſdem generali recenſe nomine, aut ſatius uno illorum veluti Duce nominato, ceteros *Sociorum* vocabulo involve, ut communior fert uſus.

CAPUT XXXIX.

De Veſperis, earumque partibus.

I. NOminibus plurimis hocce officium reperimus inſcriptum, ſed eo vergunt omnia, ut deſignent tempus, quo olim celebrabatur. *Hora duodecima* a Concilio Turonenſi, & a Magiſtri Regula, quod hora diei duodecima, non exacta, ſed labente diceretur. *Lucernarium*, *officium lucernarum*, ſeu *lucernalis hora* ab aliis, quia valde ſero, & accenſis cereis, ſeu lucernis recitabatur ad pellendas tenebras, quæ ſole jam jam occumbente, præſertim in locis obſcurioribus, cujuſmodi ſunt oratoria, & chori, eſſe ſolent. *Veſpera* potiſſimum dictum fuit a ſydere *Veſpere*, quo oriente, quod evenit decidente ſole, dicebantur; hinc occaſionem deſumpſerunt plurimi illud rejiciendi inter noctis officia, ſed inter Horas diurnas proculdubio numerari debet, non dicebatur quippe poſt occaſum, ſed ad receſſum Solis, unde in hymno *Jam ſol recedit igneus*. Caſſianus *lib.* 3. *de inſtitutis Cœnobiorum cap.* 3. horæ undecimæ videtur illud tradere, ſed ſcite nos admonet Perſicus *de hor. can. cap.* 1. *dub.* 5. *num.* 8. de hora undecima jam exacta, & duodecima jam cœpta eſſe intelligendum, quod eruit ex parabola ipſa operariorum, quam ad rem idem producit, & evidens fit ex lucernis, quæ tamquam neceſſariæ adhibebantur, cum tamen hora undecima lux ſolis apprime bene potuiſſet deſervire. Quomodo autem inſtituto completorio ad horam undecimam tractum fuerit, & adhuc temporum decurſu citius anticipatum, jam quæ traduntur in præliminaribus capitum præcedentis, & ſequentis, liquido oſtendunt.

II. Ad imitationem Judæorum, qui feſtorum initium ducunt *a veſpera ad veſperam*, Eccleſia feſta ſua a veſperis vigiliæ incipit, & hæc eſt ratio, cur ſolemnius peraguntur, unde & Papa primis tantum veſperis adeſſe ſolet. Amalarius *de ord. Antiph. cap.* 16., dum adoleſcens eſſet, ſe obſervaſſe fatetur, primas feſtorum veſperas magis ſolemnes fuiſſe, quam ſecundas, ad illas frequentiorem fuiſſe populum, plures cereos accenſos, & Antiphonas, & pſalmos proprios recitatos, ubi in ſecundis veſperis dicebantur feriæ proprii, quaſi ad ſecundas veſperas exiſtimaſſent veteres, feſtum jam elapſum eſſe, neque eas amplius ad feſtum pertinere, inſtar feſtorum ſimplicium, quæ etiamnunc ſecundas veſperas non habent. Concilium Trullanum *can.* 20. ait. *Poſt veſpertinum ad Altare ingreſſum Sabbato nemo genuflectat uſque ad veſperam in die Dominica, in qua poſt ingreſſum in completorio genua rurſus flectimus.* Ex quibus eruitur officium Dominicæ in primis veſperis incœpiſſe Græcos, & in ſecundis, in quibus propterea genua flectenda mandantur, jam deſiiſſe putaſſe; vox enim illam *Completorium* ſtat veſperarum loco, quia tunc Græci Completorium non noverant, & veſperas *Completorium* dicebant, quatenus per eas officium diei complebatur. Romana Eccleſia feſtis 9. lectionum nunc ſecundas tribuit veſperas, ſed eas minus nobiles, & ſolemnes cenſet, admittitque in eis quandoque nonnullas commemorationes, quas a primis abigit, & plerumque ſecundæ non ſunt, niſi primarum repetitio.

DECRETUM I. CAP., IN ORDINE CCCXXXII.

In officio pro Sanctis Confeſſoribus, quoties eiſdem fixa dies eſt aſſignata, quæ non eſt dies obitus eorum; recitari non debet ad hymnum *Iſte Confeſſor &c. Meruit beatas ſcandere*, & eadem regula ſervanda eſt, ſi transferatur feſtum Sancti Confeſſoris ad diem, quæ non ſit ſui obitus. S. R. C. 11. Junii 1701. *in una Tertii Ord. S. Franc.* Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 223.

I. CIrca veſperarum officium, ſicut & in ceteris officiis, varia in Eccleſiis fuit diſciplina, & adhuc eſt in pſalmorum numero, & qualitate, & in nonnullis aliis, præſertim apud Monachos, & alios. Romana Eccleſia quinque utitur pſalmis, cantico *Magnificat*, capitulo, quod ſtat lectionis loco, & hymno, de quo nunc ſumimus agere. Quæ ad hymnorum originem, antiquitatem, auctores, & primum eorum uſum in divinis officiis, aliaque, quæ ad hymnorum materiam ſpectant, ſuperſedemus tradere, cum plurimi hac de re copioſe, ac erudite ſcripſerint. Cum potiſſima Romani Breviarii hymnorum pars circa dimenſiones metri, & numeri leges peccaret, Urbanus VIII. eos emendari, & emendatos Breviario inſeri curavit; qua in emendatione nongentos quinquaginta, & amplius errores ſublatos fuiſſe ferunt; Patres enim in hymnorum efformatione, ut Ambroſius de ſuis aperte ait *lib.* 2. *in Luc.*, neglexerunt verba, & penſarunt myſteria. Nonnulli de mutatione iſta conqueſti ſunt, affirmaruntque hymnos illos, ut ad Poeſeos, & latinæ linguæ leges exigerentur, veterem ſimplicitatem amiſiſſe, atque pietatis vim, quam undique ſpirabant, enervatam: *acceſſit latinitas, & receſſit pietas*. Acriorem omnium Henricus Valeſius cenſuram egit præfatorum hymnorum, quos male compoſitos, & depravatos exiſtimat. Theophylus Raynaudus *tom.* 11. *pun.* 2. prædictam plurimi facit emendationem, eamque admodum commendat Guyetus *lib.* 3. *cap.* 5. *quæſt.* 2., aſſeritque, quod qui eam reſpuunt, parum ſe Eccleſiæ decorem diligere probant. Nos vero admonet Grancolas *lib.* 1. *cap.* 28., quod pauca circa ſententias immutata fuere, & quod veteres cum emendatis conferenti, vix aliud diſcrimen occurret præter variam dimenſionem, atque loquendi rationem. Nunc ad Decretum.

II. In Tranſlationum, ordinationum, aliorumque ſimilium feſtis Confeſſorum, in quibus non recolitur dies mortis eorumdem, in hymno *Iſte confeſſor* dicendum non eſſe *meruit beatas*, ſed meruit *ſupremos*, diſerte per hæc verba Rubrica edocet: *Si non eſt dies obitus*, dicatur *meruit ſupremos*. Diximus *In quibus non recolitur dies mortis*, quia ſi dies Tranſlationis, aut alia ſimilis ad recolendam diem mortis fuerit ſuſcepta ob impedimentum occurrens in die natalitia, par eſt ratio, ac de feſtis illis, quæ habent diem aſſignatam quamcumque aliam, quæ non eſt dies obitus. Putarunt Macrus *in Hierox. verb. Hymnus*, Sarnellius *litt. Eccleſ. lib.* 5. *lit.* 19., & Felix Gabriellius *ſuper Rubricam ſi non eſt dies obitus*, dicendum non eſſe *meruit ſupremos*, quando ratione impedimenti transfertur ad aliam diem officium natalitium alicujus Sancti Confeſſoris, & conſequenter quoque quando idem officium alteri diei in perpetuum addicitur. Hanc ſententiam adeo validis aſſerit Pittonus *deciſ. pro ſacris ritib. num.* 1196. munitam eſſe rationibus, ut ei forſitan adhæreret, niſi obſtaret præſens S. R. C. Decretum; quod ex eodem etiam tranſcribit Meratus *ſect.* 8. *cap.* 3. *num.* 1. Potiſſima vero ratio eſt, quod ſi adhuc in oratione dici poteſt *Natalitia*, quia licet non ſit dies vere natalitia, colitur dies natalitia, ita dici poterit *meruit beatas*, quia in officio celebratur dies obitus.

III. Gavantus *ſect.* 8. *cap.* 3. *num.* 7. e contra cenſuit mutandum eſſe verſum illum in *meruit ſupremos*, ne dicatur mendacium, cum reipſa ſanctus ea die minime obierit. Gavanti ſententiam Sacra Congregatio firmavit, Rubricæ utique innixa, quæ habet; *Si non eſt dies obitus, dicatur meruit ſupremos*; dictio autem *eſſe* veritatem ſignificat, & proprietatem; officium autem natalitium, quando extra diem obitus celebratur, non facit, quod hic dies ſit vere, & proprie dies obitus, ſed ſolum improprie, & per fictionem. Recolenda hic ſunt, quæ dedimus in cap. 11., ubi eadem Congregatio expreſſe ſtatuit, quod tales dies habendi quidem ſunt tamquam dies natalitii, quod improprietatem ſignificat, ſed tamen non ſunt vere dies obitus. Ibi etiam ſuam diſtinctionem fecimus inter diem

obi-

Digitized by Google

obitus, Natalem, & Natalitia eorum, unde ex ibidem dictis luculenter eruitur, cur nihilominus Eccleſias in orationibus *natalitia* ſe celebrare valeat fateri, non tamen extra diem obitus dicere: *Hac die letus meruit beatas &c.* Et quidem Breviarium ipſum, quotieſcumque extra diem obitus recolit Confeſſorem aliquem, licet in die aſſignata, ſemper præſcribit *meruit ſupremos*, ut videre eſt in feſtis SS. Hilarii, Pauli 1. Eremitæ, Joannis Chryſoſtomi, Franciſci Saleſii, Petri Nolaſci &c., quorum licet aliqua recolantur in die Tranſlationis, ut alia de ſancto celebri, non tamen in iiſdem celebratur dies tranſlationis, ſed dies natalitia, & officium inſtituitur in memoriam pretioſæ mortis eorumdem, licet ad hanc rem, cum dies natalitia impedita foret, dies alia de cauſa de ſancto celebris, merito delecta fuerit. Indubium itaque eſt, quod Rubrica per ea verba *ſi non eſt dies obitus &c.*, expoſcit, quod dies, in quas dici debet *meruit beatas*, ſit vere dies obitus, & non tantum fictione aliqua.

IV. Inficiari tamen haud poſſumus, quod ſententia Auctorum, quorum meminimus, ſuis non deſtituitur rationibus, & in ſimilibus ab Eccleſia ipſa videtur uſurpari; in officio enim Conceptionis habetur *Conceptio eſt hodie &c. Conceptionem hodiernam &c.*, & abſque ulla mutatione Antiphonæ iſtæ dicuntur in eodem officio etiam tranſlato, quinimmo & dicebantur, quando Conceptio non habebat octavam, & adhuc dicerentur, ſi poſt octavam transferri contigeret. Ab indultariis tamen verba illa omittuntur, vel mutantur, dum in ſabbatis per annum de Conceptione agitur, quod alia de cauſa fieri non poteſt, niſi quia officia illa votiva non cenſentur in memoriam diei, quo Deipara concepta fuit, inſtituta, ſed magis in commemorationem ipſiuſmet immaculatæ Conceptionis, ubi illud, etſi tranſlatum, diem ipſam Conceptionis nobis repræſentat. Verum licet nonnulla, ut appoſite quadrent officio, quod agitur, & ne pluribus variationibus clerus uti teneatur, ad improprietatem ſermonis pertrahi queant, ſecus vero, quoties varianda diſerte aſſignantur, quare in caſu dubium eſſe non poteſt, quod extra diem obitus dici debet *meruit ſupremos*, etſi officium ſit de die obitus.

V. Pari ratione nonnullis fortaſſe videbitur in hymno Laudum variandus verſus ille: *Dies refulſit lumine, quo ſanctus hic de corpore migravit inter ſydera*. Gavantus variatione opus non eſſe aſſerit, quia non dicitur *Hic dies* præciſe, in quo fit officium, ſed Guyetus futilem hanc rationem exiſtimat, quia per ea verba ſufficienter exprimitur dies obitus. Quidquid tamen ſit, certe nulla variatio attentari debet, quoniam ſi Rubrica eam voluiſſet, utique præſcripſiſſet, ſicuti eamdem aſſignavit ad Veſperas. Et cum ea verba recitentur etiam in Tranſlationum feſtis, aliiſque, in quibus non recolitur dies obitus, neceſſe ſit, quod ex ſe non deſignent eam eſſe obitus diem. Non deſunt aliqui uſus, qui extra diem obitus totum verſum illum omittunt, & Breviarium ipſum Romanum eumdem mutat in feſto Stigmatum S. Franciſci, dicitque *Chriſti recepit ſtigmata*.

VI. Difficultas potior foret, num in eodem Stigmatum feſto, quando ad aliam diem transfertur, dici queat. *Hac die latus meruit beata vulnera Chriſti*. Et certe ratio eadem, ob quam in Confeſſorum officio, quando extra diem obitus celebratur, non dicitur *Hac die lætus meruit beatas &c.* ubertim evincit, nec ut ſupra eſſe dicendum in ſtigmatum feſto, licet poſtea par ratio, quæ in hymno Laudum tuetur *quo ſanctus hic de corpore &c.* tueri etiam valeat *Chriſti recepit ſtigmata*. Sed ſi dici non debet *meruit beata vulnera Chriſti*, quid ejus loco ſubrogabitur ad complementum metri? *Meruit ſupremos laudis honores*. At mutatio quælibet in divino officio ſevere eſt inhibita? Ita quidem, ſed quæ fit propria auctoritate; nos autem habemus Rubricam, quæ in confeſſorum feſtis extra diem obitus expreſſe aſſignat *meruit ſupremos*, & juxta auctoritativam Sacræ Congregationis interpretationem etiamſi officium ſit de die obitus; quidni igitur etiam in ſtigmatum feſto, quando extra proprium diem celebratur, ne mendacium dicatur, aut ad improprietatem ſermonis, quam Congregatio non approbat, neceſſe ſit recurrere, taceri debebit *meruit beata &c.*, & eiuſdem loco dici *meruit ſupremos*, qui eſt verſus alias pro confeſſoribus dici approbatus, & officio ipſi, quod agitur, optimo quadrat.

DECRETUM II. CAP., IN ORDINE CCCXXXIII.

Quando contingit transferri feſtum alicujus Sancti Confeſſoris a die ſui obitus in diem proxime ſequentem, ſi fiat a capitulo de ipſo, tunc in primis ſuis veſperis dicitur in hymno, *Meruit beatas ſcandere ſedes*, & in reliquo officio diei ſequentis debet continuari idem verſus. S. R. C. 13. Jan. 1682. Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 128.

I. QUotis feſtum S. Confeſſoris a die ſui obitus transfertur in diem proxime ſequentem, ſi primas veſperas integras, vel dimidiatas habeat, in eis dicendum eſſe *Meruit beatas*, quia vere eo die obiit, ſenſit Gavantus *loc. cit.*, qui propterea voluit ſequenti die, cum die obitus expiraverit, ad matutinum, & 2. veſperas dicendum eſſe *Meruit ſupremos*, unde *ſect. 7. cap. 2. num. 3.* primis veſperis S. Franciſci Xaverii dat *Meruit beatas*, & reliquo officio *Meruit ſupremos*, ex quo factum eſt, ut ad modum Rubricæ in Breviarium ipſum Romanum in officio ejuſdem S. Franciſci a plus æquo in Gavanti placitis cæce jurantibus id temere fuerit invectum. Guyetus vero *loc. cit.* etiam primis veſperis adſcribit *Meruit ſupremos*, quia demonſtrativum *Hac* primario deſignat diem, quo celebratus feſtum, iſque in caſu alius eſt a die obitus.

II. Ad Rubricæ tramites, quæ nonniſi extra diem obitus mutationem injungit, in primis veſperis, quæ dicuntur die obitus nondum expirato, Sacra Congregatio dici mandavit *Meruit beatas*, quem verſum continuari & voluit ad matutinum, & ad 2. veſperas diei ſequentis, ſicuti & continuatur per totam octavam, quando dicitur in feſto; cum enim tota octava cenſeatur cum feſto unum, & idem officium repetitum, hinc etſi per ſeptem ſequentes dies, quæ profecto ſunt extra diem obitus, continuentur, continuatur & idem verſus feſti; a fortiori igitur in reliquo officio continuari debebit verſus, qui dictus fuit in primis veſperis, nam hæ cum officio ſequentis diei unum omnino, & idem faciunt officium, in quo propterea cum difformitate aliter diceretur in veſperis, & aliter in reliquo officio. Horum ratio eſt, quia ea verba in die ſequenti, uti & per conſequentem octavam dicuntur relate ad illud tempus feſti, in quo verificantur. Apprime ad rem faciunt, quæ dicta ſunt de officio dicendo in die conſecrationis, quod citra inconvenientiam ullam de Dedicatione dicitur a primis veſperis uſque circa meridiem, ad quam regulariter duntaxat Eccleſia remanet conſecrata. Recolantur itaque, quæ data fuere in Decr. 1. cap. 1. a num. 42. ad 47.

III. Addit vero Sanctio, *ſi fiat a Capitulo de ipſo*, & conſequenter itidem ſi veſperæ ſint integræ de eodem, quoniam cum alias in primis veſperis dictum non fuerit *Meruit beatas*, uniformitatis ordo haudquaquam expoſtulat, ut in ſequenti die idem verſus continuetur, ſed magis *Meruit ſupremos*, cum tale officium extra diem obitus recitetur.

IV. In Decreto 1. cap. 11. triplicem eſſe vidimus rationem computandi diem natalem Sanctorum, nempe a primis ad ſecundas veſperas, a ſolis occaſu ad ſolis occaſum, & a media nocte ad mediam noctem, ita ut qui eorumdem reſpective obiit verb. gr. die 1. Aprilis poſt horam veſperarum, vel poſt ſolis occaſum, aut poſt mediam noctem, ejus natalis conſignandus non ſit diei 1. Aprilis, ſed ſecundæ ſequenti. Cum noſtrum non ſit, natalem diem Sanctis præſcribere, ſed Sedis Apoſtolicæ, idcirco quamcumque ex dictis rationibus hæc ſecuta fuerit, dies illa, quæ pro natali ab eadem Apoſtolica Sede determinata fuerit, cenſeri debebit natalis dies, in eaque dicendus erit verſus *Meruit beatas*, & non in ſequenti, niſi ad tramites præſentis Decreti, ſi ad ſequentem transferatur diem, cui juxta alteram computandi rationem conſignari poterat natalis Sancti, qui transfertur. Sic licet S. Franciſcus de Paula obierit die 2. Aprilis hora circiter 21., & conſequenter juxta primam computandi rationem, natalis ejuſdem tradi potuiſſet diei 3. Aprilis, adhuc quia juxta rationes alias conſignatus fuit diei 2., in hac dici debebit *Meruit beatas*, non autem ſi transferatur ad diem tertiam, niſi primas integras, vel dimidias habeat veſperas. Sanctus Philippus Benitius die 22. Auguſti ad vitam evolavit æternam hora 24. ad pulſationem ſalutationis Angelicæ, & juxta ſecundam computandi rationem natalis ejuſdem ſtatutus fuit die 23. ſequenti, & ideo in hac dicitur *Meruit beatas*, qui verſus & diceretur die 22., ſi juxta tertiam computandi rationem natalis ejuſdem prædictæ diei 22. non impeditæ conſignatus extitiſſet.

DECRETUM III. CAP., IN ORDINE CCCXXXIV.

In hymno *Iſte Confeſſor* pro Sanctis Confeſſoribus juxta Decretum 11. Junii 1701. mutatur tertius verſus, quoties eorum officium recitatur extra diem obitus ipſorum. Verum prædicta mutatio non fiet, quando officium feſtivum Sancti Confeſſoris habentis octavam, non ultra octavam ipſam transfertur, quia tota octava nil aliud eſt, quam extenſio ipſius feſti; & ideo verſus idem per reliquos octavæ dies, qui forte ſuperſunt, retinebitur. S. R. C. 2. Septemb. 1741. ex Regeſtis ejuſdem S. R. C.

I. TRia edocemur, quorum primum eſt, in officio Confeſſorum dicendum eſſe verſum *Meruit ſupremos* in hymno *Iſte Confeſſor*, quoties recitatur extra diem obitus, & de hoc jam ubertim egimus in duobus præcedentibus Decretis. Secundum eſt, præfatam mutationem non eſſe faciendam, quando idem officium transfertur infra ſuam octavam, etiamſi tranſlatio contingat ultra proxime ſequentem diem: & hujuſce deciſionis ſimul traditur ratio, *Quia tota octava nil aliud eſt, quam extenſio ipſius feſti*, ſcilicet quia tota octava computatur una dies, & integra ut natalitia feſto cenſetur aſſignata, unde dum infra octavam transfertur, non extra diem obitus tranſlatum reputatur. Quod tamen intellige, ſi feſtum, quod transfertur, *Meruit beatas* ſibi vindicet, ſecus vero ſi foret feſtum extra diem obitus, ut eſt feſtum S. Dominici. Quoniam vero expirata octava, expirat quoque integra dies natalitia, idcirco merito Decretum addidit, *quando non ultra octavam ipſam transfertur*, ut deſignet in hoc caſu *Meruit ſupremos* eſſe adhibendum. Tertium eſt, quod verſus *Meruit beatas* retineri debet in reliquis diebus octavæ, quæ ſuperſunt, & de hoc dubium eſſe non poteſt, quia octava cum non ſit, niſi continuatio feſti, idem utique verſus, qui in feſto adhibetur, in iiſdem eſt uſurpandus.

D E-

DECRETUM IV. CAP., IN ORDINE CCCXXXV.

Quando in primis veſperis S. Hermenegildi Martyris hymnus proprius non fuerit recitatus, ponendus eſt in matutino, & hymnus matutini ſubſtituendus eſt in laudibus. S. R. C. 5. Maji 1736. *in Einſidlen.* Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 291.

I. OFficium S. Hermenegildi duplicem hymnum proprium habet, nempe *Regali Solio;* & dici præſcribitur in utriſque veſperis, & laudibus, necnon *Nullis te genitor*, qui ad Matutinum recitari decernitur. Ille continet vitæ primordia, hic vitæ continuationem, & finem, & hic revera non eſt niſi continuatio illius; hinc cum perquam inconveniens foret, recitari prius poſteriora facta, & vitæ exitum, quam priora, & vitæ principium, jure optimo ſtabilitum apparet, quod quoties in primis veſperis proprius hymnus locum non habet, recitari debeat ad matutinum, & hymnus matutini ſubſtitui in laudibus, ut ſic ordo teneatur hiſtoriæ. Hymnis autem ſic diſtributis, & juxta ordinem lectis, in ſecundis veſperis, quoties hæ de eodem ſunt integræ, dici debebit hymnus *Regali*, etſi primordia teneat, nil quippe refert, quod primordia repetantur, dummodo cuncta juxta ordinem prius fuerint lecta, ut familiare eſt id fieri in Breviario, & præcipue in feſtis S. Martinæ, & S. Venantii, & ne ad aliena divagemur, ſicuti a Breviario præſcribitur in feſto ipſo S. Hermenegildi.

II. Verum quæ de hymnis S. Martinæ, & S. Venantii obſervat praxis, quoties primæ veſperæ ſunt impeditæ, aliam ſuggerunt agendi rationem, videlicet ut hymnus veſperarum jungatur hymno matutini, & ad modum unius legatur. At id bene in propoſito caſu, quia tres habent hymnos proprios, unde ſubſtitutio locum non habet, quare ut integra ſecundum ordinem legatur hiſtoria, neceſſe ſit, ex duobus hymnis unum fieri. In noſtro autem caſu duo dumtaxat ſunt hymni proprii, & per tranſpoſitionem ambo apte leguntur, quare jungi non debent cum inani cleri gravamine, & inutili repetitione ejuſdem hymni ad matutinum, & ad laudes. Quod ſi feſtum S. Martinæ, aut S. Venantii transferri contingeret ad diem aliquam, in qua integras ſecundas veſperas haberet, hymnos prædictos haud putamus neceſſario eſſe jungendos, ſed hymnum primarum veſperarum dici poſſe ad matutinum, hymnum matutini ad laudes, & hymnum laudum ad ſecundas veſperas. Sic jam faciendum de hymnis S. Joſeph tradidimus alibi, & ex ibi dictis ſubdimus, quod ſi ex hymnis ſimul jungendis aliqui ſint diverſi metri, ſimul jungantur illi, qui ejuſdem metri ſunt, dummodo jungi queant ſine læſione hiſtoriæ, prioris clauſula tacita, in qua datur Trinitati laus.

III. Ex his ubertim habes, quid præſtari debeat in caſu trium hymnorum propriorum juxta ordinem hiſtoriæ efformatorum, quod ſi in iiſdem hiſtoriæ ordo non teneatur, prout diſtributi ſunt, recitentur, nec adhibeatur unio, ut alicujus omiſſioni conſulatur, quare hymnus *Ave maris ſtella*, cum in Mariæ laudibus ſe dumtaxat effundat, nec hymni, qui dicuntur ad matutinum, & laudes, ſint illius continuatio, impeditus in 1. veſperis, non ponetur ad matutinum, bene vero nihilominus in 2. veſperis, & quatenus hæ ſint impeditæ, omiſſioni erit obnoxius. Non ſic eſt de hymno *Stabat Mater doloroſa*, qui cum ordinem teneat, integretque eumdem hymnum cum hymnis matutini, & laudum, pars ejuſdem hymni, quæ in 1. veſperis omiſſa foret, unienda erit cum ea matutini, tametſi in 2. veſperis locum haberet, aut per tranſpoſitionem ut ſupra conſulendum erit ejuſdem recitationi. Recolantur tradita in cap. 30. Decr. 2. de hymnis S. Joſeph.

IV. Regula & eruitur ſervanda in caſu duorum hymnorum, ita ut ſi hi teneant ordinem, juxta ordinem recitari debeant, adhibita, quatenus opus ſit, tranſpoſitione; ſi vero ordinem non habeant, recitentur, prout in Breviario ſunt diſtributi; hinc impeditis primis veſperis S. Tereſiæ, hymnus *Regis ſuperni* legetur ad matutinum, ſubſtituto hymno matutini ad laudes.

V. De hymno *Pater ſuperni* in 1. veſperis S. Mariæ Magdalenæ dici præſcripto, nunc dubitatio exurgit, an quoties impeditur, omitti, vel uniri debeat? Et dicimus ad matutinum eſſe dicendum, omiſſo hymno matutini, licet proprio, incipit *Maria caſtis oſculis*. Ratio eſt, quia hic ſtrictim admodum recenſet nonnulla facta Sanctæ, ubi ille plura, & adhuc eadem, quæ tenet matutini hymnus, diſertius, diſtinctius, & prolixius, quare indubie eſt præferendus, & nullatenus uniendus. Ex dictis autem abunde habes, quid in ſimilibus præſtare poſſis, & debeas.

C A P U T LX.

De Completorio, ejuſque partibus.

I. COmpletorium, quia in eo divinum officium completur, ſic dictum, S. Benedictum in inſtitutorem agnoſcit, teſte ſiquidem Card. Bona *de div. pſalm. cap.* 48. nullus Scriptor S. Benedicto antiquior, ejuſdem meminit, & licet orationes aliquæ fierent, & demandatæ reperiantur poſt veſperas, commune officium non erant, ſed peculiares preces, quas Gavantus *ſect. 4. cap. 6. num.* 2. rude completorium nuncupat, ideſt completorii noſtri veſtigium quoddam. Tamquam veſpertina oratio, antequam iretur cubitum, poſt cœnam, immo & poſt collationem, ſeu lectionem ſpiritualem, a Monachis recitabatur, hinc tempus ejuſdem canonicum communiter aſſignatur initium noctis ante finem crepuſculi veſpertini, unde S. Columbanus *in Reg. cap.* 7. illud *initium noctis*, Fructuoſus Bracarenſis Epiſcopus *primam noctis horam*, & Amalarius *de ord. Antiph. cap.* 7. officium *ad noctem* pertinens appellaſſe inveniuntur. Francolinus 1. *par. cap.* 18. duodecimæ labenti horæ diei ante ſolis occaſum illud conſignat, tum quod per completorium Christi ſepultura, quæ contigit ante ſolis occubitum, repræſentetur, tum quod in hymno dicitur *Te lucis ante terminum*, cujus expoſitioni de crepuſculorum luce obſiſtunt verba illa Primæ *Jam lucis orto ſydere*, quæ alias itidem intelligi poſſent de luce matutina ante ſolis ortum; tum quod alioquin completorium ad officium nocturnum ſpectaret, & addit Gavantus, ut laici quoque intereſſe queant. Quæ rationum momenta in eamdem & nos trahunt ſententiam, qui propterea credimus, quod quando Prima, & Completorium divino officio fuerunt addita, ut illi hora prima poſt ſolis ortum, ita huic ora ultima poſt ſolis occaſum aſſignatæ venere. Monachi autem, qui ad tres vigilias noctis ſurgebant, cœnam anticipabant admodum, & cito ad cubandum procedebant, unde ex eorumdem conſuetudinibus haud erui valet completorii recitatio poſt ſolis occubitum, licet *initium noctis*, & *prima noctis hora* nuncupatum inveniatur, quia nocte ingruente abſolvebatur, & per noctem ipſam quodammodo protendebatur ratione quarumdam precum, quæ ſtatim poſt Completorium habebantur, & in dormiturio fiebant. Veſperæ namque, quæ prius ſole jam jam occumbente, accenſiſque lucernis dicebantur, anticipari cœperunt, quando completorium fuit invectum, & hoc dicebatur veſperarum tempore, nam cum completorium lectio ſpiritualis, quæ circa unius horæ ſpatium perdurabat, præcederet, evidens fit, quod alias poſt crepuſcula ipſa veſpertina protractum fuiſſet. Abs re item non erit recolere tradita in capit. 38.

II. Juxta Romanum ritum quatuor pſalmi ad completorium recitantur, tres apud Monacos, qui & abſtinent a cantico *Nunc dimittis*, per quod Romana Eccleſia completorium abſolvebat olim ſine ulla collecta, quæ una cum hymno, capitulo, & precibus a Monachis addita, vel recepta fuit. Oratio *Viſita* in nullo Romano Ordine, vel Monaſtico invenitur, ſed ſolum in Carthuſianorum Breviario; dicebatur tamen apud Monacos, quando poſt completorium in dormitorio aquæ benedictæ aſperſio fiebat, & per eam Dei protectio petebatur adverſus inſidias Diaboli, & Angeli invocabantur, ut cuſtodirent eos, qui dormituri erant in dormitorio; cum enim nemo in Eccleſia dormire ſoleat, quis crederet eamdem orationem compoſitam, ut in Eccleſia diceretur? Deinde dabatur Monachis benedictio per ea verba *Benedicat, & cuſtodiat vos* ſeu *Benedictio Dei omnipotentis Patris &c.*, & hinc originem habes plurium, quæ ad completorium dicuntur, aliorum vero in Decretorum expoſitione.

DECRETUM I. CAP., IN ORDINE CCCXXXVI.

Chorus univerſus ad Primam, & Completorium debet replicare *Miſereatur*, & *Confiteor*. S. R. C. 19. Maji 1607. *in Placentina*, Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 26.

I. QUæcumque Completorium præcedunt, a Monachis mutuata ſunt, & ſervabantur etiam apud Canonicos, Monachorum inſtar ferme viventes. Veſpere conveniebant Monachi ad collationem habendam, cui initium dabatur in clauſtro, vel capitulo, petita prius benedictione, per lectionem ſpiritualem ſpatio unius horæ regulariter perdurantem, & terminantem ad nutum Abbatis, qui finis ſignum edebat dicens: *Tu autem*, reſpondente lectore *Domine, miſerere nobis*. Subjungebat Abbas *Adjutorium noſtrum*, inde ad Eccleſiam ibant, atque ibi quilibet conſcientiam ſuam ſcrutabatur, ſignoque a Priore accepto, invicem peccatorum ſuorum ſe accuſabant. Hinc eſt, quod completorium noſtrum incipit a *Jube* cum lectione deſumpta ex Epiſtola S. Petri, quæ ſubrogata fuit loco collationis, & tunc dicebatur ab iis, qui choro non intererant; inde ſequitur *Adjutorium noſtrum*, & deinde confeſſio, quæ fit per *Confiteor &c.* Apud omnes idem tamen omnino non erat uſus, ſed confeſſio ab aliquibus poſt completorium fiebat, unde factum eſt, quod Pariſiis, & alibi *Confiteor* ad finem completorii ſit reſervatum.

II. Ab hebdomadario hac confeſſione facta, num chorus univerſus *replicare* (quoad *Miſereatur* lege dicere, cum nondum ab hebdomadario dictum fuerit) debeat *Miſereatur*, & *Confiteor*, an vero dumtaxat illi, qui ſunt ex parte chori, orta eſt dubitatio ex verbis illis Rubricæ *Chorus reſpondet*, quæ ſolum iis, qui ſunt ex parte chori, repetitionem demandare videntur; & Congregatio reſpondit *a Choro univerſo* id eſſe agendum, adeoque a tota pſallentium multitudine, & non tantum ab iis, qui ſunt ex parte chori; *Chori* enim nomine vere venit tota pſallentium copia, & iis, quæ ab hebdomadario dicuntur, chorus univerſus reſpondere tenetur. Deinde confeſſio fit ad delenda peccata, & reliquia quædam eſt confeſſionis antiquæ, unde ab omnibus indubie fieri debet, hoc ſolum inter veterem, & novam intercedente diſcrimine, quod ubi illam faciebat ſocius cum ſocio, hanc hebdomadarius facit univerſo choro, & chorus hebdomadario.

DE-

Google

DECRETUM II. CAP., IN ORDINE CCCXXXVII.

In fine Completorii Purificationis B. M. dicitur Antiphona *Ave Regina Cælorum*. S. R. C. 27. Julii 1624. *in una urbis*, ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 49.

I. ANtiphonæ in Virginis honorem, quæ poſt canonicas horas dicuntur, reſpectivæ pars horæ non ſunt, ſed additamentum quoddam ſero in Breviarium Romanum invectum; quælibet enim hora per collectam terminatur, unde ab Epiphania ad Purificationem idem verſus *Poſt partum*, & Oratio *Deus qui ſalutis* dicuntur in ſuffragiis, & poſt Antiphonam finalem, cum tamen ſi Antiphona finalis eſſet pars horæ, ex mandato Rubricarum eidem verſui, & orationi variatio adhibenda foret.

II. Wadingus *in annal. minor. num.* 2. ab anno uſque 1249. apud Franciſcanos præfatas Antiphonas in uſu fuiſſe indicat, & contendit Sigonius *Salve Regina* in Eccleſia recitari præceptam a Gregorio IX. anno 1234., ſed in Breviario Romano ante annum 1520. non invenitur invecta. Cardinalis Quignonius Breviario eam inſeruit, atque inde una cum ceteris Pius V. in Romanum ſuum tranſtulit. Refert Nangius in vita S. Ludovici, Regem hunc quotidie poſt completorium *Salve* recitari curaſſe; quod & juſſit Concilium apud Pennam Fidelem in Hiſpania anno 1302. celebratum. Hujus Antiphonæ ex Trithemio *lib. 2. de viris illuſt. ib. Benedict. cap.* 84. *anno* 1040. communius auctor ſit Hermannus Contractus, ſic appellatus, quia ab infantia membra contracta habuit, & obiit anno 1054. In eamdem D. Bernardus ſermones, ſeu meditationes exaraſſe dicitur, & in Chronico Spirenſi legitur, eumdem S. Bernardum, cum præfata antiphona in Eccleſia Spirenſi recitaretur, ter genua flexiſſe, & hæc adjunxiſſe verba *o clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria*. At dictæ meditationes Bernardi ab Horſtio non eſſe creduntur, qui eas una cum Poſſevino tradit Anſelmo Mantuano Lucenſi Epiſcopo, in una quarum cum habeantur verba illa *o clemens &c.*, narratio Chronici Spirenſis falſitatis arguitur. Paſſa eſt mutationem aliquam, nam ubi Hermanus ſcripſerat *Salve Regina Miſericordiæ, vita dulcedo &c.*, qualiter & nunc recitatur a Carthuſianis, & recitabatur olim a Dominicanis, teſte Thoma Cantipratenſi *lib. 3. de Apol.*, *cap.* 10., in Breviario Romano habetur *Mater Miſericordiæ, vita, dulcedo, & ſpes noſtra*. Qui tituli cum ſoli Deo videantur debiti, non deſunt, qui dictam acriter criminatur Antiphonam, verum adaptantur Virgini, quatenus genuit nobis Chriſtum, qui vere ſpes noſtra eſt, & vita, per quem obtinemus miſericordiam, & a quo ipſa ſuis precibus miſericordiam, ſpem nobis, ac vitam impetrare poteſt. *Alma Redemptoris* eidem tribuitur Hermanno, *Ave Regina Cælorum* ignoratur auctor, & *Regina Cæli* ab Angelis inventam, & editam fuiſſe ſcribit Sigonius *lib. 2. Italici Regni*, eique additum fuiſſe a S. Gregorio Papa ultimum verſum *Ora pro nobis Deum*, quando paſchali tempore peſtis inguinaria devaſtabat Romam, ex Durando *lib. 6. cap.* 89. refert Gavantus *ſect. 5. cap. 22. num.* 10., cui traditioni Gavantum fidem aliquam præſtare potuiſſe miratur Meratus *ibidem num.* 1.

III. Rubrica de *Alma Redemptoris* hanc Antiphonam dici præſcribit *uſque ad Purificationem incluſive*, hinc cenſuere nonnulli etiam ad Completorium, quod item pertinet ad Purificationis feſtum, eamdem dicendam eſſe, & nonniſi in laudibus diei 3. Februarii eſſe inchoandam Antiphonam *Ave Regina*. Videbatur officere Rubrica de *Ave Regina*, quæ cantabat: *Poſt Purificationem, ideſt a fine completorii illius diei 2. Februarii uſque ad feriam V. in cœna Domini excluſive dicitur Antiphona Ave Regina*; & facile ponebatur concordia per dictionem *excluſive*, quæ non dum feriam V. in cœna Domini, ſed etiam completorium Purificationis dicebatur afficere. Refert Gavantus, quod in Clementina recognitione Breviarii, cum dubitatio hæc facta fuerit, cenſitum extitit, *Ave Regina* in fine completorii Purificationis eſſe dicendam; ut enim ponderat idem Auctor, dictio *excluſive* dumtaxat afficit feriam V. in cœna Domini, cui proxime adhæret, non completorium diei 2. Februarii, ad quod patet eſſe dicendam ex verbis illis Rubricæ *Poſt Purificationem, ideſt a fine completorii diei 2. Februarii &c.*, quippe ſi ſolum in laudibus diei tertiæ inchoari debuiſſet, ubertim id exprimebatur per to *poſt Purificationem*, nec locus erat verbis illis *ideſt a fine completorii &c.*, per quæ exponitur to *poſt Purificationem* dictum completorium non excludere. Cenſitum autem fuit, adhuc poſt Purificationem, aut Purificationis officium dici, quia recitatur poſt orationem completorii, per quam completorium ipſum revera terminatur; per quod jam intelligentiam habes dictionis *incluſive*, quam tenet Rubrica de *Alma Redemptoris*. Verum cum nihilominus Rubricarum termini ſubſtiterint, Congregatio conſulta fuit, quæ idipſum cenſuit, & ut demceps tolleretur dubitandi ratio, in recognitione Urbana Rubricæ de *Ave Regina* additum fuit verbum *incluſive*, quare modo cantat: *Poſt Purificationem, ideſt a fine completorii illius diei 2. Februarii incluſive uſque ad feriam v. in Cœna Domini excluſive dicitur Antiphona Ave Regina*. Dubium itaque modo dumtaxat eſſe poteſt, cur initium ejuſdem Antiphonæ traditum fuerit completorio diei 2. Februarii, & non magis laudibus diei tertiæ, quoniam etſi completorium per orationem abſolvatur, adhuc tamen Antiphona, quæ in fine additur, eſt pars quædam veluti additionalis ejuſdem completorii, quod cum ſit de Purificationis feſto, Antiphonam *Alma Redemptoris*, quæ ad Virginis partum, & puerperium ſpectat, videtur expoſcere. Nos tamen Gavantus monet, completorio diei 2., & non laudibus diei 3. conſignatum fuiſſe, ut ſolemnius inchoaretur.

DECRETUM III. CAP., IN ORDINE CCCXXXVIII.

Occurrente feſto Purificationis B. M. V. in Dominicis Septuageſimæ, vel ſimilibus aliis privilegiatis, ita ut illius officium ex hoc contingat transferri, non eſt ob id protrahenda etiam recitatio Antiphonæ *Alma Redemptoris*, ſed die 2. Februarii poſt completorium, illa dimiſſa, ſumenda eſt Antiphona *Ave Regina Cælorum*, ſublato quolibet aſſerto difformi quarumcumque Eccleſiarum uſu, ſive conſuetudine, & ita ab omnibus, qui Romano Breviario utuntur, pariformiter ſervari mandavit S. R. C. 11. Jan. 1681. *in una urbis, & orbis*, ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 114.

I. GAvantus finem Antiphonæ *Alma Redemptoris* Completorio Purificationis ita fecit addictum, ut nonniſi in eo ſit dimittenda, etiamſi transferatur Purificationis officium. Nunc refellitur Gavanti opinio, quod & per tria alia Decreta ſtatim allegenda, præſtitum fuiſſe noſcimus. Si attendatur Rubrica de *Ave Regina*, uti modo cantat, videlicet eamdem Antiphonam in fine completorii diei 2. Februarii eſſe dicendam, *etiam quando transfertur feſtum Purificationis*; ruit illico Gavanti ſententia; at quia præfata Rubrica ita correcta extitit conſonanter ad poſteriora Decreta, antiquam lubet ponderare Rubricam, quæ dum to *poſt Purificationem* exponit per *ideſt a fine completorii illius diei 2. Februarii*, initium Antiphonæ *Ave Regina*, & conſequenter finem Antiphonæ *Alma Redemptoris* non conſignat completorio de Purificationis officio, niſi quatenus eo die recurrit, ſed completorio diei 2. Februarii, adeoque etiamſi transferatur Purificationis officium. Fortaſſe etiam Rubrica de *Alma Redemptoris* hujus Antiphonæ recitationem continuandam eſſe conſulto notavit *uſque ad Purificationem*, non *uſque ad Purificationis feſtum, ſeu officium*, deſignare volens ejuſdem continuationem non ſequi feſtum, ſeu officium, ſed expirare in die 2. Februarii, in qua Purificatio ſtate recurrit, peracta fuit, & ad præſcripta per legem veterem fieri debebat; præfata enim Antiphona dici mandata fuit pro tempore partus, & puerperii Deiparæ, quod die quadrageſima a partu, adeoque die 2. Februarii expirat.

II. En Decretum aliud, & ſit 4. Cap., in ord. 339. *Quæſitum fuit, utrum Antiphona B. V. M.* Ave Regina &c. *ſemper dici debeat die 2. Februarii, etiamſi feſtum Purificationis transferatur, vel habeat octavam? Et ad utrumque reſponſum fuit affirmative juxta Decretum S. C. emanatum die 11. Jan. 1681. Ita S. R. C. 10. Jan. 1693. in una Galliar. apud Meratum in Indice Decr. Brev. num.* 179. Biceps eſt Decretum, & in ſua prima parte late confirmat ea, quæ dedimus de poſitione Antiphonæ *Ave Regina* die 2. Februarii, tametſi Purificationis feſtum transferatur, in ſecunda vero ſui parte proſcribit placitum aliud ejuſdem Gavanti, qui volebat Antiphonam *Alma Redemptoris* non eſſe dimittendam, niſi ultima die octavæ, ubi cum octava celebratur Purificationis feſtum. Equidem Decretum 11. Jan. 1681. nec verbum habet de caſu octavæ, ſed cum Antiphonam *Alma Redemptoris* diei 2. Februar. dimittendam eſſe mandet, etſi Purificationis feſtum transferatur, patet ubertim, quod idipſum faciendum venit, & præſcribitur, ubi Purificatio habet octavam, quia hoc ipſo finis dictæ Antiphonæ non eſt alligatus officio Purificationis, ſed completorio diei 2. Februarii, in qua, ut dicebamus, expirat puerperium Deiparæ, cujus cauſa *Alma Redemptoris* dicitur. Hinc ruit Gavanti ratio petita ex eo, quod tota octava pro uno die reputatur, hæc ſiquidem ratio ad protractionem præfatæ Antiphonæ facere dumtaxat poſſet, quoties Purificationis officio ejuſdem finis foret addictus. Decretum, cujus Gavantus meminit, pro Patribus Carmelitis diſcalceatis editum anno 1606., obſtaret magis, cum diſerte Antiphonam *Alma Redemptoris* uſque ad octavam protrahat, ſed recte nos monet Meratus per hæc poſteriora fuiſſe derogatum.

III. Conſimile Meratus in ſuo Indice num. 232. habet Decretum aliud, & ſit 5. Cap., in Ord. 340. *Ex parte Magiſtri Cæremoniarum Eccleſiæ Cathedralis Lycienſis quæſitum fuit, an ſi feſtum Purificationis B. M. V. eſt transferendum, vel ratione octavæ diutius perſeverat, eo uſque perſeverare debeat Antiphona* Alma Redemptoris Mater; *an vero in hoc caſu die 2. Februarii ad Completorium dicenda ſit Antiphona* Ave Regina Cælorum? *Et reſponſum fuit, quod ſervetur Decretum S. C. emanatum ſub die 11. Jan. 1681. Ita S. R. C. 4. April.* 1705. *in Lycien.* Opus haud eſt hac ſuper re, de qua ſatis ſupra, ulterius lectorem moremur, quare ſolum advertimus, quod pari ratione poſt diem 2. Februarii, quoties de ſemiduplici ſit officium, *in* ſuffragiis ſtatim omittendus eſt verſus *Poſt partum* cum oratione *Deus qui ſalutis*, & ſumendus verſus *ora pro nobis* cum ſua oratione *concede*, & in Miſſa ſecunda oratio erit *A cunctis*, & tertia ad libitum, ſicuti poſt Purificationem fieri Rubricæ demandant, & hoc tametſi Purificationis officium nondum fuiſſet poſitum. Idipſum dicendum venit contra Gavantum *ſect. 9. cap. 1. num.* 12. de officio parvo B. Virginis, ac de miſſa ejuſdem votiva, quæ ſtatim mutari debebunt in officium, & Miſſam, quæ poſt Purificationem dici præſcribuntur. Id diſerte ſtatuit Decretum aliud ejuſdem Congregationis de die 14. Jan. 1705., in capite 10. a nobis expoſitum, & cum præfata

omnia

Digitized by Google

omnia ad puerperium ſpectent, abunde eruitur, quod die 2. Februarii expirare debent, ut ſuperius arguebamus.

IV. Reliquæ finales Antiphonæ ex reſpectivis Rubricis liquido ſuum depromunt initium, & finem. Extra chorum dumtaxat dicuntur in fine completorii, & matutini poſt laudes, ſi tunc terminandum ſit officium, ſin autem, in fine ultimæ horæ; poſt matutinum, ſi ſeparetur a laudibus non dicuntur, uti nec poſt reliquas horas. Id intellige ex præcepto, nam ex devotione poſt quamlibet horam dici queunt. In choro poſt quamcumque horam dicuntur, quando a choro diſcedendum eſt, etiam poſt horam officii parvi B. V., ita tamen ut non dicantur niſi poſt ultimam horam, quando plures horæ ſimul dicuntur, præterquam ad completorium, in quo cum abſolvatur officium diei, tam in choro, quam extra chorum ſemper dicuntur, etiamſi continuaretur matutinum ſequentis diei.

V. *Numquam vero dicuntur*, habet Rubrica 36. num. 3. *poſt aliquam horam, quando ſubſequitur cum officio diei officium Defunctorum, vel ſeptem pſalmi pœnitentiales, aut litaniæ, præterquam poſt completorium, in quo ſemper dicuntur, etiamſi prædicta ſubſequantur.* Carellus *Doctr. ſacr. rit. par.* 1. *dialog.* 30., & Euſtachius a S. Ubaldo *de Dei bened. obſerv.* 11. *num.* 272. Rubricam limitant ad caſum, in quo prædicta ſubſequuntur ex præcepto, non ex devotione, Rubricæ namque edocent modum ſervandum in recitatione officiorum, ad quæ quis tenetur, nec ſe extendunt ad arbitrarias recitationes. Hæc ſententia admodum evadit probabilis, & præſertim quia Rubrica meminit ſolum eorum, quæ a Rubricis demandantur, ſed in oppoſitum ſtant inſigniores Auctores, videlicet Gavantus *ſect.* 5. *cap.* 22. *num.* 5., Gaſtaldus *prax. Cærem. lib.* 2. *ſect.* 3. *cap.* 2. *num.* 16., Rubeus *nov. rational. div. off. lib.* 3. *cap.* 24., Biſſus *lit. a num.* 381. §. 2., Arnaud. *Epit. ſacr. rit. tract.* 2. *tit.* 26. *num.* 6., quibus aſſentiri videtur Guyetus *lib.* 3. *cap.* 19. *qu.* 4. Et nituntur in iis Rubricæ verbis, *præterquam poſt completorium, etiamſi prædicta ſubſequantur*; nullum enim prædictorum ex Rubricarum mandatis ſequitur ad completorium, ſed veſperæ Defunctorum ad veſperas, & matutinum Defunctorum, pſalmi pœnitentiales, & litaniæ ſanctorum ad laudes, quare fas eſt, Rubricam etiam trahi ad arbitrarias eorumdem recitationes. Nec Rubrica exponi valet de officio defunctorum, & pſalmis pœnitentialibus, quæ poſt completorium, ubi adeſt conſuetudo, dici permittuntur, hæc enim fieri ad indulgentiam dumtaxat permittuntur, cum tamen laudibus, a quibus propterea demitur verſus *Fidelium animæ*, ſemper conjungantur, & inſuper hujuſmodi conceſſio de litaniis nondum legitur facta, quæ per to *prædicta* non minus veniunt.

VI. Quæ Antiphonæ *neque dicuntur*, addit Rubrica, *quando poſt aliquam horam immediate ſubſequitur Miſſa*. Nota cum Gavanto dictionem *immediate*, ut intelligas dicendas eas eſſe, ſi longiori mora Miſſa differatur. Oratio mentalis, aut quæcumque alia, quæ ſubſequantur ad horas, non tollunt dictas Antiphonas; diſerte enim Rubrica indicat ea, quæ eaſdem Antiphonas ceſſare faciunt, quare noſtrum eſſe non poteſt, eamdem extendere ad alia, licet forent in laudem Deiparæ, ut litaniæ B. V., præſertim quia illæ non ceſſant, tametſi poſt horam ſubſequatur hora altera officii parvi ejuſdem B. Mariæ. Quod ſi poſt orationem mentalem, aut alias preces diſcedendum non eſſet a choro, ſed dicerentur horæ aliæ, tunc ſatis fore credimus in fine ultimæ horæ præfatas Antiphonas recitare, perinde ac ſi preces illæ minime interponerentur, dummodo tamen interjectæ preces non forent longiores. Scite autem nos monet Gavantus, quod verba illa Rubricæ *numquam vero dicuntur, quando ſubſequitur cum officio diei officium defunctorum &c.*, finalium Antiphonarum omnimodam omiſſionem inferunt, videlicet tam ante, quam poſt ea, quæ ſubſequuntur.

VII. In triduo itidem mortis Chriſti officium terminatur ſine ulla ex dictis Antiphonis, ex particulari quippe Rubrica *Ave Regina* ceſſat in completorio præcedentis feriæ quartæ, & *Regina Cœli* incipit dumtaxat in completorio Sabbati Sancti, unde & Rubrica in feria v. in Cœna Domini: *Finita oratione fit fragor, & ſtrepitus aliquantulum, mox profertur candela accenſa de ſub altari, & omnes ſurgunt, & cum ſilentio diſcedunt*. Qua ex Rubrica Gavantus *ſect.* 6. *cap.* 13. *num.* 20., Bauldryus *cap.* 9. *art.* 5. *n.* 23., & Auctores reliqui non inepte arguunt ſilentium orationis Dominicæ, Antiphonæ finalis, & cujuslibet alterius in fine horarum dicti tridui. Euſtachius tamen a S. Ubaldo *de Dei bened. obſerv.* 2. *num.* 99. excludi dumtaxat putat, quidquid extra hoc triduum dicitur pro complemento officii, vel tamquam quid pertinens ad officium, cujuſmodi ſunt *Dominus vobiſcum &c.*, oratio Dominica, & Antiphona B. V., non autem, quæ adduntur ex devotione, aut pro negligentiis in officio commiſſis, qualis eſt oratio *Sacroſanctæ*, quam tamen in veneratione Rubricæ indicentis ſilentium, ſecreto dicendam eſſe autumat; advertit enim ex Caſtaldo *lib.* 3. *ſect.* 6., & 7., quod ſilentium eſt ſolum indictum ad evitandas confabulationes ob dierum reverentiam, & ad mœrorem indicandum, non autem ad excludendas orationes, quæ ſecreto ex devotione dicantur; quare ſicuti non excluditur ſalutatio angelica, quæ in choro juxta Auctores genibus flexis ſecreto dici debet ad ſignum tabulæ loco ſigni meridiani, & Meratus ipſe *ſect.* 6. *cap.* 13. *num.* 8., ubi moris eſt, poſt matutinum approbat aſperſionem aquæ benedictæ, quæ præſertim fit apud Regulares, ita non excludi videtur oratio *Sacroſanctæ* ſecreto recitata pro negligentiis in officio commiſſis. Quæ ſententia admodum apparet probabilis, eam tamen communis non probat uſus.

VIII. Orationem *Sacroſanctæ* cum *Pater*, & *Ave* recitantibus, Leo X. omnium defectum in recitatione officii divini ex humana fragilitate commiſſorum conceſſit. Semel dicta ſive poſt quamlibet horam ſeorſim, ſive poſt omnes ſimul perſolutas, & adhuc poſt matutinum ſequentis diei continuate recitatum, ſuum æque effectum ſortitur, & prodeſt omnibus de choro, licet ab uno ſolo recitetur. Lezana *verb. officium num.* 14., Biſſus *lit. S. num.* 64., & Gobat *tract.* 5. *num.* 659. Bordonus *reſol.* 30. *num.* 31. vult, quod extra chorum flexis genibus neceſſario recitanda non ſit, & quod eam recitans, liberetur ſolum ab onere repetendi, non vero a culpa, ſi quæ fuit, tu tamen a Rubrica ne diſcedito, quæ eamdem *flexis genibus* dici demandat, & defectus, & *culpas* contractas indulget.

CAPUT XLI.

De additione, mutatione, mixtione, & alteratione in Breviario Romano, vel divino officio fieri inhibita.

I. CAnonicarum precum, quas una cum earum partibus in præcedentibus capitibus perſcrutati fuimus, adumbratio in veteri Teſtamento præceſſit, & horas ab Hebræis acceperunt Apoſtoli, a quibus earumdem, quæ ad noſtra uſque devenere tempora, origo eſt petenda. Argumentum hoc late proſequuntur Oliverius Bonartius *de hor. can. lib.* 1. *cap.* 2., Card. Bona *de div. pſalm. cap.* 1. §. 4., aliique plurimi, quos conſulere poterit curioſus lector. Varia ſortitæ ſunt nomina, videlicet *officii divini*, *Penſi ſervitutis*, *operis Dei*, *Canonis*, *Synaxis*, *Collectæ*, *Breviarii*, *Horarum canonicarum*, *curſus*, & in compluribus Conciliis *Agenda* appellantur, & in Concilio Agathenſi can. 3. deſignantur *Miſſæ* nomine. *Divinum officium* nuncupantur, juxta Ambroſ. *de offic. lib.* 1. *cap.* 8. ducto *officii* nomine ab *efficiendo*, propter ſermonis decorem una immutata littera, ita ut *officium* ſit quaſi *efficium*, & ſignet id, quod quiſque debet efficere, locorum, temporum, & perſonarum obſervata ratione. Quia vero eædem, ait Joannes Moſchus *in prato ſpir. cap.* 40., ſunt inſtar tributi, quod ſingulis diebus Deo perſolvi debet, *Divini* itidem appellationem ſortitæ ſunt. Huc ſpectant appellationes *Penſi ſervitutis*, *operis Dei*, & *Canonis*, quod propter Deum laborem iſtum ſanctum ſubeamus, tamquam homines ſervituti ejus devoti, & ſint penſio quædam, quam propterea quotidie eidem perſolvimus. *Agenda* dicuntur, quod ſint unum ex gravioribus Eccleſiæ muneribus, *Miſſa*, quod ſub earum fine, ut adhuc fit ad ſacrificii finem, facultas abeundi daretur populo, *Synaxis*, quod ad eas canendas convenirent, qua de cauſa etiam *Collectæ* nuncupantur. *Horarum canonicarum* vocabulum eiſdem obvenit, non ab *orando*, quaſi *hora* idem ſit, ac *ora* cum aſpiratione, ſed magis, quod ſtatutis per Eccleſiæ leges, quæ *canones* vocantur, horis ſint recitandæ; unde & non ſemel *curſus* dictæ leguntur, quod per ſolis curſum earumdem recitatio dirigatur.

II. Ad *Breviarii* nomen quod attinet, inde exortum eſſe credit *Grancolas lib.* 1. *cap.* 3., quod temporis ſucceſſu divinum officium valde contractum fuerit, nam cum antea totum pſalterium recitaretur a clero, S. Benedictus ita rem compoſuit, ut ſemel tantum in hebdomada abſolveretur. Verum in veriori ſenſu *Breviarii* nomine divinum non venit officium, ſed magis liber, in quo officium divinum, ſeu horæ canonicæ continentur, ut ſcite nos admonet Macrus *in ſuo Hierolex*. Huic autem quadrat admodum *Breviarii* vocabulum, quod ex Gavanto *ſect.* 2. *cap.* 1. *num.* 1. ſignat *Compendium*, ſive *Summarium*, & *Conciſum opus*, & adhuc *indicem* aptum eſt denotare; eſt enim, ut advertit Leſſius *de juſt.*, & *jure*, *de devot.*, & *orat. dub.* 8., admirabile myſteriorum Sacræ Scripturæ *compendium*, cum contineat pſalmos, in quibus per modum laudis omnia myſteria clauduntur, cum ſelectiſſima quæque veteris, & novi Teſtamenti; tum Patrum monumenta nobiliora; tum præcipua Sanctorum; breves denique orationes, ſeu collectas a Summis Pontificibus ut plurimum compoſitas, & *indicat* quotidie, quæ preces ſunt adhibendæ. *Romanum* poſtea dicitur, quia preces continet juxta ritus Romanæ Eccleſiæ.

III. Ferunt in Eccleſiæ exordiis officium per pſalterii recitationem, aut certi pſalmorum numeri cum oratione Dominica, & Apoſtolorum ſymbolo fuiſſe abſolutum, ab Hieronymo de mandato Damaſi Papæ reformatum per pſalmorum in diei, & noctis horas diſtributionem, & lectionum digeſtionem, & a S. Leone, S. Gelaſio, S. Gregorio Magno, Hadriano I., & Gregorio III. in meliorem adhuc ordinem diſtributum, eique poſtremam impoſuiſſe manum Gregorium VII., cujus reformatum officium, a Micrologo ejuſdem Pontificis Auctore contemporaneo deſcribitur. Sæculo 13. in Romana Curia viciſſitudinem aliam, & contractionem paſſum eſt, ſcribente Radulpho *de can. obſerv. prop.* 22., quod in Laterano Palatio, & Pontificio Sacello officium non abſolvebatur, ut in aliis Eccleſiis, ſed aliud contractius propter cauſarum, & negotiorum graviſſimam molem, qua Pontifex, & Cardinales pene obruebantur. Hoc Breviario Fratres Minores uſi creduntur, quinimmo Benedictus XIV. *de canoniz. lib.* 4. *par.* 2. *cap.* 13. *num.* 2. prius a Franciſcanis uſurpatum fuiſſe aſſerit, & nonniſi paulo poſt in Cappellam Papæ introductum. Cum non bene digeſtum foret, Haymo Franciſcanorum Generalis approbante Gregorio IX. illud reformavit, & ad meliorem ſtatum perduxit, & Nicolaus III. teſte eodem Radulpho in ſingulis Romanæ urbis Eccleſiis adhiberi voluit. Verum Pagius in hujus Pontificis vita num. 22. ex Petro Abaelardo evidenter probat, centum, & quinquaginta circiter annis ante Nicolaum III. officium illud breviatum

in

Google

in uſu fuiſſe apud omnes urbis Eccleſias, ſola Lateranenſi excepta, quo tempore nondum inſtitutus erat Franciſcanus Ordo. Nicolaus III. igitur urbis Eccleſiis breviatum officium non præſcripſit, ſed ſolum iis, in quibus jam celebrabatur, juxta emendationem approbante Gregorio IX. ab Haymone factam, illius celebrationem demandavit, ut eruitur ex Wadingo *tom. 3. annal. Minor. ad ann.* 1244. Romanum Breviarium brevius adhuc redditum fuit hortatu Clementis VII. a Franciſco Quignonio Cardinali S. Crucis, & ſub Pontificatu Pauli III. fuit pluribus in locis typis editum, & promulgatum, non tamen præceptum, ſed ſolum permiſſum, & non ſine ſpeciali facultate Apoſtolicæ Sedis uſurpandum; hinc non omnes Eccleſiæ illud recepere, ſed Diœceſes plurimæ peculiaria habebant Breviaria, a ſuis Epiſcopis privata auctoritate compacta, & aliæ priſcum Romanum adhibebant.

IV. Quam orandi varietatem graviſſime ferens Paulus IV., emendare conſtituerat, proviſione interim adhibita, ne ulla in poſterum novi Breviarii licentia concederetur, ſed eo nondum iis, quæ egregie inchoaverat, perfectis, e vivis excedente, res ad Concilium Tridentinum ſub Pio IV. delata eſt, a quo cum Patres graviſſimis aliis negotiis forent diſtenti, & inſtaret concluſio Concilii, perfici minime potuit, & iterum ad curam Summi Pontificis tranſiit. Verum Pio IV., dum huic operi incumbebat, univerſæ carnis viam ingreſſo, perdifficile hoc negotium tandem fauſte abſolutum fuit a Pio V., qui in iis, quas in Romani Breviarii fronte litteras affixit, abolevit quæcumque alia Breviaria, quovis etiam privilegio munita, exceptis dumtaxat illis, quæ in ipſa prima inſtitutione a Sede Apoſtolica approbata, vel quæ uſu ducentorum annorum in aliquibus Eccleſiis recepta fuiſſent, & a ceteris cunctis uſurpari demandavit ſuum Breviarium, cui per hæc verba, *ſtatuentes Breviarium ipſum nullo unquam tempore vel in totum, vel ex parte mutandum, vel ei aliquid addendum, vel detrahendum eſſe*, nihil addi poſſe voluit, mutari, aut detrahi. Quæ inhibitio in integrum adhuc permanet, etſi Breviarium duas alias reformationes, de quibus infra, ſub Clemente VIII., & Urbano VIII. paſſum ſit, utpote a quibus Piana Conſtitutio confirmata fuit, quoad ea omnia, quæ reformata, & correcta ab ipſis non fuere.

DECRETUM I. CAPITIS, IN ORDINE CCCXLI.

Non potuerunt poſt Bullam Pii V. de Breviario Romano, neque poſſunt Locorum Ordinarii, tam Sæculares, quam Regulares, addere Kalendariis, etiam propriis, Sanctorum officia, niſi ea dumtaxat, quæ Breviarii Romani Rubricis, vel Sacræ Rituum Congregationis, ſeu Sedis Apoſtolicæ licentia conceduntur: neque propria auctoritate quovis prætextu mutare ritum, qui habetur in Kalendario Romano, ſeu Rubricis Breviarii, in altiorem ritum; neque extendere conceſſa officia de loco ad locum. S. R. C. 8. April. 1628. *approbante Urbano VIII.* Ex Merato in Indice Decr. Brev. numer. 58.

I. PErperam Meratus hoc legit Decretum ſine verbo *Non potuerunt*, erroriſque aperte eumdem incuſat Breviarium Romanum, in cujus principio de mandato Urbani VIII. reperitur impreſſum. Cauſa condendi Decreti eadem extitit, quæ Pio V. reſtituendi ipſiuſmet Breviarii Romani, & Clementi VIII. illius item recognoſcendi, nempe ad tollendam orandi varietatem, ſi enim feſtorum intruſio libera foret, & pro cujuſque arbitrio reformanda, parum juvaſſet, Breviarium ipſum reformaſſe, atque recognoviſſe. Tale quidem ſchiſma inducit quorundam zelus, pius ille utique, ſed non ſatis ſecundum ſcientiam, quo videlicet unus unum, alius alium e ſanctis cælitibus, quilibet pro ſuo affectu, feſto, atque officio præ aliis colendum eſſe contendit. Hoc zelandi genus, quod jampridem ſuſtulerat Pius V. anno 1568. in ſua Bulla de Breviario Romano, & deinde Clemens VIII. anno 1602. in ſua reformatoria Bulla ejuſdem Breviarii, ne amplius attentaretur, & ut jam attentatum tolleret, Sacra Rituum Congregatio præſens edidit Decretum, quod ab Urbano VIII. approbatum extitit.

II. Bifrons eſt Decretum, quippe quod non tantum in futurum ſe extendit, quo nihil ſecus fiat in poſterum, *Non poſſunt*, ſed in præteritum quoque tempus retrogreditur, ut irritum ſit, quidquid ante ſecus factum eſt, *Non potuerunt*, quare dubium non eſt, quod proſcripta manet quæcumque conſuetudo contraria, ſive poſt Bullam Pii V. introducta illa ſit, ſive adhuc introducenda. Per Bullam Pii V. aliquid addi expreſſe vetitum eſt, & conſuetudo, quæ in contrarium inducta eſſe poſſet, nequit eſſe præſcripta, cum eidem deficiat tempus 40. annorum, quod jure canonico requiritur, ut conſuetudo aliqua, etſi rationabilis, valeat contra jus Eccleſiaſticum. Data namque fuit Bulla Pii V. anno 1568., a quo tempore uſque ad annum 1602., quo Clemens VIII. recognito Breviario, aliam edidit ejuſdem Bullæ confirmativam, non interceſſere niſi anni 34., & ab anno 1602. uſque ad annum 1628., quo præſens prodiit Decretum, nonniſi anni 26. Quo Decreto extincta cum ſit omnis omnino conſuetudo contraria, nedum in præteritum per verbum, *Non potuerunt*, ſed etiam in futurum per verbum *Non poſſunt*, & conſuetudo ſemel lege reprobata, non poſſit amplius induci, ut poſt Panormit. ait Sylveſter *verb. conſuetudo num.* 10., ſequitur, poſt dictam Bullam mutare quæcumque officia, quæ propria auctoritate poſſent eſſe inducta. Huc ſpectant, quæ dantur in Cap. de Feſtis ex conſuetudine, ubi per plura Decreta ſtabilitum apparet, neque conſuetudinem centenariam validam eſſe tueri Sanctorum officia, ſed ad id exigit conſuetudinem Bulla Piana antiquiorem.

III. Nec dicas conſuetudinem 40. annorum præſcribere contra jus Eccleſiaſticum *arg. c. de quarta, & c. ad aures, de præſcript.*, id enim dumtaxat verum eſt, quoties conſuetudo non eſt a jure reprobata, *arg. c. 1. de conſuet. in 6., & cap. 1. de præſcript. eod.* Aliam adhibet limitationem D. Thomas 1. 2. *q. 97. art. 3. ad 2.*, videlicet, quod *Si adhuc maneat eadem ratio, propter quam lex prima utilis erat, non conſuetudo legem, ſed lex conſuetudinem vincit*: in noſtro autem caſu eadem permanet ratio.

IV. Oppones, quod juxta quamplurimos etſi primi inducentes conſuetudinem peccent, poſtquam tamen hæc inducta eſt, ceſſat obligatio legis, licet irritans ſit. Verum id dumtaxat procedit, quoties intervenit ſcientia, & tolerantia Principis, qui legem tulit; hoc ipſo enim quod Princeps ſciens, permittit conſuetudinem adverſus legem induci: quam, ſi vellet, poſſet inhibere, tunc lex, licet irritans ſit, per tacitum Principis conſenſum abrogatur; in præſenti autem caſu conſuetudo utique cenſeri non poteſt unquam tacite approbata, Pius V. quippe additionem prælatam vetuit, Clemens VIII., & nunc Sacra Congregatio inhibitionem innovarunt, & hæc annis 1632., & 1606. iterum ſancivit ſolam conſuetudinem laudata Bulla Piana vetuſtiorem ad effectum poſſe eſſe validam, quare bene ſubdit Suarez *to. 2. de Relig. lib. 4. de hor. can. cap.* 11. *n.* 5. omnes poſteriores conſuetudines ita eſſe reprobatas; ut contra legem prævalere non poſſint.

V. *Locorum Ordinarii tam Sæculares, quam Regulares.* Amplia inhibitionem ad quoſcumque alios Prælatos, etiam Regulares, quos omnes afficit Bulla Pii V., tangitque proculdubio ipſa diſpoſitionis ratio. Limita tamen ad locorum Ordinarios, Prælatoſque Romani ritus, ad quos prædicta Bulla una cum præſenti Decreto directa fuit; quid autem juris ſit Prælatis gaudentibus proprio Breviario, dabitur in expoſitione ſequentium Sanctionum.

VI. *Addere Kalendariis, etiam propriis.* Cum Prælatorum, de quibus agitur, juriſdictio ad particularem Eccleſiam ſit reſtricta, de Kalendario univerſalis Eccleſiæ, vel Eccleſiarum, quibus ipſi non præſunt, quis dubitaret? Conſulto itaque dicitur *etiam propriis*, ſeu Eccleſiarum, quibus præſunt, quod antecedenter ad Bullam præſtabant, nec eorum juriſdictionem excedere videtur. Bene autem id inhibitum extitit, quod Kalendarium proprium non eſt, niſi Kalendarium Romanum, quare quod proprio Kalendario adderetur, Kalendario Romano additum veniret. Et quidem cum officium divinum ſit orario publica, communi totius Eccleſiæ nomine ad Deum fuſa, conveniens eſt, ab eo, qui totius Eccleſiæ regimen habet, unice regi. Potiora recole in ſequenti Decreto.

VII. *Sanctorum officia, niſi ea dumtaxat, quæ Breviarii Romani Rubricis, vel Sacræ Congregationis, ſeu Sedis Apoſtolicæ licentia conceduntur*; additio enim, quæ prohibetur, non eſt, quæ fit per legitimam, ſed per *propriam* auctoritatem, unde ſubjungitur.

VIII. *Neque propria auctoritate quovis prætextu mutare ritum, qui habetur in Kalendario Romano, ſeu Rubricis Breviarii, in altiorem ritum.* Mutatio igitur etiam ritus nutat, niſi ſit prævia ad Bullam Pianam, & licet Decretum dicat *in altiorem*, adde *vel depreſſiorem*; mens enim Decreti eſt, ut nulla mutatio fiat contra ea, quæ in Kalendario Romano, & Breviarii Rubricis ſunt ordinata. Quinimmo cum ritus inferior tollat majorem honorem ſanctorum, eumdem arbitramur eſſe corrigendum, licet ut ſupra Bulla Pii V. foret antiquior. Quoniam vero quæ per Congregationem, aut Sedem Apoſtolicam conceduntur, *propria auctoritate* non fiunt, ſi particularia habeantur indulta, dubium non eſt ritu altiori poſſe celebrari, quæ inferiori in Kalendario Romano, vel ejuſdem Rubricis notantur. Idipſum eſt de altiori ritu per Rubricas conceſſo, ut ſi ritu duplici majori celebrentur Patroni minus principales, aut duplici primæ claſſis Patroni principales, etſi eorum officia ſub inferiori ritu in Kalendario Romano habeantur. Quovis *prætextu*, ideſt quacumque de cauſa alia ab iis, quæ in Rubricis expreſſæ ſunt, vel Decretis, puta ob majorem devotionem, ob adimplendam Teſtatorum voluntatem, ob expoſitionem SS. Sacramenti &c. *Prætextus* enim hic non ſtat pro velamine, vel colore alicujus rei, quæ non eſt, vel deſinit eſſe, aut falſa eſt, ut contendit Bordonus *tom. 2. reſol.* 30. *num.* 18., ſed excludit quaſcumque cauſas, quæ per Rubricas, vel Decreta non ſunt approbatæ, quemadmodum magis apparebit ex dicendis in hoc capite.

IX. Inhibitum ſimiliter eſt, *extendere conceſſa officia de loco ad locum*, hoc ipſo enim Kalendariis locorum, ad quæ dicta officia extenderentur, fieret additio, quæ aperte per Bullam vetita fuit: quod namque per privilegium alicui conceditur, alios a lege communi non eximit, niſi & ipſum privilegium ad eos æque per concedentem extendatur. Rigidius hoc explicat Decretum Gavantus *ſect. 2. cap. 2. num.* 26., ubi negativas ſexdecim infert conſequentias, a quarum recenſione, cum alibi a nobis ſtatuantur, vel limitentur, quæ ibi Gavantus infert, jure abſtinendum eſſe putamus.

D E-

DECRETUM II. CAP., IN ORDINE CCCXLII.

Non poteſt Epiſcupus extendere ad ſuam Diœceſim officium illud, quod fieri ſolet in Civitate. S. R. C. 16. Jan. 1607. *in Bojanen.* ex Merato in Indice Decr. Brev, num, 24.

I. BUlla Pii V. Epiſcopis, quorum Eccleſiæ Romano ritui ſunt addictæ, quaſcumque adimit facultates, quas circa Sanctorum officia iiſdem veteres elargiebantur canones, officiorumque conceſſionem, extenſionem, ac approbationem uni Sedi Apoſtolicæ reſervat, quare dubium non eſt, quod Epiſcopus ad Diœceſim extendere non valet officium, quod in Civitate recitatur, quinimmo id præſtare nec poterit ab una Eccleſia ad aliam Civitatis, vel Diœceſis; eſſet enim hoc ipſo extenſio officii de loco ad locum, quam & in præcedenti Decreto ab Epiſcopis attentari vetatur. Ad additionem, & extenſionem permanentem, & in perpetuum, non vero tranſeuntem, & pro una, vel altera vice, ſunt qui inhibitiva limitant Decreta; tu vero ſaniori innitere opinioni omnino id deneganti, de qua in Decreto ſexto reſervamus agere.

II. Præterire non poſſumus, quæ ſapientiſſimus refert Benedictus XIV. *de canoniz. lib. 4. cap. 13. n. 4.* videlicet ultra montes adhuc nonnullos ex Epiſcopis in ſuas Diœceſes, in quibus uſus erat Breviarii Romani, auſos eſſe inducere Breviarium ſibi bene viſum, reſecatis feſtis plurimis Breviarii ejuſdem Romani, aliiſque invectis, contendentes id ſibi licere inconſulta Sede Apoſtolica, dummodo non deſit conſenſus Regis, & Laicæ Poteſtatis. Quinimmo quidam in Galliis anno 1681. jam diſpoſuerat ordinem divini officii recitandi, in quo cum mutationes plurimæ adverſantes Breviario Romano introductæ forent, adverſus eundem exortæ fuerunt contentiones non leves, quas ad evertendas is quemdam evulgavit librum: *De Jure, & poteſtate Epiſcoporum ordinandi officia divina intra fines ſuæ Diœceſis juxta omnium ſæculorum traditionem a Chriſto Jeſu ad nos uſque tranſmiſſam.* At cum in eo redarguerentur ordo, & ritus Breviarii Romani in introductione plurium officiorum, fuerunt hæc omnia tamquam errore, & ſcandalo redundantia, minime attentis defenſionibus pro eo exaratis, proſcripta, licet etiam Auctor auſus eſſet ad factarum a ſe mutationum vindicationem Innocentii XI. auctoritatem advocare. Hinc Lector diſcat, nihil poſſe Epiſcopos Romano ritui addictos circa ea, quæ ſpectant ad Breviarium, & Sanctorum officia, ſed facultatem quidquam addendi, vel mutandi uni Sedi Apoſtolicæ eſſe reſervatam.

III. De Epiſcopis, quorum Diœceſes, cum tenerentur juxta Bullam Pii V. parentem dumtaxat Eccleſiis gaudentibus proprio Breviario ducentis annis antiquiori, non ſuſcepere Romanum, nunc diſputatio ſuſcipitur, & duobus verbis diſſolvitur. Si nihilominus in propriis licet perſtent formulis, idem ſit judicium, ac ſtatim faciemus de Epiſcopis Romano ritui non addictis. Si vero licite non perſtent, quæ ſuperius dedimus de Epiſcopis Romanis, de iiſdem æque procedant. An vero licite perſtent, necne, alibi diſcutitur.

IV. Ad Epiſcopos, quorum Eccleſiæ proprio gaudent Breviario, ſermonem convertimus, quos Meratus *ſect. 2. cap. 2. n. 4.* obligatos cenſet, non quidem ex vi Bullæ Pianæ, ſed ex aliis Eccleſiæ canonibus, nullam officiorum additionem propriis Kalendariis facere, Guyetus vero *lib. 3. cap. 1. q. 8.* vult nihil iiſdem de ſuo antiquo jure fuiſſe detractum. Non ſane a Bulla Piana, quæ uti eoſdem non adſtringit Epiſcopos ad ſuſceptionem Breviarii Romani, quod eſt principale, ita nec ad acceſſoria; indubium enim eſt, quod dum mutationem, additionem, & detractionem quamlibet inhibet, de ea ſermo eſt, quæ fieret Breviario Romano. Non a Bulla Clementis VIII. quæ nonniſi eſt reformatoria Breviarii Romani, & confirmatoria Bullæ Pianæ. Non a præſenti Decreto, quod licet officiorum extenſionem Epiſcopis univerſim vetitam præſeferat, cum tamen in *Bojanenſi* ſit editum, quæ eſt urbis Regni Neapolitani, uſui Romano addicta, ad rem ſufficienter ſuffragari non poteſt. Non denique a præcedenti Decreto, aut quibuſcumque aliis, quæ nos novimus, ſunt, quippe omnia correlativa ad Bullam Pianam, vel ejuſdem, aut Rubricarum Romanarum explicite, vel implicite memoriam invehunt. Satius igitur Meratus egiſſet, ſi canones, quos ipſe novit, expoſuiſſet, ut iiſdem etiam nos potuiſſemus obſequi.

V. Etſi tamen præfatos Epiſcopos memorata facultate ſpoliatos per aliquem Eccleſiæ canonem nos ignoremus, eadem uti non debere ſentimus, quia ſatis ex proditis momentis elucet mens Apoſtolicæ Sedis ſibi reſervandi officiorum conceſſiones, & finis ejuſdem reſervationis, tollendi ſcilicet varietatem orandi, quæ adhuc integra ſubſiſteret in Eccleſia Dei, ſi nova prædicti Epiſcopi invehere poſſent officia. Gaudeant ergo ipſi propria formula, quæ non eſt, niſi modus quidam orandi a Romano diverſus, ſed non inducant officia Sanctorum, de quorum ſanctitate ſolius Romanæ Eccleſiæ ſicut eſt judicare, ita permittere, quod ſpeciali officii cultu honorentur, & præſertim quia cum divinum officium ſit oratio publica, nomine totius Eccleſiæ ad Deum fuſa, ab eo, qui totius Eccleſiæ regimen habet, & decet unice regi. Ut autem certa ab incertis ſeparentur, indubium eſt, quod officiorum conceſſiones, quæ Eccleſiæ univerſali, ſeu pro omnibus, qui ad horas canonicas tenentur, ab Apoſtolica Sede indulgentur, non minus Breviario proprio utentes adſtringunt.

DECRETUM III. CAP., IN ORDINE CCCXLIII.

De Sanctis Epiſcopis locorum, martyribus, civibus, & aliis feſtis, de quibus in Kalendario Romano, ſeu Rubricis Breviarii nihil habetur, uti etiam de Beatis nondum canonizatis, nihil propria auctoritate ſtatuatur, ſed omnino conſulatur Sacra Rituum Congregatio. S. R. C. 8. April. 1628. *approbante Urbano VIII.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 61.

I. SAuſſayus Sanctos locorum proprios in tres veluti claſſes diſpertit, *Indigenarum*, *Advenarum*, *& Advectitiorum*. Appellat *indigenas*, quos locus, felici partu enixus, poſt glorioſum vitæ curſum, ac mortis agonem, ad cæleſtis Regni coronam lætus tranſmiſit. *Advenas*, qui ortu exteri, illuc quacumque tandem ex cauſa adducti, ac deinceps conſumati, illinc quoque ad cæleſtem Patriam emigrarunt. *Advectitios* denique, qui exteri quidem ortu, & occubitu, ſuarum deinceps advectione Reliquiarum facti ſunt & ipſi jure quodam hoſpitalitatis loci illius Incolæ, & Patroni. Eſt quidem Sanctorum partitio hæc admodum commoda, haud ipſa tamen perfectam Sanctorum loci propriorum rationem exæquat, & quantum attinet ad Sanctos tertii generis, etſi illi quidem Eccleſiarum Tutelares, ac Patroni non ſemel ſint, aut certe magnam iis conciliet venerationem Sacrorum lipſanorum cuſtodia, cum tamen nec eo loci nati, nec defuncti, nec demum verſati unquam fuerint, proprios, ac naturales loci illius cenſendos eſſe, nemo jure exiſtimaverit.

II. Nos igitur Sanctos locorum proprios, ac naturales eos verius dici putamus, qui iis in locis communem cum ceteris hominibus lucis hujuſce corruptibilis uſuram acceperunt, licet ſint forſitan alibi defuncti, aut diutius etiam commorati. Altera item cum ſit, & commendatior Sanctorum nativitas, non ab illorum ortu in hanc lucem, ſed magis ab exitu petita, potius eorum patria cenſenda videtur, non quæ eos tulit, ſed quæ extulit, non quæ mundo genuit, ſed quæ cælo peperit, quare ii Sancti putandi erunt proprii, & naturales illorum locorum, in quibus quocumque tandem fato ſive Martyres, ſive Confeſſores obiere. Hinc uti videmus nonnullos Sanctos a nativitatis loco denominari, puta Gregorium a Nazianzo, Thomam ab Aquino &c. etſi ibi ſupremum diem minime clauſerint, ita non minus a mortis loco; ut Nicolaus a Tolentino, Antonius a Padua &c. quamvis alibi in hanc lucem prodierint. Iiſdem adjungendi veniunt, quotquot etſi forte alibi eos naſci, aut defungi contigerit, ibi tamen potiorem vitæ partem, ſive etiam præcipuum munus, puta Epiſcopi, Abbatis, aut quodcumque aliud cum laude peregerunt, unde in Martyrologio Romano præcipue in confeſſorum recenſione non ſemel ponitur locus commorationis, ſive ille in quo præcipuum aliquod munus ut ſupra exercuerunt, ut de S. Joanne Chryſoſtomo, & aliis.

III. Hos omnes comprehendunt ea verba Decreti, *De Sanctis Epiſcopis locorum*, *martyribus*, *civibus*, quæ vero ſequuntur, *& aliis feſtis*, *de quibus &c.* appellant ſuper Sanctos alios, qui licet ortu, occubitu, commoratione, & munere exteri ſint, adhuc alicubi ſpecialem ſibi vindicant venerationem, & cultum, vel quod inibi eorundem cuſtodiantur Reliquiæ, aut ſignis, & prodigiis exiſtant inſignes, ſive in publicis diſcriminibus non ſemel fuerint opitulati, ſeu plurimos concionando Jeſu Chriſto pepererint, aut quocumque alio egregio facinore habeantur illuſtres. Hi quidem nullo pacto dici valent loci *naturales*, & preſſe nec *proprii*, niſi *propriorum* appellatione eos omnes venire contendas, qui in loco aliquo præ aliis in ſpeciali veneratione habentur, quo pacto eoſdem *proprios* in lata quadam ſaltem ſignificatione dici poſſe nec nos refragamur. Radulphus etiam hos connumerat inter Sanctos *locales*, quorum nomine inſignit, quotquot in aliquo loco, quicumque ii ſint, ſpecialiter coluntur. De his omnibus Decretum diſponit, quod nihil propria auctoritate eſt ſtatuendum, quantum ad divinum officium attinet, ut diſerte eruitur ex illis Decreti verbi, *De quibus in Kalendario Romano*, *ſeu Rubricis Breviarii nihil habetur*, & pluribus de cauſis *conſulenda* ſtatuitur *Sacra Congregatio*, quæ tamen ſuper ſanctitate, & poſſeſſione cultus eorundem Sanctorum ſufficienter inſtructa, communem ſe aſſolet oſtendere in conceſſione officii eorundem iis locis, quibus illi præfuere, vel quæ propria ſanguine, natali, aut obitu, vel inſigni commoratione, ſeu eximiis virtutum exemplis, ſive ſignis illuſtravere.

IV. Sanctio eſt pars altera, quæ integrat primum hujus Capitis Decretum, hinc dubium inſurgit, cur edita fuerit, cum non firmet niſi particulariter, quod generaliter per dictum Decretum fuerat ſtatutum? Factum id extitit, quod Sancti hi proprii tamquam ſpeciale patrocinium, & habitudinem ad particulares Eccleſias habentes, putari fortaſſe poterant a generali diſpoſitione non comprehendi. Attamen *conſulenda Sacra Congregatio* decernitur, quæ penſatis penſandis ceteroquin facilis eſt in conceſſione officii pro reſpectivis locis, in quibus erga præfatos Sanctos ſpecialis cultus videtur debitus, licet merito nihil propria auctoritate velit attentari, ne amor, quo quiſque veluti connaturaliter erga propria trahitur, in eorundem Sanctorum cultu nimis facile, & exuberanter nos prodigere faceret.

V. De quibus, ſubdit Decretum, *in Kalendario Romano*, *ſeu Rubricis Breviarii nihil habetur*, quia ſi in Kalendario Romano eorundem præſcriptum foret officium, aut in Rubricis Breviarii, puta quia forent Patroni locorum, aut Eccleſiarum Titulares, vel legitima gauderent officii poſſeſſione, nihil pro-

pria auctoritate attentaretur, ſi, & prout ferunt Rubricæ, Kalendarium prædictum, aut Decreta alia, de iiſdem fieret officium.
VI. Idipſum ſtatuit de Beatis nondum canonizatis, *uti etiam de Beatis nondum canonizatis*, in quorum conſequenter cultu procedendum erit juxta Decreta Urbani VIII., & uti nos alibi tradimus.

DECRETUM III. CAP., IN ORDINE CCCXLIV.

Feſta Sanctorum celebranda ſunt eo die, quo cadunt. Verum ſi incidant in diem impeditam, transferenda ſunt in alteram diem non impeditam juxta Rubricam Breviarii Romani, neque immutari poſſunt de licentia Ordinariorum, ut pluries decrevit Sacra Rituum Congregatio, & ſignanter 14. Novembris 1620. *in Alban.* 22. Novemb. 1630. *in Toletana*, 3. Decemb. 1630. *in Syracuſana*. 2. Septem. 1690. *in Panormitana*, ex Merato in Indice Decret. Brev. num. 164.

I. SAnctorum feſta quælibet in ſua conceſſione diei alicui addicuntur, & ideo celebrari mandantur, quare utique celebranda ſunt *eo die, quo cadunt*. Quod ſi incidant in diem impeditum, jam Rubricæ *de Transl. feſt.* in alterum, ſeu in primum non impeditum illa rejiciunt; quod tamen intellige de feſtis de præcepto duplicibus, vel ſemiduplicibus, ſimplicia quippe tranſlatione non gaudent, ſed cum impediuntur, cum ſola nona lectione, & commemoratione explentur, ſi tamen adhuc impediens feſtum harum utramque, vel alterutram minime reſpuat. Feſta autem quælibet ad libitum penitus deperduntur.
II. *Neque immutari poſſunt de licentia Ordinariorum*; per Bullam enim Pii V., & alia decreta poteſtas quælibet locorum Ordinariis fuit adempta in iis, quæ ſpectant ad divinum officium; quare circa diem celebrationis eorumdem nihil poterant innovare, ſed in prima die non impedita celebrari debebant, in quam per Rubricas feſta quælibet ſive accidentario, ſive perpetuo impedita, amandantur. Ita quidem erat tempore Decretorum omnium, quorum meminit Sanctio, nunc tamen congruis de cauſis facultas elargita fuit locorum Ordinariis, alteri diei fixe addicendi feſta illa, quæ in reſpectivis Diœceſibus ob perpetuum impedimentum nunquam in propria die recoli valent, ut late tradidimus in capite nono.

DECRETUM V. CAPITIS, IN ORDINE CCCXLV.

Cum officia non ſunt ejuſdem ritus, Epiſcopus in ſua Diœceſi non poteſt minus digno fixum diem aſſignare. S. R. C. 15. Martii 1698. *in Herbipolen.* ex Merato in Indice Dec. Brev. num. 195.

I. DIctio *Cum* conditionem non facit, quaſi quod Epiſcopus nequeat feſto inferioris ritus, quod propterea transferri contingit, diem fixum aſſignare, bene vero, ſi ſit ejuſdem ritus cum officio, a quo abigitur. Forſitanne plus juris obvenit Epiſcopo, aut feſto minus digno, ſi hoc per officium altioris ritus transferatur, quod iiſdem minime obveniat, quoties per officium ejuſdem ritus, vel impedimentum quodlibet aliud e proprio amovetur die? Mens utique Decreti hæc eſſe non valet, quam facile aſſequeris ex petitione, quærebatur ſiquidem, num cum officia plura diverſi ritus ſimul occurrunt, ac conſequenter minus dignum eſt transferendum, huic Epiſcopus diem fixum aſſignare valeat; quare reſponſionis negativæ ſenſus legitimus eſt, quod feſto, quod ob perpetuum impedimentum transfertur, per Epiſcopum dies altera aſſignari non poteſt. Concordat hoc itaque cum præcedenti Decreto, aliiſque plurimis relatis in Capite nono, & licet modo Epiſcopi feſta valeant immutare, nullum præjudicium inde deſumit, utpote quod procedit attenta poteſtate, qua tunc gaudebant, non autem ea, quæ eiſdem poſtmodum fieri poterat. Recolantur, quæ dedimus in laudato Capite nono.

DECRETUM VI. CAP., IN ORDINE CCCXLVI.

Non eſt relinquendum officium Breviarii pro officio devotionis. S. R. C. 29. Novemb. 1603. *in Salamantina*, Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 14.

I. TRipliciter officium aliquod *devotionis* dici contingit. Primo ex voto, ſeu devotione generali civitatis, loci, vel Eccleſiæ alicujus. 2. Ex fundatione particularium, ſive ex devotione Teſtatorum. 3. Ex particulari privati alicujus devotione. Univerſim de quolibet ex dictis devotionis officiis procedit Decretum, & univerſim per idem vetatur, relinqui officium Breviarii pro officio quocumque devotionis; cum enim officium Breviarii ſit officium debitum, ſeu obligationis, utique claret ejuſdem loco officium devotionis non poſſe ſubſtitui; hinc ubi in Decreto legitur *officium Breviarii*, Auctores communiter legunt *officium debitum*, quaſi idem ſit *officium Breviarii*, ac *officium debitum*, ſeu *obligationis*, ut Gavantus *ſect.* 1. *tit.* 12. *num.* 11., Guyetus *lib.* 1. *cap.* 12. *quæſt.* 7., Pittonus *de ſacr. ritib. num.* 203. Forti *verb. officium divinum num.* 6., aliique plurimi.
II. Et quidem rueret ordo omnis a Rubricis pro officiorum diverſitate conſtitutus, ruerent Summorum Pontificum, ac Sacræ Congregationis iterata toties Decreta de non inducendis propria auctoritate novis officiis, ruerent officiorum de præcepto indulta, quæ ſtato die prælata demandant officia, rueret denique ratio illa certa quædam officia ex conceſſione Pontificis celebrandi ad libitum, ſi liberum eſſet de ſancto quovis, prout cujuſque ferret arbitrium, aut devotio, recitare; hinc Gavantus *ſect.* 1. *cap.* 2. *num.* 6. explicans tum Bullam Pii V., tum Congregationis Decretum 8. April. 1628. ſubdit: *Et hinc ſequitur, quod ſine facultate non poteſt fieri officium, eo quod devotio Populi adeſt, ſeu votum; neque quia clerus conſenſit in Diœceſana ſynodo; neque quia voluntas Teſtatorum legato proprio juſſit officium de ſancto, quod non eſt in Kalendario.*
III. Huic Gavanti definitioni adſtipulantur Doctores omnes; dum enim quærunt, ſit ne peccatum officio Breviarii officium devotionis ſubrogare, & concludunt, alii quidem eſſe mortale, alii veniale, alii grave indeterminate, pauci denique in aliquibus circumſtantiis ab omni culpa vindicant, omnes certe ſupponunt, fas id non eſſe ex præſcripto Rubricarum, vel Decretorum.
IV. Nec publica Eccleſiæ neceſſitas, puta belli, incurſionis Infidelium, peſtis, famis &c. legitima cauſa eſſe poteſt, pro officio Breviarii aliud ſubſtituendi de Sancto, cujus interceſſioni plurimum fidit; ſi quis enim locus mutationi huic fuiſſet, non tacuiſſent Rubricæ, uti non tacuerunt de miſſis votivis pro variis occaſionibus, & Eccleſiæ neceſſitatibus, & pro re gravi, & publica cauſa recitandis. Habentur itidem deſtinati pro opportunitate temporis Pſalmi Graduales, & Pœnitentiales, maxime vero Litaniæ, aptiſſima omnium pro quacumque neceſſitate precatio, aliæque preces plurimæ ab Eccleſia præſcriptæ, & in Rituale Romanum invectæ; adhibeantur igitur iſtæ, ut fieri ſolent, non autem officium aliquod votivum loco currentis, quod utpote novum, & in Breviarii legibus, & Eccleſiæ ritibus inauditum hactenus, uti vetitum, & in inhibitione præſentis Decreti comprehenſum, cenſeri debet, niſi recitetur ultra penſum officii currentis, qualiter fieri non refragantur Rubricæ, neque Decreta.
V. In prædictis itidem neceſſitatibus Rubricæ Miſſam ſolemnem votivam dumtaxat admittunt, ceteras de officio, ergo ſupponunt officium in aliud non poſſe mutari; cum autem officium ſemiduplex eſt, etiam privatæ votivæ eſſe queunt, ſed hoc a privato quolibet interveniente cauſa aliqua etiam permiſſum eſt attentari; quis vero unquam idipſum diceret de officio? Denique quia in Rituali Romano indicantur additiones, quæ Litaniis fieri poſſunt in publicis neceſſitatibus, Sacra Congregatio 22. Martii 1631. iiſdem neque tempore peſtis Titulares, & Patronos civitatis ſine ſpeciali conceſſione addi poſſe declaravit; quis igitur jure unquam arbitrabitur licitum, in aliud votivum permutare officium Breviarii, aut in illud mutationem aliquam, mixtionem, vel additionem invehere, de quo nihil nedum habent Rubricæ, ſed indiſcriminatim, & abſolute per plurima vetitum eſt Decreta? Stet itaque, quod mutationes nullæ, etiam minimæ, vel additiones, puta ſolius commemorationis, quacumque de cauſa in officium invehi queunt, vel attentari.
VI. Praxis demum Eccleſiæ omnem adimat dubitationem; videmus enim in publicis neceſſitatibus & gravibus cauſis miſſas votivas præſcribi, aut de ſuperiorum mandato collectas intra miſſas committi; at quis vidit loco officii currentis mandari officium aliud, vel commemorationem? Dicendum eſt itaque, quod quamvis hæc fieri valeant in Miſſa, ſecus in officio. Quod non obſcure itidem evincunt Decreta plurima, quæ circa Miſſas votivas, aut collectas in hujuſmodi caſibus edita fuere, cum tamen nulla habeantur circa officia votiva, aut commemorationes officio currenti adjiciendas.
VII. Quod ſi hujuſmodi fieri non liceat in publicis adeo gravibus, & urgentibus neceſſitatibus, & cauſis, non crederem a quopiam excogitari poſſe licitum ob Teſtatorum, vel vivorum voluntatem, vel devotionem, concurſum Populi, feſti ſolemnitatem, aut uniformitatem cum ceteris loci Eccleſiis, quemadmodum in ſequentibus Decretis magis oſtendere reſervamus.
VIII. Limitabit quis fortaſſe Decretum ad publicam, & choralem recitationem; at privata loco publicæ ſubrogatur in his, qui choro non aſſiſtunt, ut optime advertit Guyetus *lib.* 1, *cap.* 12. *q.* 7., & tenentur omnes per cap. *De his*, & Cap. *Placuit diſt.* 12. officium ſuæ Eccleſiæ recitare, eidemque ſe ſe conformare, quando etiam cuilibet quacumque die tale officium non foret demandatum, ut magis infra conſtabit; quapropter abſolute tenendum venit, quod neque per unam, vel alteram vicem licitum ſit officium aliud recitare, quia alias non ſervaretur præceptum, quod non eſt de officio divino in genere, ſed de tali officio pro tali die.
IX. Ut officium aliud a præſcripto recitetur, particulari aliquo in caſu Epiſcopum, vel Prælatum Regularem una, vel altera vice diſpenſare poſſe docent Suarez *to.* 2. *de Relig. lib.* 4. *cap.* 11. *num.* 6., Salmanticenſes *Theol. mor. to.* 4. *tract.* 16. *cap.* 1. *pun.* 2. *n.* 13., aliique multi, quibus tamen obnituntur alii in numero, & pondere plures. Et quidem ſi neque tempore peſtis, aut alias publicas graviſſimas ob cauſas inverti licet, aut mutari officium divinum, quæ porior, & gravis erit cauſa alterius officii per Epiſcopum, vel Prælatum Regularem ſubrogandi? In iis, quæ a Summo Pontifice ſunt conſtituta, inferior nullam habet poteſtatem, nec contra factum ſuperioris poteſt diſpenſando venire, ut dicebamus in capite de Vigiliis; ubi propterea vidimus, reprobatam iri ſententiam illorum, qui Epiſcopis facultatem concedebant transferendi Vigiliam S. Mathiæ, quoties incidit in feriam tertiam Quinquageſimæ. Multo igitur minus diſpenſare hi poterunt ſuper divino officio, de quo tot inhibitivæ editæ ſunt abſolutæ diſpoſitiones.

X. Hu-

X. Hucuſque dictis opponi poſſunt. I. Votum Cleri, aut Populi, ſi quod intervenerit, recitandi officium aliud. 2. Legatum Defunctorum, quorum utrumque alias ſervari non poſſet. 3. Rubricæ, quæ dum concedunt officium de Patrono loci, & Eccleſiæ, extendi poſſe videntur ad Patronum Perſonæ, admodum quippe durum foret, proprio Patrono tam opportunum cultum non poſſe impendere.

XI. Verum dicto votum, aut legatum, quod legi a Pontifice latæ repugnat, nullius eſſe obligationis, ſed magis in aliud æquivalens fieri debere commutationem. Rubricarum autem allata explicatio hactenus eſt inaudita, quippe quæ Patroni Perſonæ nunquam mentionem agunt, licet toties Patronorum loci, & Eccleſiæ. Ceterum non deeſt alius æque opportunus, iſque multiplex proprium Patronum colendi modus; poteſt enim quilibet eum privatim orare, meditari, & imitari ejuſdem vitam, ac Eccleſiam viſitare &c., aut demum ſi officii recitandi ita avidus eſt, percurſo diei officio, aliud de eo recitare.

XII. Nunc remanet inquirendum, num officium aliud ſubrogare, peccatum ſit, & quale? Quatuor Auctorum ſententias memorat Meratus *ſect. 1. cap. 5. tit. 2. n. 3.*, quarum prima mutationem quamlibet ream facit culpæ lethalis. Secunda culpæ levis, & nunquam gravis, quia in quolibet officio habetur ritus ſubſtantialis, nempe quod conſtet ſeptem horis, pſalmis, lectionibus &c., & horum variatio eſt mere accidentalis. Tertia damnat peccati mortalis mutantem in fraudem officium in notabiliter brevius, aut frequenter in æquale. Quarta denique in ſola frequentia mutandi officium agnoſcit culpam mortalem, & nonniſi venialem in eo, qui ſemel, aut iterum id præſtat, tametſi variatio fiat in officium notabiliter brevius. Quarum ſententiarum primam ut nimis rigidam notat idem Meratus, ſecundam ut nimis laxam, tertiam libens approbat, & quartam probabilem nuncupat, dummodo non fiat variatio in officium illud breviſſimum, & notabiliter diverſum a communi, & ordinario, cujuſmodi eſt officium Paſchatis, vel Pentecoſtes, quod unico tantum conſtat nocturno, unde inter theſes ab Alexandro VII. proſcriptas habetur. *In die Palmarum recitans officium Paſchale, ſatisfacit præcepto.*

XIII. Nos vero primam omnino amplectendam eſſe putamus, ſecundam cum Merato tamquam nimis laxam rejicimus, utpote quæ nulla facta exceptione mutationem quamlibet admittit, & aliunde etiam inveheret maximam orandi varietatem, quam ut ſubmoveret, Pius V. Breviarii emendationem ſuſcepit. Tertiam vero, & quartam, quæ in ſola frequenti variatione culpam lethalem agnoſcunt, omnino improbabiles arbitramur, quia alias nec culpa gravis foret id facere per unum, vel alterum menſem, cum non ſit major ratio de una variatione, ac de pluribus ut in ſimili argumentatur Garzias *de benef. 3. cap. 2. n. 165.* Sicut enim non peccat graviter, qui ſingulis diebus quadrageſimæ quid parum comedit extra cœnam, & cœnulam, nec qui quotidie omittit unum pſalmum in recitatione horarum, quia iſtæ materiæ parvæ, cum ſpectent ad diverſa præcepta ſuis diebus affixa, non coaleſcunt in unum, nec conſtant materiam gravem; ita variatio illa officii pro officio, etiamſi quotidie fieret, quia ſemper ſpectaret ad diverſa præcepta ſuis diebus affixa, nunquam conſlaret variationem ſubſtantialem, atque adeo ad culpam lethalem nunquam pertingeret.

XIV. Approbantes itaque primam ſententiam, dicimus, quod mutans officium, etiam pro una, vel altera vice, aut in officium æquale, vel longius, præcepto non ſatisfacit, reuſque ſit peccati lethalis. Quæ concluſio, quidquid ſit de nonnullis rationibus, quas Moraliſtæ producunt, attentis Sacrorum Rituum principiis adeo certa eſt, ut miremur, quomodo Auctores in varia ſciſſi poſſint eſſe placita. Et quidem taliter mutans officium, non obſervat præceptum quoad ſubſtantiam, cum non ſolum præcipiatur recitatio officii in genere, verum etiam in particulari, ut pluribus allegatis docet Barboſa *in cap. Presbiter de celebr. Miſſar. n. 9.*, ita ſcilicet, quod tali, & tali die tale, & tale officium recitetur; licet enim ſubſtantia præcepti in genere ſit de ſeptem horis canonicis in genere, tamen ſubſtantia præcepti in particulari, & in individuo, prout tali tempori, & diei applicatur, eſt de ſeptem horis talibus, & quoad talem ſubſtantiam in individuo, ideſt quod conſtet ex his pſalmis, his lectionibus &c., ſicut conſtare ex his carnibus, & oſſibus pertinet ad ſubſtantiam individuam Petri.

XV. Cujus ineluctabile argumentum petitur primo ex officiorum conceſſionibus, quæ his, vel ſimilibus terminis ut plurimum reperiuntur expreſſæ: *Officium cum lectionibus 2. nocturni, & oratione propriis de Sancto N. quotannis de N. ab univerſo clero utriuſque ſexus recitari mandavit.* Ubi pro tali die jam vides in præcepto eſſe conſtitutum officium de tali Sancto, & cum talibus lectionibus, & oratione, & ſic reſpective de aliis. Secundo, ex Indultis officiorum ad libitum, quæ dum pro tali die eorumdem recitationem cleri committunt arbitrio, conſequenter indicant, officia talia de præcepto omitti non poſſe, aut eorundem loco alia ſubrogari in illo die, in quo illa ſunt demandata.

XVI. Tertio, ex Decreto S. R. C. 8. April. 1628. ab Urbano VIII. laudato, in quo primo ſtatuitur, *poſt Bullam Pii V. addi non poſſe Kalendariis Sanctorum officia, niſi quæ per Rubricas Breviarii Romani, aut Sedem Apoſtolicam conceduntur; nec extendi conceſſa officia de loco ad locum.* 2. vetatur *poſſe celebrari per totam civitatem, vel Diœceſim feſtum cum officio, eo quod in loco adſit Eccleſia Parochialis &c., aut aliqua Reliquia.* 3. ſtabilitur *de Sanctis Epiſcopis locorum &c. de quibus in Rubricis Breviarii nihil habetur, nihil propria auctoritate eſſe conſtituendum.* 4. ſubditur: *Et hæc omnia decrevit, ſtatuit, & mandavit innovando pœnas conſtitutionis Pii V. reſpective;* ſunt autem hæ pœnæ, quod alias non ſatisfiat præcepto horarum canonicarum. Si itaque per recitationem officii propria auctoritate per Epiſcopos in Kalendarium invecti, aut de loco ad locum extenſi, aut de Sancto, cujus Eccleſia, vel Reliquia habetur in loco, vel de Sanctis Epiſcopis locorum, de quibus officium non eſt conceſſum, non ſatisfit oneri divini officii, indubium fit, quod lethaliter peccaminoſa eſt recitatio officii pro officio, ſolumque impletur præceptum per officium, quod qualibet die juxta Rubricas recurrit. Eædem pœnæ a Decr. 9. cap. 4. imponuntur recitantibus officium de Sanctis non deſcriptis in Martyrologio Romano, quorum inſignes habentur Reliquiæ, ergo idipſum, quod prius.

XVII. Quarto, ex Bulla Pii V. in qua habetur *Ad dicendum poſthac in perpetuum horas ipſas diurnas, & nocturnas ex hujus Romani Breviarii præſcripto, & ratione omnino teneri.* Dictio *omnino*, quæ nullam limitationem patitur, deſignat, quod tam *Præſcriptum*, quam *Ratio* Breviarii Romani habere debent præciſam exequutionem, & ſunt de ſubſtantia præcepti: *Ratio* eſt formula horarum, quibus divinum officium componitur. Sed quid erit *Præſcriptum*? Niſi officiorum diſtributio per ſeptem hebdomadæ dies, & duodecim anni menſes, ſeu ejuſdem Breviarii leges, ſeu Rubricæ: eſt igitur in præcepto non ſolum, ut legatur officium obſervando rationem, & formulam officii divini in ſpecie, ſed etiam recitando in individuo illud officium, quod de die in diem Breviarii Romani leges præſcribunt.

XVIII. Caramuel denique *Theol. fund. lib. 2. fund. 53. n. 2491.* hoc efformat argumentum: Circumſtantia illa, ſine qua finem legis aſſequi non poteſt Legislator, præcipitur per ſe, & pertinet ad ſubſtantiam præcepti, ſed uniformitatem in Eccleſia Romana, quæ eſt finis præfatæ legis Pianæ, ut liquet ex illis verbis, *Hanc orandi varietatem graviſſime ferens &c.*, non aſſequeretur, ſi alii legerent de feria, alii de Sancto, ergo præcipitur per ſe, & tamquam circumſtantia ſubſtantialis, quod Eccleſia ſit labii unius, & ſermonum eorundem, hoc eſt, quod omnes legant de Sancto, quando debet legi de Sancto, & omnes de feria, quando legi debet de feria.

XIX. Ex his habes eum, qui ſponte, & advertenter mutat officium, præceptum non adimplere, tenerique ad recitationem officii debiti, aut ſaltem ad ſupplenda omiſſa, nempe ad dicendum id, quod eſt particulare feſto, vel feriæ, de qua officium erat faciendum, ut hymnos, pſalmos, antiphonas, lectiones &c., quæ dicta non fuerunt in officio recitato; ad repetenda enim etiam ea, in quibus utrumque officium convenit, non putamus eſſe obligandum, nam quoad hanc partem implevit præceptum quoad ſubſtantiam, quod non obligat cum tanto rigore ad repetendum totum officium, ut ſervetur ordo, ut bene advertit Bonacina *tom. 1. de hor. can. diſp. 1. q. 3. pu. 1. nu. 18. & pun. 4. n. 6.* Idipſum a fortiori dicendum eſt de eo, qui ex oblivione, aut inadvertentia dixit officium aliud a currenti; ſi enim advertat ad errorem, antequam dies elapſus ſit, debet, & ſufficit, quod ſuppleat omiſſa.

XX. Bonacina *ibidem n.* 18. probabiliter utrumque adhuc liberat a repetitione omiſſorum, eo quod tunc præſumi facile poteſt de voluntate Eccleſiæ, quæ cum mater benigna ſit, non videtur ad aliud onus velle filios adſtringere, dummodo aliud æquivalens ipſi ſolverint. Quæ Eccleſiæ benignitas etſi forſitan præſumi queat pro iis, qui inadvertenter erraverunt, ſecus utique pro iis, qui ſponte ab ejuſdem legibus receſſere; quare eos, qui advertenter mutarunt officium, a repetitione ſaltem omiſſorum nos abſolvere nequimus, bene vero probabiliter eos, qui ex inadvertentia, aut errore id præſtitiſſent, licet eoſdem etiam hortemur, & ad repetenda omiſſa conſulamus, quia cum obligatio recitandi officium juxta Rubricas occurrens, certa ſit, & voluntas Eccleſiæ dumtaxat præſumpta, per hanc non videtur illa ſufficienter impleta. Quatenus vero inadvertenter mutantes officium, a repetitione omiſſorum cenſerentur liberi, approbamus ſententiam illorum, qui compenſationem injungunt, ſi mutatio contigiſſet in officium longe brevius, ut ſi quis recitaſſet de Sancto, cum debuiſſet recitare de Dominica; quo in caſu aſſerunt recitandos eſſe verb. gr. novem pſalmos primi nocturni de Dominica, ne tanta ſubſit inæqualitas.

XXI. Quis recitato verb. gr. matutino de feria, quod dicendum erat de Sancto, errorem detegit, teneturne matutinum repetere, aut de quo debet dicere horas?

XXII. Hæc quæſtio locum non habet in ſententia obligante eum, qui erravit ad dicendum matutinum occurrens, vel ſaltem ad ſupplenda omiſſa, certum namque hoc ipſo redditur, quod tunc & reliquas horas debet dicere de eo, de quo officium erat faciendum. In ſententia vero, quæ ex præſumpta benignitate Eccleſiæ a repetitione omiſſorum errantem probabiliter eximit, dicimus corrigi errorem debere, ſtatim ac detegitur, horaſque eſſe recitandas de Sancto, cum præſumi rite non poſſit, quod Eccleſia nolit, quod corrigatur error ille, qui alias cederet in præjudicium illius Sancti, cujus officium ea die expirat, & nullum affert clero incommodum, cui æque facile eſt reliquas horas continuare de feria, vel eas dicere de Sancto.

XXIII. Dirimenda nobis nunc ſe offert moralis quæſtio quædam, videlicet an ſi per errorem de Sancto actum non ſit eo die, quo ejuſdem currebat officium, alio die de eo recitari queat? Affirmat Trullench. *in Decal. to. 1. lib. 1. cap. 7. dub. 14. n. 11.*, quin id fieri debere contendit Leander *tom. 6. tract. 8. diſp. 3. q. 47.*, eo quod nec Sanctus, nec recitans, qui habent jus ad illud officium pro ſemel in anno, ſint ſine culpa

Digitized by Google

ſuo jure privandi, quippe ignoranti non currit tempus *ex l. Quandiu, C. de admit. ad bonor. poſſeſſ.*, nec ita affixa ſint diebus officia, quin ob impedimentum transferri queant; quodnam autem impedimentum majus, quam impedimentum ignorantiæ, aut erroris? Quare ſicut prima die non impedita fit de translato, ita & de oblito fieri debet, aut per errorem omiſſo, ut arguit Pellizzarius *tom. 1. tract. 5. cap. 8. num. 74.*

XXIV. Sed contrarium omnino tenendum eſt cum Card. de Lugo *Reſponſ. Moral. lib. 5. dub. 8.* Gobat *Theol. experim. tract. 5. n. 641.* aliiſque permultis, & diſerte colligitur ex Decreto hujus capitis quarto, *ſunt* namque *feſta celebranda eo die, quo cadunt, & ſolum quoties incidunt in diem impeditam, in alteram transferri permittuntur*; juxta Rubricas autem officiis impedimentum dumtaxat obvenit a Dominicis, vel feriis aliquibus, aut a feſtis majoris ritus, vel dignitatis, & impedimentum erroris, vel oblivionis iiſdem eſt prorſus incognitum. Adhuc apertius eruitur ex præſenti Decreto, quoniam ex dictis in ejuſdem expoſitione quolibet die currit officium, per cujus dumtaxat recitationem impleri valet præceptum. Arguunt ulterius nonnulli, quod ſi impedimenta oblivionis, vel erroris pro transferendo officio ſufficerent, multo magis impedimentum infirmitatis, ſeu ægritudinis; quanto autem invertiretur ordo officiorum, & quanta ſequerentur incommoda, præſertim quoties morbus fuiſſet diuturnus, ſi infirmus, poſtquam convaluerit, reſumere poſſet, vel deberet officia omiſſa.

XXV. Nec dicas diſparem eſſe rationem, quia infirmo, quo die ob morbum non tenetur recitare, nec currit obligatio, & ſic nec jus poſitum pro fundamento transferendi ob impedimentum oblivionis, aut erroris. Inſurgit namque de Lugo *num. 9.* ponitque exemplum in communione Paſchali, quæ ſive ob errorem, vel oblivionem, aut infirmitatem, vel quodlibet aliud impedimentum omiſſa, debet intra annum quamprimum accipi, quia præceptum communionis taliter obligat ad circumſtantiam Paſchatis, ut præterea obliget intra annum; quare ſi etiam præceptum talis officii ſic alligatur ad circumſtantiam talis diei, ut etiam maneat obligatio ad ſubſtantiam intra annum (ſicuti manet quoad translata) manebit utique obligatio, ſive per oblivionem, ſeu ob morbum, aliudve quodvis impedimentum recitatio ejuſdem in propria die omiſſa fuerit; unde ſi non manet, quoties officium ob ægritudinem fuit omiſſum, nec manebit quoad officium ob errorem, vel oblivionem prætermiſſum. Et ſane impedimenti ratio preſſius verificatur in ægroto, quam in obliviofo, aut errante, & non minus certe ille ſine culpa privandus non foret jure ſemel in anno recitandi officium omiſſum.

XXVI. Ruunt vero, quæ ſuperius dicebantur de jure ad officium aut Sancti, vel recitantis pro ſemel in anno, quaſi hoc illis competat indeterminate, & pro toto anno, ſed totum hujuſmodi jus reſtringitur ad diem aſſignatam, niſi in caſibus per Rubricas permiſſis, quos inter non annumerantur impedimenta erroris, aut oblivionis; quare cum extra talem diem nullum prorſus jus illis competat ad tale officium, evaneſcit, quod dicitur de quoquam ſine culpa ſuo jure non privando, ſicut & quod ignoranti non currat tempus; hujuſmodi enim axiomata non habent locum, ubi nullum eſt jus, nec iis, quæ certæ diei ſunt alligata, ut ſtatim magis conſtabit. Ceterum ſi feſta per errorem, aut oblivionem omiſſa, transferri poſſent, maxima hinc fieret officiorum quandoque perturbatio, quamplurima ſequerentur incommoda, tolleretur uniformitas cum reliqua Eccleſia, & nonnumquam ſupprimi opus eſſet officium aliud; quod de jure erat faciendum, ut vel leviter ponderanti facile conſtabit, & præſertim cum plurima translata inſtant reponi.

XXVII. Succedit quæſtio alia, videlicet an quando officium aliquod per errorem anticipatur, puta fit hodie, quod cras erat recitandum; ſit iterum recitandum die, quo in Kalendario recurrit? Probabiliter nonnulli autumant, de eo amplius non eſſe agendum, cum Sancto illi anticipate ſolutum fuerit officii ſui debitum, & inſueta ſit de eodem Sancto officii repetitio. At cum minus malum ſit errare ſemel, quam bis in officii recitatione, iterandum eſſe officium tenet Leander *loco citato quæſt. 48.* & ſubdit Lugo *num.* 14. quod cum ſingulis diebus incipiat obligare præceptum illius diei, anticipata recitatio non poteſt eſſe ſatisfactoria præcepti, quod altera die obligat; quare dici non poteſt, quod per anticipatam recitationem facta fuerit debiti ſolutio ſufficiens, quia pro eo die, qua illa eſt habita, jus nullum Sanctus habebat ad officium, & præceptum eſt diei ſtato alligatum.

XXVIII. Uti vigilia cum jejunio, & feſtivitas quoad abſtinentiam ob operibus ſervilibus, & Miſſæ auditionem, quæ in honorem Sanctorum ſunt inſtitutæ, ſtato diei ſunt alligatæ, & non indeterminate intra annum, ita eorumdem Sanctorum officia; ſed ſi quis in honorem ver. gr. Sancti Laurentii jejunaret per errorem die 8. Auguſti, aut die 9. feſtivitatem ageret, præcepto non ſatisfaceret, ſed detecto errore adhuc die 9. jejunare, aut die 10. feſtivitatem agere teneretur, ita recitato ver. gr. ejuſdem Sancti officio die 9. ob errorem, detecto errore die 10. in quo ab Eccleſia eſt demandatum, officium repetere adſtringeretur. Et ſicut idem jejunium nonniſi juxta Decreta, & Rubricas transferri poteſt, in præcedentem ſcilicet diem, quando proprius incidit in diem Dominicum, & fortaſſe etiam in feſtum ſolemne loci, non autem ob quodcumque aliud impedimentum, etiam oblivionis, aut erroris, ita etiam officium dumtaxat juxta Rubricas, aut Decreta transferri poterit, numquam vero ob errorem, ſeu ignorantiam, quæ non ſunt impedimenta ad hunc effectum approbata ab iiſdem Rubricis, & Decretis. Et demum quemadmodum ſi jejunium, vel feſtivitas in proprio die ob oblivionem quandoque non obſerventur, in altero neceſſe non eſt ſervari, & ſi ſervantur, infructuoſe ad præcepti ſatisfactionem ſervantur, ita idipſum erit de officio, quod non minus ſtato diei eſt alligatum.

DECRETUM VII. CAP. IN ORDINE CCCXLVII.

Dum aliqua legata relinquuntur cum onere celebrandi officium alicujus Sancti ſub altiori ritu, quam qui a Sede Apoſtolica ei præſcribitur, licitum erit hujuſmodi officia ſolemnius celebrare quoad pompam extrinſecam, non autem quoad ritum Eccleſiaſticum. S. R. C. 14. Maii 1644. ex Merato in Indice Decret. Brev. num. 75.

I. Accidit non raro, ut ſi quis peculiari erga Sanctum aliquem devotione afficiatur, is certo fundo, aut certa pecuniæ ſumma in annos reddituſ conſtituta, Eccleſiæ, cui eam relinquit, onus imponat, ut deinceps quotannis in ea illius Sancti officium peragatur, aut ſub altiori ritu recolatur, quam quem habeat in Kalendario; & ejuſmodi feſta communiter *fundationis* appellantur. Id an idoneum argumentum ſit officii inſtituendi, vel quoad ritum alterandi, non eſt abſque controverſia, quam dirimit præſens Decretum, dum vetat hujuſmodi officia ſolemnius celebrare *quoad ritum Eccleſiaſticum*.

II. Hac in diſpoſitione duo velim obſerves, procedere nempe de Sancto, qui jam ex conceſſione habet officium; ritus enim non eſt niſi modus, ſeu ſolemnitas, qua officium celebratur, & modus ſemper præſupponit rem, cujus eſt modus; quare dum officium ſub altiori ritu celebrari inhibetur, indubie ſupponitur officium eſſe conceſſum. Alterum, quod ſi Sanctus, cujus officium legato conſtituitur, jam ex conceſſione officium non haberet, vi legati de eo inſtitui non poſſet; ſi enim legatum haud validum eſt altiorem ritum invehere, multo utique minus officium.

III. Explicite itaque nunc ſolum altior ritus vi legatorum vetatus induci, & implicite etiam officium; cum enim officium divinum ſit oratio communis, quæ teſte D. Thoma 2. 2. q. 83. art. 12. *per miniſtros Eccleſiæ in perſona totius fidelis populi Deo offertur*, annon indecorum eſt, illud ex unius privati mente, & intentione componi, vel alterari? An non item iniquum, ceteros omnes poſthabitis communibus votis, & affectibus, illius unius ſenſui, ac devotioni ſe ſe conformare? Quid ſi alii ſubinde, atque alii illius exemplo ſimile quid (ut ſunt varia hominum ſtudia) tentent, ac perficiant? Quanta in divinorum officiorum ratione perturbatio? Quanta confuſio, ac varietas? In ſuperioribus vidimus, quam ſummi adlaborarint Pontifices, quot Bullas, & decreta ediderint, ut Kalendarium omnino immutatum, & inalteratum conſiſteret, quam ad effectum & Epiſcopos expoliarunt facultate ſibi ab antiquis canonibus facta; quis autem crederet, Teſtatorum arbitrio, aut cujuſcumque alterius devotioni eſſe relictum? Eadem, & potiori ratione, utpote quia imminueretur honor Sanctorum, legatum attendendum non foret, ſi inferiori ritu, quam qui conceſſus eſt, officium præſcriberet.

IV. At quid ſi hujuſmodi vi legatorum inducta forent præcedenter uſque ad Bullam Pianam, ſemperque retenta? Officium continuari deberet, non quidem vi legati, ſed ratione conſuetudinis prælatæ, quam per Rubricas, & Decreta alibi vidimus probari. Quod ſi officium, utique & altior ritus; hinc Decretum 2. cap. 3. retinendum ſancivit cultum aliquorum tamquam Patronorum, & Urbanus VIII. in nihilo Beatorum cultum imminuendum eſſe voluit, quem reſpective legitima conſuetudo invexit. At quid ſi ritus foret inferior? Guyetus *lib. 2. cap. 11. qu. 6.* laudat adhuc ſervari uſum, ſed nos id probare non poſſumus, cum Sanctorum quodammodo imminuat honorem; quare tamquam corruptela potius, quam uſus ad tramites favorabilium indultorum trahi deberet.

V. Etſi tamen vi legatorum ritus Eccleſiaſticus alterari non valeat, *ſolemnius quoad pompam extrinſecam* feſta celebrari permittuntur. Per pompam autem extrinſecam nedum venit, quidquid ſolemnitatis officio divino omnino extrinſecum eſt, ut apparatus ſumptuoſior, pulſatio plurium campanarum, accenſio multorum cereorum, tormentorum exploſio, inſtrumentorum ſonitus, aliaque id genus; ſed etiam quidquid ſolemnitatis intra ipſum officium impenditur, quod tamen nec pars, nec ritus intrinſecus ejuſdem officii eſt; hinc licitus quoque erit cantus, etiam muſicalis, officii, interventus plurium miniſtrorum apparatorum, incenſatio, & alia hujuſmodi, licet intra officium peragantur. E contra vero licita non erit omiſſio ſuffragiorum, aut precum, aut antiphonarum duplicatio, vel omiſſio commemorationum, quæ occurrunt, quaſque non reſpuit ritus officii; hæ enim ſunt ſolemnitates omnino intrinſecæ, pertinentes ad ſubſtantiam officii, & ad ritum Eccleſiaſticum, circa quas nulla variatio, aut alteratio *quovis prætextu* (ut ait primum hujus Capitis Decretum) fieri poteſt, videlicet quacumque de cauſa alia ab iis, quæ in Rubricis manent expreſſæ, ut in ejuſdem Decreti expoſitione dicebamus.

VI. Inferes ex his permaximum abuſum illarum Eccleſiarum, quæ in officio, quod celebratur cum apparatu exteriori, Proceſſione, Populorum concurſu, indulgentia, aut cum expoſitione SS. Sacramenti &c. omittunt Sanctorum ſuffragia, aut preces, quas ritus currentis patitur officii; hæc enim eſt mutilatio officii, cum omittantur ea, quæ integram officium diei.

Abu-

Abuſus itidem eſt earum Eccleſiarum, quæ eadem quidem omittunt, & poſtmodum privatim ſupplent; ſiquidem ad minus intervenit interruptio divini officii, & illa extra proprium locum incongrue recitantur, & fortaſſe non ſine levi ſaltem culpa, maxime in publica pſalmodia, quam rugis omnibus convenit carere. Abuſus tamen non erit, nec ruga aliqua; ſi immutato ritu, officio, quod vi legatorum ſolemnius quoad pompam extrinſecam celebratur, integræ concedantur veſperæ in concurſu cum alio officio ejuſdem ritus, & dignitatis; hoc quippe ferunt Rubricæ, & Decreta plurima alibi late expoſita, non quidem vi legatorum, ſed vi pompæ, quæ officio adhibetur. Quæ autem pompa requiratur, & ſufficiat, in capite de concurrentia, & alibi actum eſt.

VII. Oppones hinc abripi viam ſatisfaciendi legato, quod tale officium vel abſolute, vel ſub altiori ritu indicit. At quæcumque jura clamant, quod legatum, quod legi a Pontifice latæ repugnat, vel nullius eſt obligationis, vel in aliud æquivalens eſt commutandum. Ratio hujus eſt, quia cum primaria Teſtantis intentio ſit, ut cultu illo, ad quem legatum deſtinat, Deus amplius honoretur, certe ſi cultus ille non probetur ab Eccleſia, aut poſtmodum rejiciatur, annon & ille ſua intentione ipſum quoque rejicere, vel non probare cenſendus eſt? Adeo ut ſi id prævidiſſet, vel cognoviſſet, aliter omnino diſpoſuiſſet, & nunc quoque ſi viveret, vel ipſe legatum ſuum in alium uſum converteret, vel contentus eſſet in illum converti. Hanc autem ejuſdem mentem ſic per epickejam interpretari, & legatum in alium pium uſum convertere ſpectat ad Epiſcopum cum hæredum, vel executorum conſenſu. Id, in quod fit commutatio, debet eſſe æquivalens, & ad Fundatoris intentionem, quoad fieri poteſt, propius accedens. Sic officium de Sancto in Miſſam votivam ſolemnem de eodem poſſet commutari, vel prout magis congruere viſum fuerit habita ratione ad tempus, & circumſtantias, in quibus fit commutatio. Ita Layman *lib.* 3. *tract.* 5. *cap.* 10. *num.* 10. & 11., Guyetus *lib.* 1. *cap.* 12. *quæſt.* 4. & 5., aliique paſſim. Quod ſi legatum ſit de ſolo altiori ritu, jam Sacra Congregatio in pompam extrinſecam deſignat congruenter commutari.

VIII. Hæc dicta ſunto de officio, quatenus ſatisfactorio præcepti horarum canonicarum, de quo revera procedit Decretum, & ſupponitur eſſe legatum, quod ſub altiori ritu illud indicit; tanquam enim opus ſupererogationis de quocumque Sancto approbato officium divinum ultra penſam officii currentis recitari, non reperitur inhibitum. Quod officium cum a recitantis, vel inſtituentis libito pendeat, nec legibus Rubricarum, aut Decretorum maneat obſtrictum, ſub quolibet conſequenter ritu, prout magis placuerit, poterit recitari; privatim quidem ſemper, atque quotidie, publice vero cum exceptione ſaltem dierum anni ſolemniorum, quibus conveniens eſt, ſuum publicum correſpondeat officium. Si itaque loco officii currentis officium aliud fuerit a Teſtatore demandarum, vel ſub altiori rito celebrari indictum illud, quod juxta Rubricas eſt celebrandum, cum Teſtatoris mens ſervari non poſſit, in aliud æquivalens erit ut ſupra commutandum; ſic enim præſumpta ſervatur Teſtatoris voluntas, Sancto æquivalens honos defertur, publica pſalmodia cum currenti officio conformatur, & officio diei nullum obvenit incommodum, & clerus ab onere duplicis officii eximitur juxta intentionem ipſius Teſtatoris, qui dum loco officii currentis aliud commiſit, onera multiplicare minime intendit. Quod ſi tanquam opus ultra officium debitum fuerit impoſitum, ſequens edocebit Decretum, quid fieri poſſit, & debeat.

DECRETUM VIII. CAP., IN ORDINE CCCXLVIII.

Exponit Clerus Sacri Ordinis Hieroſolymitani, qualiter de anno 1659. fuerit facta quædam fundatio ab N. pro decantandis in Pontificali primis Veſperis, & Miſſa votivis de Sancto Franciſco Xaverio, aſſignata pro adimplemento ſuæ diſpoſitionis die 10. Decembris cujuslibet anni, ne impediatur, ut creditur, feſtum ejuſdem Sancti, quod magna cum pompa, & Populi concurſu die 3. ejuſdem menſis celebratur in Eccleſia PP. Societatis Jeſu Civitatis Vallettæ; unde prædictus clerus ad tenorem dictæ piæ diſpoſitionis conſuevit uſque adhuc poſt ſolutam penſam officii currentis decantare primas Veſperas, & Miſſam, in quibus intervenit Eminentiſſimus Magnus Magiſter, & Venerabil. Conſil., ideoque interpellat, ut poſſit ſolitum ſervari, quibuſcumque non obſtantibus. Quoad Veſperas S. R. C. reſcribendum cenſuit negative, & transferatur feſtum Sancti Franciſci Xaverii in perpetuum ad diem 10. Decembris. Ita prædicta S. R. C. 16. Septembris 1730. *in una Ord. Hieroſolym., ſeu Meliten.* ex Merato in Indice Decretorum Breviarii n. 275.

I. Legatum, & petitio ſunt ſatis expreſſa, quare illico gradimur ad Reſcriptum, quod ſub terminis negativis favorem ultra preces abſcondit. Interpellanti, *ut poſſit ſolitum ſervari*, nempe poſt ſolutam penſam officii currentis decantari Veſperæ, & Miſſa de S. Franciſco Xaverio die 10. Decembris juxta piam Teſtatoris mentem, *quoad Veſperas negative* Congregatio quidem reponit, ſed dum ſtatim ſubdit, *& transferatur feſtum S. Franciſci Xaverii in perpetuum ad diem* 10. *Decembris*, abunde indulget propoſitis precibus; facta enim hujuſmodi translatione, Veſperæ de eodem Sancto decantari conceduntur, & taliter, quod ubi dudum erat votivæ, evadant feſtivæ, ſeu officii currentis. Cur itaque *negative* Congregatio reſcripſit? Hoc præſtitum extitit, quia non amplius ex Veſperæ poſt penſam officii currentis, in quo ſolitum conſiſtebat, erant decantandæ, ſed ipſæ fiebant veſperæ officii currentis, & una deſerviebant & pro adimplemento præcepti horarum canonicarum, ac piæ Fundatoris diſpoſitionis, exempto clero ab onere duarum veſperarum.

II. At cum duo fuerint propoſita, videlicet *ſervari poſſe ſolitum & circa veſperas, & circa Miſſam*, reſponſio cur nihil habet de Miſſa, & veſperas unice tangit? Si dicas, hoc ideo; quia cum Miſſa ſequatur officium, translato ut ſupra officio, ſtatim Miſſa eſt itidem conceſſa. Ita quidem, ſed hæc Decreti mens eſſe non poteſt, nam etiam translato ut ſupra officio, hoc ſecum ferebat, & potiori jure Veſperas, quæ ſunt membra ejuſdem officii, & tamen nihilominus quoad Veſperas reſcripſit negative. Quoad Veſperas itaque reſcriptum fuit negative, quia ut ſupra dicebamus, non amplius ſolitum ſervari debebat, ſed per eas Veſperas, quæ erant officii currentis, una legato ſatisfiebat; quoad Miſſam vero negative non cenſuit reſpondendum, tacuitque, quia ſolitum ſervari debet adhuc præfata facta officii translatione, nec per Miſſam conventualem de officio ſatisfieri poterat Legato, ſed hanc ob cauſam ultra conventualem Miſſa alia erat cantanda.

III. Diſputant Doctores, num habens plura beneficia, quorum ſingulis eſt adnexum onus recitandi, unica officii recitatione ſuæ ſatisfaciat obligationi, an vero totidem teneatur officia quotidie dicere? Non deſunt, qui ad plura dictum beneficiarium obligant officia; communis tamen ſententia, quam ab omni dubitate vindicat Eccleſiæ praxis, a pluralitate officiorum eundem liberat, præceptumque ita interpretatur, ut non multiplicet obligationem, ſed ſolum eamdem pluribus titulis reddat debitam, inſtar habentis tres Sacros Ordines, aut cum Sacris Ordinibus beneficium, vel Regulare inſtitutum, quem itidem eximit ab officiorum multiplicitate, licet omnes productæ cauſæ ſint ſufficientes invehere, & de facto invehant obligationem recitationis. Rationes plurimæ producuntur, ſed ad rem quadrat admodum, quæ petitur ex intentione obligantis, quæ non eſt, ut juxta numerum cauſarum, quibus adnexum eſt onus horarum canonicarum, ab uno miniſtro hæ recitentur, ſed ut unus homo ad illas obligatus, ſemel recitet, etiamſi pluribus de cauſis ex ſe ſufficientibus obligetur, abſurdum ſiquidem foret habentem Ordines Sacros, & octo ver. gr. beneficia, ad totidem officia quotidie obligare. Diſſimiliter loquuntur de aliis obligationibus, nempe celebrandi Miſſas, & ſimilibus, quæ magis reſpicere ipſa onera, & eorum multiplicitatem cenſentur per ipſos beneficiatos, vel alios adimplenda, quam unitatem Miniſtri, & talis eſt, ſubdit Garzia *tom.* 1. *de beneſ. part.* 3. intentio obligantis ad ea, cui utique conformatur Eccleſiæ praxis.

IV. Juxta quam intentionem, & praxim legatum præſens expoſuit Sacra Congregatio, deobligans a recitatione duarum veſperarum de eodem Sancto, declaranſque, mediis iiſdem Veſperis, quæ vi translationis feſti factæ ſunt feſtivæ, bene etiam ſatisfactum iri legato. Et quidem Teſtator delegit diem 10. Decembris, quæ poſt feſtum eſt ſolemnior ipſius Sancti, utpote in qua incidit dies octava, ne impediret, ut creditur, feſtum in Eccleſia Patrum Societatis Jeſu ſolemniter celebrari conſuetum; quare ſicuti ſi nullo ad hoc habito reſpectu Veſperas præfatas præſcripſiſſet pro die tertia ejuſdem menſis, in qua ejuſdem officium recurrit, non cenſeretur præſcripſiſſe Veſperas alias ultra currentes, ſed ſolum currentium ſolemnem decantationem, ita loquendum venit ſuppoſita translatione feſti ad diem a Teſtatore aſſignatam legitime facta; veroſimile enim non eſt, quod ſi hunc caſum Teſtator prævidiſſet, binam voluiſſet de eodem Sancto veſperarum decantationem, ſeu recitationem.

V. Quoad Miſſam vero *negative* non reſcripſit, quia ſicuti licet ſecundum beneficium non oneret beneficiarium nova obligatione officii, onerat tamen nova obligatione Miſſarum, ſi quas idem beneficium habet adnexas, & non ſolum obligationem Miſſarum primi beneficii, vel aliunde debitarum novo titulo adauget, ita legatum de Miſſis non cenſetur cadere ſupra Miſſas aliunde debitas, ſed novum onus imponere; quinimmo hæ Miſſæ applicari debent juxta intentionem Fundatoris. Cum itaque Miſſam Conventualem cantandi de officio, eamdemque pro Benefactoribus applicandi ſtricta obligatio quaſcumque præcipuas premat Eccleſias, cui ſatisfieri non poſſe per quaslibet votivas manet ſancitum, per præfatum reſcriptum Congregatio indicare voluit, per hanc ſatisfieri non poſſe legato, ſed adhuc prædicta habita feſti translatione, ultra Conventualem cantandam eſſe Miſſam aliam, & applicandam pro ſatisfactione legati. Quæ quidem Miſſa cum ſit officio conformis, non eſt, ut antea, preſſe votiva, votiva tamen dici poteſt, quatenus ex voto, & devotione Teſtatoris reperitur indicta, & ultra eam, quam officium expoſcit, decantanda, hinc fit *quoad Miſſam ſolitum ſervari debere*, nempe ultra Miſſam officii aliam non minus pro legato cantandam eſſe, & applicandam.

VI. Fortaſſe hoc falleret in Eccleſiis, quæ ad Miſſam Conventualem non manent adſtrictæ, verum licet in his Miſſa officii ſufficiat pro adimplemento legati, nec ultra hanc decantari debeat alia, adhuc ſubſiſtit quodammodo diſpoſitio Decreti juxta expoſitionem productam, quatenus per Miſſam, quæ pro legato cantatur, ſatisfieri non poteſt obligationibus aliis, & quatenus quoad Miſſam adhuc ſolitum ſervari debet, cum nec antea ultra Miſſam legati decantaretur alia. Ceterum nos credimus Decretum procedere de Eccleſiis ad Miſſam Conven-

tualem adſtrictis, dicit namque petitio, quod *poſt ſolutam penſam officii currentis* decantabatur Miſſa legati, nomine autem *penſæ officii currentis* venit etiam Miſſa Conventualis.

VII. Perbellam en itaque Congregationis deciſionem, quæ Oratoris precibus indulget, Oratorem ipſum ultra preces ab onere aliarum veſperarum liberat, Fundatoris mentem ſervat, ſolemnitatem in Eccleſia Patrum Societatis Jeſu fieri conſuetam minime perturbat, publicam aliorum veſperarum a currentibus tollit decantationem, quæ in præcipuis præſertim Eccleſiis minus convenit; & currentium veſperarum decantationem non præpedit, quæ alias ſaltem admodum foret incommoda.

VIII. Hinc generalis fit regula, ut defunctorum legatis, quæ divinum reſpiciunt officium, ſatisfieri poſſit per officium alias debitum, ſecus legatis de Miſſa. Quod nedum eſt verum in caſu propoſito, ſed etiamſi ad diem aſſignatam a Teſtatore feſtum Sancti, de quo eſt legatum, accidentario transferri contingeret, aut pro ea die, cum prius non haberetur, inveheretur in Kalendarium. Limita id tamen, ſi aliter conſtaret de mente Teſtatoris. Nolim hinc tamen generalem inferas regulam aliam, ita ut officium Sancti alicujus, quod v. g. in Kalendario die prima Aprilis recurrit, propria auctoritate transferri, aut immutari queat in diem aliam, quæ a Teſtatore delecta fuiſſet pro eo officio recitando; feſta enim celebranda ſunt eo die, quo cadunt, & nonniſi juxta Rubricas, aut per Sedem Apoſtolicam in alium transferri queunt, ut Decreta cuncta, quæ in hoc capite expoſuimus, diſerte demandant, nec ad effectum præſens Decretum ſuffragari valet, quod cum ſit particulare gratioſum reſcriptum, in exemplum trahi non poteſt juxta regulam 74. in 6. Si tamen præfatum officium perpetuo impedimento in proprio die teneretur, haud admodum refragaremur hanc ex congruis cauſis eſſe alibi recenſitis, ob quam idem officium dici per legatum deſtinato poſſet in perpetuum tradi.

IX. Nonnunquam evenit feſtum aliquod a die, quo recurrebat, abigi, & diei alteri in perpetuum conſignari, ut feſtum S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, quod diu celebratum extitit die 25. Maii, ad diem 27. moderne translatum extitit, & Feſtum S. Joachim a die 20. Martii ad Dominicam poſt Feſtum Aſſumptionis. Si aliquod ex hujuſmodi feſtis a Teſtatoribus olim relictum fuiſſet ſolemniter celebrari, haud ambigimus, quod legatum ſequeretur diem alteram, cui poſtmodum feſtum illud conſignatum veniret. Potior dubitatio eſt, ſi legatum foret de feſto, quod non erat in Kalendario, & poſtmodum in Kalendarium inveheretur, ſed altera die ab ea, quæ per legatum aſſignata fuit. Hoc in caſu certum eſt, feſtum trahi non poſſe ad diem legati propter mutationem quamcumque fieri inhibitam, probabile tamen reputamus legatum trahi poſſe ad diem Kalendarii, taliterque rite præſumi de defunctorum voluntate; & præſertim quia in capite 12. oſtenſum fecimus, de Eccleſiæ mente eſſe, quod etiam loca præcedenter indultaria quoad diem ſequantur Kalendarium Romanum, in quod poſtmodum officia fuere inducta. Quod ſemper limita, niſi aliter conſtet de mente Teſtatoris, aut non innoteſcat particulari de cauſa a Teſtatore diem fuiſſe delectam, puta quia ea die ipſe Sancti illius interceſſione beneficium aliquod aſſecutus fuerit &c. Quæ particularis cauſa cum indubitanter intereeſſerit, quando Fundator aſſignavit diem alteram feſto, quod jam erat in Kalendario, certum redditur, quod ad diem Kalendarii feſtum trahi non valet, niſi forte deſierit ratio a Teſtatore inſpecta, ut in caſu Decreti, ſi die tertia feſtum S. Franciſci penitus deſineret ſolemniter celebrari in Eccleſia Patrum Societatis Jeſu, quæ ſolemnitas ne impediretur, dies altera a Teſtatore creditur delecta.

X. Ex eo, quod Sacra Congregatio reſcripſerit *negative* quoad veſperas, ſcilicet ſervari non poſſe ſolitum, ſeu poſt penſam officii currentis decantari publice veſperas votivas, fortaſſe quis inferet, ad ſatisfaciendum Defunctorum legatis publice decantari non poſſe officium votivum de Sancto aliquo; at aperte fallitur, Sanctis quippe canonizatis omnes cultus ſpecies exhiberi queunt, quas inter profecto etiam eſt publica officii recitatio, unde & Sacra Congregatio definiſſe dicitur ſub die 29. Novemb. 1603., occurrente aliqua ſolemnitate poſſe de ea cantari veſperas, recitatis tamen privatim veſperis currentibus pro adimplemento præcepti. Si autem ob ſolemnitatem aliquam, cur non etiam pro adimplenda Teſtatorum mente, ob quam communiter Defunctorum officium videmus decantari? Quoad officium tamen Sanctorum id intelligendum putamus cum exceptione feſtorum anni ſolemniorum, in quibus publica pſalmodia Eccleſiæ univerſali conformis habenda videtur, niſi decantatio illa haberetur jam decantatis veſperis currentibus.

DECRETUM IX. CAPITIS, IN ORDINE CCCXLIX.

An Feſtum Nominis B. M. V. in Diœceſibus Imperatori ſubjectis ſit duplex majus, prout in Breviario ponitur, an vero duplex 2. claſſis ob indulgentias plenarias ab Innocentio XIII. conceſſas anno 1722., prout in Diœceſi Viennenſi? & reſponſum fuit affirmative ad primam partem, negative ad ſecundam. Ita S. R. C. 13. Junii 1736. *in Burgen.*, & idem omnino confirmavit die 16. Febr. 1737. *in Mechlinen. ad 5. dubium*, ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 319.

I. INnocentius XIII. die 17. Julii 1722. benigne indulſit omnibus Chriſtifidelibus vere pœnitentibus & confeſſis, ac ſacra communione refectis, qui Miſſæ ſolemni in feſtivitatibus SS. Nominis Jeſu, aut Mariæ in Eccleſiis intra ſtatus hæreditarios Caroli VI. Imperatoris conſiſtentibus, quotannis celebrandæ interfuerint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, & Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem, quam etiam fidelium defunctorum animabus per modum ſuffragari applicari poſſe conceſſit. Hinc factum eſt dubium, num feſtum SS. Nominis B. Mariæ in præfatis ſtatibus ſub ritu duplici majori, prout ſignatur in Kalendario Romano, an autem duplici 2. claſſis, prout obſervatur in Diœceſi Viennenſi, celebrandum foret.

II. Quod ad dubium cum Congregatio reſponderit *affirmative quoad primam partem, negative quoad ſecundam*, videlicet ſub ritu duplici duntaxat majori eſſe celebrandum, prout ſignatur in Breviario, quod eſt nota ritus cuilibet officio univerſaliter conceſſi; conſequenter nos inſtruit, indulgentias non alterare ritum feſti, pro quo ſunt conceſſæ, ut nos ſemel diximus in hoc capite, & non obſcure indicat dictio illa *ſub quovis prætextu*, quam habet Decretum primum capitis. Altior vero ritus, qui in Diœceſi Viennenſi ſervatur, eidem non innititur indulgentiæ, ſed particulari indulto, quod conſequenter non ſuffragatur. Conceſſum namque fuit hoc feſtum Eccleſiæ univerſali in perenne monumentum inſignis victoriæ ſub Deiparæ præſidio de Turcis Viennæ in Auſtria reportatæ, & ejuſdem Civitatis ab arctiſſima obſidione ſolutæ; quare decens utique erat, quod tale feſtum in Diœceſi Viennenſi ſpecialiori ritu celebrari concederetur.

DECRETUM X. CAPITIS, IN ORDINE CCCL.

Quæſitum fuit, an in Diœceſibus, in quibus in Dominicis Septuageſimæ, Sexageſimæ, vel Quinquageſimæ fit officium B. M. V. illis Dominicis occurrentis, debeant, vel poſſint Patres Cappuccini iis diebus recitare idem officium cum ſola commemoratione, & nona lectione Dominicæ in gratiam Populorum ad ſuas Eccleſias accedentium? Et reſponſum fuit negative. S. R. C. 14. Febr. 1705. *in una Ord. Cappuccinor. Galliæ*, ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 230.

I. GAlliarum Diœceſes plurimæ, ut Rothomagenſis, Pariſienſis, Aurelianenſis, &c. in uſum habent de feſto Purificationis agere etiam in occurſu Dominicarum 2. claſſis. Id fieri Romanæ non patiuntur Rubricæ, quibus cum teneantur Patres Cappuccini; etiam in iis Orbis plagis degentes, quærunt, an nihilominus loci uſui ſe ſe conformare debeant, aut valeant in gratiam Populorum ad ſuas Eccleſias accedentium? & videbatur, quod ſic. 1. quia in gratiam Populorum accedentium ad Regularium Eccleſias, Miſſam, & officium de Patronis locorum audire deſiderantium, ad horum feſtum, & officium Regulares adſtringit Gavantus *ſect. 3. cap. 12. n. 5.*, quem nos ipſi ſecuti fuimus. 2. Nam ex Concilio Agathenſi *cap. 20. de divino officio*, & refertur cap. *convenit de conſect. diſt.* 5. debent membra corpori conformari, *& convenit ordinem Eccleſiæ ab omnibus æqualiter cuſtodiri*; quod & habet Gloſſa ad cap. *Quæ contra mores, verb. peregrini diſt.* 8. unde axioma illud: *cum fueris Romæ, Romano vivito more, ſi fueris alibi, vivito ſicut ibi.* 3. Ex cap. *De iis*, & cap. *Placuit diſt.* 12. in eadem Diœceſi, Metropoli &c. idem pſallendi ordo ſervari debet, & contrarium facientes ſex menſibus communione privantur. 4. A Tridentino *ſeſſ. 25. cap.* 12. cauſa uniformitatis obligantur Regulares ad obſervantiam feſtorum de præcepto in Diœceſi, quam incolunt, quidni itaque & ad officium? 5. Quoniam ex Decreto 4. cap. 13. adſtringuntur Regulares ad officium feſtorum, quæ ſunt de præcepto in Diœceſi. 6. Breviarium Romanum ipſum laudat particulares Eccleſiarum uſus celebrandi diverſa die unum, idemque feſtum, ut liquet in caſu feſti S. Bartholomæi. 7. Cæremoniale Monaſticum *lib. 4. cap.* 16. in ſuis Monaſteriis ſequendam indicit Diœceſum conſuetudinem celebrandi Annunciationis feſtum intra majorem hebdomadam; quod & præſtat Breviarium Caſalis Benedicti *de feſto ſummo* infra octavas Paſchæ, & Pentecoſtes occurrente.

II. Verum ut bene advertit Guyetus *lib. 4. cap. 9. q. 4.*, licet hæc farta tecta eſſe poſſint jure Breviarii proprii, illis nimirum, qui eo utuntur, non tamen Romano adſtrictis, a quibus ſtandum eſt ejuſdem legibus, & Romanis Decretis. Vide propterea Rubricas *de Transl. n.* 1., *de Comm. n.* 3., *de Dominicis n.* 1., & quæ in Miſſali habetur in eodem ipſo feſto, necnon quæ præfixa eſt Tabellæ Dominicarum 2. claſſis. Vide Tabellam occurr., Cæremoniale Epiſc. *lib. 2. cap.* 16., Gavantum *par. 4. tit. 14. num.* 3., alioſque Auctores omnes de Sacris tractantes ritibus. Recole Decreta, quæ in Indice dantur ſub n. 37. 114. 286. &c., & tu poſtea judicium facito, num a Romano agi queat Purificationis feſtum in occurſu prædictarum Dominicarum.

III. Tot igitur cum ſtent Rubricarum, & Decretorum leges, quis unquam crederet, utentes Breviario Romano ſequi poſſe, ac debere Eccleſiarum particularium conſuetudines, quæ dum eos particulari conformant loco; ab univerſali difformant Eccleſia, eoſdemque propriarum legum, ut alienas ſequantur, fractores incuſant, ac in proprio ritu ab aliis monſtruoſos reddunt? Verba illa Bullæ Pianæ, *Ad dicendum poſthac in perpetuum horas ipſas diurnas, & nocturnas ex hujus Romani Breviarii præſcripto, & ratione omnino teneri*, utique ligant quoſcumque Romano ritui addictos, in quocumque loco conſiſtentes, quare ſicuti prædictis Patribus Cappuccinis, ut loco ſe conforment, integrum non eſt *rationi*, ſeu Breviario loci proprio adhærere, ita nec ejuſdem *præſcripto*, ſive Rubricis, aut legibus, ſed a Romanis ſe diſpenſare non poſſunt. Si enim unum, aut aliud

Digitized by Google

aliud ex uſu loci liceret aſſumi, quidni & quodlibet aliud? Adeoque Breviarii Romani ordo, dum ſic in multis, & præcipuis pro nutu infringitur, deſeri magis, aut confundi dicendus foret.

IV. Primum, quod ſuperius objicietur, fortaſſe procedit relate ad eos ejuſdem ritus, ſecus diverſi; hi enim cum ſciantur in ritu a cetera diſcrepare Eccleſia, Populus non offenditur, ſi quando Miſſam, & officium in eorumdem Eccleſiis non audit de feſto in aliis Eccleſiis celebrato. Paſſim hoc evenit Mediolani, ubi Clerus Sæcularis ritum Ambroſianum ſequitur, Regularis Romanum, nec tamen Populus offendiculum ullum accipit, dum diverſitatem officiorum, feſtorum de præcepto, & jejuniorum in prædictis Eccleſiis inſpicit haberi; probe enim ſcit, unumquemque proprias ſervare leges. Ceterum hoc argumentum quam futile ſit ſatis evincitur ex diverſitate officiorum, quæ perſæpe in Eccleſiis ejuſdem Civitatis, ejuſdemque ritus obſervatur. Nos vero cum Gavanto argumento præfato uſi fuimus, non ad debitum neceſſitatis, ſed congruentiæ, quod fortaſſe nec procedit de iis, qui aliis tenentur legibus, quoties hæ aliter ferunt.

V. Secundum pro Eccleſiis ejuſdem ritus quandoque procedit, nec tamen in omnibus, cum perſpectum ſit, in divino officio ſemper non poſſe concordare. Ceterum Eccleſiæ Romani ritus quoad hoc formalia membra ſunt Eccleſiæ Romanæ, cum qua propterea ſe debent conformare, etſi intra limites alicujus Diœceſis materialiter exiſtant.

VI. Tertium eumdem præcipit pſallendi ordinem, ſed relate ad eos, qui legitime non habent alium, ſolumque mulctantur, qui arbitratu ſuo ab ordine Diœceſis recedunt; quinimmo inhibitio ſiſtit in diverſa Breviarii formula, non in officiorum diverſitate, quæ in Eccleſiis ejuſdem etiam ritus, & Diœceſis indiſpenſabiliter nonnumquam habetur. Ad caſum itaque non facit, & eſt contra ſuppoſitum, cum ſupponantur in eadem Diœceſi Eccleſiæ, quæ in officii formula legitime diſſideant, & officiis.

VII. Ad 4. dicito bene Regulares obligatos iri ad obſervantiam feſtorum de præcepto, ne aliis ſint ſcandalo, dum publicam obſervantiam lædunt; nullum autem ſcandalum ex diverſitate officiorum obvenit Populo, qui vel eamdem non novit, aut paſſim inſpicit haberi. Ceterum jam ſuperius diximus, neque in feſtis de præcepto in eadem Diœceſi uniformitatem teneri quoad diem apud Eccleſias diverſi ritus, unde Mediolani Clerus Ambroſianus feſtum S. Mathiæ ante Quadrageſimam ſemper celebrat, Romanus vero die 24. aut 25. Februarii cum Eccleſia Romana.

VIII. Ad 5. teneri ad feſtum, & ad officium, ſed juxta ſuas reſpectivas leges, & Rubricas, unde ſubdit Decretum, *Niſi apud ipſos occurrat eadem die aliud feſtum, quod eſt ejuſdem claſſis, ritus, & majoris dignitatis.*

IX. Ad 6. approbari conſuetudines locorum, quæ feſtum aliquod celebrant una potius die, quam altera, non autem, quæ celebrant illud iis diebus, in quibus juxta reſpectivas Rubricas fieri non valet, uti eveniret in caſu noſtro, & non evenit in illo S. Bartholomæi.

X. Ad 7. Nos non morari Cœremoniale Monaſticum, & Breviarium Caſalis Benedicti, utpote qui nitimur tot Rubricis, Statutis, atque Decretis.

XI. Barboſa *in Collect. verb. feſta propria n. 24.* refert Decretum quoddam S. R. C. 25. Janu. 1603., & eſt: *Feſtum Purificationis B. Mariæ, ſi venerit in Dominica Sexageſimæ, celebrandum eſt cum commemoratione Dominicæ.* Verum Meratus *par. 4. tit. 14. n. 19.* rite illud exponit pro locis, ubi Purificationis feſtum eſt primæ claſſis, ſeu Titulare.

XII. In medium nunc prodeat Decretum aliud, & ſit 11. capitis, in ord. 351., per quod nonnulla petita, & declarata ſunt ſpectantia ad uniformitatem, de qua ſuperius egimus. Eſt autem: *Quæſitum fuit, an tranſlato officio Annunciationis B.M.V., de quo poteſt fieri die 5. Aprilis, omiſſo officio ad libitum S. Vincentii Ferrerii hac die occurrentis, ſatius ſit celebrare officium Annunciationis vel hac die, vel die ſequenti, ut non omittatur officium S. Vincentii? Et ſi hoc ultimum ſatius judicetur, an in Diœceſibus, in quibus celebratur 5. die Aprilis officium translatum Annunciationis B.V. cum feriatione diei, in qua transfertur, ſatius ſit PP. Cappuccinis illud celebrare hac die, omiſſo officio ad libitum S. Vincentii Ferrerii in gratiam Populorum, qui ad ſuas Eccleſias accedunt, audituri Miſſam, & officium de myſterio Annunciationis? Et inde etiam, an tranſlato officio Annunciationis juxta Romanas Rubricas in 4. diem Aprilis, debeant tamen, vel poſſint illud differre in ſequentem diem 5. Aprilis in Diœceſibus, in quibus tunc transfertur in hanc diem ob feſtum S. Ambroſii, quod celebratur 4. Aprilis propria ipſius obitus die? Et reſponſum fuit, quod quando transfertur ſolum officium, & non ſolemnitas, tunc poteſt fieri de Sancto ad libitum occurrente. S. R. C. 14. Febr. 1705.* in una Ord. Cappuccin. Galliæ, *ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 229.*

XIII. Petitio ſupponit plurima, & primo Feſtum S. Vincentii Ferrerii eſſe ad libitum cleri, ut revera conceſſum fuit a Clemente IX. die 10. Martii 1668., atque permanſit uſque ad diem 6. Maii 1706., in quo a Clemente XI. redditum fuit ſemiduplex de præcepto, a Benedicto XIII. die 5. Aprilis 1726. ad ritum duplicem minorem poſtea evectum. 2. quod ubi uſu Romano feſtum S. Ambroſii colitur die 7. Decembris, Guyeto teſte *lib. 2. cap. 2. q. 3.* in pleriſque Galliæ Eccleſiis celebratur die 4. Aprilis, quæ in Kalendario Romano libera ſemper extitit uſque ad conceſſionem officii S. Iſidori, quæ die 25. Aprilis

1722. facta fuit. 3. nos monet Guyetus *lib. 2. cap. 18. qu. 11.*, plurimæ Galliarum Eccleſiæ ad tranſlationem officii SS. Annunciationis etiam feriationem transferunt, unaque cum officio excolunt. Eccleſia vero Romana feriationem dumtaxat transfert, dum incidit in feriam VI., vel Sabbatum majoris hebdomadæ, & tunc eamdem una cum officio tamquam in ſedem propriam, & fixam immutat in feriam ſecundam poſt Dominicam in Albis, quæ ſolum contingere poteſt in die tertia, aut quarta Aprilis, in ceteris incidentiis dumtaxat transfert officium, & ad primam diem non impeditam.

XIV. His præmiſſis eſt dignum, quod advertatur, nempe quod etſi plures fuerint petitiones exhibitæ, unica eſt Congregationis reſponſio. *Quando transfertur ſolum officium, & non ſolemnitas, tunc poteſt fieri de ſancto ad libitum occurrente.* Feriatio venit *ſolemnitatis* nomine, hinc cum juxta ritum Romanum ad diem 5. Aprilis numquam Annunciatio quoad feriationem transferri valeat, dubium non eſt, quod fieri poteſt de ſancto ad libitum occurrente cum protractione Annunciationis ad aliam diem. Nihil autem habet reſponſio de dictione *ſatius*, quia cum officia ad libitum ſint commiſſa recitantium arbitrio, id ſatius erit, quod ſatius Clerus adjudicabit. Nunc quidem diſpoſitio non amplius procedit pro caſu officii S. Vincentii, quod de præcepto redditum fuit, at adhuc nos edocet, quid in ſimilibus uſitari queat.

XV. Facile hinc erui poteſt, quod cum in caſu ſecundi dubii ſimul transferatur ad diem 5. Aprilis tamquam in ſedem propriam officium, & ſolemnitas, locum amplius non habet officium ad libitum, quod ex ſua natura deperditur, dum incidit in feſtum de præcepto, & quando etiam ad diem illam tamquam in propriam diem non transferetur, ſatius fortaſſe foret per omiſſionem officii ad libitum, quod liberæ eſt recitationis, uſui Eccleſiæ ſeſe conformare. An autem id fieri neceſſe ſit, diſtinguendum venit; vel enim Diœceſis eſt itidem Romani ritus, & aſſertam peragit tranſlationem ex particulari Indulto, aut legitima conſuetudine, & nunc quæcumque Eccleſiæ Romani ritus ejuſdem Diœceſis, licet Regulares, & exemptæ, ad officium, & feriationem pro eo die adſtringuntur juxta dicta in Decr. 4. Cap. 13.; ſi autem tranſlatio illegitime fieret, quis eaſdem, ſaltem ubi ſcandalum abſit, ad eam ſequendam obligaret? vel Diœceſis alteri a Romano ritu eſt mancipata, & eam tranſlationem peragit proprii jure Breviarii, & in hoc caſu Diœceſis ſequatur leges proprii Breviarii, quæ ab omni cenſuræ ictu queunt eſſe immunes, & Eccleſiæ Romani ritus Romanas Rubricas, atque Decreta, a quorum ſtatuto non poſſunt deflectere.

XVI. Ad tertium progredientes quæſitum dicimus, quod ſi una cum officio Annunciationis juxta Romanas leges in diem 4. Aprilis etiam feriatio transferenda ſit, ob ejuſdem incidentiam in feriam VI. Paraſceves, dubium non eſt, quod illico quodcumque, quod non ſit altioris ritus, ab ea die feſtum abigitur, nec integrum eſt occurrenti feſto parcere, & officium Annunciationis in diem ſequentem rejicere. Si vero incidit in Sabbatum Sanctum, parem repoſitionem habet in die tertia Aprilis, niſi feſtum altioris ritus occurreret, quo in caſu, uti & quando incidit infra octavam Paſchæ, quoad ſolum officium transfertur in primam ſimpliciter diem non impeditam; unde nunc utile non habet ſpatium in die 4. Aprilis, quæ per feſtum S. Iſidori eſt impedita. An vero in propoſito caſu feſtum S. Ambroſii diem illam impediat? Nequaquam; petitio enim ſupponit in uſu Diœceſis, ſed non proprio die 4. Aprilis celebratum iri, & ſolum ad inquirendum ſe facit, an Annunciationem in ſequentem diem transferre queant, aut debeant uniformitatis gratia; dubium autem non eſt, quod quiſque proprias leges, & uſum debet attendere, non alienum, cum quo ſe conforment, qui eiſdem tenentur legibus. Quod ſi Diœceſis Romano item ritui foret addicta, & ex legitima conſuetudine die 4. Aprilis feſtum S. Ambroſii excoleret, haud ambigo, quod etiam Patres Cappuccini ſe Diœceſi conformare poſſent. Breviario ipſo Romano approbante hujuſmodi conſuetudines, quæ altera die feſtum aliquod excolunt, ut dicebamus in præcedenti Decreto. Tertio autem huic quæſito reapſe directe Congregatio non reſpondit, quia extra chorum petitionem exiſtimavit.

DECRETUM XII. CAP., IN ORDINE CCCLII.

Non licet aliquid ex devotione, ſeu ex auctoritate privata miſcere, mutare, vel apponere inter ea, quæ integrant officia cujuſvis diei, quia in officiis Sanctorum nihil eſt addendum, vel immutandum, niſi a S. Sede Apoſtolica conceſſum fuerit. S. R. C. 10. Junii 1690. *in una Ord. S. Benedicti*, ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 163.

I. CUltum, qui Deo, & Sanctis ejus in publicis precibus præter Eccleſiæ inſtitutionem tribuitur, non honorativum, ſed ſuperfluum dicunt Mart. de Aries *in tract. de ſuperſt. §. Hunc, n. 3.*, & Caſtr. Pal. *part. 2. diſput. 1. punct. 1.* Et licet in divino cultu nil poſſit eſſe ſuperfluum ſecundum abſolutam quantitatem, cum nihil a nobis fieri valeat majus eo, quod Deo debetur, tamen totum id, quod fit contra, ultra, aut præter Rubricas Breviarii, prout ad divinum officium ſpectat, reputatur ſuperfluum, ac vanum, ut obſervat D. Thomas 2. 2. *qu. 93. art. 2.* & Sylv. *in Summa v. Superſtitio n. 2.*

II. Hinc cum ex Rubricis Breviarii præſcriptum adſit, ex quibus componi debeat divinum officium, & qualiter ſit ordinandum, & Pius V., ut orandi varietatem tolleret, ediderit Bullam illam de Breviario Romano, in qua *Breviarium ipſum*

Digitized by Google

nullo unquam tempore, vel totum, vel ex parte mutandum, vel ei aliquid addendum, vel omnino detrahendum eſſe, diſtricte mandavit, dubium eſſe non poteſt, *non licere aliquid ex devotione, ſeu auctoritate privata miſcere, mutare, vel apponere inter ea, quæ integrant officia cujuſvis diei*: cum enim officium divinum tamquam oratio publica, communi totius Eccleſiæ nomine ad Deum fuſa, legibus a ſummo totius Eccleſiæ capite ſit inligata, alienam ille invaderet juriſdictionem, qui ut ſuæ, vel aliorum conſuleret devotioni, propria auctoritate aliquod hujuſmodi attentaret.

III. Neque igitur ad Benefactorum inſtantiam, Teſtatorum diſpoſitionem, vel cujuſcumque devotionem addere licet commemorationem alicujus Sancti, de quo ipſa die non fit officium, vel quodcumque aliud, licet minimum. Si enim particularibus affectibus indulgendum foret, antiquus cultus tandem evaneſceret, & cum ſint varia hominum ſtudia, in divinorum officiorum ratione conſurgeret perturbatio plurima, ac orandi varietas, quam ut tollerent, tantopere adlaborarunt Pontifices Summi. Quod nec fieri publica de cauſa, aut urgentem ob neceſſitatem licitum eſſe a fortiori te inſtruent facile, quæ dedimus in Decreto hujus capitis ſexto ſuper inhibita tempore peſtis invocatione Patronorum intra Litanias.

IV. Supereſt inquirere, an, & quale ſit peccatum? Et ſi additio ſit notabilis, peccati lethalis eamdem communiter damnant, venialis vero, ſi parva, aut minima, quam adhuc plurimi gravis culpæ ream faciunt, ſi fieret modo permanente, & veluti ritu perpetuo. Qua de re conſuli queunt Bonart. *de hor. can. lib. 2. cap.* 24. *num.* 18., Trullench. *in Decal. lib.* 1. *cap. 7. dub. 4. n.* 15., Filliuc. *tract.* 23. *cap. 6. qu.* 11. *n.* 214., *&* *cap.* 13. *num.* 217. Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 4. de hor. can. cap.* 13. *n.* 25., Bonan. *de hor. can. diſp.* 1. *q.* 3. *pun.* 1. *nu.* 21., Gavantus *ſect.* 2. *cap.* 2. *n.* 21., Guyetus *lib.* 3. *cap.* 21. *qu.* 1., & Euſtachius a S. Ubaldo *de Dei benedict. obſerv.* 5. *ſect.* 2. *n.* 131. *&c.* Nos tamen advertentes, quod additiones minimæ, etſi quotidie fierent, adhuc cum ſpectent ad diverſa officia ſuis diebus affixa, non coaleſcunt in unum, nec conſtant materiam gravem, nec eaſdem gravis culpæ incuſare valemus.

V. Quod ſi id, quod additur, vel miſcetur, non addatur tanquam ad illud pertinens formaliter, & per modum partis, ſed concomitanter, & quaſi adjacenter ad majorem ſolemnitatem, ut cum aliquid in feſtis inter pſalmum, & pſalmum canitur ad organum, vel aliquod inſtrumentum muſicum, ſive id ſit aliunde ſumptum ex Breviario, ſive ex Scriptura, ſive ab aliquo erudite compoſitum, adhuc in lingua vulgari, quod *Motetum* vulgo vocatur, damnandum non eſt, cum communiter ab Auctoribus admittatur, & probetur ab Eccleſiarum conſuetudine, etiam in ipſa urbe Romæ. Limita, ſi res, quæ additur, ſit laſciva, vel omnino profana, quo in caſu ob magnam irreverentiam ſemper intervenit peccatum mortale. Cantus item laſcivus, & profanus a cap. *Cantantes* 92. expreſſe vetitus eſt, *Ne audientes ad laſciviam potius, quam ad devotionem excitentur, quod eſt contra finem orationis.*

VI. Majori culpa, quam additionem, bene notat Suarez, mutationem, ut ſi loco lectionum præſcriptarum aliæ ſubſtituantur proprio arbitrio; tunc enim ex duplici capite peccaretur, quia illa eſſet partialis omiſſio, ſeu mutilatio, & ſimul eſſet monſtruoſa additio, quia quod loco alterius additur, non poteſt eſſe pars officii, cum ex auctoritate non fiat, & compoſitio officii pendeat ex inſtitutione, & inſtitutio ex poteſtate, quare quod additur, ſupplere non poteſt partem omiſſam. Unde qui mutat, peccat, & quia propria auctoritate mutationem attentat, & quia non ſatisfacit præcepto recitandi, ſaltem quoties fieret mutatio notabilis; ubi qui addit, & nihil omittit, ſolum peccat ratione additionis, præcepto tamen ſatisfacit, quia nihil omittit ex iis, quæ dici ſunt demandata. Ad rem admodum faciunt, quæ dedimus ſuperius in Decr. 6., ubi vidimus ad implendum præceptum nedum officium de tali Sancto eſſe demandatum, ſed ulterius exigi, quod tales pſalmi, lectiones, antiphonæ &c. recitentur.

VII. Quoniam tamen, quod ſubrogatur, & poteſt eſſe ſumptum ex Breviario, puta ſi legantur lectiones ex communi, cum propriæ habeantur, vel aliunde, ut ſi dicerentur hymni, vel antiphonæ ab aliquibus compoſitæ, diſtinguendum venit, ut hæc poſterior ſubrogatio de facili involvat duplex peccatum mortale, ut dicebamus, niſi foret in re minima, quo adhuc in caſu duplici veniali culpa non careret, & quia ſcilicet mutationem inveheret propria auctoritate, & quia omitteret partem aliquam officii, pro qua ſupplere non poteſt ſubrogata. Prior vero ſubrogatio, cum ſit ſubrogatio rerum jam approbatarum, ſi in maxima non fiat quantitate, aut ex contemptu, gravi culpa communiter non notatur; quinimmo per quamlibet juſtam cauſam ab omni culpa cenſetur abſolvi, ut ſi quis non habens lectiones proprias, legeret illas de communi. Nos tamen advertentes, ut in Decret. 6., quod in officiorum indultis tales lectiones, & pſalmi &c. in individuo dici demandantur, non adeo liberales eſſe poſſumus, licet in hoc caſu non adeo ſcrupuloſe procedendum eſſe putemus.

VIII. Additio denique, mixtio, & appoſitio ſolum fieri inhibitæ ſunt intra aliquam horam canonicam, non autem hac finita, vel nondum inchoata; quare ſi dicta v. g. Prima, quis recitaret Litanias, aut officium Defunctorum, & poſtea diceret Tertiam, non cenſeretur aliquid miſcere, addere, vel apponere divino officio, ut cenſuit Sacra Congregatio 12. Januarii 1660. apud Nicolium *in Floſc. v. officium divinum nu.* 3. per hæc verba: *Moniales finito officio non prohibentur recitare aliquem pſalmum, orationem, vel collectam, quia hoc non eſt officio addere.* Sic laudabiliter S. Franciſcus Xaverius ſingulis horis præmittebat hymnum *Veni Creator*, & multæ ex Religionibus finita Prima nonnullas preces dicunt pro Defunctis Ordinis, nec id fieri refragantur Rubricæ, ſed aperte permittunt, ut videre eſt in Rubrica 36., & in hujus expoſitione nos diximus in Decr. ultimo cap. 40.

IX. Ex dictis alibi Hora Prima dicto *Benedicamus Domino* terminatur, & ea, quæ ſequuntur, non ſunt, niſi appendix quædam, unde ſicuti Eccleſia quotidie interſerit lectionem Martyrologii, & Primam B. Mariæ, quando hæc eſt dicenda, ita & interponi poſſe videtur quodlibet aliud, licet id fieri non collaudemus, eo quod nunc quæ ſubduntur, Primam veluti integrare, aut ejuſdem additionalem partem eſſe cenſentur. A fortiori idipſum procedit de nocturnis, cum nunc obſoleverit conſuetudo illos inter ſe, vel a laudibus ſeparandi, & una cum laudibus communiter putentur unam Horam facere, licet ſi ſeparentur, haud dubitemus, & patens ſit, uti cetera opera, ita preces quaslibet ſubdi poſſe. Antiphonæ finales Beatæ Mariæ etſi pars officii non ſint, inter eas, & officium nihil, volo, interponas, ſunt namque ex præcepto dicendæ, adeoque ſont veluti officii pars, ſecus eſt de orationibus *Aperi*, & *Sacroſancta*.

DECRETUM XIII. CAP. IN ORDINE CCCLIII.

Inſtante Fratre Bartholomæo de Camerino Ordinis Cappuccinorum pro declaratione, an in verſiculo conſueto de Beata Virgine, *Benedicta Tu in mulieribus*, cum reſponſorio, *& benedictus fructus ventri tui*, liceat addere *Jeſus*, & dicere, *& benedictus fructus ventris tui Jeſus*? S. R. C. non licere quidquam addere cenſuit. Die 20. Junii 1654. ex Benedicto Papa XIV. de Canoniz. lib. 4. part. 2. cap. 19. n. 4.

I. ADditionem quamlibet, vel minimam, & ex alias approbatis dignoſce inhibitam, dum vox *Jeſus* prædicto verſiculo, cui tamen additur in ſalutatione Angelica etiam intra ipſum officium, addi vetatur. Prima pars ejuſdem verſiculi, *Benedicta tu in mulieribus*, deprompta fuit ex ſalutatione, quam Angelus *Luc.* 1. fecit Mariæ, ſecunda vero, nempe *& benedictus fructus ventri tui*, ex exclamatione, quæ *Luc.* 2. eidem Deiparæ jam prægnanti facta legitur ab Eliſabeth repleta Spiritu Sancto. Abſtinuit autem Eccleſia ab additione *Jeſus*, quia contenta fuit, Scripturæ verba referre; in ſalutatione vero Angelica, ſicuti plurima alia debebant addi, quæ in ſacris non reperiuntur litteris, ita nomen ejuſdem fructus merito expreſſum fuit.

DECRETUM XIV. CAP., IN ORDINE CCCLIV.

In officio votivo Immaculatæ Conceptionis, in Antiphona, quæ dicit, *Poſt partum virgo inviolata permanſiſti*, dici non poteſt *Immaculata*. S. R. C. 23. Junii 1736. *in Einſidlen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 334.

I. UTI in præcedenti Decreto additionem minimam, ita in præſenti variationem ſimilem inhiberi videmus; quam ſuper rem ſi attendatur ſuperius tradita, illico elucet deciſionis ratio, nec ad hanc indagandam opus eſt ad aliena divertere. Quæritantibus vox *Immaculata* officio, quod agitur, magis videbatur conſona, & fortaſſe quis facile credet, a Congregatione non fuiſſe approbatam, quod etſi in ſententiam præſervantem Deiparam a contractione originalis culpæ, propendat admodum, hanc ſuper rem nondum favorabile ſuum judicium protulit; quæ fortaſſe fuit cauſa, ob quam in præfato officio nil immixtum voluit, quod præſervationem præfatam indicaret. Utique hujuſce abſtinentiæ, quæ nunc dicebatur, potuit eſſe cauſa, ſed non præſentis reſolutionis; nunc enim agebatur de ponenda voce *Immaculata* in verſiculo *Poſt Partum*, qui denotat ſtatum Deiparæ poſt Chriſti partum, in quo locus cum non amplius pateat contractioni peccati originalis, haud video, quomodo vox *Immaculata* ibidem poſita, accipi unquam poſſet pro prædicta præſervatione, aut officio cenſeri magis congrua, niſi apud inſcios, & imperitos, eoſve, qui in puro nomine vim faciunt.

II. Impius Helvidius virginitatis maximus oſor, perpetuam Deiparæ negavit virginitatem, eoſque, quos fratres Domini Evangelium nominat, filios Mariæ fecit, quam poſt Jeſus partum cum Joſeph viro ſuo concubuiſſe blaſphemavit. Noſtri nunc non eſt inſtituti perditum refellere Helvidium, contra quem Sancti Patres Deiparæ perpetuam virginitatem invicte propugnarunt, ſed contenti ſumus advertere, quod ad deſignandam contra eumdem Helvidium virginitatem, quam etiam poſt partum Maria illibatam ſervavit, in divinis officiis, quæ de illa inſtituuntur, Antiphona, *Poſt partum virgo inviolata permanſiſti*, invecta fuit, non putamus autem, ſaltem ita appoſite, id ſignatum iri, ſi loco *Inviolata* vox *Immaculata* in præfatam Antiphonam induceretur; quare quoties deciſionis alia petenda foret ratio, nec ambigimus hanc poſſe eſſe potiſſimam.

CA-

CAPUT XLII.

De Officiorum approbatione.

I. DIvus Bernardus rogatus ab Abbate Guidone officium in feſtivitate S. Victoris conſcribere, *Sane*, inquit epiſt. 312., *altitudo negotii non amicum deſiderat, ſed eruditum, ſed dignum, cujus authoritas potior, vita ſanctior, ſtylus maturior, & opus illuſtret, & conſonet ſanctitati. Quantulus ego in populo Chriſtiano, cujus litteræ in Eccleſiis lectitentur? In ſolemnitate celebri non novella audiri decet, vel levia, ſed authentica, & antiqua, quæ & Eccleſiam ædificent, & Eccleſiaſticam redoleant gravitatem*. Hæc utique deſignant dignitatem, gravitatem, & ſanctitatem eorum, quorum lectio in divino officio permitti poteſt; plurima enim ſunt, quæ in divino officio ſunt vitanda.

II. Et primo falſa, cujuſmodi ſunt, quæcumque orthodoxæ fidei contraria ſunt, aut non ſatis cum Eccleſiæ dogmatibus cohærentia, aut a probatis hiſtoriis, vel ab omni Chronologia ſunt aliena. 2. Incerta, ac falſi ſuſpicione laborantia, qualia ſunt peregrina quædam, ac portentoſa, quæ nec pie, nec commode credi poſſunt, quorum multa collegit, digeſſit, notiſque illuſtravit Bollandus *cap. 3. præfat. gener. in vitae Sanctor.* His addi debent, quæ ab Auctoribus dubiis, & incertis petuntur. 3. Ludrica, & inania, nullumque apta pietatis ſenſum animis pſallentium injicere, ut quod in officio antiquo S. Corentini legebatur: *Gaudent ergo Monachi, & Sanctum plus ſolito venerantur, qui vinum illis ſervavit*. 4. Latini ſermonis impuritas; etſi enim cultior ſtyli, verborumque apparatus in divino officio minus probetur, eam tamen ut minimum adhiberi ſermonis elegantiam par eſt, a qua, ut ait Urbanus VIII. in ſua recognitionis Bulla, abſit omne id, *quod pſallentium animos avocare alia, ac diſtrahere poſſit*. Hac officiorum labe laborabant antiquæ Legendæ plurimæ, & præcipue officia particularia, quæ ſolœciſmis, barbariſmis, aliiſque mendis ſcatebant, ſive quæ ſtylo ſcripta erant humili nimis, ac depreſſo, qui vel pueris rudimenta addiſcentibus ſtomachum moveret, ſive quæ verſibus conſtabant corruptis, ac plane ruſticis, cujuſmodi adhuc extant aliqua. 5. Partium officii improportio, aut ſui non appoſitio loco; ut enim monſtrum efficit in corpore humano quælibet ejus pars aut exuberans, aut mutila, aut ſuo non bene aptata loco, ſic ſi quid ejuſmodi in officii partibus delinquatur, puta ſi lectiones, collectæ, aut Antiphonæ fuerint prolixiores, reſponſoria arctiora, aut illorum verſus cum parte reſumenda minus appoſiti, vel omnia non ſatis inter ſe quadrent, atque cohæreant.

III. Hæc, & alia plurima eorum, quæ in divino officio legenda ſunt, neceſſitatem approbationis oſtendunt, & quod non vulgaris, & cuilibet libera eſſe debet, ſed rara, & ad paucos reſtricta ejuſdem approbationis auctoritas. Epiſcopis olim pro reſpectivis Diœceſibus ab antiquis canonibus non denegabatur, & S. Gregorius Auguſtino Anglorum Apoſtolo ſcribit, fas eidem eſſe, quidquid in aliis Eccleſiis invenerit, quod omnipotenti Deo poſſit placere, aut acceptius eſſe, ſeligere, & in uſum Anglicanæ Eccleſiæ convertere. Idipſum præſtitit S. Benedictus, eandemque poteſtatem Monaſteriorum Præpoſitis permiſit, cujus regulam cum S. Gregorius collaudaverit, relictum fuiſſe videtur Præpoſitorum arbitrio, quod ipſorum zelo, atque pietati magis luberet, eligere. Nunc ſaltem quantum ad Epiſcopos, & Prælatos Romano ritui addictos attinet, per Bullam Pii V., aliaſque Sanctiones tali jure fuere ſpoliati, uniquæ Sedi Apoſtolicæ officiorum approbatio fuit reſervata, ut magis ex ſtatim dicendis apparebit.

DECRETUM I. CAP., IN ORDINE CCCLV.

Sanctorum officia, conceſſiones, lectiones, orationes, antiphonæ, & reſponſoria, aliaque hujuſmodi, in poſterum a Typographo Camerali dumtaxat imprimantur; & inhibetur omnibus Impreſſoribus, ſeu Typographis tam in Urbe, quam extra ubivis locorum, dicta officia imprimere, niſi facultate in ſcriptis accepta ab Inquiſitoribus hereticæ pravitatis, ſi inibi fuerint, ſin minus, a locorum Ordinariis, qui quidem facultatem hujuſmodi non prius concedant, quam originale ſumptum Sacræ Congregationis, vel exemplar Typographi Cameralis authenticum manu Secretarii ipſius S. Congregationis, & ſigillo obſignatum ipſis exhibeatur, quod exemplar in nihilo prorſus immutatum, nihilque in eo additum, ſive detractum in eo imprimi debeat. S. R. C. 11. Aug. 1691. *approbante Innoc. XII. ſub die 19. Octobr. ejuſdem anni*, ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 166.

I. APoſtolicæ Sedi plurima ſemper ſtetit ſollicitudo, & cura, ut cultus, qui ſummo Deo, & Sanctis ejus per divinum officium exhibetur, integer, & ex omni parte intemeratus perſeveret, ut qualibet diligentia, ac cautela ejuſdem indemnitati, & integritati conſulendum exiſtimaverit. Huic ſtudio præcipue incubuit Pius V., qui Breviarium Romanum, multis in locis mutilatum, incertis, & alienis deturpatum, ac in varias orandi formulas diſcerptum, ad priſtinum morem, & inſtitutum redigendum ſuſcepit, & ne amplius a ſua inſtitutione deflecteret, ipſum nullo unquam tempore vel totum, vel ex parte mutandum, vel ei aliquid addendum, vel omnino detrahendum eſſe, ſua in perpetuum valitura Conſtitutione præcepit. At cum temporis progreſſu, Typographorum incuria, & nimia aliorum, etiam ea, quæ ad ipſos non pertinent, temere ſibi aſſumentium audacia, multi errores in illud irrepſiſſent, ac pleraque addita fuiſſent, & immutata, Clemens VIII. illud in priſtinum ſtatum reſtituit, ac reformavit. Ne autem quid ſimile in poſterum eveniret, ipſum Breviarium in Alma Urbe in Typographia Vaticana tantum imprimi poſſe decrevit, extra Urbem vero nonniſi juxta exemplar dictæ Typographiæ, & obtenta facultate in ſcriptis ab Inquiſitoribus eorumdem locorum, ſi ibi fuerint, ſin autem, ab Ordinariis locorum, hac lege, ut hi licentiam hujuſmodi non faciant, niſi prius Breviaria imprimenda, & poſtquam impreſſa fuerint, cum Breviario ut ſupra recognito, & impreſſo, diligentiſſime conferant, nec in illis aliquid addi, vel detrahi permittant. Urbanus denique VIII. extremam manum impoſuit, priſtino nitori, quæ exciderant, reſtituens, & alia emendans, & corrigens, & ne quæ tanta diligentia, & ſtudio non ſemel fuerunt præſtita, in irritum recciderent, prohibuit, & ordinavit, prout ſupra feciſſe Clementem VIII. dicebamus.

II. His ita Sancte conſtitutis Breviarii quidem, ſed non univerſim officii divini idemnitati, ac integritati plene extitetat proviſum, cum enim in dies plura concederentur officia, antiphonæ, lectiones &c. in Sanctorum feſtis recitandæ, & non ſervata reſpective dictorum Pontificum diſpoſitione a quolibet imprimerentur, nonnulla quandoque menda, varia, & aliena in iiſdem irrepebant, quibus divina pſalmodia rugam, ac maculam patiebatur. Cui ut malo occurreret, Sacra Congregatio fere eaſdem cautelas, de quibus ſupra, in impreſſione adhiberi voluit, quæ cum ſatis exprimantur in textu, haud putamus noſtra indigere expoſitione. Utinam tamen, uti ipſa cujuſque intelligentiæ ſunt obvia, ita communem, ut par eſt, aſſequantur obſervantiam.

III. Dignum, quod diſtinctim recenſeatur, non credimus eſſe Decretum, & ſit 2. cap., in ord. 356., quod in ſuo Indice n. 72. ex Urbana Conſtitutione his verbis refert Meratus: *Breviarium Romanum denuo emendatur: in eo hymni (paucis exceptis) qui non metro, ſed ſoluta oratione, aut etiam Rhytmo conſtant, vel emendatioribus codicibus adhibitis, vel aliqua facta mutatione ad carminis, & latinitatis leges, ubi fieri potuit, revocati; ubi vero non potuit, de integro conditi ſunt, eadem tamen, quoad licuit, ſervata ſententia &c., prout videre eſt in Conſtitutione Urbani VIII., quæ incipit:* Divinam pſalmodiam, *edita die 20. Januarii 1631., & quæ legitur initio cujuſcumque Breviarii Romani*. Cuilibet igitur obvia cum ſit hæc Conſtitutio, & de Urbana Breviarii Reformatione non ſemel fuerit actum, & præcipue in præliminaribus cap. 41., ulteriori ſermone lectorem nolumus immorari.

DECRETUM III. CAP., IN ORDINE CCCLVII.

Officia non approbata damnantur. S. R. C. 8. April. 1628. Ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 62.

I. DUplicem ſenſum ſuſtinet Sanctio, & primus eſt, quod de Sancto aliquo fieri non valeat officium, niſi ſit conceſſum; & ſecundus, ut materiale ipſum officii reſpiciat, ita ut in feſtis Sanctorum jam conceſſis non recitari poſſint officia a quocumque efformata, niſi prius approbata fuerint, ſed in iiſdem tantum legi poſſit, quod jam fuit approbatum. Primus vero quidem adhæret, ſed legitimus Sanctionis ſenſus non eſt; id enim jam Congregatio ſub iiſdem die, & anno pluribus Decretis ſtabiliverat, nempe primo, & aliis præcedentis capitis, ſecundo capitis ſecundi, & quarto capitis quarti, quare ſuper hoc eadem die opus haud erat aliud Decretum innovare. Secundus itaque germanus erit ſenſus Decreti; ſi enim ita non foret, vota, & ſtudia Pii V., Clementis VIII., & Urbani VIII., de quibus ſupra, irrita eſſent, & adhuc iis, quæ a divino proſcribere officio tantopere adlaborarunt, integer pateret locus. Comprehendit autem nedum Sanctorum feſta, quæ Bulla Piana ſunt moderniora, ſed etiam antiquiora, ita ut nec conſuetudo, quæ ad eandem Bullam prævias radices habet, potis ſit tueri eadem officia, licet firmare queat feſta, unde hac de cauſa in Decr. primo, & tertio Capitis de feſtis ex conſuetudine ſtatutum apparet, in hujuſmodi feſtis ex conſuetudine recitandum eſſe officium de *communi*, ſi nempe deſint per Sedem Apoſtolicam approbata, ut habet Rubrica 1. *n.* 1.

II. Promamus verba hujuſce Rubricæ, quæ de feſtis in particularibus locis celebrari conſuetis, & quæ ipſa in ſolido declarat ſtatu: in hunc modum loquitur; *Cum officiis propriis a Sede Apoſtolica approbatis, aut ex ejuſdem Sedis auctoritate receptis, vel recipiendis*. Officiorum itaque approbationem exigit, & inſuper a quo habenda ſit, exponit, nempe *a Sede Apoſtolica*. Quod ſi officia propria ut ſupra approbata deſint, in uſum non dicit eſſe poſſe, quæ præcedenter per Epiſcopos fuerunt approbata, ſed ad reſpectivum commune eſſe recurrendum, *alioquin de communi*. Quam Rubricæ diſpoſitionem rite Gavantus *ſect.* 3. *cap.* 12. *n.* 14. univerſim accipit, ita ut in officio nihil legi poſſit, quod ab Apoſtolica Sede non ſit approbatum. Et quidem quid, niſi idipſum, ultimare volunt plurima Decreta præcedentis Capitis?

III. Rodericus *to.* 1. *quæſt.* 42. *art.* 21. adhuc putat licitum Religioſis recitare officia propria de ſuis Sanctis, etiam per Sedem Apoſtolicam non approbata, dummodo digna ſint, ut approbentur, vel Religio eis utatur animo obtinendi a Sede Apoſtolica approbationem; & ducitur ille, ut ſic ſentiat, verbis

illis

illis Rubricæ *Receptis, vel recipiendis*, quaſi vox illa *Recipiendis*, idem importet, ac *dignus recipi*. At non placet ejuſmodi explicatio. Tum quia voces illæ *Receptis, vel recipiendis* ſimul junctæ, in pari ſenſu ſunt accipiendæ, ergo ſicuti voce *receptis* veniunt officia de facto prius recepta, ita & voce *recipiendis* intelligi debent officia, quæ de facto in poſterum recipientur, non autem quæ digna erunt recipi. Tum quia talis explicatio deſtruit mentem Pontificis, quæ reſervatione illa, ſeu juris reſtrictione intendit, ne uti alias, incerta, & aliena poſtmodum in divina officia irrepant; ſtaret nihilominus integrum, aut certe parum imminutum ſubreptionis ejuſmodi periculum, ſi tam multorum arbitrio relictum fuiſſet de officiorum qualitate judicare.

IV. Verbum *damnari*, quo Decretum utitur, nolim intelligas, quaſi prædicta officia pœnis pro legentibus libros prohibitos inflictis ſubjaceant, & imprimi, ac inoffenſo pede extra divinum officium percurri non poſſint, ſed dumtaxat per illud declarantur invalida, quibus præcepto horarum canonicarum ſatisfiat, inſtar eorum, quæ in ſimilibus dedimus in expoſitione Decr. 1. cap. 12. Quæ autem ſcribunt Barboſa *Collect.* 534. *n.* 7., Gavantus *ſect.* 1. *cap.* 5. *tit.* 2. *num.* 10., & Euſtachius a S. Ubaldo *de Dei bened. num.* 182. de damnatione eorumdem officiorum non approbatorum inſtar librorum prohibitorum, manent reſtricta ad eos, qui in divino officio iiſdem uterentur, quare etiam infligitur pœna alias non ſatisfaciendi muneri recitationis horarum canonicarum, quæ inapplicabilis eſt iis, qui extra divinum officium iiſdem utuntur. Communis enim Fidelium etiam doctorum, & piorum praxis ſine ullo culpæ timore apud ſe retinet, & legit eadem officia, nec eoſdem unquam Epiſcopi putarunt ſevere puniendos, ut mandat Conſtitutio *Dominici* Pii IV. 24. Martii 1564., quibus pœnis ſubjacerent, qui pro adimplemento præcepti eadem officia uſitarent.

V. Dubium quoddam dirimendum ſe objicit, num ad officia propria locorum teneantur Regulares, aut ſaltem ea poſſint recitare, & dubium non vergit circa formale officii, videlicet an poſſint, vel debeant de Sanctis locorum recitare, de quo jam egimus in cap. 8., ſed circa materiale, nempe de talibus lectionibus, antiphonis &c.?

VI. ℞. poſſe, quinimmo teneri, nedum pro feſtis locorum, ad quæ tenentur, ſed etiam pro iis, ad quæ non tenentur, ex ſuppoſitione quod de iiſdem recitare velint. Tum quia præfata Rubrica loquens de hujuſmodi feſtis, aſſerit eſſe celebranda *cum officiis propriis a Sede Apoſtolica approbatis*, & nonniſi in defectu priorum approbatorum, ad reſpectivum commune recurſum deſignat; quod & præſtant Rub. 7. *num.* 4., & 26. *num.* 9. Tum etiam quia ut obſervabamus in Decr. 6. capitis præcedentis, officinrum indolta nedum poteſtatem faciunt, aut demandant de tali Sancto recitare, ſed inſuper quod de eodem tale officium, tales lectiones, antiphonæ &c. recitentur, quapropter dicebamus, quod qui de Sancto recitaret, ſed non uſitaret materiale officium aſſignatum, præcepto horarum canonicarum non ſatisfaceret, aut ad minus venialiter peccaret, ſi officii mutatio in levi parte contingeret. Quod verum eſt etiam in feſtis ad libitum, quæ licet liberæ ſint celebrationis, ex ſuppoſitione tamen quod celebrentur, nonniſi per recitationem officii conceſſi celebrari queunt, novum quippe non eſt, quod quæ abſolute ſunt libera, ex ſuppoſitione fiant neceſſaria. Cum itaque de Sanctis localibus Regulares non recitent, niſi ratione eorumdem indultorum, & hæc de tali Sancto non abſolute officium concedant, ſed tale, & tale officium inſuper præſcribant, dubium non eſt, quod in feſtis, ad quæ celebranda tenentur, tenentur etiam Regulares ad officium materiale aſſignatum, quinimmo & in feſtis, ad quæ non tenentur, quia licet de his integrum ſit recitare, ex ſuppoſitione tamen quod celebrentur, celebrari non poſſunt, niſi cum eo officio, cum quo celebrari ſunt conceſſa. Futilis autem indubie eſt eorum Regularium praxis, quæ de quibuſdam Sanctis, quorum recitatio clero utrique alicujus Dominii, vel Civitatis eſt demandata, recitat quidem, ſed prout in communi, aut dumtaxat lectiones proprias, & orationem ſeligit, non autem cetera, ſi quæ ſunt propria; miror enim, non videant, quod Indulta eorumdem feſtorum, quibus ipſi itidem adſtringuntur, nedum de tali Sancto jubent recitare, ſed etiam quod tale officium proprium in præcepto conſtituunt; quare profecto ego non video, quomodo ab ejuſdem recitatione ſe eximere valeant, recitando prout in communi, aut ex propriis dumtaxat aliqua. Par vero eſt ratio etiam de feſtis, ad quæ non tenentur, ex ſuppoſitione quod recitent, & quidem quam adduximus, paritas feſtorum ad libitum, rem extra dubitationem conſtituit.

DECRETUM IV. CAP., IN ORDINE CCCLVIII.

Lectiones ſecundi nocturni propriæ S. Conradi approbantur pro Diœceſi Placentina. S. R. C. 24. Octobr. 1609. Extenduntur pro Diœceſi Syracuſana, & in Diſtrictu, & Civitate Netina. S. R. C. 29. Maji 1614. *in Netina*. Rurſus conceditur idem officium etiam Ordini Minorum S. Franciſci, & Patribus Cappuccinis. S. R. C. 2. Aug. 1625. ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 38.

I. HIS a Decretis duo edocemur, requiri ſcilicet Apoſtolicam approbationem etiam officiorum, quæ in particularibus locis ſunt recitanda, nec ab aliis poſſe uſitari officia pro aliquibus locis, vel Religionibus conceſſa, niſi & pro illis diſtinctim, & ſpecifice approbata veniant, aut extenſa. De primo inſtruimur, dum lectiones S. Conradi pro Diœceſi Placentina approbantur, de ſecundo autem, dum eædem lectiones ut ſupra approbatæ, ad Diœceſim Syracuſanam, & alia loca, ac Religiones per diſtinctas conceſſiones extenduntur. Si namque approbatio non expoſceretur, aut quæ pro unis ſunt approbata, ab omnibus poſſent uſitari, & pro ceteris etiam cenſerentur approbata, inanes prorſus forent, & ludricæ præfatæ approbationes, reſtrictiones, & extenſiones. De primo jam actum eſt in præcedenti Decreto, & de ſecundo nunc ſumimus agere, & ſtatim nobis ſe offert Gavantus, qui *ſect.* 3. *cap.* 12. *n.* 14. ſcribit: *Approbata pro certo loco, negavit ſæpius S. Congregatio extendi poſſe ad alia loca, non conſulta eadem Congregatione, quæ juſtis de cauſis alicui loco concedit, alteri negat*. Qua de re conſuli item poteſt Guyetus *lib.* 3. *cap.* 1. *q.* 12.

II. In approbatione officiorum pro locis particularibus quandoque permittuntur nonnulla ex hiſtoriis particularibus deprompta, vel ex traditione, quæ inibi viget, quæ forte omnimoda non gaudent certitudine, ut pro Eccleſia univerſali permittantur, immo nec pro particulari loco altero, ad quem talis traditio non extenditur. Sunt etiam quædam officia, in quibus debitam ſibi quæque partes non ſervant proportionem, nec deſunt, quæ latini ſermonis imperitia, aut barbariſmis laborant, vel ſtylo ſcripta ſunt admodum humili, & depreſſo, & ſunt quædam Legendæ, in quibus nonnulla parvi momenti referuntur, cunctaque ſtylo fere uſque ad nauſeam prolixo ſunt exarata. Hæc concedi locis, in quibus reſpective traditio viget, a quibus fuerunt compoſita, aut quæ inſtarunt pro eorumdem approbatione, fortaſſe admodum diſſonum non eſt, & quandoque congruis de cauſis ad indulgentiam permittuntur; at extendi ad alia loca minus convenit, & præcipue ad Eccleſiam univerſalem.

III. Hinc morem habet Sacra Congregatio iterum examinare officia, ſeu lectiones particularibus locis conceſſas, quando agitur de earumdem extenſione, præſertim ad Eccleſiam univerſalem, aut Provincias, vel Ditiones, quare Legendæ S. Joannis a Cruce, & S. Felicis a Cantalicio caſtigatæ prodiere noviſſimis hiſce temporibus, cum primæ ad Eccleſiam univerſalem, ſecundæ ad totam Italiam protenſæ fuerunt. Alibi item obſervavimus officium B. Mariæ de Monte Carmelo per additionem nonnullæ clauſulæ correctum fuiſſe quoad hiſtoriam, quæ certitudine plena non gaudet, & nec dubito, quod ſi Legendæ B. Limbaniæ, quas recitant Eremitæ Auguſtinienſes, extendi deberent, a ſtyli prolixitate, aliiſque minimi ponderis expurgatæ venirent.

IV. Lubet curſim adjicere, quæ longiori ſermone proſequitur Benedictus XIV. *de Canon. part.* 2. *cap.* 10. *n.* 10. de S. Idelfonſo, de cujus officio, & lectionibus propriis cum ſupplicatum fuiſſet pro extenſione ad univerſam Eccleſiam ſub ritu duplici, & ad Dominia Regi Catholico ſubjecta ſub ritu 1. claſſis cum octava, S. Congregatio 19. Januar. precibus annuit pro Hiſpaniarum Regnis ſub ritu duplici ſine octava, & pro Eccleſia univerſali ſub ritu ſemiduplici. Præfatæ lectiones novo propterea ſubjectæ fuerunt examini, at cum in iiſdem haberentur nonnulla, de quibus non plene conſtabat, eadem Congregatio 6. Dec. 1698. haud illa digna putavit, quæ Breviario Romano insererentur. Renovata inſtantia die 7. Aug. 1723., Congregatio juſſit eaſdem lectiones reformari, & per manus mitti; ſubinde vero 25. Martii 1726. pro Dominiis Catholici Regis annuit quoad extenſionem earumdem lectionum, & officii ſub ritu 2. claſſis, & octava, pro Eccleſia vero univerſali reſpondit *Dilata*, videlicet reſolutio ad aliud tempus dilata fuit.

CAPUT XLIII.

De qualitate Officii, Breviarii, & Ritus.

I. HUC ſpectant, quæ dedimus in præliminaribus, & Decretis plurimis capitis 41., necnon in pluribus aliis in prima Parte expoſitis, quare a dictorum inutili repetitione abſtinentes, examini dumtaxat ſubjiciemus ea ex Decretis, quæ explananda ſuperſunt. Officii qualitas dicit officia, quæ quis poteſt, aut debet recitare, ſeu Kalendarium, quod ſequi quiſque tenetur, aut valet; Breviarii vero qualitas dicit formulam, qua eadem officia recitari debent, puta, an ex Breviario Romano, Ambroſiano, aut Monaſtico, uti ritus qualitas importat ſolemnitatem, cum qua officium ipſum eſt celebrandum.

DECRETUM I. CAPITIS, IN ORDINE CCCLIX.

Qui ſunt de gremio alicujus Eccleſiæ, debent recitare officium, quod in choro dicitur, licet morentur alibi. S. R. C. 30. Aug. 1602. *in Salernitana*, es Merato in Indice Decr. Brev. num. 2.

I. GAvantus *ſect.* 1. *cap.* 5. *tit.* 2. *num.* 4. aliique plurimi ſub datum 8. Septembris, & ſub his terminis præſens referunt Decretum; *Qui ſunt de gremio alicujus Eccleſiæ, debent recitare officium, quod in choro dicitur, & licet extra Eccleſiam, aut Diœceſim morentur, decet eos recitare officium proprium Eccleſiæ ipſorum*. Qui legendi modus a Decreto diſcrepat, quatenus per verbum *Decet* morantes alibi ex quadam dumtaxat decentia ad officia propriæ Eccleſiæ adſtringit, ubi verbum *Debet* Decreti ſtricta obligatione afficit, niſi de debito congruentiæ, & decentiæ illud intelligas, ratione ſcilicet

lau-

laudabilis uniformitatis, quam in divinis officiis per membra ejuſdem Eccleſiæ par eſt cuſtodiri. Lectio tamen textus, quam ex Congregationis Regeſtis decerpſit Meratus, deferenda non eſt, & præſertim cum etiam Nicolius *floſcul. v. officium num.* 9., aliique illud non diſſimiliter referant.

II. A verbo *Grago* gremium derivare ſcribit Franciſcus Alunnus *in Fabrica Mundi*, & Macrus *in ſuo Hierolexico* aſſerit gremium importare *Cœtum, ſeu Collegium*: quare quicumque Eccleſiæ alicui eſt aggregatus, aut eſt de ejuſdem cœtu, & collegio, de ejuſdem gremio eſſe cenſetur. Quot autem modis quis Eccleſiæ alicui aggregetur, ſequens dabit Decretum, dum exponemus verba illa ejuſdem *Adſcripti alicui Eccleſiæ*, quæ perinde ſere importare arbitramur, ac eſſe de gremio.

III. Ex eo autem, quod quis de gremio Eccleſiæ alicujus ſit, nolo continuo inferas teneri ad officium, quod in choro dicitur; hæc enim verba, *ac choro deputati, ſeu obligati*, ut legit Nicolius, deſiderantur in textu. Vide ſequens Decretum datum iiſdem die, & anno, & in eadem Salernitana ad 2. dubium, quod *cum Clericos adſcriptos alicui Eccleſiæ, & ejuſdem choro non obligatos, ad officia chori non teneri decidat*, niſi dixeris ſimul, & ſemel a Congregatione ſtatuta fuiſſe contraria, fas eſt, quod ea verba in textu nobiſcum deſiderari aſſeras. Verum ne vim argumenti eludas, diſtinguens *inter eſſe adſcriptos, & de gremio alicujus Eccleſiæ*, in medium prodeat Decretum hujus capitis tertium, quod diſerte Tertiarios, qui ſunt de gremio alicujus Eccleſiæ, ſed non ejuſdem choro obligati, ab onere officiorum propriorum abſolvit, & ſolummodo ad eadem declarat obſtrictos, qui de gremio ſunt, & choro obligati.

IV. Quicumque itaque choro alicujus Eccleſiæ intereſſe tenentur (ex quocumque titulo vel Prebendæ, aut beneficii, ſive ſtipendii, ſeu conſuetudinis hæc obligatio ſit) declarantur adſtricti ad officium, quod in choro dicitur, nedum dum præſentes choro ſunt (de quo quis dubitaret?) ſed etiam quoties eoſdem extra Eccleſiam, vel adhuc Diœceſim privatim recitare contingit. Cujus plurima eſt ratio iſta, quod alias quæ non fierent incommoda, & officiorum confuſio? Namque non ſemel quis de eodem Sancto bis recitaret, & quandoque de eodem etiam per duas ſequentes dies, & de altero nullatenus, quoniam qui abſens fuit, & aliter recitavit, ſtatim ac choro conſtituitur præſens, hujus currenti officio opus eſt ſe conformet. Ad quæ, & alia præcavenda incommoda, haud ambigimus verbum *Debent* de ſtricto, & rigoroſo debito, & non de debito ſolius decentiæ eſſe accipiendum.

V. At ajes, inter officia chori nonnunquam ſunt officia Dominiorum, Provinciarum, & Reliquiarum, quæ vi Decretorum extra reſpectivos limites nequeunt recitari. Sunt inſuper officia ad libitum, quæ liberæ ſunt recitationis; quomodo itaque ad hæc obligari unquam poſſunt, aut ad illa, dum extra Dominia, vel Eccleſias reperiuntur? En, quam facili, & unica ſolutione ruunt hæc omnia. Officia Dominiorum, & Reliquiarum per ſe dumtaxat intra limites Dominiorum, & Eccleſiarum, in quibus Reliquiæ cuſtodiuntur, quidem recitari queunt, per accidens vero etiam extra, quando ſcilicet membrum aliquod eorumdem locorum, vel Eccleſiarum quandoque abeſſe contingit. Pari ratione dicito officia ad libitum liberæ per ſe eſſe recitationis, per accidens aliquando neceſſariæ relate ad particularem aliquem, qui choro ſe conformare tenetur, ne aſſerta ſequantur incommoda.

VI. Fallentias ſuas Decretum habet, & primo in Commenſalibus, vel Cappellanis Cardinalium, & Epiſcoporum, & in eis, qui ab iiſdem in ſocios recitationis aſſumuntur, qui licet choro alicujus Eccleſiæ obſtricti ſint, cum iiſdem ſe conformare valent, ut dicemus in Decreto quinto. 2. In iis Regularibus, qui ſuos Prælatos majores adjuvant in officii recitatione, ſicuti inibi trademus. 3. In Regularibus omnibus, qui dum ratione itineris, vel alterius rei cauſa hoſpites in altero Conventu ſunt, aut ad tempus degunt, ſi chorum adeant, choro ſe valent conformare. 4. In Beneficiariis, & Parochis, quos licet choro alicujus Eccleſiæ adſtrictos, dum in aliquibus feſtis propriæ Eccleſiæ, aut adnexis præſentes ſe conſtituunt, recitantes prout in iiſdem, præcepto ſatisfacere diximus in Decretis 4. & 5. capitis ſecundi. 5. Iis in Clericis, qui ſtudiorum, vel alia de cauſa ad longum tempus a proprio choro abeſſent, de quibus infra in Decr. 3.

VII. De iis præſertim Regularibus, qui cum occupati ſint inſtruendis ceteris, aut libris componendis, vel aliis in miniſteriis, ab aſſiſtentia Chori, vi Conſtitutionum, aut Apoſtolicorum Indultorum ſunt exempti, ſuccedit quæſtio, num teneantur ad officia particularia chori, quem non frequentant, ſed apud ejuſdem Eccleſiam morantur? Et reſpondetur affirmative, quia ſunt membra illius Eccleſiæ, ejuſdemque choro per ſe obligati, licet per accidens ratione præfatarum occupationum eximantur, & ut minimum diebus feſtivis choro interſunt, & intereſſe tenentur. Ratione cujus obligationis, quam per ſe habent, etiam Canonicos coadjutos ad officia chori propriæ Eccleſiæ adſtringimus; monſtruoſum enim eſt membrum illud, quod ceteris commembris diſſonantiam habet.

DECRETUM II. CAPITIS, IN ORDINE CCCLX.

Clerici licet adſcripti alicui Eccleſiæ, non tamen obligati choro; non tenentur recitare officia, quæ in choro proprio dicuntur eadem die. S. R. C. 30. Aug. 1602. *in Salernitana*, ex Merato in Indice Decretorum Breviarium n. 3.

I. LEgit Gavantus *ſect. 1. cap. 5. tit. 2. num. 5.*, cui adhæret Nicolius *floſcul. v. officium num. 9.*, Decretum ut ſequitur: *Clerici licet adſcripti alicui Eccleſiæ, & ejuſdem ſervitio, non tamen obligati choro, & quicumque alii Clerici Sæculares, Regulareſve in Civitate, vel Diœceſi commorantes, non tenentur recitare officia propria Sanctorum illius Diœceſis, vel quæ de conſuetudine in eadem Eccleſia recitantur in choro.* A textu tu ne diſcedito, & præſertim ne contraria ſentire videaris iis, quæ Congregationis Sanctionibus innixi, alibi docuimus de obligatione Cleri Sæcularis ad officia propria Diœceſis.

II. Multifariam Clerici Eccleſiis adſcribuntur. Primo initiatione, cum titulo Cappellaniæ, vel beneficii alicui Eccleſiæ adnexi ordinantur. 2. Aggregatione, dum jam ordinati, per Cappellaniam, vel aliquod beneficium Eccleſiis aggregantur. 3. Simplici deputatione, & evenit in iis, qui cum ad titulum patrimonii ordinantur, juxta præſcriptum Tridentini *ſeſſ. 23. cap.* 13., & 16. ſervitio alicujus Eccleſiæ adſcribuntur, vel ſi nulli Eccleſiæ adſcribantur, Eccleſiæ parochialis ſervitio ſaltem pro diebus feſtivis cenſentur addicti juxta Concilium 2. & 3. Mediolanenſis Provinciæ. 4. Stipendio pro iis, qui ad inſerviendum per mercedem conducuntur. 5. Habitatione, præſertim in Regularibus, quibus Eccleſia, vel domus contigua ad habitandum conceditur eo intuitu, ut conceſſæ Eccleſiæ inſerviant, necnon fidelibus ad eam confluentibus, qui adſcribendi modus a nonnullis revocatur ad beneficium, quatenus Religio conceſſæ Eccleſiæ proprietaria evadit, & fructus inde obvenientes percipit. 6. Obtentu alicujus Canonicatus, aut alterius cujuſcumque beneficii majoris, ſimplicis, vel curati. 7. Per coadjutoriam beneficii cum futura, vel ſine futura ſucceſſione. 8. Per integram commendationem alicujus beneficii temporalem, vel perpetuam, vel per non integram commendationem, aut per vicariam perpetuam, aut temporalem alicujus Eccleſiæ, aut per alios modos, quos recenſuimus in Decr. 4. cap. 2.

III. Ex his ſunt, qui choro Eccleſiæ, cui ſunt adſcripti, obligati manent, & hos teneri ad officia chori diximus in præcedenti Decreto, nunc autem ſtabilitum manet eos, qui Eccleſiæ adſcripti ſunt, ſed choro ejuſdem non obligati, neque ad officia chori teneri; quod & ſtatuit diſerte ſequens Decretum, quod ab *officiis particularibus* ejuſdem Eccleſiæ eos abſolvit, de quibus etiam procedit præſens Decretum; ad officia enim Romana, & univerſalia quilibet adſtringitur, licet poſtea ad ea non teneatur *eadem die*, qua in choro præfatæ Eccleſiæ dicuntur, ut ſcite nos admonet Sanctio, ſed die illa, quæ juxta Rubricas recurrunt. Senſus igitur eſt, quod non tenentur ad Kalendarium chori Eccleſiæ, cui ſunt adſcripti, nec quoad celebrationem officiorum propriorum, nec quoad diem celebrationis Romanorum, aut aliorum. An autem etſi non teneantur, id poſſint, vel ſi nec tenentur, nec poſſunt, ſaltem aliqui eorumdem, & qui poſſint, aut teneantur recitare officia particularia Eccleſiæ, licet non chori, ſtatim exponenda dabit Sanctio, in qua & ſermo erit de Cappellanis; de quibus hic agere alibi promiſimus.

DECRETUM III. CAP., IN ORDINE CCCLXI.

Tertiarii S. Franciſci degentes in ſæculo, qui fuerint de gremio alicujus Eccleſiæ, & illius choro obligati, debent recitare officia particularia illius Eccleſiæ, ſecus autem ſi ſint de gremio, & nullatenus choro intervenire debuerint. S. R. C. 28. Sept. 1602. *in una Ord. Minor. Obſervo* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 4.

I. PArticulare ne putes Decretum, quod pro Tertiariis ſit editum, latum eſt ſiquidem in materie, quæ ad Tertiarios nullam particularem habet rationem, ideoque pro regula generali deſervit, perinde ac ſi Tertiarii non forent expreſſi, ſed horum loco *Clerici* appoſuiſſet Decretum, quod propterea cohæret cum duobus præcedentibus, & in his luculentam habet expoſitionem. Quæ autem Tertiariis ſunt propria, infra in Decreto ſexto dabuntur.

II. Fit itaque, quod ſi Clericia Sæcularis choro Eccleſiæ Regularis una cum aliis Regularibus intereſſe teneretur, deberet ſe choro conformare, & quoad Breviarium, licet diverſum foret a Romano, aut proprio, & quoad officia particularia, etiam Regularis Inſtituti, nimia quippe oneroſum foret, ſi pro adimplemento præcepti ex alio Breviario, aut aliud officium adhuc recitare teneretur; hinc Rota apud Farinac. *par. 1. tom. 1. d.* 84. olim decidit: *Quando Eccleſia Cathedralis eſt Regularis, Clerici Sæculares choro deputati, recitare tenentur in choro juxta Breviarium Monaſticum, nec Epiſcopus poteſt ſeparare Clericos a Monachis.* Idipſum conſequenter eſt de Clero Regulari, qui choro Eccleſiæ Sæcularis eſſet adſtrictus; hos enim omnes non officit Bulla Pii V., quæ ritui Romano addictos, diſtricte inhibet ad quemcumque alium pſallendi morem poſſe tranſire.

III. Quæ ut ita ſint, obligationem ad chorum expoſcunt Decreti, *& illius choro obligati*; ſufficit autem quælibet obligatio, & ex quocumque capite derivet, & durat obligatio ad officia

ficia

ficia chori, quandiu durat obligatio ad chorum; quare qui ſupplet defectum alicujus Reſidentis ægroti, vel abſentis, etſi recitare poſſit, & debeat, prout in choro, cui eenſetur obſtrictus ratione obligationis prædicti Reſidentis, quam in ſe ſuſcepit, illico ac deſinit ſupplere vices ejuſdem, debet ad proprium Breviarium, & Kalendarium tranſire. Attamen in terminis illis *choro obligati* ſcrupuloſe adeo non putamus inſiſtendum, ut eorumdem nomine etiam, qui nullo beneficio addicti, vel nulla mercede conducti, aut alias alicujus obſtricti vices minime ſupplentes, ſeſe ultro obligarent, aut per majorem anni partem ad propriæ favendum devotioni chorum aliquem frequentarent, favorabili appellatione venire non poſſint; ſecus vero foret de iis, qui una, vel altera vice choro alicujus Eccleſiæ ultro intereſſent, quos nedum ad officia, & Breviarium chori non teneri ſentimus, ſed nec a repetendo officio juxta proprium Kalendarium, & ex proprio Breviatio excuſare valemus. Limita, ſi fuerit Beneficiarius in propria Eccleſia, aut Parochus in Eccleſiis ſibi ſubjectis, aut hujus Coadiutor juxta dicta in Decr 4. & 5. cap. 2. Clerici vero illi, qui aut vi Tridentini, aut Conciliorum Provincialium, vel Diœceſanorum, aut ab Epiſcopis ſervitio alicujus Eccleſiæ; & ejuſdem choro pro diebus feſtivis addicuntur, recitando prout in choro, oneri horarum canonicarum ſatisfaciunt, nec ad recitandum aliud officium ſunt adſtringendi, licet officium chori ſit diverſum a proprio, vel in choro tantummodo veſperas de alio Sancto recitarent, quas propterea juxta proprium Kalendarium minime repetere tenerentur; nimis enim alias hujus præceptum oneroſum foret, & incommodum contra Eccleſiæ morem, cujus præcepta non obligant cum gravi incommodo, & aliunde iidem ratione ejuſdem precepti nomine *obligatorum choro* nihil impedit poſſe venire. Idem dicito in ſimilibus; quæ autem in oppoſitum facere queunt, uberem ſolutionem habebunt, cum de Cappellanis Epiſcoporum, & Commenſalibus ſermo habebitur.

IV. Reapſe Decretum ſolummodo ab iis, qui Eccleſiæ alicui ſunt adſcripti, ſed non ejuſdem choro obligati, aufert obligationem recitandi officia ejuſdem particularia, non potentiam; quare adhuc dubium ſupereſt, num eorumdem aliqui, & qui, præfata officia valeant recitare? Et quoniam jura juribus debent concordari, & leges hoc habent, ut mutuo ſe explicent; recolenda ſunt, quæ tradimus in Decr. 12., cap. 1., & in Decr. 4. cap. 2. de beneficiis majoribus, curatis, ſimplicibus, & quibuſcumque aliis beneficiis, vel quaſi beneficiis, quæ adhuc in integrum ſtare putamus, uti & ea, quæ dedimus in Decr. 13. & 14. c. 1., in Decr. 2. 3. 4. & 5. cap. 2., in Decr. 3. & 4. c. 3., necnon alibi ſæpe præſertim in cap. 4. 7. & 8., nunc enim duntaxat ſumimus agere de iis, ſuper quibus alibi vel nulla, aut non ſatis verba fecimus.

V. De Cappellanis Monialium, præſertim majoribus, & primariis, qui faciunt iiſdem ordinarie ſacrum, præbentque Euchariſtiam, ſcribunt Quintanadvenas *ſingul. tract. 8. ſingul. 7.*; Tamburinus *in Decal. lib. 2. cap.* 5. §. 2. *num.* 32. Gobat *tract.* 5. *num.* 625., ac Salmanticenſes *Theol. mor. tom. 4. cap.* 1. *tract.* 18. *punct.* 4. *num.* 31., quod licite officium facere poſſunt de Sanctis illarum, recitando tamen non ex Breviario Monialium, ſed ex proprio. Et nituntur, quod hi Cappellani de præfatis Sanctis aut debent, vel certe poſſunt facere ſacrum; quidni igitur & officium propter uniformitatem? Nonne connexorum, & correlativorum idem eſt judicium? Addit Tamburinus, quod æquiparantur beneficiariis, & Salmanticenſes, quod ſe habent inſtar Parochi, & Eccleſiæ Præfecti, quibus nos ipſi alibi favorabiles fuimus. Etſi autem hæc ratio non militet de Cappellanis ceteris, bene quæ patitur ex uniformitate, quam convenit haberi officium inter & Miſſam, quinimmo quæ ſumitur ex capite præfecturæ, aut quaſi beneficii, Cappellanis majoribus Confraternitatum, & aliarum Eccleſiarum favorabilis extat, quare in Cappellanorum omnium, etiam amovibilium, pro eo tempore, quo ad id muneris ſunt conducti, favorem pronuntiandum foret.

VI. Verum laudatorum Auctorum opinio, quatenus Cappellanos Monialium recitare permittit de Sanctis indigenis earumdem, tamquam a jure nimis exorbitans, tolerari non valet; cum enim conceſſiones officiorum Regularis Inſtituti relate ad Moniales ſpecialibus nitantur rationibus, non videntur ad alios, etiam earundem ſervitio addictos, de quibus eædem rationes non militant, adhuc ad indulgentiam poſſe extendi. Nec par eſt ratio de Miſſa, quæ a Cappellanis non dicitur ratione adſcriptionis ad Eccleſiam, cum a Confluentibus etiam quibuſcumque dici valeat, ut ſuo loco dicetur, ſed cauſa loci, quatenus in ea Eccleſia, in qua Sanctus habet officium, convenit & cum Miſſæ ſacrificio honorari: quare ſicuti ex Miſſa argumentum non fit ad officium pro confluentibus, ita nec pro Cappellanis. Præterea quilibet quoad Miſſam liber eſt, quoties officium duplex vel privilegiatum non currit, ſecus vero quoad officium, quod ſemper juxta Rubricas eſt recitandum occurrens, quare licet ex officio inferri valeat Miſſa, quæ dici poteſt, non tamen ex Miſſa officium.

VII. Quæ ſententia ſi ad ſola feſta Eccleſiæ, ut Eccleſia eſt, cujuſmodi ſunt feſta Titularis, & Dedicationis ejuſdem, limitetur, non autem ut Regularis eſt, quo pacto importat officia Sanctorum Regularium, non adeo diſſona videtur, utpote quæ non adverſatur Decretis hujus capitis, quorum inhibitio eſt pro officiis chori, quæ in noſtro caſu comprehendunt etiam officia Religionis, Reliquiarum, & ſi quæ ſunt ex conſuetudine. Tum etiam quia prædicti Cappellani eamdem Eccleſiam reſpicere videntur tamquam *propriam Eccleſiam*, & propriæ Eccleſiæ memorata feſta Rubricæ demandant.

VIII. Quoniam vero in Decreto 14. cap. 1. vidimus, quod Rubricæ feſta Titularis, & Dedicationis propriæ Eccleſiæ demandant, idcirco ſi Cappellani prædicti Eccleſiam illam *tamquam propriam* inſpicerent, præfata feſta nedum poſſent, ſed deberent excolere, cum tamen juxta præſens Decretum, qui choro non ſunt obligati, non teneantur ad feſta particularia Eccleſiæ, inter quæ per ſe annumerantur duntaxat duo illa, & per accidens eſt, quod etiam alia habeantur. Et quidem cum iidem Cappellani conducti non ſint ad divinum officium, ſed ad Miſſam celebrandam, & alia munia exercenda, haud videre eſt, quomodo feſta particularia Eccleſiæ valeant recitare. Cura itidem, & præfectura Eccleſiæ apud Moniales remanet; & Cappellani ſolum ad munia quædam conducuntur, quæ per eaſdem exerceri non valent, unde nec ex hoc capite integrum iiſdem remanet de officiis particularibus agere, ut late traditum fuit in Decr. 4. cap. 2.

IX. De habentibus Cappellaniam collativam dicendum ſuccedit, & cum hos ex hoc præciſe titulo ad canonicum officium obliget communis Doctorum opinio, qui de iſtis Cappellanis tamquam de beneficiis loquuntur, ad officia Titularis, & Dedicationis videntur adſtringi. At Cappellania preſſe Altare, ſeu Cappellam tantummodo inſpicit, & ſi etiam Eccleſiam, nonniſi ratione Cappellæ, vel Altaris, quorum feſta Titularis, & Dedicationis verius Rubricæ non ſinunt, ut dictum eſt in eodem cap. 2. Multo minus propterea id verum erit de Cappellanis profanis, laicalibus, mere ſtipendiariis, aut mercenariis, quæ ex ſe non invehunt obligationem officii, ſed ſolius Miſſæ?

X. Quæres 1. quodnam Kalendarium ſequi debeat, qui de gremio alicujus Eccleſiæ eſt, ſed non ejuſdem choro obligatus?

XI. ℞. propriæ Diœceſis, vel Religionis; & eruitur ex cap. *De iis*, & cap. *Placuit* diſt. 12. ubi in eadem Diœceſi idem pſallendi ordo præcipitur, & contrarium facientes ſex menſibus communione privantur, ex qua gravi pœna Navarrus *cap.* 19. *de orat. num.* 21. eruit, hoc præceptum obligare ſub mortali; quare & Concilium Agathenſe cap. 30. de officio habet: *Convenit ordinem Eccleſiæ ab omnibus æqualiter cuſtodiri*. Idipſum deducitur ex Clem. 2. *de celebr. Miſſar.*, ubi Commenſalibus Cardinalium, & Epiſcoporum indulgetur, ut cum his in divino officio ſe queant conformare; ut enim notat Gloſſa ibidem verbo *Indulgemus*, opus non fuiſſet diſpenſatione, aut privilegio, ſi ſatisfacere potuiſſent recitando ex alio Kalendario, quam ſui Epiſcopatus, vel Religionis.

XII. Quæres 2. de Ordinatis ad titulum patrimonii, & nulli Eccleſiæ addictis.

XIII. ℞. Itidem teneri ad Kalendarium Diœceſis, cujus cum ſint accolæ, & ejus legibus debent adſtringi. Rem e dubio extrahunt officiorum particularium indulta, quæ *univerſo Clero, Diœceſis N.* eorumdem recitationem univerſaliter committunt.

XIV. Quæres 3. quid ſi iidem Clerici a propria Diœceſi abſint?

XV. ℞. primo, quod ſi alibi pergant animo figendi domicilium, vel illud reipſa figant, tenentur ſequi Kalendarium, Diœceſis, ad quam divertunt, cum ejuſdem ſubditi fiant. 2. Si extra Diœceſim ad longum tempus morentur, puta cauſa ſtudiorum, cum primum poterunt, ad propriam Diœceſim reverſuri, hujus Kalendario conſultius eſt ſe conformare, licet probabile itidem ſit, quod Kalendarium loci ſequi poſſint, cum ibi habeant quaſi domicilium; unde legibus, & moribus loci videntur adſtringi, locumque habere regulam illam: *Oportet conformare honeſtis moribus eorum, inter quos vivimus*. Hoc tamen ſolum verum eſt, cum fractio morum, & legum localium evenit cum aliorum offenſione, & ſcandalo, quorum periculum abeſt a recitatione privata officii. 3. Si per paucos dies extra Diœceſim hoſpitentur, ſequi debent morem ſuæ Eccleſiæ, ne reverſi in propriam Diœceſim, teneantur aut de Sancto aliquo officium omittere, aut de altero bis illud agere, aliave ſequantur incommoda, quæ alibi recenſuimus.

XVI. Quæres 4. de iis, qui per annos peregrinationem ſuſcipiunt?

XVII. ℞. quod in officio divino locis, ad quæ divertunt, ſe conformare; plus æquo incerta, ac inconſtans divini officii ratio foret, nimiſque ambagibus, atque incommodis ex multiplici officiorum occurſu, concurſu, repetitione, & omiſſione obnoxia; quare ſequantur Kalendarium ſuæ Eccleſiæ, vel utantur Cajetani ſententia putantis licitum eſſe, Kalendario Breviarii Romani ſe conformare, ſi ſint Sæculares, & Breviarii propriæ Religionis, ſi Regulares, ſervatis tamen reſpectivis Rubricis juxta anni contingentiam ob feſta mobilia. Improbabile forſitan nec eſt, quod Regulares uti queant privilegio Innocentii IV., de quo in Decr. 8., & certum eſt, ſi chorum adeant.

XVIII. Peregrinantium inſtar cum ſe habeant Prælati Regulares, dum in continua Conventuum viſitatione ſe conſtituunt, eodem privilegio Innoc. IV. uti poterunt, vel ſatius Kalendario Conventus ſuæ ordinariæ reſidentiæ, ſi hanc habeant, ſin autem, Kalendario univerſali Religionis. Uſus autem ille accommodandi ſe locis, reſervatis officiis Romanis, vel Ordinis, quæ huc transferuntur, pro diebus, in quibus juxta Kalendarium loci agendum eſſet de feria, prorſus eliminandus eſt, utpote qui levem ob cauſam, ne dicam turpem, qualis eſt cura ſollicita vitandi officium feriale, a ſuſcepto inſtituto uniformandi ſe locis deflectit, & plerumque contra Rubricarum leges officia ipſa reponit.

DECRETUM IV. CAP., IN ORDINE CCCLXII.

Epiſcopus Regularis debet recitare officium juxta ritum ſuæ Diœceſis, non vero ſui Ordinis. S. R. C. 11. Junii 1605. *in una pro Regulari promoto ad Epiſcopatum*, ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 18.

I. E*T occurrente feſto Regulæ in feſto Diœceſis, hoc præferri debet*, tamquam ulteriora verba Decreti addit Gavantus *ſect. 1. cap. 5. tit. 2. num. 2.*, cui additioni adſtipulantur Auctores plurimi, qui de more aſſertionibus Gavanti cæce aſſolent indulgere. De additione Gavanti nos monet Guyetus *lib. 2. cap. 17. quæſt. 6.*, & noviſſime tutos nos reddidit Meratus, dum ex Congregationis Regeſtis ut ſupra Decretum extraxit. Quæ tamen additio conſona eſt Rubricis, atque Sanctioni, dummodo feſtum Regulæ ſit ex invectis in Kalendario Romano, aut Diœceſano, cum alias ejuſdem celebrationi nullatenus incumbere valeat.

II. Triplicem ſenſum ſuſtinent verba Decreti. Primus eſt ut ſi forte Breviarium Diœceſis fuerit aliud a Breviario Ordinis, hoc deſerat factus ex Regulari Epiſcopus, & illud aſſumat, recitando ex eo etiam de Sanctis Regulæ. Secundus, ut ſtante utrobique eodem Breviario, puta Romano, in celebratione officiorum ſequi debeat ritum, quo Diœceſi, non Ordini conceſſa ſunt. Tertius, ut Regularis Epiſcopus, perinde ac ſi minime Regularis foret, aſſumere debeat Breviarium Diœceſis, ſolumque recitare officia, quæ & juxta ritum, quo Diœceſi conceſſa ſunt. Hic ſenſus Decreti eſt, ut colligitur ex Gloſſa *in Clem. 2. de celeb. Miſſar. verb. licite*, ſentiunt communiter Doctores, & hæc oſtendit ratio, quod incongruum omnino eſt, Caput Eccleſiæ ab ejuſdem membris in divinis officiis diſcrepare, & præſertim cum Epiſcopus Miſſarum ſolemniis, divinisque officiis publice non ſemel vacare debeat. Locum itaque in hoc caſu habere debet regula illa cap. *Illa* diſt. 13. *Ad quamcumque Eccleſiam veneris, ejus morem ſerva, ſi cuiquam non vis eſſe ſcandalum, nec quemquam tibi*.

III. Idipſum dicito, ſi Sacerdos Sæcularis ritus puta Ambroſiani in Epiſcopum Eccleſiæ Romani ritus, vel econtra eligatur. Auctores extendunt Decretum etiam ad Regularem, licet in Epiſcopum minime inauguratum, qui Eccleſiæ Sæculari, vel alterius Ordinis præficitur, & ad Clericum Sæcularem, qui Eccleſiæ Regulari, vel alteri Sæculari ritus diverſi præficeretur. Id limitant nonnulli ad eos, qui perpetuo alteri Eccleſiæ præficiuntur, non ad tempus, quos Perſicus *de hor. can. cap. 6. dub. 1.* vult quidem id poſſe, ſed non teneri. At cum pro eo tempore ſint preſſe præfatæ Eccleſiæ præfecti, ſicut ſunt pro ſemper, qui perpetuo præficiuntur, videre non eſt, cur conſuetudinem ſuæ Eccleſiæ ſequi non teneantur, ut etiam dicebamus in Decr. 4. cap. 2. agentes de Parochis mercenariis, aliiſque ad tempus præfectis.

IV. Bulla Pii V., quæ iis de ritu Romano diſtricte inhibet ad alium pſallendi tranſire ritum, obſtare videtur; at reſpond... ...nda *to. 1. Manu. quæſt. 37. art.* 18. intelligendum ad eſſe cum excluſione eorum, qui auctoritate Apoſtolica, ſeu alias perpetuo, vel ad tempus ad aliquas regendas Eccleſias convolaverint, uti reipſa uniformitatis expoſcit ratio, & præſens non obſcure indicat Sanctio.

V. Quam obligationem non credimus afficere Epiſcopos, qui ſubditis carent, & anulares, ſeu Titulares dicuntur, facta ſiquidem fuit ob uniformitatem, quam ab Eccleſiæ capite cum ejuſdem membris in divinis decet, & debet ſervari officiis. Facultatem tamen ſe conformandi ritui, qui in ſua Eccleſia olim ſervabatur, & adhuc a Clero, ſi inibi eſt, ſervatur, denegare non poſſumus, ſed ægre iis, qui cum ritus Romani ſint, ad alium ritum deberent tranſmigrare. Conſultius itaque foret, ſi hi proprio ritui, & officiis Eccleſiæ, apud quam inhabitant, maneant addicti, aut propriæ Religionis, ſi Regulares fuerint. An ad officia principaliora propriæ Eccleſiæ, ad quæ alibi teneri dicebamus beneficiarios, adſtricti ſint, quæſtio alis eſt, ad quam reponimus affirmative, ſi iiſdem aliqui ex ea Eccleſia obveniant fructus, ſecus autem, ſi nulli; beneficiarius enim, qui a beneficio nullos fructus percipit, ad divinum officium ex hoc titulo non obſtringitur, adeoque nec ad feſta principalia beneficii, nec umquam quis obligatus eſſe valet talem cultum exhibere Eccleſiæ illi, a qua nullam ſuſtentationem recipit, non obſtante præfectura, quæ pure nominalis eſt, & titularis, ac quolibet caret effectu.

VI. Secus diceremus de Epiſcopis, qui a propria Diœceſi per Turcas occupata, coacti fuerunt abire; hi enim cum ſubditam Eccleſiam habuerint, jure adhuc habeant, & juxta ejuſdem ritum Officium jam exolverint, & inibi a ſubdito, qui ibi permanſit, Clero adhuc ritus ille fortaſſe teneatur, in eodem perſeverare, vel debere, vel ſaltem congruere apparet, tametſi apud propriam Diœceſim non amplius reſideant, ad eam redeundi ſpes proxima nulla affulgeat, nulloſque percipiant fructus.

VII. Epiſcopus morem ſuæ Eccleſiæ teneat tempore, quo juxta canonicas Sanctiones a ſua Diœceſi abeſſe licet. Si ſuper reſidentia legitime diſpenſatus fuerit, aut coadjutorem habeat, & alibi domicilium figat, vel quaſi domicilium, ad feſta Titularis, & Dedicationis propriæ Eccleſiæ, non ad cetera officia, & ritum erit adſtrictus, ſed quoad hæc Eccleſiæ domicilii uniformare ſe poterit inſtar reliquorum benficiariorum. Ita Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 4. cap.* 23. *num. 6.*, eo quod pro eo caſu ceſſat obligatio ſervitii, vel huic per alium ſatisfacit: hæc tamen ratio, atque ſententia nobis non arridet admodum, unde conſuleremus magis, ritum propriæ Eccleſiæ cuſtodire juxta ea, quæ in ſimilibus dedimus in Decr. 4. cap. 21. num. 31.

VIII. Abſolvimus vero a præfata obligatione Epiſcopos, & beneficiarios, qui Epiſcopatum, vel beneficium dimiſerunt, non ſunt ſiquidem amplius Epiſcopi, nec beneficiarii illius Eccleſiæ, unde non hujus, ſed illius Eccleſiæ, apud quam reſident, conſuetudinem debent ſervare. At quid ſi penſionem ſuper remiſſa beneficia obtinuerint? Qui penſiones laico habet titulo, veluti in remunerationem operum temporalium Eccleſiæ præſtitorum, neque Breviarium, neque B. Virginis officium tenetur legere; qui autem titulo Clericali, ſub pœna peccati mortalis, atque fructuum reſtitutionis ad minoris officii B. Virginis recitationem adſtringitur per Bullam Pii V. *Ex proximo* 20. Sept. 1571., ex communi tamen ſententia, & Eccleſiæ praxi, ſi officium divinum recitet, ſatisfacit obligationi Penſionis, quinimmo & beneficii, & ſacrorum Ordinum, quam quis poſſet habere; hinc univerſim ſit quæſtio, num Penſionarius recitans officium divinum loco officii parvi B. Mariæ, teneatur ad officia principaliora Eccleſiæ, a qua penſionem percipit, inſtar obligationis, quam habet beneficiarios?

IX. Et videtur, quod non; hoc enim in caſu officium divinum ſtat, & ſubrogatur loco officii B. Virginis, quare ſicuti ſi hoc recitaret, officia ut ſupra particularia non teneretur agere, ita nec teneri cenſendus eſt, qui ſubrogat officium divinum; ſubrogatum enim ſapit naturam ejus, in cujus locum ſubrogatur, *L. eum*, *§. qui injuriam*, *ff. ſi quis caut*. Cujus opinionis, ut vidimus in Dec. 3. cap. 2. num. 47., extant Gavantus, & Guyetus. Nos tamen Penſionarium non minus ac Beneficiarium ad officia principaliora penſionis adſtringimus, dum officium divinum recitat. Et ducimur primo, quia intentio Pii V., & ratio Conſtitutionis ejuſdem fuit, ut percipientes fructus beneficiorum Eccleſiaſticorum non omnino forent immunes ab onere officii divini, licet poſtea ad indulgentiam Penſionarios ad officium parvum B. Mariæ dumtaxat adſtrinxerit, animo eoſdem relevandi a recitatione officii longioris, quare potius loco officii divini ſubrogatur officium B. Mariæ. Et quidem ſi res ita non foret, recitans officium divinum non ſatisfaceret obligationi penſionis, quæ juxta præfatam Conſtitutionem eſt de officio Deiparæ. 2. Quis etſi officium divinum ſubrogaretur, cum habeat naturam diverſam, qualitates, conditiones, & leges, nec ſaperet, nec ſequeretur naturam, & conditiones officii B. Virginis, ut eruitur ex *L. Lucius*, *ff. de fideicommiſ. libert.*, & docent communiter Doctores apud Barboſam *Axiom.* 2. 13. Cum itaque natura officii divini, & ejus leges ferant, & æquitatis ratio ſuadeat, quod Beneficiarius agat de feſtis principalibus Eccleſiæ, a qua ſuſtentationem recipit, fructuſque percipit, ex quibus vivit, quidni pari de cauſa ad id Penſionarius non tenebitur?

X. De Penſionario itaque idem eſto judicium, ac fecimus de Beneficiario in Decr. 3. & 4. cap. 2., & in Decr. 14. cap. 3. Si quis autem ultra penſionem aliquod, licet tenue, beneficium habeat, Titulus beneficii in ſuffragiis commemorationem aſſequetur, nullam Titulus penſionis, etſi hic illo foret dignior, quia unius dumtaxat, & principalioris ſuffragium eſt faciendum, & principalior Titularis cenſetur, qui Titulus beneficii eſt, quam qui penſionis. Quoniam denique, ut dicebamus in cit. Decr. 3. cap. 2., in veriori ſententia Titulus Altaris, ſeu Cappellæ ex ſe officium aptus non eſt invehere, vel ſi illud inducit, nonniſi ſub duplici maiori ſine octava, ut nonnulli arbitrantur, certum ſit, quod ſi Beneficiarius, aut Penſionarius pro Titulo Altare habeat, aut Cappellam, de Titulo ſuffragium non debet agere, cum toties per annum non conveniat repeti officium illud, quod nec in feſto aptum natum eſt repeti per octavam, quando etiam Titularis ſolius Eccleſiæ, non Altaris, ſeu Cappellæ ſuffragium diſerte per hæc verba non demandaret Rubrica; *De Patrono, vel Titulari Eccleſiæ ſit commemoratio &c.*

XI. Denique quicumque Breviarii lege tenentur, & propriam habent Eccleſiam, ad hujus Dedicationis, & Titularis feſta manent adſtricti. Sunt autem ultra ſuperius recenſitos Beneficiarii quilibet, tenue licet habentes beneficium, quia canones ullum diſcrimen inſtituunt inter pingua beneficia, atque illa, quæ modicos reditus habent, quidquid alii ſcripſerint. Reſignatarius, etſi ex pacto reſignationis in ſui favorem reſignanti fructus omnes ſui beneficii tribueret, quia ipſe verus eſt titularis beneficii, ex quo ſi fructus non percipit, id eſt ex voluntaria ceſſione. Canonicus, qui nullos fructus percipit primo anno ab inita poſſeſſione, licet reditus Fabricæ eſſent deſtinati, quia ipſe canonicatus illius titularis eſt, illumque acceptando, huic oneri acquievit. Filii familias, quorum parentes reditus percipiunt, cum hi illorum nomine fructus beneficiorum aſſequantur. Quando beneficium eſt litigioſum, & reditus uſque ad litis finem ſequeſtro ſuppoſiti, utraque pars Breviarii lege tenetur, dummodo poſſeſſionem acceperit, licet hæc pacifica non ſit, quia titulum habet, etſi litigioſum, & quia pars utraque ſperat fructus poſt Judicis ſententiam; alias qui beneficium lucraretur, fructus annorum perciperet, quibus non recitavit, & Fundatores ſacris operibus carerent. Quoties fructuum privatio eſt perpetua, vel quaſi perpetua, ut ſi bona beneficii uſurpentur a Turcis, vel hæreticis, aut ſi per inundationem, aut alia de cauſa deſtruantur, vel adeo ſterilia reddantur, ut nulla ſpes ſit, vel ſolum remota, & poſt longum tempus ex beneficio capiendi emolumentum aliquod, tunc cum beneficiarius perinde ſe habeat moraliter, ac ſi beneficium non haberet, ab onere officii liberatur, ſecus vero, ſi fructuum ablatio non ſit perpetua, vel

quaſi

quaſi perpetua, ſed pro aliquo tempore, etiamſi violenta, & injuſta, & ſine ſpe recuperationis, ut ſi ob furtum, ob bellum, ob temporum ſterilitatem &c. beneficiarius fructibus ſpoliaretur, quia onera beneficii, & pericula ſaltem ordinaria, & moralia, ut interdum fructus minuantur, vel auferantur, juſte adnexa cenſentur juri, quod beneficiarius habet ad omnes fructus beneficii, quotquot fuerint, & qui quandoque ſunt uberiores, vel duplo majores, quin majora onera invehant.

DECRETUM V. CAP. IN ORDINE CCCLXIII.

Cappellani Epiſcopi, qui cum eo recitant officium, debent ſe illi conformare. S. R. C. 11. Junii 1605. *in una pro Regulari promoto ad Epiſcopatum*, ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 19.

I. REgularem ad Epiſcopatum aſſumptum, non quidem quoad vim coactivam, ſed ex quadam decentia ad obſervantiam Regulæ, & principalium Conſtitutionum, dummodo earum executio ſtatum non dedeceat ſtatum, vel ipſius muneri non repugnet, teneri, ſententia eſt D. Thom. 2. 2. *qu.* 185. *art.* 3. Has inter obſervantias communiter recenſetur, ſocium ſui Ordinis ſecum habere, qui Epiſcopis quandoque deſervit, & in ſocium recitationis divini officii, & in Cappellanum pro Miſſæ celebratione. Regulares Epiſcopi ritum ſuæ Eccleſiæ, non Ordinis ſequi tenentur; hinc factum eſt dubium, num ſi prædictum ſocium, aut quemcumque alium Cappellanum, qui alieno ritui, aut Kalendario manet addictus, in recitationi adjutorem ab Epiſcopo aſſumatur, poſſit hic ſe cum Epiſcopo conformare, quin ad officium aliud ex proprio Breviario legendum teneatur?

II. Nedum poſſe, ſed debere Congregatio reſpondit; Epiſcopalis enim dignitas profecto exigebat, ut ſocium divini officii pro libito poſſet eligere, & nimis oneroſum fuiſſet, ſocium prædictum ad officium aliud obligari. Simile Indultum in Clem. 2. *de celebr. Miſſar.* factum jam fuit Clericis quibuſcumque Sæcularibus, vel Regularibus, qui fuerint familiares domeſtici, & commenſales Epiſcoporum, aut Cardinalium, ut ſcilicet id poſſint, & nedum dum actualiter cum illis recitant, ſed etiam quando non recitant, ut ponderat Tancredus *de Relig. tom.* 3. *diſp.* 11. *n.* 2. Baldellus *lib.* 3. *diſp.* 29. *n.* 7. & Navarrus *de orat. cap.* 19. *n.* 216. quia facile poteſt accidere his omnibus, ut uno, vel altero die recitet cum Epiſcopo, vel Cardinali, & optimum eſt, quod ritum probe calleant ob dubia, quæ circa officium poſſunt contingere.

III. Quæ rationes cum itidem militent pro Cappellanis, cum quibus Epiſcopus aſſolet recitare, dubium non eſt, eidem debere ſe ſe conformare, etiam quando ſoli recitant. Et quidem alias plurima fierent incommoda, officiorum nempe de præcepto omiſſiones multæ, & repetitiones, in ritu perturbationes plures, diſcoloreſque quoad officia, & formulam ipſam recitationes; ut puta ſi recitato matutino cum Epiſcopo de feria, aut ex Breviario Ambroſiano, reliquas horas de Sancto, aut ex Breviario Romano, vel Monaſtico ſoli dicere deberent.

IV. An Cappellani, qui non ſint ex familiaribus, aut commenſalibus ab Indulto repellantur? Non credimus; nihil enim hujuſmodi habet Decretum, & inane fuiſſet de iiſdem inquirere, aut indulgere, quibus jam Clementina favebat. Nec itaque exigitur, quod Cappellani ſint ex familiaribus, aut commenſalibus, nec e contra, ut beneficio perfruantur, aliter quippe judicare, foret liberalitatem Principis in diminutionem velle interpretari contra *L. Hac ſaluberrima. C. de agen. in reb.* Hoc tamen diſcrimen ſit Cappellanos inter & familiares, ac commenſales, quod hi a Clementina duntaxat facultate donantur, illi vero a Decreto per verbum *Debent* ad ſe conformandum adſtringuntur, licet ad familiares itidem, ac commenſales, qui ſæpe in ſocio aſſumuntur, obligationem, quam Cappellani præſens facit Decretum, diſpoſitionis ratio protendat.

V. Hinc tamen nolo, quod inferas, Cappellani Epiſcoporum univerſim integrum eſſe juxta Epiſcoporum Kalendarium, & Breviarium recitare, ſed ſolum iis, *qui cum iiſdem recitant officium*, aut in recitationis ſocios frequenter, vel ſæpe conſueſcunt adhiberi; ea enim verba, *Qui cum eo recitant officium*, conſulto ad rem hanc a Decreto poſita fuiſſe arbitror. At cum nihil hujuſmodi habeat Clementina, id poterunt familiares, & commenſales, etſi in ſocios ſæpe non aſſumantur, ſed raro, aut nunquam. En rationis diſparitas, quod hi cum ſemper Epiſcopis ſint præſto, de facili poſſunt aſſumi aut ſuper dubiis conſuli, non ſic vero Cappellani, niſi & ipſi ſint familiares, & commenſales, quo in caſu etiam iiſdem Clementinæ Indultum ſuffragaretur.

VI. *Cappellanorum* autem etſi mentio in Decreto habeatur, ad quoſcumque, qui in ſocios aſſumerentur, favorem extende; non enim Cappellanis qua Cappellanis, ſic namque ad Miſſam unice deſerviunt, ſed iiſdem qua in recitatione ſociis uniformitas demandatur, dum non Cappellani abſolute, & ſimpliciter, ſed cum addito, *qui cum eo recitant officium*, obbligatio ſe illi conformandi legitur injuncta, & ratio ipſa præcavendi memorata incommoda idipſum luculenter oſtendit, & Epiſcoporum commodum expoſcit. Quod ſi Cappellanos Sanctio duntaxat nominat, ex inquiſitione proceſſit, quæ ſuper Cappellanis facta dignoſcitur.

VII. Ad habitualiter, ſeu frequenter ſocios nec ſit reſtrictus favor Decreti, quam factum credimus in Epiſcoporum commodum, ut quos mallent, pro libito, & juxta opportunitatem poſſet deligere, ſed extenſus ad eos omnes, qui una duntaxat, vel altera vice in ſocios deſervirent. Largiſſima, quæ privilegiis undequaque favorabilibus debetur, interpretatio id nobis ſuadet, nec refugit textus Decreti, quin magis probat, dum de Cappellanis, ſeu ſociis in plurali numero, & de Epiſcopo in ſingulari profatur, ut nempe daretur intelligi, quoſcumque, quorum miniſterio Epiſcopus uti judicaverit, poſſe ſe illi conformare, tametſi eadem die ad diverſas horas, non unius adjutorio, ſed plurium, & diverſorum uteretur. Hac unica etiam de cauſa, Clementina commenſalibus, & familiaribus omnibus ut ſupra indulſit, & non ſolum iis eorumdem, qui ſæpe in ſocios aſſumuntur, ut nempe Epiſcopi pro ſuo placito, & commodo uti poſſent eorumdem adjutorio. Captum ſit itaque, quod qui frequenter, & regulariter in divino officio Epiſcopum adjuvant, huic ſe conformare teneantur, etiam quando ſoli recitant, ad præcavenda ſuperius recenſita incommoda; id facere poſſint Commenſales, & familiares ratione facillimæ eligibilitatis; qui vero una duntaxat, aut altera vice aſſumuntur, ſe illi conforment, dum cum eo recitant, & ſtatim ad proprium Kalendarium, & Breviarium redeant, alias cum omnes aſſumi queant, omnes Epiſcopo ſe conformare deberent.

VIII. Difficultas nunc eſt, an qui ad unam, vel alteram horam aliquando ab Epiſcopo eligeretur, ex quo Breviario, & Kalendario reliquum officii deberet legere?

IX. ℟. Quod ſi in utroque Breviario de eodem Sancto fiat, ſocii reliquum officii ex proprio Breviario legere debebunt, non ex illo Epiſcopi, ex quo legendi privilegium ſolum ſuffragatur, dum cum Epiſcopo recitant. Fallit fortaſſe, quoties Breviarium foret Romanum, ex quo privatim legere liberum cuilibet faciunt Auctores plurimi, quorum ſententia etſi a nobis alibi refutetur, in hoc caſu probabiliter poſſet procedere.

X. Si vero in utroque Kalendario idem non recurrat officium, non ſatisfieri putat Navarrus *cap.* 19. *de ort. n.* 217. partem officii recitando de uno, & partem de alio, eo quod omnes horæ ſunt unum, idemque officium, & intentio juris communis, & concedentis privilegium eſt, ut unicum unius diei officium integre quotidie recitetur, non vero dimidium de uno, & dimidium de altero Sancto. Perſicus *de hor. can. cap.* 6. *dub.* 2. *n.* 21. cenſet tunc ſocium poſſe recitare reliquum officii, de quo recitavit matutinum, & laudes, ne cogatur vel officium legitime recitatum repetere, vel recitare horas, & veſperas de diverſo ab illo, de quo recitavit matutinum cum laudibus. Verum reſponſiones illæ, quatenus adſtringunt ad repetendam partem cum Epiſcopo recitatam, ex ſe utique ruunt, cum nemo unquam obligari valeat ad repetitionem partis legitime, & vi privilegii recitatæ, & inſuper reddunt privilegium ipſum prorſus inane, & inutile, quia jam nihil operaretur. Nos itaque dicimus, quod ſi majorem officii partem cum Epiſcopo recitaverit, etiam reliquum officii juxta ejuſdem Kalendarium debet proſequi; ſi autem major pars officii fuerit privatim recitata, aut maneat recitanda, huic & reliquum officii erit conforme, & juxta proprium Kalendarium. Qui enim concedit privilegium aliquod, conſequenter concedit ea omnia, quæ neceſſaria ſunt ad ejus utilem, & commodum uſum; quare nec id eſt contra intentionem concedentis, jus commune, aut officii leges, utpote quæ procedunt ſecluſo privilegio, quo ſtante nihil vetat officium partim eſſe de uno, partim de altero. Officium autem in proprio Kalendario recurrens, quod ob uniformitatem cum Epiſcopo habendam, ea die non diceretur, in altera reſumi non poſſet, ut dicebamus agentes de eo, qui per errorem alteri a currenti incubuit officio.

XI. Quod privilegium cum in favorem Epiſcopalis dignitatis dignoſcatur editum, etiam Epiſcopis titularibus credimus eſſe favorabile, nec refragaremur admodum, ſi quis illud ad Cardinales extenderet, qui dignitate præcellunt Epiſcopos, & cum quibus Eccleſia liberalius aſſolet agere, & præſertim quia etiam indultum Clementinæ, quod præſenti eſt ſimile, his voluit eſſe commune.

DECRETUM VI. CAP. IN ORDINE CCCLXIV.

Tertiarii S. Franciſci degentes in ſeculo poſſunt uti Breviario Ordinis Minorum, & illius Kalendario conformari. S. R. C. 7. Aug. 1694. *in una Ord. Minor.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 186.

I. PLurima, quæ ſcriberemus, nobis ſuppeterent, ſi quæ ad Tertiarios attinent, pertractare vellemus; hinc omiſſis iis, quæ a noſtro inſtituto ſunt aliena, gradimur ad Tertiarios in quatuor claſſes ſecernendos. Prima eſt eorum, qui vivunt intra clauſtra cum Regularibus; quorum habitum gerunt. Secunda eſt eorum, qui vivunt collegialiter in aliqua communi domo extra clauſtra Religioſorum ſui Ordinis. Tertia ſit illorum, qui proprias ſigillatim domos inhabitant, ſi libet uxores ducunt, aut caſte vivunt, vel etiam Sacris initiantur. Quarta eſt mulierum virginalem, ſeu coelibem, aut caſtam vidualem expreſſo voto, & ſub dicto habitu vitam ducentium, ſive poſtea in communi aliqua domo, vel in conſanguineorum ædibus habitent.

II. Tertiarios hos omnes ex ſe minime teneri ad officium divinum, & quatenus ex propria devotione recitare velint quocumque Kalendario, & Breviario etiam ex ſuppreſſis per Bullam Pianam uti poſſe, dubium non eſt, ſuppreſſa quippe non venere, nec eorum fuit uſus ſublatus, niſi quatenus ad ſatisfaciendum præcepto adhiberentur, unde & eadem uſitantibus infli-

giur

Digitized by Google

gitur tantummodo pœna non ſatisfaciendi oneri Horarum, canonicarum non vero quatenus ad propriæ indulgendum devotioni uſurparentur, quem ad effectum congruentius ab ipſis haud ambigo recitatum iri ex Breviario, & Kalendario Ordinis, cujus ſunt membra, ut ſic unanimes uno ore honorificent Deum, ut ait Apoſtolus *Rom.* 15. 6.

III. Verum quoniam ex Tertiariis nonnulli ſunt, qui ad divinum officium vi beneficiorum, aut Sacrorum Ordinum adiguntur, ortum eſt dubium, cum ex iis, qui in ſæculo degunt, de quibus utique potior urget difficultas, cum Ordine, cujus habitum gerunt, ſe conformare valeant, propriæ una ſic recitantes ſatisfaciendo obligationi, & propoſitum fuit dubium in perſona Tertiariorum S. Franciſci relate ad Breviarium, & Kalendarium Ordinis Minorum. Congregatio reſpondit affirmative, unde fit, quod & de Sanctis Ordinis recitare valeant, & ejuſdem Ordinis Breviarium uſurpare, etſi eſſent de Diœceſi aliqua, in qua aliud a Breviario Romano haberetur Breviarium, puta Ambroſianum.

IV. Equidem Tertiarii gaudebant olim privilegiis omnibus Ordinis, cujus ad habitum aſſumebantur, cuique veluti incorporati veniebant. Hæc communicatio, præſertim quantum ad eos, qui degunt in ſæculo, moderata extitit, & forſitan etiam ſublata, ſed tamen dumtaxat quoad ea, quæ perturbare poterant juriſdictionem Ordinarii, Parochi, aut fori Sæcularis, vel cuicumque alteri præjudicium inferre, vel in cauſam litium, & diſſenſionum eſſe, unde quia hujuſce rationis non ſunt indulgentiæ, ab harum communicatione non cenſentur depulſi. Benedictus XIII. plures edidit Bullas, quibus Ordinibus Regularibus plurima fecit privilegia, gratias, & indulgentias, ſed cum a Clemente XII. revocatæ eædem fuerint, ac declaratæ *habendæ, perinde ac ſi minime emanaſſent*, exortum eſt dubium, num ſola privilegia contentioſa, & quæ alienam perturbant juriſdictionem, caderent ſub Bulla revocatoria, quæ *ad removendam litium occaſionem* ſignabatur emanata, an vero etiam privilegia undequaque favorabilia? Hujus rationis cum ſint indulgentiæ, pro his propoſitum fuit dubium declarari, ad quod Indulgentiarum Congregatio die 20. Januarii 1733. reſpondit: *Indulgentias non eſſe revocatas*, & conſequenter nec ſimilia alia, ſi quæ ſunt, privilegia mere favorabilia. Quis itaque excogitaret unquam, quod ſub Bullis revocatoriis privilegiorum Tertiariorum, quæ non ita amplioribus expreſſæ ſunt terminis, & noſcuntur editæ ad redimenda a perturbatione alienam juriſdictionem, & tollendas cauſas litium, cadere poſſit privilegium utendi Breviario, & Kalendario proprii Ordinis, quod eſt privilegium mere favorabile, nulli inferens præjudicium, ac nullius occaſio litis, vel diſſenſionis, quinimmo conſonum admodum, utpote quod membra facit cum ſuo toto conſonare in Dei laudibus, nec ſpeciali cultu præterire merita Sanctorum illorum, qui dum viverent, idem inſtitutum profeſſi ſunt?

V. Inferes 1. Idem judicium habendum eſſe de Tertiariis quarumcumque Religionum relate ad Breviarium, & Kalendarium ſui reſpective Ordinis; Tertiarii enim omnes ab Apoſtolica Sede donati fuere privilegiis cunctis, & conceſſionibus ſuo reſpective Ordini factis, & faciendis, & ſignanter illi Ordinis Eremitarum S. Auguſtini per Julium II. in Brevi *Præ ceteris* 2. Julii 1512. Verum quando etiam in ſpecie non haberentur conceſſiones hujuſmodi in favorem Tertiariorum aliarum Religionum, privilegium, cujus modo meminimus, factum Ordini S. Auguſtini, necnon, quod per præſens Decretum fit Ordini Minorum, ejuſque Tertiariis, mutuæ ratione communicationis ſuffragarentur Tertiariis aliarum Religionum, quæ cum iiſdem in privilegiis participant, non quidem ita, ut hi uti queant Breviario, & Kalendario Ordinis S. Auguſtini, aut Minorum, cui communicationi obſiſtunt Decreta, quæ in cap. 7. fecimus expoſita, ſed Breviario, & Kalendario ſui reſpective Ordinis; & quidem tametſi hujus Breviarium diverſum foret ab eo Diœceſis, quinimmo & a Romano, in nihilum obſtante Bulla Pii V., quæ hoc ipſo quod non privat proprio Breviario Fratres Ordinis, utique nec ejus Tertiarios.

VI. Inferes 2. Decretum per verbum *Poſſunt* Tertiariis facultatem facere, non neceſſitatem imponere, quare iiſdem & integrum erit cum Clero Diœceſis ſeſe conformare, privilegium quippe eſt, quod Breviario, & Kalendario ſui Ordinis uti queant; privilegiis autem nemo cogitur uti. Quod ſi qui eorumdem de gremio, aut de choro Eccleſiæ alicujus ſint, in Decreto 3., & aliis hujus capiti jam diximus, quid præſtare poſſint, & debeant.

VII. Inferes 3. potiori jure Breviario, & Kalendario Ordinis uti poſſe Tertiario collegialites viventes, cum horum privilegia minorem paſſa ſint diminutionem; & adhuc multo magis eos ex iiſdem, qui intra clauſuram ſuæ Religionis degunt, qui una cum Regularibus cenſentur unum corpus efficere, de gremio ejuſdem Eccleſiæ, & choro eſſe, & Regularibus plenarie ſubſunt, & privilegiis Ordinis, quæ iiſdem ſunt adaptabilia, integre perfruuntur. An autem hoc privilegium extendi queat ad Clericos Sæculares, qui non ſunt Tertiarii, ſed Regularium continui commenſales, nonnullis fortaſſe videbitur, quod & Sacramenta a ſuis Regularibus percipere queant; at in hanc partem nos inclinare non poſſumus, eo quod iidem reapſe non ſunt de corpore Religionis, nec rationes, quæ in Sanctorum indigenarum conceſſionibus inſpiciuntur, iiſdem videntur poſſe eſſe favorabiles, quidquid ſit de privilegiis aliquibus, quorum participationem etſi iiſdem contendere nolimus, dicimus tamen, hinc ad alia validum argumentum non fieri. Limita tamen, ſi chorum adeant.

DECRETUM VII. CAP., IN ORDINE CCCLXV.

Cum ex parte Parochorum, Rectorum, & Sacerdotum Locorum, & Terrarum, nempe *di Caneto*, *Carzagetto*, *Fontanella*, *Caſtiglione*, *Medole*, *Solſerino*, *Oſtiano*, *a Volſongo*, Diœceſis Brixienſis, quæ ſunt ſitæ extra limites Status Veneti, Sacræ Rituum Congregationi humillime ſupplicatum fuerit, quatenus ipſis ad ſervandam uniformitatem in recitatione officiorum Diœceſis Brixienſis, benigne impertiri dignaretur, ut officia Sanctorum univerſo Dominio Sereniſſimæ Reipublicæ Venetiarum conceſſa, ac in poſterum concedenda, etiam in præfatis locis, & Terris recitari valeant; & Sacra eadem Congregatio, audita prius relatione Eminentiſſimi Epiſcopi, reſcribendum cenſuit: *Non indigere alia facultate*. Die 7. Decembris 1673. *in Brixien.* Habetur apud nos in authentica forma.

I. *Cum perſequentur vos in Civitate iſta, fugite in aliam*, per Matthæum 10. 23. populum ſuum edocuit Chriſtus Dominus, qui nec indignum putavit, cum quæreretur, abſcondere ſe, & cum perſecutionem pateretur, fugere, & inſidias declinare. Hanc cum Sancti homines formam didicerint adverſus perſecutores, ut legitime certarent, non ſemel fugerunt, & ab illis quæſiti ſe abſconderunt, & circuierunt, ut ait Apoſtolus *Hebr.* 11. 37. in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti, in ſolitudinibus errantes, in montibus, & ſpeluncis, & in cavernis terræ. Verbo, & exemplo, præſertim Chriſti Mater Eccleſia admodum provide in Diœceſum diſtributione quædam viciniora loca extra Territorium Civitatis, in qua quælibet Epiſcopalis Sedes eſt erecta, immo quoad commode fieri potuit, etiam extra Dominium Principum, qui eam regunt, aſſignata voluit, quo Eccleſiarum Antiſtites in iiſdem tempore perſecutionis ſe recipere poſſent, & tuto conſiſtere, ac una vicinæ Diœceſis neceſſitatibus pro viribus providere.

II. Inſtar hujuſmodi Civitatis refugii Brixienſis Epiſcopatus habet loca illa, & Terras, quarum meminit Sanctio, & extra limites Territorii Brixienſis, immo & Dominii Veneti, ſub quo Brixienſis quieſcit Civitas, ſitæ ſunt, & poſitæ, & per alios reguntur Principes. Quæ cum ita forent, prædictis viſum eſt locis, haud ſibi licere recitationem officiorum eidem Dominio conceſſorum, & ad inſtantiam Sereniſſimæ Reipublicæ, & ratione uniformitatis petita eſt Congregatio ſuper facultate recitationis jam conceſſorum, & concedendorum. Quæ reſcripſit: *Non indigere alia facultate*.

III. De duobus nos inſtruit iſta reſponſio; cum enim non concedendo facultatem, quæ petebatur, Congregatio proceſſerit, ſed declarando, præfata loca, ac Terras ad memorata recitanda officia *non indigere alia facultate*, duæ eruuntur generales regulæ. Prima eſt, quod quæcumque officia conceſſa, & concedenda recitari in Dominio aliquo, extenduntur ad omnes Eccleſias Cathedrales ejuſdem Dominii, & ad harum Diœceſes cunctas licet Terræ aliquæ, ſeu loca, quæ Diœceſim conſtant, extra limites Dominii ſint. Secunda erit, quod e contra Terræ illæ, quæ ſub Dominio ſunt, ſi pareant in ſpiritualibus Epiſcopatui alicui extra Dominium poſito, haud valent de Sanctis Dominii recitare. Horum ratio eſſe poteſt, quod Terræ illæ tamquam membra ſpectant ad Cathedralem tamquam caput, & una cum reliquis Terris eandem conſtant Diœceſim; admodum autem congruit, quod membra ſuo non diſcrepent capite, nec a commembris reliquis, ſed cuncta uniſona ſint in laudibus Dei; hæc eſt cauſa, ob quam in eadem Provincia, & Diœceſi idem pſallendi ordo præcipitur ſervari in cap. *De iis*, & cap. *Placuit*. Et quidem divinum officium Clerum inſpicit, & ad ſpirituale regimen attinet, quare dum Dominio alicui conceditur, intelligitur conceſſum Clero omni, & ſoli, qui in ſpiritualibus eidem Dominio ſubjacet, ſeu paret Cathedrali intra idem Dominium poſitæ.

IV. Par ratio habenda eſt de quocumque officio, quod Regno, Provinciæ, vel Civitati alicui poſſet eſſe conceſſum, ita ut conceſſum intelligatur locis illis omnibus, & ſolis, quæ ad eadem loca in ſpiritualibus ſpectant. Diſſimilis conſequenter nec ſit illatio de diebus feſtivis, jejuniis ſacris, Patronorum cultu, aliiſque, quæ ad polum, non forum attinent, & ſpiritualem, & eccleſiaſticam, non temporalem, & laicalem reſpiciunt juriſdictionem. Limita in Patronis Patriæ, ad quorum electionem uti concurrit Populus quique, licet diverſis pareat Epiſcopis, & in diverſas diſtributus ſit Diœceſes, ita æquum eſt, in eorumdem cultu conveniat. Idipſum foret de diebus feſtivis, quæ ad iſtantiam locorum, quæ in diverſas Diœceſes forent diſtincta, ob ſpeciale, & commune beneficium eſſent indictæ, aut jejunia, vel etiam officia, aliaque ſimilia, quæ communem tangerent cauſam, & a communibus votis originem ducerent.

DECRETUM VIII. CAP., IN ORDINE CCCLXVI.

Uſus Miſſalis, & Breviarii Romani ſemel introductus in Eccleſia, quæ habebat particulare Miſſale, & Breviarium, confirmandus eſt, nec licet redire ad uſum antiqui Miſſalis, & Breviarii. S. R. C. 15. Martii 1608. *in Tullen.*, *ſeu nullius*, ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 31.

I. Divini officii formulam pie olim, ac ſapienter per ſummos Pontifices conſtitutam, ac reformatam, ſed diuturnitate temporis ab antiqua inſtitutione deflexam, mutilatam, & cam-

Digitized by Google

commutatam, Pius V. ad priſtinam orandi regulam revocare volens, ac orandi varietatem tollere, præclaram illam edidit Conſtitutionem, quæ Breviario Romano legitur præfixa. In hac abolet Breviarium breviſſimum Cardinalis Quignonii, & quæcumque alia Breviaria vel antiquiora, vel quovis privilegio munita, vel ab Epiſcopis in ſuis Diœceſibus evulgata, ac demandata, omnemque illorum uſum tollit de omnibus Orbis Eccleſiis, aut Monaſteriis, *illis tamen exceptis, quæ ab ipſa prima inſtitutione a Sede Apoſtolica approbata, vel conſuetudine, quæ vel ipſa inſtitutio ducentos annos antecedat, aliis certis Breviariis uſa fuiſſe conſtiterit*. Deinde revocat permiſſiones omnes, conſuetudines, ſtatuta, privilegia, indulta precandi, & pſallendi more, & ritu prædictorum Breviariorum ſuppreſſorum, & in omnibus Eccleſiis, Monaſteriis, Ordinibus, & locis Breviarium ſuum, ac precandi, & pſallendi formulam obſervari præcipit in perpetuum ſub pœna de non ſatisfaciendo oneri horarum canonicarum, *ſalva dumtaxat prædicta inſtitutione, vel conſuetudine prædictos ducentos annos ſuperante*. Quare dubium non eſt, quod tenentur omnes uti Breviario Romano, exceptis ſolum iis Eccleſiis, quæ particulare Breviarium habebant per ducentos annos antiquius Breviario Romano per Pium V. emendato, quinimmo & his relicto proprio Breviario ad Romanum convolare liberum per hæc verba facit Pius: *Quibus ut inveteratum illud jus dicendi, & pſallendi ſuum officium non adimimus, ſic ejuſdem, ſi forte hoc noſtrum, quod modo pervulgatum eſt, magis placeat, dummodo Epiſcopus, & univerſum Capitulum in eo conſentiat, ut id in choro dicere, & pſallere poſſint, permittimus*. Poſſunt id itaque, ſed neceſſarium eſt, interveniat conſenſus Epiſcopi, & univerſi Capituli, & cum utriuſque conſenſus copulative exigatur, alterutrius diſſenſus præfatæ receptioni officit. Ut autem *univerſum* Capitulum conſentire cenſeatur, non exquiritur, ut omnes de Capitulo, nullo diſcrepante, conſentiant, id namque moraliter expectandum non eſt, nec vis verbi hoc expoſcit, ſed ſolum quod conſenſus præſtetur a Capitulo, ut Capitulum eſt, ideſt per modum unius corporis myſtici ad hoc congregati, & tunc *univerſum* conſentit, quando major pars vincit, niſi jure expreſſo amplius requiratur, quemadmodum advertit Suarez *to. 2. Relig. lib. de hor. can. cap. 11. num. 4.*

II. Quæ diſponit Pius, cum proportione debent applicari Eccleſiis, ita ut loco Epiſcopi in Monaſteriis exemptis conſenſum præſtare debeat Prælatus Regularis, ut ſcite admonent Salmanticenſes *to. 4. Theol. mor. tract. 16. de hor. can. cap. 1. pun. 4. nu. 26.*, Leſſius *lib. 2. de juſt. cap. 37. dubit. n. 74.*, & Rodriquez *to. 1. qq. Regul. quæſt. 47. art. 3.* Si itaque Breviarium, a quo Regulares abſcedere intendunt, ut ad Romanum confugiant, eſt proprium, & particulare alicujus monaſterii, ſufficiet conſenſus Prælati localis, & Capituli ejuſdem Monaſterii; ſi proprium eſt Provinciæ, conſenſus Prælati, & Capituli Provincialis, & ſi proprium eſt totius Religionis, conſenſus Prælati, & Capituli Generalis, quia tunc eſt privilegium proprium, & particulare reſpective Monaſterii, Provinciæ, vel Religionis, adeoque ab iiſdem reſpective etiam illi renunciari poteſt, ſicuti ponderant Salmanticenſes *ibidem tract. 18. cap. 2. pun. 1. num. 5.*, & Bordonus *reſol. 52. num. 108. & 109.* Qua proportione ſervata dicta etiam ſunto de Monialium Eccleſiis, quæ ut proprio ritu relicto ad Romanum tranſeant, ultra conſenſum ſui Capituli expoſcetur conſenſus ſuperioris Regularis, a quo reguntur, aut Epiſcopi, ſi huic pareant. Quoniam vero advertit Bona *rer. liturg. lib. 1. cap. 7.*, quod Romanum non deſinit eſſe Breviarium illud, in quo ritus Romanus ſervatur, etſi quædam propria officia ex Apoſtolica auctoritate teneat, ut eſt Breviarium Auguſtinianum, idcirco favorabile non erit Pianum indultum monialibus ut ſupra habentibus Breviarium pro tranſitu ad illud Pii V. cum ſuppreſſione officiorum particularium ipſis a S. Sede demandatorum, ſed ad hoc neceſſaria erit ſpecialis conceſſio Sedis Apoſtolicæ. Idipſum eſt de Regularibus viris, a particularibus Monaſteriis, ſed a tota Religione iiſdem renunciari poſſe alibi diximus.

III. Hora eſt, properemus ad examen Decreti, in quo ſtabilitur, quod ab Eccleſiis habentibus jus proprii Breviarii & Miſſalis, ſemel introducto uſu Miſſalis, & Breviarii Romani, conſirmandus eſt, nec iiſdem licet amplius redire ad uſum antiqui Miſſalis, & Breviarii. Cujus rationem Suarez *de hor. can. cap. 11. n. 4.*, Baldellus *lib. 3. diſp. 29. n. 9.* & Perſicus *tract. 6. de hor. can. n. 5.* petunt ex eo, quod per Breviarii Romani acceptationem antiqua conſuetudo revocatur, jus proprii Breviarii aboletur, & renunciatur privilegio in ſuperius recenſita exceptione contento, & ideo lex Piana de Breviario Romano ſtatim obligat. At quid, ſi per conſenſum Epiſcopi, & Capituli Breviarium Romanum acceptatum fuiſſet, ſed eoſdem conſenſus præſtiti ſtatim pœniteat, ita ut nec ſemel dictum Breviarium fuiſſet in uſum inductum? Decretum hanc quæſtionem non dirimit, cum procedat ſub ſuppoſitione uſus jam inducti Breviarii Romani. Pro libertate vero proprii Breviarii faciunt ea verba Decreti, *Nec liceat redire*, quæ ſupponunt diſceſſum a proprio Breviario, qui non intervenit, quoties Romanum numquam eſt recitatum; quinimmo Decretum expoſcit uſum Breviarii Romani jam inductum, ad quem inducendum tres ad minus actus exiguntur. In oppoſitum faciunt, quod per conſenſum ſemel præſtitum privilegio Breviarii proprii it renunciatum, & Romanum acceptatum non obſtante poſteriori diſſenſu, qui non eſt attendendus juxta regulam illam, *Quod ſemel placuit, amplius diſplicere non poteſt*. Quibus ponderatis tu judex eſto, nobis namque magis arridet ſententia libertati favorabilis.

IV. Num Clerici, vel Religioſi, quarum Eccleſiæ proprii jure gaudent Breviarii, dum privatim recitant, licite recitare queant juxta formam Breviarii Romani, an vero teneantur ad formam Breviarii ſuarum Eccleſiarum, diſſident Auctores, & Salmanticenſes *tract. 16. cap. 1. pun. 4. num. 26.*, Sanchez *tom. 2. conſil. lib. 2. dub. 23. num. 2.*, Pelliz. *tract. 5. cap. 8. num. 18.*, aliique plurimi integrum iiſdem faciunt privatim recitare juxta Breviarium Romanum, tum quia Pius V. dum exigit conſenſum Capituli, & Prælati ad relinquendum Breviarium propriæ Eccleſiæ, loquitur expreſſe de recitatione *publica, & in choro*, unde videtur concedere licentiam ad recitandum extra chorum juxta Romanum. Tum quia ſic recitans, ſe conformat Eccleſiæ Romanæ, quæ eſt omnium mater. Attamen communior ſententia privatim recitantem ad recitandum adſtringit juxta formam proprii Breviarii, quia ad ſequendum Romanum in choro expoſcit Pius conſenſum Epiſcopi, & Capituli, ergo & extra chorum, quia privata recitatio ſubrogatur loco publicæ; quilibet enim ſequi debet ſuam Eccleſiam, ejuſque ritui ſe conformare juxta *cap. de his, & cap. Placuit, diſt. 12.* Dubium omne tollit declaratio S. Congreg. Concilii, quæ per Garziam *de benef. par. 3. cap. 1. num. 155.*, Baldellum *lib. 3. diſp. 19. n. 5.*, & Euſtachium a S. Ubaldo *de Dei bened. obſerv. 1. num. 75.* ſub his terminis refertur: *Habentes Breviarium ante ducentos annos inſtitutum, non ſatisfaciunt recitando, etiam extra chorum, juxta formam Breviarii novi Pii V., ſi hoc in ſua Eccleſia non fuit receptum de conſenſu Epiſcopi, & Capituli.*

V. Quod ſi hi non ſatisfaciunt recitando ex Breviario Romano, multo minus ſatisfacient Romano Breviario addicti recitando ex alio Breviario, de quibus Bulla Piana habet, *neminem ex his, niſi hac formula, ſatisfacere poſſe*. Quare uterque non habens Breviarium proprium, non tenetur ex alio officium perſolvere, quia in hoc reſpectu illius non datur officium canonicum. Quod vero dicunt nonnulli de duplici præcepto, ſcilicet ſuper recitatione unum, & ſuper formula aliud haberi, adeoque qui non poteſt adimplere unum, teneri ad aliud, bene advertunt Salmanticenſes *num. 28.* non poſſe procedere, alias officium omittens, duplex peccatum committeret.

VI. Refertur privilegium quoddam Innocentii IV. Ordini Minorum, & conſequenter etiam aliis Religionibus communicantibus in privilegiis factum, in quo conceditur, ut quando contigerit Fratres cauſa itineris, vel alia juſta ratione extra conventum, & loca ſua degere, poſſint cum Religioſis alterius Inſtituti per eorum Breviaria officium perſolvere, & oneri ſatisfacere. Per Bullam Pii V. revocatum non eſſe contendunt Miranda *in manu. tom. 1. quæſt. 37. art. 3.* & Rodericus *in compen. reſol. 24. num. 8. & 34.* Alii diſtinguunt, & revocatum aſſerunt quoad uſum Breviarium ſuppreſſorum per eandem Bullam, ſecus non ſuppreſſorum, cujuſmodi ſunt per ducentos annos antiquiora Bulla Piana. Alii revocatum autumant quoad quæcumque Breviaria aliena a Romano, quia etſi Breviaria ut ſupra antiquiora, non ſint revocata quoad ſe, bene vero quoad addictos ritui Romano, de quibus Bulla ſtabiliſit, *nonniſi per formulam Breviarii Romani ſatisfacere poſſe*; & quidem revocatis *quibuſcumque privilegiis*. Religioſi itaque Romani ritus nonniſi per Breviarium Romanum ſatisfacere poſſunt, ſecus Romano ritui non addicti, pro quibus integrum ſtat præfatum privilegium, cum Bulla Piana ſolum afficiat adſtrictos ritui Romano.

DECRETUM IX. CAP. IN ORDINE CCCLXVII.

Canonici debent cantare alta voce, & poteſt Epiſcopus eos hortari ad id faciendum. S. R. C. 23. Novembris 1602. *in Egitanen.* ex Merato in Indice Decretorum Breviarii n. 5.

I. DUplex quæſtio dirimitur, dum Canonicos alta voce cantare debere decernitur. Prima eſt, Canonicos ſuo muneri non ſatisfacere, nec diſtributiones facere ſuas, qui choro quidem aſſiſtunt, ſed per ſeipſos non cantant; ſecunda vero, idipſum eſſe, ſi ſubmiſſe recitent partem ſuam, licet per Manſionarios, alioſve Cappellanos ad id conductos, divinum officium in choro caneretur. Habetur in c. finali 92. diſt. *Si quis Presbyter aut Diaconus, vel quilibet Clericus Eccleſiæ deputatus, ad quotidianum pſallendi officium, matutinis, vel veſpertinis horis ad Eccleſiam non convenerit, deponatur a Clero*. Ex pœna depoſitionis, quæ eſt graviſſima, eruitur præceptum graviſſimum; verba autem præfata ſenſum formalem faciunt, non materialem, nam convenire ad officium pſallendi, non eſt convenire in loco, in quo pſallitur, aut ad audiendam pſalmodiam, ſed eſt convenire ad pſallendum cum pſallentibus. *Et cum pſallendi gratia*, ſubdit ad rem admodum Concilium Baſilienſe ſeſſ. 21. tit. Quomodo, *ibi conveniant, muta, aut clauſa labia tenere non debent, ſed omnes præſertim, qui majore funguntur honore, in pſalmis, hymnis, & canticis Deo alacriter modulentur.*

II. Pius V. in ſua Conſtit. *Ex primo Lateranenſi Concilio* explicans Lateranenſe Concilium, quod non officium recitantes, ad fructuum reſtitutionem adſtringit, addit id procedere, *tametſi aliquis choro addictus, non recitans, omnibus horis canonicis cum aliis præſens adſit, fructuſque, & diſtributiones forte aliter aſſignatas, ſola præſentia juxta ſtatuta, conſuetudinem, fundationem, vel alias ſibi lucrifeciſſe prætendat*. Exponitur hic textus de iis, qui nullatenus, neque privatim, ſive in choro, ſive extra chorum officium recitant, & fortaſſe Bullæ verba hunc ſenſum minime refugiunt. Sed ſi choro addictis ſola præſentia ſufficeret aliqua interveniente ex cauſis, quæ ſufficientes prætenduntur, jam iiſdem diſtributionibus ſpoliari

non

Digitized by Google

non poſſent, tametſi officium nullatenus recitarent; choro enim adſtrictis ſi officii onus imponitur, utique non illud recitandi ubilibet, ſed in choro, & in caſu obligationi chorali ſatiſfacerent per alios, ut ſupra canendo.

III. Quod vero per alios ſatiſfacere minime queant, clara eſt diſpoſitio Tridentini *ſeſſ. 24. cap. 12. de Reform.* de Canonicis lata: *Omnes vero divina per ſe, & non per ſubſtitutos, compellantur obire officia, & Episcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti aſſiſtere, inſervire, atque in choro ad pſallendum inſtituto, hymnis, & canticis Dei nomen reverenter, diſtincte, devoteque laudare.* Clarior adhuc eſt declaratio S. R. C. 12. Januarii 1619. in qua reſponſum fuit: *Canonicos in choro teneri omnino pſallere, alioquin obligationi ſuæ non ſatisfacere.* Quæ deciſiones fortaſſe quis limitabit ad eos, qui nec ſubmiſſe recitant, aut non habent contrariam conſuetudinem, ſed diſerte obnititur Congregatio Concilii, quæ ſub die 7. Junii 1626. declaravit: *Canonicos in Choro alta voce non pſallentes, diſtributiones non lucrari, quavis conſuetudine non obſtante.* Quod ſi *Quavis* conſuetudo non obſtare decernitur, utique quadragenaria, ut prætenditur, minime ſufficit, quinimmo nec immemorabilis, quæ ab eadem Congregatione impotens etiam declarata fuit anno 1573. ad excuſandum a reſidentia. Hinc ruit ſententia Suarez, & aliorum putantium ſufficere, quod non conſtet de fundatione contraria, aut quod conſuetudo ita recepta ſit, & fundationem fuerit interpretata, etſi enim id procedere valeat, quoties conſtet de fundatoris mente, ſecus ſi non conſtet, quia in dubiis præſumendum eſt, quod fundatio facta fuerit in majorem favorem cultus divini, in majus fundatoris ſuffragium, & juxta communem Eccleſiæ praxim, & intellectum.

IV. Hoc autem diſcrimen eſt Canonicos inter, qui choro aſſiſtunt, & nullatenus recitant, & eos, qui aſſiſtentes, recitant ſubmiſſa voce, quod illi nec ſatisfaciunt oneri divini officii, de cujus ratione eſt, ut non audiatur, ſed ut voce ſenſibili proferatur; an vero hi prædictum impleant præceptum, negant plurimi, eo quod etſi ſuam officii partem recitent, & alteram audiant, ſuam tamen alteri choro non communicant, affirmant alii, eo quod revera totum dicunt officium, unam partem ſubmiſſe recitando, & alteram audiendo, quia ut partem ab aliis ſibi communicatam recipiant, neceſſe non eſt, ut ipſi aliis ſuam partem communicent. Etſi igitur hi non ſatisfaciant obligationi chori, ad quam neceſſe eſt, ut officii partes mutuo communicentur, ſatisfacient tamen obligationi privatæ recitationis, ad quam ſufficit, ut una pars dicatur, etſi alteri non communicetur, & altera attente audiatur. Socii autem, qui partem illam communicatam non habent, & obligationi chori, & privatæ recitationi ſatisfacient, quatenus ab aliis partem illam alta voce recitatam audiunt, & ſuam integre, & diſerte pronunciant.

V. Qua de cauſa privatim officium recitans cum ſocio, qui ad officium non tenetur, præceptum adimplet, ſi partem ſocii alte pronunciantis attente audiat, etſi ipſe partem ſuam ita ſubmiſſe recitet, ut nequeat a ſocio audiri. Quod ſi ſocius ad officium ſit itidem adſtrictus, hic præcepto minime ſatisfaciet, quoniam alterius non audit partem, quam propterea ita pronunciare teneretur, ut audiri poſſet, ſi ſocium in recitatione vellet adjuvare. Ex his habes a nobis probatam iri ſententiam illorum, qui neceſſe haud putant ad privatam officii divini recitationem, quod ita pronuncietur, ut ab aſſiſtentibus percipiqueat, ſed ſufficere, quod ita pronuncietur, ut a ſeipſo poſſit audiri, ad hoc ut humano modo præceptum implere valeat, & certus, fieri, quod illud impleverit; officium quippe divinum eſt oratio vocalis *ex cap. 1. Dolentes de celebr. Miſſar., & Clem. 1. eod. tit.*, & ideo voce quidem, & ore proferri debet, & non tantum mentaliter dici, ſed ſufficit, quod ſibi ſenſibili voce proferatur, non ab aliis, niſi quoties cum ſociis recitatur, quo in caſu ut hi integrum perſolvant officium neceſſe eſt, ut alterius partem audiant.

VI. Verum redeuntes, unde digreſſi ſumus, nos admonet Benedictus XIV. *tom. 5. notif. 19. §. 3.* quod per Tridentinum Canonici, & Manſionarii a privilegio ſubſtituendi non omnino repelluntur, ſed ubi Eccleſiæ choro per vices indultum eſt deſervire, ex Decreto S. Congregationis Concilii 15. Decembris 1605., poſſe Canonicum alium Canonicum, non Manſionarium ſubſtituere, & ſic etiam Manſionarium alium Manſionarium, his tamen cum conditionibus, quarum prima eſt, ut eo tempore ſubſtitutor, non ſit itidem ſervitio adſtrictus; ſecunda, quod qui tantum ſunt præſentes in Civitate, vel ſuburbiis, ubi eſt Cathedralis, gaudeant activæ, & paſſivæ ſubſtitutionis facultate; tertia, quod etſi hujuſmodi ſubſtitutiones cauſam non requirant, non ſint tamen nimium frequentes, quod Epiſcopi commiſſum erit arbitrio; & quarta, quod ſubſtituendi privilegio dumtaxat uti queant Canonici, & Manſionarii, non autem eorum Coadjutores. Quibus nobis lubet addere alteram, nempe quod Canonici tempore trium menſium in vacationem a Tridentino conceſſorum, paſſivæ ſubſtitutionis capaces non ſunt; etſi quippe eiſdem eo tempore liceat ab Eccleſiis abeſſe, & a chori ſervitio, quia tamen id ad indulgentiam iiſdem conceſſum eſt, dum aſſiſtunt, nonniſi muneri ſuo ſatisfaciunt, adeoque pro alio ſupplere non poſſunt. Ad rem fortaſſe facit exemplum Cappellani ad quotidianum ſacrificium adſtricti, cui aliqua quidem vacatio conceditur, ſed ſi vacationis tempore celebrat, pro fundatore celebrare tenetur, nec pro alio poteſt ſacrificium offerre.

DECRETUM X. CAP., IN ORDINE CCCLXVIII.

Regularibus non convenit continuo officium, & Horas Canonicas cum Canonicis, & Clericis Sæcularibus in choro decantare. S. R. C. 29. Novembris 1603. *in Illerden.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 13.

I. Regulares, & Sæculares Clerici ſimul in choro Horas Canonicas, licet continuo, decantare non inhibentur, ſed ſolum *non convenire* decernitur; habent enim illi Sanctorum indigenarum officia plurima proprium quandoque Breviarium, laudabileſque conſuetudines, quæ, æquum haud eſt, poſthabeantur, ut in choro cum Sæculari Clero decantent, nec quod hic illis ſe accommodet. Quæ dicta ſunto, ut taceantur plurima, quæ inter perſonas diverſi inſtituti, etiam in ſancto convenientes, communis Inimicus facile malignari ſolet; qua de cauſa etiam inter Regulares diverſi inſtituti eamdem diſconvenientiam agnoſcimus. At cum hæc abſint, cum ſemel, vel iterum ad decantandum ut ſupra conveniunt, conſulto Decretum addidit *continuo*, licet a repetendo officio, vel eo recitando ex proprio Breviario, ſi diverſum foret, eoſdem minime excuſare poſſimus, ad eorum tamen tramites, quæ in tertio capitis Decreto tradidimus. Id fallit in iis Regularibus, qui Choro Eccleſiæ Sæcularis adſtricti forent, vel præfecti, aut e contra; hos enim omnes poſſe, aut debere continuo in choro Horas canonicas decantare, & officia chori, & ex Breviario chori legere, non eſt, quod vocetur in dubium, & evincunt tradita, aut indicata in eodem memorato Decreto, ubi & vidimus Epiſcopos non poſſe ſeparare Clericos a Monachis.

DECRETUM XI. CAP., IN ORDINE CCCLXIX.

Quando pro aliquo feſto, vel officio conceſſus reperiatur ritus duplex abſque expreſſione majoris, vel minoris, conceſſio intelligenda eſt de duplici minori, etiamſi ad honorem Deiparæ facta fuerit. S. R. C. 2. Octobris 1683. *in Valentina*; & 20. Novembris ejuſdem anni *in Lauden.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 144.

I. Prima, ac generali diviſione triplex aſſignatur officii genus, ſcilicet duplex, ſemiduplex, & ſimplex. Duplex non unius generis eſt, ſed aliud 1. claſſis, aliud 2. claſſis, & aliud dictum ſimpliciter duplex per annum, & hoc duplex eſt, nempe unum, quod dicitur majus, & alterum minus. Ad horum genus aliquod neceſſe eſt revocari feſtum quodlibet, ut ſit videlicet, aut duplex 1. claſſis, aut duplex 2. claſſis, vel duplex majus, vel minus per annum, ſeu ſemiduplex, ſive ſimplex. Feſta 1. & 2. claſſis primo, & per ſe dicuntur *duplicia majora*, quare in Rubrica de Transl. num. 2. *Si in die octavæ occurrat aliquod feſtum duplex ex majoribus ſupra in Rubrica de commemorationibus enumeratis*; feſta autem, quæ ibi enumerantur, & hic ſimpliciter dicuntur duplicia majora, ſunt feſta 1. & 2. claſſis. Duplicia vero, de quibus Decretum loquitur, non ſunt hujuſmodi, ſed ordinis inferioris, & abſolute non dicuntur duplicia majora, ſed ad diſtinctionem *duplicia majora per annum*, & talia ſunt reſpective ad alia *duplicia per annum illi minora*.

II. De his duplicibus majoribus, & minoribus per annum lis eſt, num inter ſe differant pari diſcrimine, ac duplicia 1. claſſis a duplicibus 2. claſſis, adeo ut duo hæc duobus illis addita, quatuor univerſim duplicium genera conficiant. Affirmat Gavantus *ſect. 3. cap. 2. num. 3.*, eo quod in Clementina reformatione ad calcem Rubricarum, poſt duplicia 1. & 2. claſſis, enumerantur diſtincta ſerie *Duplicia majora per annum, aliis minoribus præferenda*. Guyetus *lib. 2. cap. 9. qu. 4.* ſeriem illam majoris quidem facilitatis gratia additam fuiſſe fatetur, ad uberiorem ſcilicet intelligentiam verborum Rubricæ de concurr. num. 2. *Inter feſta æqualis ſolemnitatis &c.*, at diverſum duplicium genus, ſeu claſſem a duplicibus minoribus per annum diſtinctam conſtituere abſolute denegat, & id oſtendit primo, quia in ſerie illa ſolum recenſentur feſta Domini, B. Mariæ, Angelorum, Apoſtolorum, & eorum, qui in propriis locis, vel Eccleſiis ſolemniter celebrantur, adeoque eorum, quæ a dicta Rubrica præferentia donantur, non ratione ritus, ſed cauſa dignitatis perſonæ. 2. Quia præferri ratione dignitatis perſonæ æque convenit duplicibus 1. & 2. claſſis, unde feſtum Corporis Chriſti præfertur Nativitati S. Joannis Baptiſtæ &c., quare ſi hæc præferentia inter duplicia per annum conſtituit diverſum genus, æque & in illis conſtitueret, ſicque ſex eſſent duplicium genera, ſcilicet duplex 1. claſſis majus, duplex 1. claſſis minus, duplex 2. claſſis majus, & duplex 2. claſſis minus, & duplex per annum majus, & duplex per annum minus. 3. Quia ex parte occurrentiæ nihil plus competit duplici majori per annum, ac competat duplici minori; quæ enim feſta, vel officia ſummovet, vel ad commemorationem redigit duplex majus, idipſum præſtat duplex minus, quare non eſt, per quod generice diſtingui queant, ad hoc quippe potis non eſt præferentia, quam habent in concurſu, cum hac gaudeant etiam duplicia 1. & 2. claſſis abſque generico diſcrimine, ut dicebatur. Meratus denique *ſect. 3. c. 2. n. 6.*, hanc putat quæſtionem de puro nomine, & inutilem, cum ſemper certum ſit, inter ea diſcrimen aliquod intervenire, a quo aliqualem depromunt ſpecificam diverſitatem.

III. Verum Gavanti ſententia per præſens Decretum adoptari videtur, dum ſtatuit, quod quando conceſſus eſt ritus du-

plex abſque expreſſione majoris, vel minoris, conceſſio ſit intelligenda de duplici minori, *etiamſi ad honorem Deiparæ facta ſit*, quoniam ſi ratio duplicis majoris a dignitate perſonæ peteretur, cum Deipara ſit ex dignioribus, & recenſitis a Rubrica *Inter feſta*, conceſſio intelligenda eſſet de duplici majori, quoties in honorem Deiparæ eſſet facta. Inanes itidem alioquin fuiſſent elevationes ad ritum duplicem majorem feſtorum B. M. de Mercede die 22. Martii 1727. pro Eccleſia univerſali, & SS. Redemptoris die 27. Januarii 1729. pro Statu Veneto habitæ. Accedit, quod Commemoratio S. Pauli, etſi ſit feſtum Apoſtoli, in ſerie duplicium majorum non ponitur, in qua ceteroquin ponuntur feſta plurima Martyrum, Confeſſorum, & Virginum apud Regulares Ordines ſub ritu duplici majori recitari indulta, & ponenda non ſunt pro Eccleſia univerſali feſta SS. Annæ, & Joachim, etſi non ſint ex recenſitis a dicta Rubrica, quinimmo dies octavæ Deiparæ integris donatæ ſunt veſperis, & tamen in dicta ſerie non collocantur, & adhuc in proprio Sanctorum tamquam duplices minores ſignantur; unde bene Halden *par.* 3. *tit.* 6. §. 3. de dictis octavis habet, quod etſi integris gaudeant veſperis, cenſendæ non ſunt duplices majores.

IV. Supereſt modo videamus, in quo ſitum ſit eſſentiale diſcrimen duplicis majoris a minori, & conſiſtere dicimus in præferentia, quæ in veſperis illi per ſe debetur præ duplici minori, cujuſcumque exiſtat hoc dignitatis, vel ſolemnitatis, quare verb. gr. nunc feſtum S. Joachim in concurſu cum feſto Deiparæ, quod eſſet duplex minus, integras aſſequeretur veſperas, quibus & donari debet in concurſo cum die octava Aſſumptionis, etſi hæc in concurſu cum duplici minori integris gaudeat veſperis. Quæ præferentia ex ritu præciſe petitur, non ex dignitate perſonæ, & quæ petitur ex dignitate perſonæ, etiam in duplici majori adinvenitur, unde duplex majus Sanctorum cedit duplici majori Apoſtolorum, & duplex majus Apoſtolorum duplici majori Deiparæ &c., quare præferentia, quæ competit duplici majori, non tranſcendit alia duplicium genera, adeoque bene eſt valida diſtinctum genus conſtituere.

V. Hinc ad primum Guyeti argumentum dicimus, hoc ideo, quia tunc temporis ſolum contigerat eſſe duplicia majora ex feſtis per dictam Rubricam recenſitis; ceterum omiſſio Commemorationis S. Pauli Apoſtoli in ſerie duplicium majorum, cui tamen, tamquam Apoſtoli feſto, præferentia non minus, ac ejuſdem Converſioni, quæ in dicta ſerie recenſetur, vi dictæ Rubricæ debetur, evidens argumentum eſt rationem duplicis majoris non peti ex dignitate perſonæ, nec ex veſperis, quæ vi dignitatis vel ſolemnitatis eidem tribuuntur. Nec diſſimiliter ſuadent noviſſimæ invectiones SS. Annæ, & Joachim in eamdem ſeriem, ſicuti & feſti B. M. de Mercede, quod tamen alias etiam, antequam ad ritum duplicem majorem eveheretur, recenſeri debuiſſet, & nunc recenſeri deberent dies octavæ Deiparæ, quæ integritate veſperarum ratione dignitatis perſonæ donantur.

VI. Ad 2. ex dictis patet præferentiam, quæ duplicibus 1. & 2. claſſis competit ratione dignitatis perſonæ, competere etiam duplici majori, nec eam eſſe, quæ duplex majus conſtituit, ſed illam, quæ huic per ſe, & ratione ritus competit præ duplici minori. Nec dicas etiam duplicibus 1. & 2. claſſis convenire ratione ritus præferentiam ſuper duplex minus. Ita quidem, ſed adhuc eamdem præferentiam poſſe duplex majus a minori eſſentialiter differre facere, quia quæ competit duplicibus 1. & 2. claſſis, amplior eſt, utpote ea duplicis 1. claſſis etiam ſuper duplex 2. claſſis, & duplex majus, & ea duplicis 2. claſſis etiam ſuper duplex majus, ubi illa duplicis majoris eſt magis limitata, nempe dumtaxat ſuper duplex minus, & reliqua ritus inferioris.

VII. Ad 3. dicitu, quod etiam duplicia majora ſuo ſe die firmius tenentur, quam duplicia minora, quatenus in occurſu abigunt duplicia minora, quibus ratione dignitatis, vel ſolemnitatis alias cedere deberent. Quod vero incidentium officiorum commemorationem non minus, ac duplicia minora, admittant, non arguit carentiam eſſentialis diſcriminis, quoniam etiam ſemiduplicia, quæ genere a duplici minori indubie diſtinguuntur, omnium incidentium officiorum commemorationem non minus ſuſcipiunt. Cum itaque duplex majus a duplici minori eſſentialiter ſecernatur, mirum non eſt, *ſi quoties feſto alicui conceſſus reperitur ritus duplex abſque expreſſione majoris, vel minoris, conceſſio intelligenda eſt de duplici minori*, quia ceteræ duplicium claſſes ſpeciali nota, & expreſſione dignæ ſunt, & quemadmodum licet ritus duplex communis item ſit duplici 1., & 2. claſſis, non cenſetur rite conceſſus per dictam conceſſionem ritus duplex 1. vel 2. claſſis, ita nec duplex major, qui non minus eſt ordine, & claſſe diſtinctus; & quidem *etiamſi conceſſio ad honorem Deiparæ facta fuiſſet*, quia ut dicebamus, ratio duplicis minoris a dignitate perſonæ non deſumitur.

VIII. Objicies 1. quod ſi duplex majus claſſe diſtingueretur a duplici minori, in Breviarium invehi debuiſſet Rubrica ſpecialis. 2. in occurſu præferri deberet diei octavæ. 3. referri diſtincte debuiſſet a tabella occurrentiæ, ut ſignaretur præferentia, quæ ipſi debetur, ut fit de aliis duplicibus, cum tamen ſimpliciter ponat *Duplex per annum*, qua ſub annotatione utrumque duplex per annum majus, & minus juxta Rubriciſtarum ſententiam comprehendit.

℟. Ad primum, quod in Rubricis diſpoſitio non ponitur ſpecialis de duplici majori, quia non eſt antiquius Urbano VIII., & hic ſuper duplici majori ſufficienter putavit iri proviſum per Rubricam, quam tabellæ, quam ipſe de eodem duplici majori invexit, voluit eſſe præfixam, nempe *Duplicia majora per annum, quæ aliis duplicibus minoribus præferuntur*. Ad 2. ex ſpeciali privilegio ratione intransferibilitatis diei octavæ id eſſe conceſſum, ut conſtat ex Decreto 4. Cap. 18., ne ſcilicet dies octava, quæ eſt feſtiva ad ſolam commemorationem redigeretur, ſicuti hac de cauſa & gaudet præferentiæ privilegio ſuper feſtis dignioribus, quibus vi Rubricæ *Inter feſta* cedere deberet. Ad 3. quod ſive genere diſtinguatur, vel non, utique nominari debuiſſet, uti nominatur in tabella concurrentiæ, ut ſicuti per hanc præferentia, quæ ei competit in concurſu, ita per illam præferentia, quæ ei debetur in occurſu, diſtinctim deſignata veniret. Cur vero nominatum non fuerit, facile non eſt definire, niſi velis id factum, quia quoad occurrentiam relictum ſit, uti reipſa eſt, diſpoſitioni juris antiqui, ſeu Rubricæ de duplici minori. Quod autem Decreti diſpoſitioni officere poſſet, nempe quia officia nonnulla B. M. abſque ritus expreſſione ſtatui Eccleſiaſtico conceſſa, Sacra Congregatio ſub ritu duplici majori die 15. Septembris 1736. celebranda declaravit, jam alibi id vidimus præſtitum, quia ea officia non primum conceſſa fuere, ſed extenſa a locis, quorum pluribus, licet non omnibus, ſub ritu duplici majori fuerant indulta, adeoque ex benigna Pontificiæ mentis interpretatione, quæ erat ad magis promovendum, & dilatandum cultum Deiparæ, bene Congregatio declarare potuit eadem duplicia majora, præſertim quia quatenus opus foret, *ita ſervari mandavit*. Ceterum ex hac declaratione ſolummodo erui poſſet, quod extenſio officiorum in ſimili caſu pro favorabiliori indulto accipi debet, non autem prima eorumdem conceſſio, de qua procedit præſens Decretum.

DECRECUM XII. CAP., IN ORDINE CCCLXX.

Officium Stigmatum S. Franciſci pro Clero eſt ſemiduplex. S. R. C. 2. Octobris 1627. *in una urbis*, ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 55.

I. BAronius *in notis ad Martyr. ad diem* 17. *Septembris* ſcribit: *Porro rem adeo admirabilem* (loquitur de Stigmatibus S. Franciſci), *ac tantoperè teſtatam, Benedictus Papa XI. anniverſaria ſolemnitate duplici officio Eccleſiaſtico voluit celebrari, quam neſcio quomodo lapſam, in Martyrologio Romano hac die recenſeri, hocque loco poni, S. D. N. Sixtus Papa V., tanti Patris alumnus, mandavit*. Ad hæc conſonanter officium eorumdem Stigmatum apud Cieras anno 1626. Venetiis editum, in fronte gerit: *Quod feſtum omnibus Chriſtifidelibus SS. D. N. Paulus V. libere* (ſcilicet ad Cleri libitum) *celebrandum ritu duplici conceſſit*; & in fine ſextæ lectionis: *Benedictus Papa XI. anniverſaria ſolemnitate duplici officio celebrari voluit; quam poſtea lapſam, Paulus V. Pontifex Maximus, ut corda fidelium in Chriſti crucifixi accenderentur amorem, reſtituit*. Hæc, quæ in officio ad uſum Ordinis S. Franciſci fortaſſe habebantur, cum in officium ad uſum Cleri Romani fuerint traducta, fecerunt dubitationis cauſam, num pro Cleru Romano ſub ritu duplici foret conceſſum, & *ſemiduplex* eſſe Congregatio reſpondit die 2. Octob. 1627., & hoc conſonanter ad Decretum aliud 28. Auguſti 1615., & ad primam Romanam editionem ejuſdem officii, in quibus ſignatur *ſemiduplex ad libitum*. Ut autem tolleretur in poſterum dubitationis ratio, ex Decreto 6. Novembris 1627. a ſexta lectione abraſa fuere verba illa *duplici officio*, & juſſum legi, ut ſequitur: *Porro rem admirabilem &c. Benedictus Papa XI. anniverſaria ſolemnitate celebrari voluit, quam poſtea Paulus V. Pontifex maximus ad univerſam Eccleſiam propagavit*. Benedictus XI. *ſub ritu duplici* prædictum quidem conceſſit officium, ſed non Eccleſiæ univerſali, ſed ſolum Ordini S. Franciſci, ut tradit Marcus Uliſſiponenſis *in Chronico Minorum par.* 1. *cap.* 59.; & Gavantus *ſect.* 7. *cap.* 11. *n.* 17., & hæc eſt cauſa, ob quam deleta venere ab officio Romani Cleri prædicta verba *duplici officio*, ne dum ſubjungitur, *quam poſtea Paulus V. ad univerſam Eccleſiam propagavit*, unquam intelligi poſſet, aut dubitari, quod eadem ſolemnitas ad univerſam Eccleſiam ſub ritu duplici a Paulo V. fuerit extenſa. Ubi autem ad libitum præcedenter erat officium iſtud, nunc eſt de præcepto ex conceſſione Clementis IX. Gavanto teſte, ſed adhuc ſemiduplex; haud enim convenit, quod apud univerſalem Eccleſiam, a qua primarium S. Franciſci feſtum ſub ritu dumtaxat duplici minori celebratur, hoc ſecundarium ſimili ritu gaudeat, licet Ordini S. Franciſci, qui primarium feſtum ſub ritu duplici 1. claſſis excolit, ſub ritu duplici inferiori ſ ordinis rite potuerit concedi.

DECRETUM XIII. CAP., IN ORDINE CCCLXXI.

Feſtum S. Caroli in Provincia Mediolanenſi celebrari poteſt ritu duplici. S. R. C. 20. Novemb. 1610. ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 36.

I. PAulus V. die 1. Novemb. 1610. Sanctorum Catalogo adſcripſit B. Carolum Borromæum, cujus officium ſub ritu pulici nunc Congregatio Provinciæ Mediolanenſi concedit, cui ut Metropolita præfuit. Verum idem Paulus V. mente evolvens mirabilia magna, quæ per interceſſionem hujuſce ſervi ſui Deus operari dignatus eſt, congruum haud exiſtimavit, quod in ejuſdem laudibus reliqua ſileret Eccleſia, cui propterea die 6. Decemb. 1613. ſub ritu ſemiduplici ad libitum conceſſit officium, ab Innocentio X. die 10. Sept. 1657. in præcepto conſtitutum, & ab Alexandro VII. die 27. Sept. 1659. ad ritum duplicem minorem evectum.

II. Par-

Digitized by Google

II. Particulare Hiſpaniæ Regnis ſuccedat Decretum aliud, & ſit 14. cap., in ord. 372. *Ad removenda aliqua dubia quæſitum fuit, ſub quo ritu in Hiſpaniæ Regnis (excepta Civitate Gerundæ) ſit celebrandum officium Sancti Narciſſi, & ſub quo ritu cenſeri debeat indultum officium per extenſionem in ceteris caſibus, quando a Sacra Congregatione non exprimatur; & examinatis Decretis reſponſum fuit: Officium S. Narciſſi recitandum eſſe in Civitate, & Diœceſi Gerundæ die 29. Octobris ſub ritu duplici 1. claſſis cum octava, die vero 18. Martii de eo fiat commemoratio tantum, ſicut Quadrageſimali tempore fit de ſimplicibus. In ceteris Regnis autem Hiſpaniarum recitandum eſſe ſub ritu duplici minori dicta die 29. Octobris. S. R. C. 3. Aug. 1697. in Hiſpalen. apud Meratum in Indice Decr. Brev. n.* 193. Gerunda antiqua Cataloniæ urbs inter ſuos Antiſtites veneratur S. Narciſſum, ibidem pro fide Chriſti martyrii laurea coronatum. Hic ille eſt Narciſſus, quem Auguſta Vindelicorum apud Germanos primum ſuum agnoſcit Apoſtolum, ubi converſione mirabili S. Afræ meretricis cum tota domo, & matre admodum glorioſus redditus fuit; Petrus de Natalibus, dum *lib. 7. Catal. cap.* 28. Narciſſo Hieroſolymitano, de quo Martyrologium Romanum ſub die 29. Octob., tribuit Afræ converſionem, hunc confundere videtur cum Narciſſo Auguſtano, ſeu Gerundenſi. Nec deſunt, qui diſtinguunt Narciſſum, qui Auguſtæ S. Afram ad Chriſtum convertit, a Narciſſo, qui Gerundæ martyrium paſſus eſt. Verum ex actis S. Afræ, aliiſque monumentis evidens fit, quod Narciſſus Auguſtanus, & Gerundenſis unus, & idem eſt, ac diſtinctus a Narciſſo Hieroſolymitano.

III. Berengarius Gerundenſis Epiſcopus in Epiſt. excuſa a Marco Velſero *pag.* 34. & a Domenecco *lib. de Sanctis Cataloniæ fol.* 26., diem obitus S. Narciſſi, deperditis paſſionis ejuſdem actis, ignorari fatetur, aſſumptumque fuiſſe diem 29. Octobris pro tranſitus feſtivitate; quod & Auguſtani faciunt; Martyrologium tamen Romanum diei 18. Martii conſignat martyrium ejuſdem in perſecutione Aureliani Gerundæ patratum, & idipſum habetur in Martyrologio Galeſinii, additionibus Molani ad Uſuardum anni 1568., apud Domenecum, Tamajum Salazar, Rodericum Acunha, & Georgium Cardoſo. Utroque die referunt Gravenus, Caniſius, & alii. *Nec mirum ſit*, ait Baronius, *quod alio die in Romano Martyrologio, alio vero alibi de eodem agatur Sancto, ſiquidem alicubi translatio, vel ejus Eccleſiæ Dedicatio, vel, quod de Epiſcopis accidit, ordinatio celebratur.* At nulla ex his in caſu militat ratio, cum allegatus Berengarius expreſſe fateatur, diem natalitium ejuſdem ignorari, & die 29. Octobris nihilominus tranſitus feſtivitatem celebrari. Nos crederemus magis id præſtitum, vel quia cum prædicti Sancti natale incideret in Quadrageſimam, vel neſciretur, dies alia aſſignata fuit, & potiſſimum dies 29. Octobris, in qua alterius S. Narciſſi natalitia dies recurrebat. Antiqua diſciplina non agitandi Sanctorum feſtivitates in Quadrageſima in Hiſpaniis maxime floruit, eaſque, cum neſcirentur, adiſcendi diei, in qua recurrebat alterius cognominis feſtivitas. Quæ dedimus alibi de Annunciatione ad diem 18. Decembris translata, & de S. Columba Cordubenſi die 31. ejuſdem menſis exculta, quod in ea occurreret columba altera, ſcilicet Senonenſis, rem admodum veroſimilem reddunt, & apprime ſuffragantur, quæ tradit Baronius de pluribus Modeſtis ad diem 12. Februarii coacervatis, & de Sanctis Cyriaco, & Adriano extra Quadrageſimam in perpetuum addictis, & adhuc celebratis.

IV. Gerundenſi itaque viſum eſt Eccleſiæ de tanto ſuo Antiſtite, ac particulari Patrono juxta immemorabilem conſuetudinem die 29. Octobris præcipuam ſolemnitatem agere, nec illam præterire diem, ab ejuſdem laudibus immunem, cui a Martyrologio Romano martyrium conſignatur. At cum non ſola Gerunda, ſed tota Hiſpania, multum eidem debeat Sancto, cujus non ſemel validum multis in diſcriminibus experta eſt patrocinium evidentibus miraculis, idcirco beneficiorum haud immemor pro extenſione officii ſupplicandum cenſuit, & eandem obtinuit, clare tamen in Decreto non expreſſo ritu, quo illud foret celebrandum. Hinc ſuper ritu exortis dubiis, Congregatio reſpondit, Gerundæ celebrandum eſſe die 29. Octobris ſub ritu duplici 1. claſſis, & octava, ut ſic immemorialem non frangeret conſuetudinem, & die 18. Martii ritu ſimplici, ut Quadrageſimali parceret officio, quod a feſtis, prout licuit, ſemper ſtuduit non impediri. In ceteris autem Hiſpaniarum Regnis ſub ritu duplici minori dicta die 29. Octob.; decebat namque, quod extra Gerundam inferiori coleretur ritu, & quod Hiſpania uti in officio, ſic in die celebrationis ejuſdem tota concors foret.

V. Hinc fortaſſe quis eruet, ſub ritu duplici minori celebrandum eſſe officium, quod cum alicubi ſub altiori coleretur, ad loca alia extenſum fuit non expreſſo ritu; quod eſt petitionis pars altera, quæ declarari poſcebatur. Verum profecto ex Decreto id non eruitur, quia dubio quoad hanc partem Congregatio minime reſpondit, quinimmo ad præſentem deveniſſe fatetur reſolutionem *examine in Decretis*; illationi tamen nos non refragamur admodum, generalemque damus regulam, ut ſi officium, quod extenditur non expreſſo ritu, ſit ritus duplicis 1. vel 2. claſſis, hic ritus non cenſeatur extenſus, ſed ſolum duplex minor; elevatior enim ritus nonniſi particularibus de cauſis, & quidem adhuc parce indulgeri ſolet, ſi vero ſit ritus duplicis minoris, aut ſemiduplicis, cenſeatur extenſus, cum in his concedendis ritibus Congregatio liberaliter procedat, & idipſum ſit, ſi officium duplex majus, quod extenditur, ſit Domini, aut Deiparæ, ſecus forſitan, ſi ſit Sanctorum, quo in caſu ritus dumtaxat duplex minor a nobis creditur extenſus.

DECRETUM XV. CAP., IN ORDINE CCCLXXIII.

Officium S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, alias ſub ritu ſemiduplici pro Eccleſia univerſali die 25. Maii recitari conceſſum, in poſterum ab omnibus utriuſque ſexus Chriſtifidelibus exiſtentibus in tota Italia, & Inſulis adjacentibus, qui ad horas canonicas tenentur, ſub ritu duplici recitari poſſe, & debere conceſſit Benedictus Papa XIII. die 28. Janu. 1728. Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 271.

I. DEcretum expoſitione non indiget, nonniſi ſiquidem elevat ad ritum duplicem minorem officium S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis pro tota Italia, quam ortu, occubitu, & inſignibus facinoribus illuſtravit. Nunc celebrandum amplius non eſt die 25. Maii, ſed 27. tamquam in prima die non impedita, & eidem in perpetuum aſſignata, ut alibi diximus, ob conceſſionem officii duplicis minoris S. Gregorii Papæ VII. pro eadem die 25. Maii. Extra Italiam dubium eſſe non poteſt, cum S. Maria Magdalena ſemiduplici tantum gaudeat ritu, pro Italia vero, ubi duplex minus itidem eſt, id expoſcit major dignitas S. Gregorii Papæ. Nec dicas officium S. Gregorii eſſe officium Eccleſiæ univerſalis, adeoque poſtponendum; hoc enim procederet, quando S. Gregorius non eſſet itidem ex Sanctis Italiæ indigenis, ut dicebamus in capite de occurrentia.

II. Meratus in ſuo Indice n. 340. refert Decretum aliud, & ſit 16. Cap., in ord. 374. *Miſſam, & officium S. Julianæ de Falconeriis Fundatricis tertii Ordinis Servorum B. M. V. cum oratione, hymno, & lectionibus ſecundi nocturni ſub die 20. Martii 1728. præfatæ Servorum B. M. Religioni, & Civitati Florentiæ conceſſum, in poſterum, prout jacent, ab omnibus Chriſtifidelibus utriuſque ſexus tam Sæcularibus, quam Regularibus, qui ad horas canonicas tenentur, die 19. Junii ſub ritu ſemiduplici recitari, & reſpective celebrari debere indulſit; & ita in Miſſali, & Breviario Romano apponi mandavit S. R. C. die 8. Martii 1738. approbante Clemente Papa XII. die 15. ejuſdem menſis, & eodem anno. In una urbis, & orbis.* Nonniſi extenditur officium S. Julianæ ad Eccleſiam univerſalem, traditurque quotannis celebrandum diei 19. Junii, nulla ratione habita ad Miſſam propriam SS. Gervaſii, & Prothaſii ea die occurrentium, quæ ne impediretur, feſtum S. Romualdi, qui obiit eadem die, indictum fuit pro die 7. Februarii, corporis ejuſdem Fabrianum in Piceno oppidum translatione celebri, ut edocent Gavantus *ſect. 7. cap. 4. n. 7.*, & Guyetus *lib. 2. cap. 2. qu. 3.* Miſſa tamen horum Sanctorum, quæ Durando teſte *lib. 7. cap.* 13. ex inſtitutione S. Gregorii habet introitum *Loquitur Dominus pacem*, eo quod ea die conciliata pax fuit Imperatorem Romanum inter, & Longobardorum Regem, a Miſſali Romano expungenda non eſt, ut cum ea honorari queant, ubi iidem Sancti Patroni ſunt, vel Titulares, aut eorumdem inſignes aſſervantur Reliquiæ, vel quatenus pro re gravi, aut ex devotione de iiſdem celebrari debeat. Idipſum dicito in ſimilibus, ut de Miſſis SS. Felicis, & Adaucti, ac Tryphonis, & Sociorum nunc impeditis.

III. In eodem Indice ſub num. 57. tamquam Decretum habetur, & ſit 17. Cap., in ord. 375. *Decreta de officiis approbatis de præcepto SS. Bibianæ, Caſimiri, Joachim, Catharinæ Senenſis, Norberti, Hyacinthi, Ludovici, Euſtachii, & Sociorum, Brunonis, & Birgittæ; ſimiliter Decreta recentiora aliorum Sanctorum uſque ad Clementem XII. vide in ſectione VII. ſuis locis propriis. Decreta de officiis Sanctorum ad libitum vide ibidem.* Decretum hoc vere non eſt, ſed nota quædam Decretorum, quibus conceduntur officia tum de præcepto, tum ad libitum, quare cum difficultatem nullam patiantur, opus haud eſt, eadem hic recenſeamus, Lectoremque inani expoſitione moremur. Curioſum inſtruet ſectio, ad quam Meratus Lectorem amandat.

IV. *Adveniente notitia alicujus officii recitandi, a S. R. C. recenter conceſſi, ſi talis notitia ita opportune perveniat, ut prædicti officii recitatio evenire poſſit tempore congruo, ſcilicet vel die a Sacra eadem Congregatione pro tali recitatione præſcripto, vel diebus poſt illum vacantibus, quibus juxta Rubricarum regulas hujuſmodi officium recitari poſſit, recitetur quidem; ſi autem talis notitia non ita opportune pervenerit, ut prædictis diebus impleri potuerit officii recitatio, pro præſenti anno omittatur. S. R. C. 11. Julii* 1739. Hoc Decretum ſit 18. Cap., in Ord. 376., & per illud inſtruimur ſuper recitatione officiorum, quæ de novo conceduntur, ita ut ſi eorundem notitia opportune pervenerit, eo anno celebrari queant, ſecus, ſi non opportune. Opportune autem pervenit, quando pervenit præcedenter ad dies, quibus ſunt affixa, inopportune vero, quando poſt eaſdem dies. Officia quælibet in ſuis conceſſionibus alicui diei addicuntur, & conceſſiones incipiunt obligare, ſtatim ac ſunt emanatæ, ſeu magis ad notitiam deveniunt, quare dubium non eſt, quod ſi perveniat antecedenter ad diem v. g. 4. Martii notitia officii alicujus pro eadem die conceſſi, illud recitari poteſt, ſi vero poſt eamdem diem, nequaquam, quia conceſſio non eſt favorabilis pro qualibet anni die, ſed pro die determinata, cum qua expirat conceſſionis favor. Verum præfata notitia etiam poſt diem, cui officium eſt affixum, opportune pervenire poteſt, videlicet ſi perveniat præcedenter ad dies, *quibus juxta Rubricarum regulas hujuſmodi officium recitari poteſt*; hoc autem evenit, quoties officium in propria die eo anno eſt impeditum, & no-

& notitia pervenit ante diem, in quam juxta Rubricas transferendum venit. Verum & quoties notitia opportune pervenit, non credimus eo anno ita in rigoroſo præcepto officium conſtitui, ut ſi particularia Kalendaria ad adventum ejuſdem notitiæ jam ſint evulgata, hæc ſequi quilibet non valeat eodem omiſſo officio, ne quandoque mutationes plurimas in officiis translatis, quæ recitanda ſuperſunt, ſine duce cogatur facere, præſertim quia de clero adſunt plurimi, qui non probe ſciunt Rubricarum leges.

V. Sub die 16. Sept. 1741. per hocce Decretum, quod ſit 19. cap., in ord. 377. *Regulares, quamvis ex conſuetudine utantur Kalendario Diœceſano, non ideo tenentur ad recitationem officii de octava Patroni loci, vel Titularis principalis*, Sacra Congregatio uberem confirmationem exporrigit expoſitioni, quam nos fecimus Decreto 1. cap. 8., ad quod propterea ſe ſinat lector remitti.

VI. Eadem die 16. Sept. 1741. prodiit Decretum aliud, & ſit 20. cap., in ord. 378. *Decreta, quæ ſtatuunt non eſſe transferendos ad annum ſequentem Sanctos illos, qui in fine anni ſuperſunt, intelligenda ſunt non ſolum de ſemiduplicibus, ſed etiam de duplicibus; & locum habent, ſive ab accidentali, ſive a perpetuo occurrente impedimento, eorum celebratio fuerit impedita*. Confirmari jam vides Decreta, quæ late expoſuimus in cap. 6., & una eorundem ſenſum aperiri, quatenus intelligenda dicuntur *non ſolum de Sanctis ſemiduplicibus, ſed etiam de duplicibus*. Quæ dedimus in Decr. 5. cap. 6., ubertim evincunt, inhibitionem hujuſmodi ad Sanctos dumtaxat duplices minores, & fortaſſe etiam duplices majores, manere reſtrictam, non autem extendi ad duplices 1. & 2. claſſis, quibus utique nec præſens officit Sanctio; ſunt ſiquidem iſti ſpeciali nota digni, & ſi dum ſub ritu duplici ſimpliciter, & abſolute conceſſa reperiuntur officia aliqua, conceſſio juxta iterata Decreta intelligenda eſt de duplici minori, multo magis id verum erit de prædicto Decreto, quod Sanctos duplices in annum ſequentem transferri vetat, fert namque generalis regula, quod favores ampliari convenit, & odia reſtringi. *Et locum habent, ſive ab accidentali* (ſcilicet uno dumtaxat, vel altero anno) *ſive a perpetuo* (nempe quotannis) *impedimento, eorum celebratio fuerit impedita*. Quatenus inhibetur ad annum ſequentem translatio Sanctorum perpetuo impeditorum, offendi videntur, quæ dedimus in Decr. 3. cap. 6. num. 30, de licita translatione Sanctorum, qui ſemper iidem individualiter in fine anni ſuperſunt, ac conſequenter multo magis, qui non ſemper, ſed ſolum quaſi ſemper iidem ut ſupra ſuperſunt, quorum translationi itidem favorabiles fuimus in Decr. 5. cap. 6. num. 17. Hæc etſi obvia appareat Decreti mens, eidem noſmet credere non arbitramur, ſed magis veram Decreti mentem petendam eſſe a verbis, quibus Decreta compacta noſcuntur. Decreta, quæ nunc locum habere declarantur etiam in feſtis, quorum celebratio eſt perpetuo impedita, per hæc verba *Quoties toto anni decurſu &c.*, & *tunc in illo anno &c.* diſerte comprehendunt ſolum feſta, quæ aliquando ſuperſunt, & nonniſi per violentiam trahi queunt ad comprehendendos etiam illos, qui ſemper, vel quaſi ſemper iidem in fine anni ſuperſunt; quare dum præſens Decretum eadem intelligenda eſſe declarat etiam de feſtis, quorum celebratio eſt per perpetuum occurrens impedimentum impedita, accipi non poteſt de iiſdem feſtis, quæ perpetuo eadem numero in fine anni ſuperſunt, ſed ſolum de feſtis, quæ per impedimentum perpetuum in propria ſunt die quidem impedita, ſed tamen quandoque nihilominus intra annum utile ſuæ reperiunt repoſitionis ſpatium; alias enim nunc jus novum fieret, & non antiquum exponeretur contra ipſius præſentis Decreti mentem, quod dum antiqua Decreta locum habere ſtatuit, nonniſi horum mentem declarare fatetur. Stant itaque integra cuncta, quæ dedimus in memorato cap. 6., & nunc ſolum ſtatuitur, quod eadem Decreta locum habent tum in feſtis accidentaliter, tum perpetuo a propria die abactis, quoties hæc, ubi eorum immutatio in diem alteram fixam non fit, in fine anni ſupereſſe contingit.

VII. *Ubi adeſt indultum recitandi qualibet feria v. per annum officium SS. Sacramenti, occurrente in eadem feria v. quocumque officio 9. lectionum, etiam translata, omiſſa recitatione SS. Sacramenti, faciendum eſt officium ea die occurrens, etiamſi eſſet de die infra octavam*. Decretum aliud eſt S. R. C. 1. Octobris 1740., & erit 21. cap., in ord. 379. nos autem edocet, quod officia votiva, etſi determinatæ diei affixa, cedunt officiis novem lectionum occurrentibus, & translatis, etiamſi eſſent de die infra octavam: quare nonniſi uberem depromunt confirmationem, quæ late tradita ſunt in cap. 24.

VIII. Sit Decretum 22. cap., in ord. 380., quod die 11. Julii 1739. dignoſcitur emanatum: *Officium Translationis S. Januarii, quod in Regno Neapolitano ex indulto S. R. C. celebratur Dominica 1. Maii ſub ritu duplici majori cum octava, occurrens cum feſto altioris ritus, vel majoris dignitatis, transferendum eſt ab ipſa Dominica in primam diem non impeditam, quoad octavam vero ſervetur Rubrica 10. Brev. de Transl. n. 1. ab illis verbis: Quod ſi feſtum*. Edocemur de transferibilitate feſti affixi diei Dominicæ in caſu impedimenti, & de transferibilitate ejuſdem, non in Dominicam alteram, ſed in primam diem non impeditam, & de hoc ubertim actum eſt in capite 25., ubi & limitationes, quas generalis regula patitur, fuerunt traditæ. Quoad octavam vero ſervanda decernitur Rubrica de Transl. num. 1., videlicet quod ſi feſtum transferatur poſt totam octavam, nihil eo anno fit de octava, ſi autem intra octavam, dumtaxat celebratur feſtum cum reſiduo octavæ, qua de re non ſemel egimus.

AD CAPUT XLIV.

De qualitate officii.

APPENDIX.

DECRETUM PRIMUM. Cap. in Ord. 463.

An Clerici ſæculares Choro non adſtricti, poſſint recitare de Sanctis Ordinis Carmelitani, ſi ſint ejuſdem Ordinis Tertiarii? Reſp. affirmative. S. R. C. 4. Septembris 1745. *in Pernabucen.*

QUÆ dedimus in tom. 1. cap. 43. Dec. 6., late confirmata remanent; clauſula autem illa *Choro non adſtricti* abunde demonſtrant, ſecus eſſe de iiſdem Tertiariis, ſi ſint adſtricti Choro alicujus Eccleſiæ, cujus officia, ritumque tunc ſervare tenentur, uti magis diximus in Decret. 3. ejuſdem capitis, & ſequens definit Decretum.

DECRETUM SECUNDUM. Cap. in Ord. 464.

An Cleri ſæculares profeſſi in Militari Ordine D. N. J. C. poſſint recitare de ſanctis, de quibus recitant ejuſdem Ordinis clauſtrales? & reſponſum fuit affirmative, cum clauſula tamen, dummodo non ſint choro adſtricti. Ead. Congr. in eod. Decr.

CAPUT XLV.

De Feſtis ex conſuetudine.

I. NON deſunt, qui ſentiunt per conſuetudinis feſta Kalendariis fieri additionem, cum tamen conſuetudo ex titulis ſit, qui non minus, ac tituli Dedicationis, Patronorum, Titularium, & Reliquiarum, de quibus in prima parte egimus, tuentur Sanctorum officia; quinimmo & tituli modo recenſiti, ſuis juribus etſi inconcuſſi ſtent, adhuc vi conſuetudinis magis, magiſque firmantur, & quando etiam ſuis juribus non ſatis conſiſterent, unice eos conſuetudo ſolidaret. Sunt autem, qui conſuetudini omnem vim adimunt, & qui plus æquo eidem concedunt; ſed quid in hac re pronunciandum ſit, Decretorum examen plane monſtrabit.

DECRETUM I. CAP., IN ORDINE CCCLXXXI.

Ubi viget conſuetudo immemorabilis, poteſt recitari officium de communi pro Sanctis, etiam non canonizatis. S. R. C. 11. Junii 1605. *in Viſen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 20.

I. BIfariam accipi valet conſuetudo immemorabilis. Primo pro ea, de cujus initio memoria non extat, & ut memoriæ proditum eſt, ſemper ea viguit. 2. pro centenaria, quoties namque conſuetudo aliqua per centum invaluit annos, dicitur immemorabilis. An rite? Non crederem, nec verborum rigor id ferre videtur, cum de ejuſdem initio habeatur memoria. Late itaque dicitur immemorabilis, quatenus eidem veluti æquipollet, eoſdemque præſtat effectus.

II. Juxta Decretum conſuetudo immemorabilis valida eſt tueri Sanctorum feſta. Sed quæ? Centenariæ obſiſtit ſequens Decretum V. quod officium S. Servatii, licet centenariæ innixum conſuetudini, in valido non declarat ſtatu; immemorabili vero ſtricte acceptæ reluctatur Decretum 4. quod conſuetudinem ad effectum dumtaxat agnoſcit validam, quæ antiquior eſt Bulla Piana, de qua antiquitate non conſtat relate ad eam conſuetudinem, cujus neſcitur initium. Verum en quam facili negotio Decreta cuncta ad concordiam revocentur. Decretum 5., quod centenariam reprobat conſuetudinem anno 1706. editum extitit, a quo ſi per centum annos retrocedatur, ſiſtitur ad annum 1606., adeoque annis 38. poſt editionem Bullæ Pianæ, quæ lata fuit anno 1568. Præſens Decretum, quando etiam centenariæ conſuetudini favorabile cenſeretur, emanatum fuit anno 1605., a quo per centum annos retrocedendo, ſiſtitur ad annum 1505., & ſic annis 63. ante Bullam Pianam. Conſuetudo itaque centenaria dumtaxat antiquior eadem Bulla approbatur, & reprobatur modernior; quid autem niſi idipſum expoſcit Decretum 4., dum conſuetudinem inductam ante Bullam Pii V. expoſcit? Nec diſſimilis eſt conſuetudo immemorabilis, quando pro centenaria ſumeretur, quam expoſtulat tertium Decretum, quod cum latum fuerit anno 1628., per centum annos retrocedendo ſiſtitur ad annum 1528., adeoque annis 40. ante eandem Bullam Pii V.

III. Quatenus itaque per hanc, & tertiam Sanctiones nomine *immemorabilis* approbata cenſeatur conſuetudo centenaria, patens eſt utique, quod ſemper approbatur conſuetudo antiquior Bulla Piana, pro centenaria tamen in ſenſu expoſito accipi non valet, ſive ſermo ſit de Sanctis canonizatis, pro quibus & ſufficit modernior juxta Decretum 4. dummodo invecta ante Bullam Pii V. ſive de non canonizatis, quibus ut ſtatim dicemus, etſi ſuffragetur conſuetudo centenaria retrocedendo petita ab anno 1605., aut 1628., ſufficit tamen, & ad minus requiritur, quod ſit coæva anno 1534., nec poſterior, licet anti-

Digitized by Google

antiquior ſæpe memorata Bulla Pii V., ullatenus potis eſſe valet; dictio enim illa *etiam*, quam pro Sanctis non canonizatis Decretum adjicit, ſtat ampliativa, & exprimit caſum magis dubitabilem Sanctorum non canonizatorum, & includit minus dubitabilem canonizatorum, quibus utique potior deferenda eſt ratio.

IV. In Decreto primo Capitis tertii Dei ſervos non canonizatos in plures ſecrevimus claſſes, ſed quatenus ad præſens attinet, in duas dumtaxat nobis lubet eoſdem partiri in formaliter nempe beatificatos, & æquipollenter. Primarum appellatione veniunt, qui Beatorum numero per Sedem Apoſtolicam fuerunt cooptati, ſecundorum autem, qui cum in Eccleſia poſt reſervationem canonizationis Sedi Apoſtolicæ factam, cultum obtinuerint, huic Urbanus VIII. in nihilo præjudicatum eſſe voluit. Sunt vero, qui *aut per communem Eccleſiæ conſenſum, vel immemorabilem temporis curſum, aut per Patrum, virorumque Sanctorum ſcripta, vel longiſſimi temporis ſcientia, ac tolerantia Sedis Apoſtolicæ, vel Ordinarii coluntur.*

V. Bonacina *de primo præcep. Decal. diſp. 3. qu. 1. pun. 2.* per longiſſimum tempus, illiuſque curſum immemorabilem, quod Urbanus exquirit, accipi poſſe autumat tempus 30. aut 40. annorum, ſed rite advertit Baldellus *Theol. mor. lib. 3. diſp. 13. num. 3.*, quod idem Pontifex in ſua Bulla expreſſe ſe declarat, quod venit tempus excedens centum annos. Cum itaque Urbanus VIII. anno 1634. Decreta ſuper cultu Beatorum edita publicaverit, & ſua Bulla confirmaverit, indubium fit, quod cultus publicus, in quo non canonizatos manutenendos eſſe ſanxit, antiquior eſſe debet, vel ſaltem coævus anno 1534. Ferunt autem hujuſmodi Decreta, quod ſi cultus hujuſmodi fuerit poſtmodum aliqua in parte auctus, vel extenſus, reducendus eſt ad tramites cultus illius, quem, & prout per centum annos retro conſtat iiſdem eſſe exhibitum, & penitus ceſſandum eſt a cultus augmento, aut extenſione; quare ut vi conſuetudinis non canonizati manuteneantur in poſſeſſione officii, ſat non eſt, quod ab anno uſque 1534. iiſdem cultus exhibitus fuerit, ſed exigitur, quod præſtitus fuerit in ſpecie cultus officii.

VI. Formaliter vero Beatificatorum cultus per Decreta plurima manet rigoroſe limitatus ad expreſſa tantum verbaliter in Apoſtolicis Indultis, nec officii recitandi facultas unquam tradita præſumitur, niſi ſpecifica conceſſio præceſſerit; quare conſuetudo nihil juris habet ad officium tuendum. Haud tamen ambigimus, quod ſi qui eorumdem legitimam ut ſupra officii poſſeſſionem alicubi haberent, manutenendi forent, etiamſi in Indultis nihil hujuſmodi haberetur, beatificatio quippe formalis ſi cultum non auget, utique nec minuit, nec per ſilentium, quod in beatificationis Brevi habeatur, tolli intelliguntur alias legitima, & ab Urbano VIII. approbata.

VII. Hactenus de conſuetudine immemorabili quatenus centenaria, nunc de ea quatenus vere immemorabili ſeu prout de ejuſdem initio nulla reperitur memoria, ſed prout ſciri poteſt, eamdem ſemper, & conſtanter viguiſſe conſtat; & dicimus hanc potem eſſe tueri officium de Sanctis, etiam non canonizatis, quamvis certo non conſtet, quod reſpective tempore præcedat annum 1568., vel 1534. Cum enim Sancti hujuſmodi ſint in pacifica immemorabili officii poſſeſſione, expoliari non valent, niſi probetur poſſeſſio illegitima, præſertim quia præſumendum non eſt in majoribus noſtris in introductione, & continuatione prædicti officii defectum, aut delictum contigiſſe; hæc namque ex communi Juriſperitorum regula numquam præſumuntur, quinimmo actus ipſe, qui poteſt ſonare in delictum, & non delictum, ſemper eſt interpretandus, ut abſit delictum. Quod in ſenſu veritatem habent Decreta cuncta, quæ ad continuationem officii conſuetudinem immemorabilem ſtabiliunt validam. Hanc ad conſuetudinem reſpexit Decretum 12. cap. 4., dum vi immemorabilis conſuetudinis approbavit officium de Sanctis baptizatis, & extractis e Cœmeteriis Urbis, ab ejuſdem quippe data per centum annos retrocedendo, nec ſiſtebatur ante Bullam Pianam, unde pro conſuetudine centenaria accipi non poterat.

VIII. Quod ſi hocce Decretum favorabile extat Sanctis extractis e Cœmeteriis Urbis, etſi eorumdem mentio nulla fiat in Martyrologio Romano, edocemur, deſcriptionem in hoc Martyrologio neceſſariam non eſſe, ut vi conſuetudinis continuetur officium, ut pari de cauſa diximus de Patrono loci, & Titulo Eccleſiæ. Idipſum utique expoſcunt Decreta hujus Capitis, & Urbani VIII., quæ manutentione donant Dei Servos non canonizatos, quorum utique nomina in Romano Martyrologio non inveniuntur deſcripta.

IX. *Pro Sanctis* præſens dicit Sanctio, & in ſtricta acceptione ſumi non poteſt, ſtatim namque ſubdit, *etiam non canonizatis*, & qui canonizati non ſunt, nec preſſe ſunt Sancti; hinc tamen ſaltem *Sanctorum titulum* ad effectum continuationis officii quis poſſet eruere neceſſarium, ſed objiciuntur Decreta Urbana, quæ eos, qui ut ſupra cultum obtinuere, etſi Sanctorum titulo non gaudeant; in eodem cultu manutenendos eſſe præſcribunt. Sanctorum titulus juxta hæc Decreta antiquus, etiam pro non canonizatis ex alibi dictis apparet legitimus, at validus poſtea non eſt ad tuendum de iiſdem officium ratione conſuetudinis, ſi hæc antiqua non foret, ſeu ſaltem coæva anno 1534., licet ante Bullam Pii V. eſſet inducta, eamdem quippe Decreta diſtincte inhibent, non canonizatorum, quibus favent, cultum poſtmodum augeri ſine expreſſo Apoſtolico Indulto.

X. Præterire non ducimus, quod ſi conſuetudo alias legitima, ferret celebrationem de Sancto, qui nunquam extitit, aut qui ab Eccleſia non eſt ex receptis, tollenda penitus eſſet, tamquam prava, & abſurda, *Cap. ad audientiam, & Cap. cum venerabilis, de conſuet., Cap. cum ſatis de officio Archid., & cap. cum cauſa de ſent. & re jud.* Si autem ferret celebrationem de Sancto v. g. ut martyre, cum tantum confeſſor ſit, ſtante ſanctitate Servi Dei, conſuetudo tantum corrigenda foret quoad qualitatem officii, in qua eſt error, non quoad ſubſtantiam ejuſdem, in cujus legitima eſt poſſeſſione.

XI. An Sancti extracti e Cœmeteriis Urbis, canonizatorum, vel non canonizatorum claſſi ſint adſcribendi, libet perquirere; & nos Canonizatorum numero eoſdem jungimus; eorum enim ſanctitas certa eſt, & ab Eccleſia ipſa tamquam Sancti univerſali Eccleſiæ venerandi proponuntur, & quando pro Chriſto ſanguinem dederunt, tamquam Chriſti martyres ab eadem Eccleſia coli cœperunt, & hac de cauſa eorundem ſepulcra cum ſignia ſanctitatis, & martyrii prænotata fuere, ne debito cultu a poſteris defraudari venirent. Quod ſi eorundem cultus apud Eccleſiam deſiit, non ideo factum eſt, quod Eccleſia crederet, eoſdem talem cultum non mereri, ſed quia eorumdem notitia ad ipſam non devenit. Ceterum quia in memoratis Cœmeteriis plurima Sanctorum corpora latere fama conſtans, ac certa erat, ad eadem loca tamquam ad conditoria Sanctorum Corporum ſuum cultum ſemper direxit. Ad rem item admodum facit, quod Eccleſia nunquam in uſum habuit eoſdem inter Sanctos formaliter referre.

DECRETUM II. CAP., IN ORDINE CCCLXXXII.

Solemniter conſueviſſe fieri officium, de quo Rubrica Breviarii Romani ſub tit. 1., ſignificat feſtum Populi, aut Cleri cum pompa exteriori, apparatu, concurſu &c. S. R. C. 28. Octob. 1628. Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 65.

I. IN Congregationis Regeſtis hoc non reperiri Decretum nos monet Meratus *ſect. 2. cap. 2. n. 8.* unde autem illud proferat ſub datum 28. *Octobris*, cum ſub *die* 28. *Auguſt.* illud emanatum edicat Gavantus, ex quo Meratus idem decerpſit, dicant, qui ſciunt. Rubrica, de qua Decretum, officium duplex fieri concedit in feſtis Sanctorum, qui apud quaſdam Eccleſias, Religiones, vel Congregationes conſueverunt *ſolemniter* celebrari. Quid ſignet verbum *Solemniter*, factum eſt dubium, cui Congregatio reſpondit *feſta cum pompa exteriori*; hinc Gavantus *ſect. 2. cap. 2. num. 27.* invalidas quaſcumque cenſet conſuetudines, quæ ſolemnes non ſunt, ad tuenda Sanctorum officia, eaſque autumat per Pium V. in ſua Bulla abrogatas, qui ne ſibi ſit contrarius, opus eſt & Rubricas, dum quandoque conſuetudinem ſine expreſſione *ſolemnis* approbant, intelligi de conſuetudine ſolemni juxta ejuſdem Bullæ præſcriptum, & ſenſum adverbii illius *ſolemniter*, quo Rubrica tit. 1. utitur, alias Rubricæ ipſæ ſibi invicem pugnarent.

II. At in eo, quod de Bulla hic aſſerit Auctor, allucinatur profecto, abrogat ſiquidem in ea Pius V. *conſuetudines precandi more, & ritu Breviariorum ſuppreſſorum*; unde autem unquam hinc erui valent abrogatæ conſuetudines non ſolemnes celebrandi feſta juxta ritum, & morem Romanum, ſeu ut diſerte habet Rubrica 1. num. 1. *ſervata forma hujus Breviarii*, ſcilicet Romani? Et non magis per eandem aboleri conſuetudines quaſcumque, ſive ſolemnes, ſive non ſolemnes celebrandi feſta *more, & ritu Breviariorum ſuppreſſorum* per eandem Bullam?

III. Quantum autem ad Rubricas attinet, adverſus Gavantum acriter inſurgit Guyetus *lib. 1. cap. 13. quæſt. 2.*, ubi to *ſolemniter* bifariam ſumi poſſe aſſerit. Primo, pro eo quod ſtato die ſolet in anno celebrari, & hujus vocis uſurpationem eruit ex etymologia, & pluribus auctoritatibus. Secundo pro apparatu, ſeu pompa exteriori, qualis dicto vocis acceptio eſt apud D. Thomam 2. 2. *quæſt. 88. art. 2. in corp.* In prima acceptione Rubricas vult dictam vocem adhibere, perinde ac dicerent, quæ conſueverunt *omni anno ſtata die* celebrari, nec refragatur, quod etiam ſecundum ſenſum, ſine tamen prioris excluſione, patiantur, unde to *Solemniter* in Rubricia aſſerit non ſtare limitative, ita ut ſolum approbentur conſuetudines ſolemnes cum pompa exteriori, ſed ampliative, ita ut approbentur conſuetudines omnes, ſive ſint, ſive non ſint cum pompa exteriori ſolemnes, præſertim quia in Rubricis aliis deeſt adverbium *ſolemniter*, & ſolum dicitur *conſuetum celebrari*, ut in Rubrica 5. *num.* 1. Decretum vero dum explicat Rubricam de feſto cum pompa exteriori celebrato, aſſerit intelligendum eſſe non limitative, & excluſive, ita ut velit hunc ſolum eſſe ſenſum Rubricæ, & quemcumque alium excludat, ſed ampliative, & extenſive, ita ut procedat aſſerendo unum ex ſenſibus, quem Rubrica patitur, alterum haud negando; quod nil fieri vetat, quia ambo illi ſenſu non ſunt contrarii, unde neceſſe non eſt, ut qui unum dicit, alterum excludat.

IV. Verum demus in ſenſu excluſivo Decretum procedere, ſed quid inde? Hincne ſequitur reprobatio conſuetudinum non ſolemnium? Nequaquam. Sequitur dumtaxat, quod per dictam Rubricam, atque Decretum approbatæ non veniant, non tamen reprobatæ. Sed quid ſi per alias Rubricas approbentur? Approbatæ erunt utræque, ſed per diverſas Rubricas. En modo quid habeat Rubrica 7. num. 4. *Aut alterius feſti, quod in aliquibus Eccleſiis conſuevit cum octava celebrari.* Ubi eſt *ſolemniter?* Lethalem nunc accipe ictum. Rubrica 5. *num.* 1. inter dies, in quibus ceſſat feriale officium, illos recenſet;

in quibus *occurrit aliquod feſtum ſolemne, aut conſuetum in aliqua Eccleſia celebrari*. Dictio *Aut* eſt disjunctiva, adverſativa, vel expoſitiva. Si ſumatur disjunctive, & adverſative, jam feſtum *ſolemne*, & *conſuetum*, inter quæ eſt poſita, ſunt inter ſe diverſa, adeoque ſi utrumque ceſſare facit officium feriale, utrumque eſt ex officiis recitari approbatis. Si accipiatur expoſitive pro *ideſt*, jam ſtatim idem ſunt feſtum ſolemne, & conſuetum, & ſic viget expoſitio Guyeti.

V. Denique Decreta omnia hujus capitis probant feſta conſuetudinis, & nec verbum habent de conſuetudine ſolemni. Urbanus VIII. vult Dei ſervos manutenendos eſſe in cultu, etiam officii, quem centenaria, & quidem licet non ſolemnis, eiſdem præſcripſit conſuetudo; vides jam igitur, quod opus eſt des vel invitus, conſuetudinem etiam non ſolemnem tueri poſſe Sanctorum officia.

VI. Nec deeſt alius Rubricæ ſenſus non minus commodus; Rubrica enim prima non agit de ſubſtantia officii, quam ſupponit, ſed de ritu, quo tale officium celebrari debet, aſſignatque ritum duplicem generice ſumptum iis officiis, quæ ritu ſolemni olim celebrabantur, ut ritus antiquus celebrandi feſta, qui in qualibet Eccleſia erat multiplex, conciliari queat, & accommodari ritui Romano, ita ut quæ celebrabantur olim ritu ſolemni correſpondente ritui primæ claſſis, hoc pacto celebrentur, quæ non ita ſolemni, ſub ritu duplicis 2. claſſis, vel majori reſpective, vel minori. Rubrica 2. *num.* 1. per hæc verba te doceat: *Et in feſtis propriis quorumdam locorum, ſeu Congregationum, quæ ſolemnius apud illas, quam ſimplicia, conſueverunt celebrari*, in quibus ritum ſemiduplicem aſſignat iis feſtis, quæ ritu magis elevato, quam ſimplici, celebrari conſueverant.

DECRETUM III. CAP., IN ORDINE CCCLXXXIII.

Officia de Epiſcopis Sanctis locorum poſſunt continuari de communi, ſi conſtaret illos fuiſſe canonizatos, vel per tempus immemorabile celebratum fuiſſe de illis officium, & Miſſam. S. R. C. 28. Octobris 1628., *& repertus in Rubricis Breviarii Minor. Obſerv. num.* 62. ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 66.

I. Quod de Epiſcopis ſtatutum noſcimur, procedit de Sanctis omnibus localibus, quorum appellatione veniunt Sancti omnes, qui in aliquo loco ſpecialiter coluntur. Ingens olim horum Sanctorum erat numerus; colebantur ſiquidem fidei Anteſignani, Epiſcopi, Sancti quique indigenæ, qui in loco commorati fuerant, aut munus aliquod exercuerant, aut miraculis erant inſignes, vel in diſcrimine aliquo opitulati, ſive ibi Reliquias habebant, vel Eccleſiam aliquam in ſui honorem erectam &c. Hujuſmodi officiis ubertim incumbebant Eccleſiæ, ſed cum per eadem quaſi totum perimeretur feriale officium, quando Pius V. ſuam Bullam edidit de Breviario Romano, Eccleſiæ, quæ ritui Romano acceſſere, non quidem omnia, ſed plurima dictorum Sanctorum expunxerunt officia, plus minuſve pro diverſitate Eccleſiarum, & prout plus minuſve ſingula ad eaſdem Eccleſias viſa ſunt pertinere, quæ inter præſertim ſtetere ea Sanctorum Epiſcoporum.

II. De hiice officiis, quæ ab Eccleſiis fuerunt retenta, nunc ſtatuitur, quod *ſi conſtet illos fuiſſe canonizatos*, continuari poſſunt, utpote antiquiora eadem Bulla Pii V., per quam, & poſt quam vetitum eſt Epiſcopis nova officia inducere, cum antea iiſdem foret liberum. Si autem canonizati non fuerint, contenta non eſt Congregatio conſuetudine antiquiori Bulla Piana, ſed expoſcit conſuetudinem immemorabilem; quæ, & qualis nunc eſſe debeat, jam in primo hujus capitis Decreto fuſe diximus.

II. *De communi* officia præfata vult eſſe continuanda, & ipſum præſcribit primum Decretum, docentque Gavantus *ſect.* 2. *cap.* 2. *num.* 23., & Meratus *ibidem nu.* 7., qui id ſuadere conatur ex Bulla Piana, quæ revocat conſuetudines omnes precandi more, & ritu Breviariorum ſuppreſſorum. Aſt ruit hoc argumentum, quia ibi Pius ſolum proſcribit formulam, non officia Breviariorum ſuppreſſorum; quare nos diceremus magis, quod Pius per eam Bullam ſupprimit Breviaria, & ſuum vult in omnes invehi Eccleſias; ex ſuppreſſione autem Breviariorum ſuppreſſa etiam manent materialia officia in iiſdem contenta, quare cum in Romano non adſint officia illa propria, hoc ipſo quod de Sanctis locorum recitari debet, neceſſe redditur, ad reſpectivum commune recurrere; unde Rubrica 1. *num.* 1. de feſtis conſuetudinis habet eſſe recitanda *cum officiis propriis a Sede Apoſtolica approbatis, aut ex ejuſdem Sedis auctoritate receptis, vel recipiendis, alioquin de communi*. Vide, quæ dicuntur in Decreto 8. Aprilis 1728. in cap. de officiorum approbatione, per quod damnantur officia per Sedem Apoſtolicam non approbata.

DECRETUM IV. CAP., IN ORDINE CCCLXXXIV.

Si feſtum S. Honuphrii ante Bullam Pii V. celebrabatur cum officio, & Miſſa, poteſt continuari, ſi vero introductum eſt poſt Bullam, nullo modo permittendum eſt. S. R. C. 17. Novembris 1632. *in Caſertana*, ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 76.

I. Anachoreta inſignis S. Honuphrius, cujus elogium ad diem 12. Junii attexit Martyrologium Romanum, ex Sanctis eſt juxta veterem Eccleſiæ diſciplinam canonizatis; quare per Decretum inſtruimur, quod ad tuenda officia quorumcumque canonizatorum ſufficit, & exigitur conſuetudo antiquior Bulla Piana. Ratio hujus eſſe poteſt, quod ante dictam Bullam Epiſcopis integrum erat Sanctorum feſta inducere, & per eamdem Bullam fuit eiſdem inhibitum, per Decretum 8. Aprilis 1628. declaratum extitit poſt eamdem Bullam nihil amplius poſſe, nec potuiſſe locorum Ordinarios quoad Sanctorum officia, & ſtatutum fuit, fore irritum, & inane, quidquid ſecus fuerit attentatum. Ut vero feſta antiquiora Bulla Pii V. in valido cenſeantur ſtatu, opus non eſt, quod fulciantur conſuetudine ante dictam Bullam præſcripta, ſed ſufficit, quod inducta; tunc enim nulla erat lex, aut ſi quæ erat, non erat uſu recepta, per quam inhiberetur feſtorum intruſio; unde conſuetudo ut induceretur, & inducta curreret, præſcriptione non indigebat, præſcriptio namque, ſeu ſpatium temporis a jure civili, vel canonico ad præſcriptionem exacti, neceſſaria quidem eſt ad abrogandam legem contrariam, contra quam conſuetudo prævalere debeat, numquam vero ut conſuetudo ipſa valeat, quando contraria nulla lex eſt, contra quem debeat prævalere. Et præſertim in noſtro caſu, in quo lex ſuperveniens, non abrogat, ſed probat feſta conſuetudinis, ſolumque proſcribit feſta poſt Bullam Pii V. per conſuetudinem inducta. Conſuetudo vero cum fiat ex actibus repetitis, ut ante Bullam cenſeatur inducta, opus eſt, quod ad minus tres actus eamdem præceſſerint, ad hoc ut prælata officia tueri valeat; quod fortaſſe non obſcure eruitur ex verbo illo *celebrabatur*, quod in uno, vel duobus actibus verificari non poſſe videtur. Recolantur, quæ in ſimilibus data ſunt in Decr. 2. cap. 3., & quæ ad rem traduntur in Decr. 1. cap. de Additione Breviarii inhibita.

II. Dices: Decretum 8. April. 1628. a ſua diſpoſitione præſervat feſta, quæ *Breviarii Romani Rubricis conceduntur*; ſed feſta conſuetudinis ab iiſdem Rubricis conceduntur; ergo poſt eamdem Bullam per conſuetudinem inducta minime nutant.

III. ℟. Feſta a Rubricis admiſſa, eſſe feſta conſuetudinis inductæ ante Bullam Pii V., ſeu ante editionem earumdem Rubricarum, & hac de cauſa in iiſdem conſulto poſitum fuiſſe verbum in ſenſu præterito *conſueverunt*, vel aliud ſimile, ut daretur nempe intelligi, non de conſuetudine introducenda, ſed ante eaſdem invecta diſpoſitionem procedere.

IV. Quæres 1. num modo integrum ſit feſta ex conſuetudine retinere, vel ſupprimere? Dictum eſt *modo*, quia dubium non eſt, quod tempore receptionis Breviarii Romani potuerunt dicta feſta ſupprimi, & plus minuſve ab Eccleſiis jam fuerunt ſuppreſſa.

V. ℟. modo retineri debere, nec ſupprimi poſſe. Tum quia Sancti iſti vi longævæ, legitimæ, & præſcriptæ conſuetudinis ſunt in poſſeſſione cultus officii, unde hoc amplius ſpoliari non poſſunt. Sane a Decreto 10. cap. 4. *debita, prout hactenus ſervatum eſt*, appellatur veneratio Sanctorum, & eiſdem *adhibenda* mandatur, & Urbanus VIII. in nihilo præjudicandum eſſe voluit Sanctis illis, qui in legitima, ſeu centenaria cultus poſſeſſione aderat; quidni igitur & debita erit, prout hactenus ſervatum eſt, & adhibenda veneratio Sanctis, de quibus agimus, & manutenendi hi erunt in legitima poſſeſſione officii? Tum quia, ut ſtatim dicemus, feſta conſuetudinis ſunt feſta, quæ per Rubricas Breviarii Romani probantur.

VI. Quæres 2. an ſi per incuriam, oblivionem, vel conſcientiæ ſcrupulum exciderint, vel intermiſſa fuerint feſta ejuſmodi, poſſint denuo reſtaurari?

VII. ℟. Poſſe, & debere reſtitui. Poſſunt autem, quia teſte Merato *ſect.* 2. *cap.* 2. *num.* 7. præſens Decretum latum eſt pro officio S. Honuphrii jam intermiſſo, ut ſiquidem advertit Guyetus *lib.* 1. *cap.* 10. *quæſt.* 5. per deſuetudinem non extinguitur jus, ſeu debitum feſta celebrandi. Adde, quod ſicuti ſi aliqua de cauſa, puta incertitudinis, quæ tunc appareat, a cultu Reliquiarum deſitum foret, inſtaurari hic poſſet, & deberet, ſi deinde de earumdem identitate conſtaret, ita ſi per oblivionem, aut dubietatem legitimæ introductionis ab officio feſtorum conſuetudinis ceſſatum fuiſſet, reſtitutio in integrum iiſdem deberetur, ſi de conſuetudinis legitimitate poſtea conſtaret.

VIII. Quæ vera ſunt, etſi per ſpatium temporis plurimi, puta 40. annorum, per quod præſcribitur lex Eccleſiaſtica, præfata officia intermiſſa fuiſſent; ſunt enim hæc feſta a Rubricis Breviarii Romani approbata; adeoque feſta de Breviario Romano; uti autem vetitum eſt Breviario Romano quid addi, ita ab eo aliquid detrahi; & ſicuti conſuetudo quæcumque, licet centenaria, poſt Bullam Pii V. inducta, quia reprobata eſt, nequit officium aliquod addere, ita nec demere; & quemadmodum quod additum foret eſſet demendum, ita demptum foret reſtituendum, nova conſuetudine, quia per legem reprobata, numquam legem ipſam, nec antiquam conſuetudinem abrogante. Et quidem feſta conſuetudinis non minus ſunt feſta

Bre-

Breviari Romani, ac feſtum Tituli propriæ Eccleſiæ, cum æque omnia a Rubricis quidem præſcribantur, & eorum neutrum in corpore Breviarii Romani habeatur; quis autem dubitat, quod feſtum Tituli, etſi ſpatio plurium annorum intermiſſum, non ſit reſtituendum? Verbum itaque *Poteſt*, quo Decretum utitur, libertatem non facit, & in Decretum unice ratione petitionis, quæ erat, num tale feſtum non obſtante intermiſſione poſſet continuari, fuit invectum.

DECRETUM V. CAP., IN ORDINE CCCLXXXV.

Quamvis Patres Cappuccini Conventus Leodien. ex conſuetudine pluſquam centum annorum ſoleant facere officium duplex majus de S. Servatio Epiſcopo 13. Maii, quia eſt Patronus principalis Parochiæ, in qua morantur, & eſt feſtum devotionis in Populo, nihilominus declaratum, & deciſum fuit, non licere prædictis PP. Cappuccinis continuare recitationem dicti officii, nec in alium diem transferre, quando ab alio majori feſto contingit eſſe impeditum. S. R. C. 28. Aug. 1706. *in una PP. Cappucc. Provincia Leodien.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 240.

I. TRiplex reprobatur titulus, vi cujus Patres Cappuccini continuare poſſe credebant officium S. Servatii, cujus laus plurima eſt in Martyrologio Romano ad diem 13. Maii, nempe Patrocinium Parochiæ, & de hoc jam egimus in Decr. 14. cap. 1., & in Decr. 12. cap. 3., feſtivitatem Populi, de qua ſermonem habuimus in Decr. 7. cap. 2., & in Decr. 4. & 5. cap. 13., & alibi ſermo redibit, demum conſuetudinem pluſquam centum annorum, quam ex ſuperioribus patet ad effectum non eſſe validam, niſi inducta ſit ante Bullam Pianam, cujuſmodi profecto non erat illa, de qua quærebatur; retrocedendo quippe per centum annos a data Decreti ſiſtitur ad annum 1606., adeoque annos 38. poſt eandem Bullam, quos importare nequit dictio Decreti *Pluſquam*, quæ de modica quantitate intelligitur *ex L. Hac adjectio, ff. de verb. ſignif. L. cum filius §. Pater ff. de Legat. 2. &c.*

II. Dices, quod conſuetudo centenaria cenſetur immemorabilis, & immemorabili æquivalet; conſuetudinem autem immemorabilem nos ipſi ſuperius validam fecimus ad tuenda officia. Verum dicito conſuetudinem centenariam non eſſe preſſe immemorialem, utpote cujus initii memoria habetur, & talem duntaxat dici fictione juris, vi cujus etſi dicatur æquivalere immemoriali, id tamen ſolummodo verum eſt in iis, quæ per jura ipſa aliter diſpoſita non ſunt; quare etſi conſuetudo centenaria præcedens Decreta Urbana, valida ſit manutenere Sanctos in poſſeſſione priſtini cultus, non tamen centenaria poſterior ad tempus ab iiſdem Decretis, a quibus reprobatur, exactum, ita erit de centenaria inducta poſt Bullam Pianam, a qua itidem reprobatur. Par nec eſt ratio de immemoriali, quia cum ſupponatur legitima, cum defectus, & culpa ſupponi non poſſint in majoribus, qui eam introduxerunt, & continuarunt, Sancti, qui vi ejuſdem in pacifica ſunt poſſeſſione officii, ſpoliari non poſſunt, & præſertim quia in dubiis ipſis jura meliorem faciunt conditionem poſſidentis.

III. Ultima Decreti pars ſequitur ex priori, quippe ſi licita non eſt continuatio dicti feſti, utique nec translatio in caſu impedimenti. Ex dictis unum, volumus, inſeras, nempe quod ſi dubium inſurgat circa antiquitatem legitimam alicujus ex hujuſmodi feſtis, adhuc continuari poteſt, & debet; in dubiis enim legitima ſupponitur conſuetudo, niſi contrarium probetur, & melior ſemper eſt conditio poſſidentis.

A D C A P U T XLV.

De Feſtis ex Conſuetudine.

A P P E N D I X.

DECRETUM PRIMUM Cap. In Ord. 460.

Quando non conſtat officia, quæ recitantur in aliqua Diœceſi, a Sancta Sede Apoſtolica conceſſa eſſe, quæritur, an licite poſſint omnes Diœceſes de illis talia officia habere, vel illæ Diœceſes debeant ceſſare a tali recitatione. Et Sacra Congregatio reſpondit: ſerventur Decreta edita ſuper officiorum recitatione. Qui autem particularia officia recitare deſiderant, inſtent pro illorum approbatione, & conceſſione. S. R. C. 1. Decembris 1742. *Polonia in una Ord. Carmel. Excalceat.*

POſt Bullam Pii V. per Epiſcoporum auctoritatem officia nulla in Kalendarium invehi poſſe, & quatenus invecta fuerint, ſupprimenda ea eſſe, jam ad longum diſceptatum extitit in toto capite 45. tom. 1., ubi itidem, & adhuc magis in cap. 44. actum eſt de iis feſtis, quæ vi conſuetudinis nihilominus retineri poſſunt.

DECRETUM SECUNDUM Cap. in Ord. 461.

Non poteſt continuari officiorum recitatio, quæ conceſſa ſunt in aliquibus Diœceſibus ab aliquo tempore, ut ſunt de ſanctis Martyribus Gorcomienſibus 9. Julii, & de S. Eraſmo Epiſcopo, & martyre 3. Junii pro Belgio, ſub ritu duplici ad libitum, cum nullum fundamentum ſit horum officiorum extenſionis ad regnum. S. R. C. 7. Maii 1746. *in Varſavien.*

COnſuetudo noviter inducta, rite declaratur invalida ad tuendam continuationem officii, de cujus extenſionis indulto fundamentum non aderat.

DECRETUM TERTIUM Cap. in Ord. 461.

Conſuetudo antiqua, & immemorabilis dicendi officium de aliquo ſancto ſufficit ad rite continuandum; ut illud recitetur, dummodo immemorabile reſpiciat feſtum in Romano Martyrologio deſcriptum, ſin minus negative. S. R. C. 7. Maii 1746. *in Varſavien.*

UT ratione immemorabili conſuetudinis continuari poſſit officium, præſens Decretum, quod ſit de ſancto in Martyrologio Romano deſcripto, in conditionem expoſcit. Id contrarium videbitur iis, quæ nos dedimus tom. 1. cap. 44. num. 8., & quidem Bullæ Urbani VIII., & validis Congregationum Decretis innixi, quæ ne dedignetur lector recolere, ut rectum judicium valeat efformare.

C A P U T XLV.

De Beatorum Officio.

I. PLurima, quæ in præcedenti Capite dedimus, nos vocant ad examen reliquorum, quæ de Beatorum officio dicenda ſuperſunt. Hic non repetenda eſſe putamus, quæ ſparſim pro opportunitate tradidimus, recoli tamen poterunt præſertim in Capitibus 2. 3. & 4., necnon in præcedenti, & alibi. Variæ Beatorum ſunt claſſes, ſed & hæ in Decreto 1. cap. 3. aſſignatæ venere, nonnulla & de iiſdem dedimus, ubi de Martyrologio Romano. Mirabitur quis fortaſſe, quod primum Decretum, quod de canonizatis expreſſe agit in hoc caput a nobis intrudatur, ſed præambula quædam materia ſit ad dicenda in ſequentibus.

DECRETUM I. CAP., IN ORDINE CCCLXXXVI.

De Sancto canonizato non poteſt fieri officium extra propriam Eccleſiam ſine novo Decreto. S. R. C. 9. Decemb. 1628. *in Gennen.* ex Merato in Indice Decret. Breviar. num. 67.

I. CAnonizationum Bullæ, etſi diverſas teneant loquendi formulas, eo omnes tendere videntur, ut poteſtatem faciant recitandi officium de Sancto canonizato in die mortis ejus. Antiquiores quidem nullam officii mentionem agunt, ſed hac, vel ſimili formula ſunt conceptæ, *ut dies natalitia Sancti N. ſolemniter celebretur, feſtumque ejuſdem quotannis recoli debeat*, ut de SS. Hugone, Henrico, Bernardo, Antonio de Padua, Dominico &c., fortaſſe uſque ad annum 1391., in quo Bonifacius IX. habet de S. Birgitta: *Statuentes, ut ab univerſali Eccleſia anno quolibet in die &c. feſtum ipſius, & officium celebretur;* quod & alii poſtmodum præſtitere Pontifices Summi, quorum aliqui addidere *Ad normam Breviarii Romani præſcriptam*, ut de S. Raymundo de Pennafort Clemens VIII., & de S. Carolo Borromæo Paulus V. *Ad Breviarii Romani præſcriptum*. Noviſſimæ vero Bullæ hac, ſimilive utuntur methodo, ut de S. Roſa Limana: *Statuentes ab Eccleſia univerſali quolibet anno die N. menſis N. memoriam ejus inter Sanctas Virgines recoli debere.*

II. Quæ diſerte officii mentionem habent, utique ad effectum officii neceſſitatem novi Decreti excludere videntur, & ex iiſdem facile ſimilem expoſitionem accipiunt Bullæ reliquæ, quæ *feſtum, vel memoriam* mandant haberi. Verum Sanctio novum Decretum exquirit, cui communis conformis eſt praxis, quæ non de omnibus canonizatis inſtituit officium, ſed de aliquibus tantum, pro ceteris, quorum pluralitas vetat, ſupplente omnium Sanctorum feſto ad hoc inſtituto. Bonifacius IX. die 7. Octobris 1391. inter Sanctas retulit S. Birgittam, concedens de eadem in univerſali Eccleſia officium fieri, & tamen nonniſi ſub Gregorio XV. anno 1623. medio novo Decreto in Breviarium inductum fuit. Quid clarius?

III. Senſum Bullarum ſupereſt perſcrutari, & Gavantus *ſect. 2. cap. 2. n. 30.* reſtrictum eſſe putat ad Eccleſias, quarum Sanctus eſt Titularis. Meratus *ibidem num. 9.*, Paſqualigus *de Sacrif. novæ leg. q. 268. num. 5.*, & Lezana *conſult. 2. n. 6. & 7.* exponunt de habilitate, non de actu, ita ut declaretur Sanctum talem eſſe, ut poſſit ipſi dictus officii cultus, & honos deferri, & de facto ſit impendendus, ubi Patronus, vel Titularis eſt, aut ejuſdem Reliquia inſignis aſſervatur. Reſponſionem hanc approbant verba illa, *Ad normam in Rubricis Breviarii Romani præſcriptam*, vel *Ad Breviarii Romani præſcriptum*, quæ in ſuperadductis Bullis obſervavimus haberi, & inſimul nobis oſtendunt mentem aliarum, in quibus deſiderantur; in Breviarii autem Rubricis de Sanctis canonizatis non præſcri-

bitur officium, niſi ubi ſunt Patroni, vel Titulares. Attamen quia adhuc ea verba minus peritis offenſio eſſe poterant, in poſterioribus Bullis omiſſa venere, nullaque officii mentione acta, methodus alia ut ſupra uſitata fuit.

IV. Ex ritu officii, quem tacent Canonizationum Bullæ, nec Rubricæ aſſignant. Gavantus *loc. cit.* novum Papæ, qui juxta cap. *Glorioſus de Relig.*, *& vener. Sanct.* ſolus poteſt unum præ aliis extollere, Decretum, per quod ritus præſcribatur, neceſſarium eruit, & longiori, ac aureo calamo argumentum proſequitur Benedictus XIV. *lib. 1. de Canon. cap.* 38. *n.* 7., quem curioſus Lector recolat, dum nos ponderantes ea Decreti verba *extra propriam Eccleſiam*, rite inferre poſſe credimus, ſine novo Decreto in propria Eccleſia officium fieri poſſe, prædictarumque Bullarum ſenſum manere reſtrictum ad Sanctos pro ſuis titularibus Eccleſiis, quibus Rubricæ officium 1. claſſis de reſpectivo Titulari diſerte demandant. Idem eſto judicium de Sanctis pro locis, quorum Patroni ſunt, aut eorum inſignes aſſervantur Reliquiæ; primis ſiquidem Romanæ Rubricæ pro officio duplici itidem 1. claſſis, & ſecundis Congregationis Sanctiones pro officio duplici minori favorabiles extant.

DECRETUM II. CAP., IN ORDINE CCCLXXXVII.

Nullatenus in Anniverſario Beatificationis, ſeu Canonizationis debet celebrari feſtum cum officio, niſi in illa tantum die Canonizationis, vel Beatificationis, & eo modo, quo conceſſerit Sacra Congregatio. S. R. C. 8. April. 1628. ex Merato ſect. 2. cap. 2. num. 9.

I. AUthenticiæ Decreti, quod in ſuo Indice n. *66.* dare pollicetur Meratus, nihil profecto detrahitur, per hoc quod promiſſi immemor, id minime præſtiterit. Caſtaldus *lib.* 3. *ſect.* 12. *cap.* 4. *n.* 16. Canonizationis feſtum, cum primum aliquis in Sanctorum numerum relatus fuerit, cum officio primæ claſſis, & octava fieri poſſe, ſeu magis ſolere, ſentire videtur, & idipſum conſequenter poſſe præſtari, ubi alicujus Beatificatio ſolemniter celebratur. Caſtaldo quoad Canonizationis feſtum adhæret Halden. *par.* 3. *tit. ult. V. Canonizatio*, & ſubdit ea, quæ Caſtaldus tradit de Beatificatione, cum proportione eſſe intelligenda, & niſi aliter in Decreto Beatificationis a Sede Apoſtolica ordinetur, aut præſcribatur. Meratus *loc. cit.* ejuſdem Caſtaldi opinionem adoptat, quam communi Eccleſiarum Urbis praxi facit conformem, & probat primo ex præcedenti Decreto, in quo ſtatuitur, *De Sancto Canonizato non poſſe fieri officium extra propriam Eccleſiam ſine novo Decreto*; hinc infert, quod de Sancto recens canonizato poſſit fieri officium in illa Eccleſia, in qua fit feſtum ſuæ canonizationis. Langueſcit hæc conſequentia, nec tanto eſt digna Auctore, quaſi feſtum ſolemne Canonizationis, Sancti *propriam* conſtituere valeat Eccleſiam illam, in qua agitur, & in Decretorum, & Rubricarum ſenſu illa non ſit *Eccleſia propria*, cujus Sanctus Patronus eſt, vel Titularis.

II. Canonizationum Bullas, quarum verba de Sancto canonizato, ut in præcedenti Decreto vidimus, officium regulariter indulgent, ſecundo producit. At miror, non viderit, quod officium indulgent pro *die mortis ejus*, & non pro una duntaxat vice, ſed *annuatim* in eadem mortis die, & nihil prorſus habent de *ritu*, aut de *octava*; unde igitur unquam ipſe quid eruit in favorem diei, in quo celebrantur canonizationis ſolemnia? Illationem adhuc reverentia, quam Merato gerimus, lubentes nos condonare faceret, ſi ipſe nobiſcum aliter eaſdem non expoſuiſſet Bullas; ſi enim ipſum non pudet, nos utique turpiter deſtruere, quod alibi fuit ædificatum.

III. Roboris fucum quendam fortaſſe habet illatio, quam ex præſenti deducit Sanctione, quæ pro die anniverſario denegata officii facultate, ſubdit: *Niſi in illa tantum die Canonizationis, & Beatificationis*; cum enim dictio *Niſi* ſit exceptiva, & in effectu præcedentibus adverſetur, præcedatque oratio negativa officii in anniverſario, fas eſt, ipſa officium affirmet pro die canonizationis, & beatificationis. At *fucum* duntaxat habere tile diximus, quem ſtatim diſſipant ea Decreti verba, *& eo modo, quo conceſſerit Sacra Congregatio*; deſignant namque etiam pro die canonizationis, & beatificationis conceſſionem expoſci, qualem factam fuiſſe per Gregorium XV. pro SS. Iſidoro, Ignatio, Franciſco Xaverio, Philippo Nerio & Thereſia, aſſerit Guyetus *lib.* 1. *cap.* 8. *qu.* 9., & alias fruſtranea fuiſſet, ſi jam id jure communi concederetur. Et quidem quid aliud ſignat præcedens Decretum, dum ad officium de Sanctis canonizatis extra propriam Eccleſiam habendum, novum abſolute, & ſimpliciter neceſſarium promulgat Decretum? Dictio autem *Niſi* bene excipit diem canonizationis, & beatificationis, non quia in hac non requiratur ad officium ſpeciali conceſſio, ſed quia pro ea regulariter ſemper fieri conſueſcit, & memorata dictio non deſignat nobis, niſi quod conceſſio facta pro die, non extenditur ad anniverſarium, ſed in ipſo die canonizationis, & beatificationis expirat.

IV. Apprime quadrat exemplum regiæ Sponſæ, cujus deſponſationis dies undequaque celebrior evadit, non ſic dies anniverſaria, quæ nullatenus celebratur, ſed magis Natalis dies, quæ in Principum aulis ſolemnis eſſe ſolet. Sic Sancti recens canonizati ſolemnitatem officii conceſſione augere, in uſum habet Eccleſia, non diem anniverſariam, cujus loco diem aliquorum natalitiam aſſumit, aliorum, cum ob copiam omnes ſeorſim recolere non valeat, merita in uno omnium Sanctorum feſto, quod hac de cauſa inſtituit, minime præteriens. Etſi vero Eccleſia, quæ ſolemniis unius Sancti unam duntaxat aſſolet deſtinare diem, conſultius eligat natalitiam, in qua eidem incomparabiliter majora obvenere bona, haud tamen abhorret anniverſarium canonizationis, ſed ex particulari diſpenſatione aliquibus nonnunquam illud induſiſſe reperitur, ut Ordini S. Auguſtini illud S. Nicolai Tolentinatis pro die 5. Junii, Ordini Minorum illud S. Franciſci de Paula pro die 4. Maii, & noviſſime Ordini Conventualium illud S. Franciſci de Aſſiſio, quinimmo & præſens Sanctio ſine particulari conceſſione duntaxat inhibet *feſtum cum officio*, cuique liberum faciens feſtivitatem ſine officio agere.

V. Bene itaque Gavantus *ſect.* 3. *cap.* 8. *n.* 1. ad rem dixit: *Quæ addidit recentior, fieri feſtum cum octava tum canonizationis, tum beatificationis Sanctorum, aperte fallitur, ſi loquatur ſine præciſa licentia S. Sedis Apoſtolicæ*, per quam ceteroquin pro die canonizationis aſſolet indulgeri officium duplex 1. claſſis cum octava, & pro die beatificationis officium duplex majus pro unica die. Quod minime conceſſum intelligitur pro die, quo Dei Servus Sanctorum, vel Beatorum numero fuit adſcriptus, alias ſolemnia ad annum uſque ſequentem differri deberent, ſed magis pro die, quo juxta Guyetum primum Diploma ad notitiam venit, vel verius, qui pro diverſitate locorum congruentior cenſetur pro iiſdem ſolemniis celebrandis. Ab hoc tamen die non petitur anniverſarium, ſed quatenus concedatur, petendum eſt a die, in quo canonizatio reipſa fuit peracta.

DECRETUM III. CAP., IN ORDINE CCCLXXXVIII.

Recitatio officii de Beatis non canonizatis non eſt ſatisfactoria præcepti, niſi quoad illos, quibus Sedes Apoſtolica de hoc indulſit; nec talium Beatorum nomina poni poſſunt in Kalendario, niſi illius tantum loci, earumque perſonarum, in quo & a quibus cultus Beati cum Officio, & Miſſa celebratur. S. R. C. 27. Septemb. 1659. *in Decreto generali approbante Alexandro VII.* ex Merato in Indice Decr. Brev. numer. 79.

I. UT Sanctionis plenam mentem arripias, in medium prodeant duo Decreta, ex quibus fuit compacta. Primum refertur a Merato in Indice Decr. Miſſalis n. 365., & ſit 4. cap., in ord. 389. *In locis, ubi Beatos ab omnibus coli permiſſum eſt, non inde publica officii recitatio permiſſa cenſeatur, ſed tantummodo privata, nec ſatisfactoria præcepti recitationis, niſi quoad illos, quibus Sedes Apoſtolica de hoc indulſerit.* Secundum refertur ibidem n. 368., & erit; 5. cap., in ord. 390. *Beatorum nomina in Kalendariis non apponantur, niſi illius tantum loci, earumque perſonarum, in quo, & a quibus cultus Beati cum Officio, & Miſſa celebratur. S. R. C.* 27. *Septemb.* 1659.

II. Quoniam Beatis adhuc ſupereſt alterum Eccleſiæ judicium, in permiſſione cultus eorundem limitate procedit Eccleſia, & adeo, ut non liceat excedere terminos verbales indultorum unde Sacra Congregatio 16. Decem. 1652. *Haud licitum eſt excedere limites verbales indultorum ſuper beatificationibus, præſertim in celebratione Miſſarum, & officii, niſi hoc expreſſe Sedes Apoſtolica indulſerit.* Non ſunt itaque audiendi, qui quaſi confundunt beatificationem cum canonizatione, volentes illam eſſe canonizationem minori apparatu celebratam, adeoque hoc ipſo, quod per Sedem Apoſtolicam aliquis declaratur Beatus, dignum declarari, cui cultus publici pars quælibet, quæ canonizatis impenditur, exhiberi valeat. Beneficationum Bullæ ipſæ rem extra dubium conſtituunt, in quibus limitationes plurimæ tum reſpectu cultus exhibendi, tum perſonarum, tum locorum in quibus, & a quibus exhiberi conceditur, cernuntur appoſitæ. Cum itaque nonnullis in locis quandoque Beati ab omnibus coli permittantur, non inde *publicam* officii recitationem permiſſam eſſe, Sanctio ſtabilit; hoc ſiquidem ipſo excederentur termini verbales indultorum, quæ non ſupponuntur talem facultatem facere. Erit, qui ad publicam ſatisfactoriam præcepti recitationem limitabit Decretum, ſed tu ne contentus eſto, privata ſiquidem, quæ conceditur, etiam declaratur non ſatisfactoria præcepti. Quæ igitur erit? Erit, quæ in Eccleſiis ultra penſam officii currentis publice haberetur. Privata autem officii recitatio, quæ præcepti ſatisfactoria non eſt, rationem induit aliarum privatarum precum, quarum obſequii genus, cum & præſtari queat cum ſola ſanctitatis fama defunctis, non eſt, quod vetet, Beatis impendi iis in locis, ubi eoſdem ab omnibus coli permiſſum eſt. Hinc ruit ſententia Granadi, qui a. 2. *contr.* 1. *tr.* 7. *diſp.* 4. *ſect.* 2. peccati mortalis reum facit, qui de Beatis officium privatim recitat; nomine quippe Eccleſiæ non recitatur, dum ex privata devotione dicitur, ut bene advertit Quarti *par.* 1. *tit.* 4. *dub.* 6., adeoque cultus publicus non eſt, ſed privatus, inſtarque ſe habet aliarum privatarum precum, & ſic Apoſtolicis Sanctionibus non contrait, qui hoc obſequii genus Beatis impendit.

III. Hinc habes, cur Beatorum nomina in Kalendariis apponi vetentur, *niſi illius tantum loci, earumque perſonarum, in quo, & a quibus cultus Beati cum Officio, & Miſſa celebratur*; quippe Kalendaria non ſunt, niſi notæ quædam eorum, de quibus ex Apoſtolico indulto officium, & Miſſa celebrantur. Cum itaque patens ſit intentio Decreti, inhibitum non erit, Beatorum nomina in Kalendariis indicari, non quidem aſſignato officio, ſed ſolum indicata eorum die natalitia, ut citra officium conceſſo cultu idem valeant honorati; & nec dubium eſt de plebejis Kalendariis, quæ ad officii directionem minime deſerviunt, ſed ad populi inſtructionem pro currentibus feſtivitatibus. Verum ſi Beati officium Eccleſiæ alicui Diœceſis con-

conceſſum ſit celebrari, nec vetitum ſit, ejuſdem nomen cum officio in Kalendarium ipſum Diœceſanum induci, dummodo aſſignato officio currenti pro reliqua Diœceſi, diſerte notatum fiat, prædictum officium in præfata Eccleſia dumtaxat eſſe recitandum, quia hoc ipſo Beati illius nomen non apponitur, niſi in Kalendario *iſtarum perſonarum*, quibus ejuſdem cultus cum Officio, & Miſſa eſt permiſſus; annotatio quippe iſta Eccleſiæ illi quoad hanc partem appropriat Kalendarium, quod ceteroquin materialiter, & quoad partes reliquas in uſum eſt totius Diœceſis.

IV. Nunc alterius ſuccedat examen Decreti, quod erit 6. cap., in ord. 391. *Si conceſſa fuerit per Sedem Apoſtolicam Altarium erectio, non tamen ob id Miſſam, & officium de Beatis celebrandi, vel recitandi facultas tradita præſumatur; etenim ſpecifica, & expreſſa conceſſio ſuper his præcedere debet. S. R. C. coram Alex. VII. 27. Septemb. 1659. apud Meratum in Indice Decr. Miſſalis num.* 363. Miſſa, & officium ſpecialem important cultum, & ſuperiorem cultui erectionis Altarium, unde ex hujus conceſſione haud rite erui valet conceſſio uper illis, ſed pro his etiam ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa, fas eſt, præcedat conceſſio. Sancti canonizati amplitudinem habent cultus, in eorumdem honorem Altaria, & Eccleſiæ erigi queunt, & tamen de iiſdem officium, quod ſit ſatisfactorium præcepti, ſine novo Decreto fieri non poſſe, primum hujus capitis firmat Decretum; quis autem crederet, plus Beatis poſſe eſſe conceſſum? Quæ itaque de officio hic ſtatuta ſunt, ſunt etiam canonizatis communia, præter publicam officii decantationem, quam de canonizatis dummodo non in ſatisfactionem præcepti, integrum eſt haberi; quinimmo & Miſſam iis diebus, ac circumſtantiis, prout Rubricæ ferunt; canonizatis enim non denegatur officium, quia hoc obſequii genus iiſdem vetitum ſit impendi, utpote qui amplitudinem cultus ſine reſtrictione obtinent, unde in Eccleſia propria ſtatim aſſequuntur officium, ſed quia cum Eccleſia ob Sanctorum copiam canonizatus omnes officii cultu diſtinctim non valeat honorare, in uno Sanctorum omnium feſto eoſdem cum officio contenta eſt excolere, per quamlibet anni diem diſtributis officiis, quæ in honorem Dei, vel Sanctorum vult celebrari: quare percurſo diei officio, quod eſt in præcepto, vetitum haud erit in eorumdem honorem officium etiam publice decantare. Pro iis diebus, & circumſtantiis, in quibus per Rubricas permittuntur Miſſæ officio currenti non conformes, a fortiori idipſum conſequenter erit de Miſſa, cujus qualitatem, dummodo in honorem canonizatorum, non beatificatorum, pro quibus cultum jure limitat, habeatur. Eccleſia cleri committit devotioni, & arbitrio.

V. Sanctionem claudat Decretum alium, & ſit 7. cap., in ord. 392. *Epiſcopi Regulares, qui ex Indultu Sedis Apoſtolicæ gaudent privilegiis ſuæ Religionis, de quibus ſunt capaces pro eorum conditione, non poſſunt de Beatis ſuæ Religionis recitare officium, & in propriis Cathedralibus Miſſam celebrare, & Altare Beatis prædictis erigere. S. R. C. 17. Apr. 1660. ex Merato in Indice Decr. Miſſal. num.* 382. Decretum 4. cap. 43. nos edocet, Regulares Epiſcopos ſequi debere Kalendarium propriæ Diœceſis, non Religionis; nunc conſequenter inſtruimur, iiſdem haud ſuffragari privilegia ſuæ Religionis, quibus ex Apoſtolico indulto perfruuntur, ad effectum recitando officium de Beatis ſuæ Religionis; fieret enim inde diſſonantia plurima, ob quam ad officium Diœceſis fuerunt adſtricti, cum proprio clero, a quo haud congruit Epiſcopum tamquam caput diſcrepare. Ubi autem prædictis Epiſcopis ſimpliciter inhibetur celebratio officii de prædictis Beatis, non ſic eſt de Miſſa, ſed hæc ſolum vetatur haberi in propriis Cathedralibus, & a fortiori in Eccleſiis aliis Diœceſis, non tamen ſui Ordinis, pro quibus ſuffragantur privilegia Religionis. Differens eſt ratio officii, & Miſſæ; nam ubi quoad officii qualitatem quilibet proprio Kalendario manet adſtrictus, non ſic eſt quoad Miſſam, quæ etiam in propria Eccleſia celebrata, neceſſe non eſt, conformetur officio, ſed perſæpe celebrans quoad ejuſdem qualitatem remanet liber; quinimmo quoties celebrat in aliena Eccleſia, aut debet, aut congruit, quod Miſſa conformetur officio Eccleſiæ, in qua celebrat; hinc merito ſtatutum fuit, privilegium Miſſæ, non officii, ab iiſdem participari Epiſcopis. Quod Miſſæ privilegium, uti & erectionis Altaris, nedum ad perſonas, ſed etiam ad loca cum maneat reſtrictum, conſequens eſt, quod præfati Epiſcopi ſolum in Eccleſiis ſuæ Religionis, & non in propriis Cathedralibus, aliiſque Diœceſis Eccleſiis de iiſdem Beatis celebrare valeant, & erigere Altare.

DECRETUM VIII. CAP., IN ORDINE CCCXCIII.

Beati in Patronos non eligantur, nec eorum natalitia cum octavis celebrentur. S. R. C. coram Alex. VII. 27. Septemb. 1659. ex Merato in Indice Decr. Miſſal. num. *393*.

I. F*Irmis quoque*, ait Sacra Congregatio, *remanentibus Decretis, nempe ne Beati in Patronos eligantur, nec eorum natalitia cum octava celebrentur;* quare cum octava dumtaxat Patronis principalibus, non minus principalibus juxta Rubricas debeatur, Decretum ab eligibilitate in Patronos principales ſolum Beatos repellit. Decreto tamen, *qua firma remanere* ſtatuuntur, etiam patrocinii minus principalis eoſdem declarant inhabiles; qua de re cum fuſe egerimus in Decreto 1. cap. 3., ubi & limitationes dedimus, quas præſens Sanctio patitur, ulteriora hic dare ſuperſedemus. Octava autem nota ſolemnitatis eſt, unde minus congrua viſa eſt, quæ tribueretur Beatorum feſtis, qui adhuc ultimum expectant Eccleſiæ judicium.

II. Verum per hocce Decretum univerſim haud fieri inhibetur octavam in Beatorum honorem, nec revocata cenſenda ſunt præcedentia indulta, quæ ſuper iiſdem octavis poſſunt eſſe conceſſa, ut diſerte ſtatuit ſequens Decretum, quod erit 9. cap., in ord. 394. *Indulta recitandi officium cum octava, vel ſine octava, & celebranda Miſſam de Beatis, non fuerunt revocata per Decretum emanatum anno 1659., 27. Septemb. S. R. C. 17. Aug. 1660. apud Meratum in Indice Decr. Miſſal. num.* 380. Decreta enim generalia numquam tollunt ſpeciales conceſſiones, ut Congregatio ipſa declaravit in Decretis 7., & 8. cap. 22. Quare non obſtantibus Decretis quibuſcumque integrum erit præcedentibus indultariis Beatos cum officio, octava, & Miſſa, ut prius, honorare.

III. Non eſt conemur oſtendere, quod eadem de cauſa, ob quam Beati a Patronatu repelluntur, ſequens Decretum, quod erit 10. cap., in ord. 395. eoſdem inelligibiles in Titulares Eccleſiarum declarat: *Abſque Pontificio indulto non licet aſſumere in Titulum Eccleſiæ Beatum nondum canonizatum; Titulus autem ſic aſſumptus habet ſupprimi, & alius pro eo de Sancto canonizato ſubſtitui. S. R. C. 23. Jan. 1740.* Quæ in Decreto 1. cap. 2. exaravimus de S. Roccho, qui licet ex canonizatis non ſit, in Titulum Eccleſiæ probatur aſſumi, ubertim evincunt a Titulo Eccleſiæ Beatos minime univerſim expelli; quare ut jura juribus concordentur, ultra ibi dicta recolenda ſunt tradita in Decr. 5. cap. 3., & quos ex Beatis ibidem fecimus eligibiles in Patronos principales locorum, erunt itidem eligibiles in Titulares Eccleſiarum. Quod ſi quis contra ibi ſtatuta reperiatur aſſumptus, cum ejuſdem aſſumptio ſit nulla, & contra Apoſtolicas Sanctiones attentata, *talis Titulus ſupprimi debet*, ac propterea *alius pro eo de Sancto canonizato debet ſubſtitui*, quod tamen nolumus intelligi limitative, & cum excluſione eorum Beatorum, qui jure præfatæ eligibilitatis legitime gaudent, licet eoſdem de facili eligi non probemus.

DECRETUM XI. CAP., IN ORDINE CCCXCVI.

Dies feſti in Beatorum memoriam non celebrantur, niſi ſpeciali indulto Apoſtolico proviſum fuerit. S. R. C. coram Alex. VII. 27. *Sept.* 1659. ex Merato in Indice Decr. Miſſal. n. *367*.

I. LIS erat inter Auctores, num in Beatorum memoriam ab Epiſcopis feſta poſſent indici, & communior opinio negabat, quæ nunc per Congregationem approbata manet; etſi enim per Urbanam Conſtitutionem Epiſcopi ſpoliati non fuerint facultatem indicendi feſta, hanc tamen exercere non valent erga eos Dei ſervos, quorum cultum juxta verbaliter in indultis expreſſa Sedes Apoſtolica vult limitatum, hoc ſiquidem ipſo eorumdem cultum extenderent. Cum itaque nonniſi per Epiſcopos in reſpectivis ſuis Diœceſibus feſta in præcepto poſſint conſtitui, dubium non eſt, quod dum ad ea celebranda ſpeciale indultum Apoſtolicum expoſcitur, Epiſcopi prædicta facultate ſpoliati veniunt, & quatenus eadem uſi fuiſſent, feſta hujuſmodi in præcepto cenſeri non poſſunt, ac conſequenter nec celebrari.

II. An ſi quis Beatorum, quos in ſuo cultu Urbanus VIII. anno 1634. manutenendos eſſe ſanxit, feſtivum cultum legitime habuerit, in eodem ſit manutenendus, quæſtio eſſe poſſet, ſed certum eſt, quod eorumdem dies non ſunt amplius feſtivi, idem quippe Urbanus in ſua bulla *Univerſa* 1642. feſta quæcumque abrogavit, & ad obſervantiam dumtaxat eorum, quæ ipſe indixit, voluit teneri fideles. At quid ſi quis eorum fuiſſet Patronus principalis loci? Ejus dies eſſet feſtivus, Urbana ſiquidem Conſtitutio Patroni principalis feſtum non abrogat, ſed magis in præcepto conſtituit, ubi eumdem haberi, & venerari contigerit. Idipſum conſequenter erit de iis Beatis, quos in Dec*r*. 1. cap. 3. fecimus eligibiles in Patronos principales locorum, quando reapſe eligerentur, quatenus tamen Patroni principalis feſtum per eamdem Bullam credatur in præcepto conſtitutum; ſecus vero, ſi ſolum in caſu, in quo præcedenter feſtive fuiſſet excultum, qualiter in cap. 13. nos dicebamus, in priori ſiquidem caſu nihil propria auctoritate attentaretur, ſed Apoſtolico interveniente indulto, bene vero in poſteriori. Nec refragamur admodum contendentibus integrum Epiſcopis eorum Beatorum, qui præcedenter ad Urbanam Conſtitutionem feſtive colebantur, indicere feſta, hæc ſiquidem per Bullam Urbanam abrogata non fuere ſpeciali aliqua de cauſa Beatos tangente, ſed generali alia, nempe ob querimoniam pauperum, & ipſorum feſtorum abuſum, communi etiam canonizatis; quare ſicuti nihilominus in honorem canonizatorum valent inducere feſta, ita Beatorum, quorum cultum non extenderent ultra ea, intra quorum limites Urbanus VIII. in ſuis Decretis vult eſſe coercitum, & manutenendum.

III. Decretum adhuc indubiam limitationem accipit a ſequenti Sanctione, quæ erit 12. cap., in ord. 397. *Dies feſti in Beatorum honorem non celebrandi, non extenduntur ad feſta devotionis. S. R. C. 27. Sept. 1660. apud Meratum in Indice Decr. Miſſal. num.* 379. Hinc quippe edocemur, quod Beatorum feſta, etſi in præcepto conſtitui non valeant, ex propria, & particulari devotione quilibet tamquam feſtiva ea excolere poteſt, quemadmodum ſuperius vidimus permiſſum Beatorum cultum per privatam, & non ſatisfactoriam præcepti, recitationem officii. An vero id publice, & cum publica ſolemnitate præſtari queat, Decretum non explicat, ego tamen ægre concederem, & publica ſiquidem, licet non ſatisfactoria præcepti, recitatio officii reperitur inhibita.

D E-

Digitized by Google

CAPUT XLVI.

De Officiis addititiis.

I. OFficiorum addititiorum nomine, quidquid divino officio nonnumquam addi debet, ſeu magis ultra ſolitam officii divini penſam juxta Rubricarum mandara debet recitari, venite intelligimus. Sunt autem officium parvum B. Mariæ, officium Defunctorum, Pſalmi Graduales, & Pœnitentiales, ac Litaniæ Sanctorum. Officii parvi B. Mariæ Urbanum Papam II. in Concilio Claramontano de anno 1095. inſtitutorem agnoſcunt plurimi, Baronius vero *in Annal. ad annum* 1056. Petrum Damiani. Verum ex Radulpho *prop.* 20. notat Gavantus *ſect. 9. cap.* 1. *num.* 1., quod Urbanus II. ſancivit dumtaxat, ut idem officium jam a quibuſdam Monachis frequentatum, etiam a Clericis quotidie recitaretur, unde a Card. Bona *de div. pſalm. cap.* 12. §. 2. *num.* 1. inter ejuſdem reſtitutores, ſeu Propagatores reiicitur, quibus *num.* 2. item adjungit Petrum Damiani; quod & præſtant Gavantus *loc. cit.*, Biſſus *lit. O. num.* 36. Angelus a Nuce *in Chron. Monaſt. Caſſin. num.* 1669. *&* 2118., ac Scriptores omnes vitæ ejuſdem, nempe Joannes Monacus *cap.* 15., Joannes Antonius Flaminius *poſt medium*, Auguſtinus Fortunatus Camaldulenſis *lib.* 5. *hiſt. Camald.*, & Hieronymus Rubeus *lib.* 5. *hiſt. Ravennat.*, cum enim dicti officii deſuetudo in ſuis Monaſteriis paulatim irrepſiſſet, ipſe ad priſtinam obſervantiam illud revocavit, Gregorii VII. juſſu, ut addit idem Rubeus. Sane Vincentius Belluacenſis *in ſpec. hiſt. lib.* 17. *cap.* 103. Joannem Damaſcenum, qui vivebat anno 728., quotidie horas Deiparæ ſtudioſiſſime decantaſſe fatetur, & Petrus (non Paulus, ut ſcribit Gavantus) Diaconus Caſſinenſis *in Comm. in Reg. S. Bened.* meminit officii B. Mariæ in Congregatione Caſſinenſi ex præcepto Zachariæ Papæ quotidie recitari conſueti. Qui alibi ejuſdem inſtitutionem refert ad Gregorium II., qui Baronio teſte Pontificatum iniit anno 715., cuique poſt Gregorium III. ſucceſſit Zacharias, qui vixere ante annum 752. Non deſunt denique, qui prædictum officium adhuc antiquius faciunt, quare ex B. Alano de Rupe idem Angelus de Nuce *num. 1669.* Sancto Benedicto, & Hyppolitus Maraccius *in Fundat. Marian. verb. Auguſtinus* Sancto Auguſtino ejuſdem inſtitutionem tribuunt. Eumdem Auguſtinum Jacobus de Valentia *in expoſ. hymni Te Deum* auctorem facit officii Defunctorum, de quo tamen, uti & de Litaniis Sanctorum, in ſequenti Tomo, tamquam in opportuniori loco reſervamus agere, nunc vero curſim dumtaxat de iiſdem ſermonem habebimus, ne quid hic deſit, quod ab Breviarium attinet; qua ſub ratione ſolummodo etiam ſubjicientur examini Pſalmi Graduales, & Pœnitentiales.

DECRETUM I. CAP., IN ORDINE CCCXCVIII.

Servanda eſt antiqua, & laudabilis conſuetudo, ubi recitatur in choro officium parvum B. M. etiam in ſemiduplicibus, & Dominicis, non obſtante Rubrica Breviarii. S. R. C. 4. Sep. 1607. *in Trojana* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 27.

I. ANTE Pium V. ultra officium Domini Clerum adſtrictum fuiſſe ad quotidianam recitationem officii parvi B. M., communis eſt Doctorum ſententia; an autem jure ſcripto, vel ſola conſuetudine, diffidium eſt, & adducunt plurimi ex Radulpho *prop.* 20. Decretum Urbani II., quod alii non ubique receptum fuiſſe aſſerunt, licet poſtea dicti officii recitatio in communem uſum abjerit, & ſic teneretur clerus ad eamdem recitationem ex conſuetudine vim legis habente. Ex Benedicto Papa XIV. lubet tranſcribere Decretum quoddam Concilii Aurelianenſis anno 1365. ſub Urbano V. celebrati, quod in ſapientiſſimis ſuis annotationibus ad officium B. M. in Sabbato ſub his producit terminis: *Item approbante Concilio ſtatuimus, quod in ſingulis Eccleſiis Metropolitanis, Cathedralibus, Regularibus, Collegiatis, Matutina, & alia hora de B. M. ſingulis diebus ſolemniter decantentur; niſi alias officium eſſet de B. M., vel aliis majoribus feſtis anni, vel in Adventu Domini; & hoc omnes volumus adſtringi ſub præcepto*; & quidem tam in choro, quam extra chorum, ut laudatus ſubdit Pontifex Summus. Nunc Breviario Romano addicti, ut infra magis dicetur, ad præfatum officium extra chorum recitandum nullatenus tenentur, bene vero in choro, ſi, & ubi conſuetudo aderat, quam retinendam eſſe, ſervandamque voluit Pius V. in ſua Breviarii Bulla. Hinc in Breviario Romano invecta fuit quædam Rubrica, quæ Clerum ab ejuſdem officii recitatione extra chorum eximit, ejuſque arbitrio pro temporis opportunitate committit, in choro illud dicendum demandat cum fere ſimili dierum exceptione Decreto Concilii Aurelianenſis. Hoc in exceptis poſuit majora anni feſta, & id extenſum fuit *ad qualibet novem lectionum officia*, dies itidem, in quibus alias officium erat de B. M., ne binum officium de eadem diceretur, & hac eadem de cauſa nunc excepta manent *Sabbata, quando fit officium de Sancta Maria*. Fortaſſe etiam adventus exceptus fuerat, quod ejuſdem officium creditum ſit ad eamdem ſpectare Deiparam, de qua quoniam teipſa non eſt, nunc eo tempore ſatius eſt dici præſcriptum, ſola vigilia Nativitatis excepta, quæ a laudibus officium duplex habet. Cum olim dumtaxat triduum mortis Chriſti foret immune a recitatione dicti officii, modo idipſum præſcriptum extitit de feriis cunctis majoris hebdomadæ, ut eo tempore, quo potiſſimum Dominica paſſio recolitur, uni Chriſto vacemus. Ab octavis Paſchæ, & Pentecoſtes propter temporis incongruitatem excluſum cenſet Radulphus *prop.* 20., & quidem cum octava qualibet unum cum feſto cenſeatur facere, hæc ſola ratio potis eſt illud expellere, cum a reſpectivis proculdubio feſtis abigatur.

II. Dum itaque memorata Rubrica diem quamlibet per officium novem lectionum impeditam, a recitatione officii B. V. declaret liberam, non obſtante conſuetudine, quæ alicubi vigebat, videbatur in ſemiduplicibus, & Dominicis memoratum officium in præcepto non eſſe conſtitutum. In oppoſitum tamen cenſuit Congregatio, & antiquam, & laudabilem conſuetudinem recitandi in choro officium parvum B. M., etiam in ſemiduplicibus, & Dominicis voluit eſſe ſervandam, non obſtante prædicta Rubrica, quæ ad tramites Pianæ Conſtitutionis utique eſt trahenda. Hæc autem poſtquam a præcepto ejuſdem officii exemit utentes Breviario Romano, ſub his terminis conditionem adjecit, & conſuetudinem præſervavit: *Hoc autem concedimus ſine præjudicio ſanctæ conſuetudinis illarum Eccleſiarum, in quibus officium parvum B. M. ſemper Virginis in choro dici conſueverat; ita ut in prædictis Eccleſiis ſervetur ipſa laudabilis, & ſancta conſuetudo celebrandi more ſolito prædictum officium*. Si itaque in prædictis Eccleſiis *ſervanda eſt laudabilis, & ſancta conſuetudo* ejuſdem officii, & ſervanda eſt *more ſolito*, non eſt, quod nitamur evincere præfatum officium recitandum eſſe etiam in ſemiduplicibus, & Dominicis, ubi talis erat conſuetudo; quinimmo lubentes addidimus, *etiam in duplicibus*, quorum Decretum unice non meminit ratione petitionis de ſemiduplicibus exhibitæ, eſſe in choro recitandum, ubi, & prout eadem conſuetudo ferebat.

III. Excitare nunc nobis liceat dubium, cur cum ita res ſit, ab officio novem lectionum abſolute officium Deiparæ nihilominus Rubrica depellat? Id factum nos credimus, quia nedum antiquior diſciplina quotidianæ recitationis prædicti officii, ſed etiam quæ ut ſupra reſtrictior ſucceſſerat, jam deſierant, & nonniſi, prout dicta Rubrica diſponit, priſcæ conſuetudinis reliquia communiter ſupererat. Cujus diſpoſitio Decreti ſervanda non minus eſt ab iis Eccleſiis, quæ mutato proprio Breviario, ad Romanum convolarunt, ut ſanxit Urbanus VIII. de conſilio S. R. C. 2. Jan. 1627. (& ſit Decr. 2. cap., in ord. 399.) ita ut ad dictum officium teneantur juxta veteris conſuetudinis obſervantiam; a receptione enim Breviarii Romani illico eaſdem adſtringit Conſtitutio Piana.

IV. Quadruplex eſt mutatio hujus officii, & licet quod poſt Nativitatem dicitur, Gavantus *ſect. 9. cap.* 1. *n.* 12. ſentiat continuandum eſſe poſt diem 2. Febr. uſque ad diem, in qua reponitur Purificationis feſtum in caſu translationis ejuſdem, Decreta tamen, quæ expoſuimus in cap. 40, oſtendunt ubertim, ſtatim poſt diem 2. Febr. mutandum eſſe in caſu propoſito. Præterea, quæ mutari diſtincte præſcripta ſunt, ad variationem temporum variationem nullam patitur, unde Paſſionis tempore non omittitur *Gloria Patri* in invitatorio, & reſponſorio tertii nocturni, & paſchali tempore in nocturno dicuntur tres Antiphonæ, aut alias, nec additur vox *Alleluja*, ut in ſequenti Decreto, quod erit 3. cap., in ord. 400. *Ad invitatorium, Antiphonas, reſponſoria, & verſiculos officio parvo B. M. V. tempore paſchali non additur* Alleluja. *S. R. C. 28. Martii 1626. in Tornacen. apud Meratum in Indice Decr. Brev. num.* 52., & hoc jam diſerte indicit Rubrica in eodem officio poſita, & ſubdit Gavantus *num.* 11. ad diſtinctionem horarum majorum canonicarum, unde generalis exurgit regula tempore paſchali non addendi *Alleluja* precibus cunctis, quæ extra divinum officium dicuntur. Quæ regula fortaſſe fallit in verſiculo *Panem de Cœlo* ad expoſitionem, & repoſitionem SS. Sacramenti, qua de re in ſequenti tomo reſervamus agere.

DECRETUM IV. CAPITIS, IN ORDINE CCCCL.

Perſolventes divinum officium extra chorum, non tenentur ad pſalmos graduales, nec pœnitentiales, neque ad officium parvum B. M. V., nec Defunctorum, quæ quidem officia, & pſalmi ſunt onera tantummodo ex præcepto implenda in choro, S. R. C. 2. Sept. 1741. ex Regeſtis ejuſdem S. R. C.

I. PSalmos Graduales, & Pœnitentiales quotidie in Quadrageſima olim fuiſſe recitatos, docent Gavantus, atque Guyetus, qui ex Radulpho prop. 21., dum ait Innocentium III. ſuis Capellanis mandaſſe, ut ſolum in Quadrageſima dicerentur, eruit hos antea & aliis diebus fuiſſe uſitatos. Nunc Breviarium Pii V. aſſignat tantummodo Graduales ſingulis feriis quartis officio novem lectionum non impeditis, & Pœnitentiales ſingulis feriis ſextis Quadrageſimæ ſimiliter non impeditis, *Quadrageſimæ* vocabulo latius ſumpto, ita ut ejuſdem initium peti debeat a feria IV. Cinerum. Circa Deiparæ officium parvum in præcedenti Decreto jam vidimus, qualis pridem ejuſdem fuerit uſus, quidque circa illud idem Pius præſcripſerit, qui & remiſit antiquam obligationem officium defunctorum ſæpius recitandi, & quotidie, ut olim, in Quadrageſima, dieſque aſſignavit, quibus recitari debet. Sunt autem primas dies cujuslibet menſis, & quælibet feria ſecunda Adventus, & Quadrageſimæ, ut quanto citius defunctis ſuffragemur. Id limita pro paſchali tempore, & tota hebdomada majori, necnon pro die feſto novem lectionum impedita, primum ob temporis jucunditatem, ſecundum quia eo tempore pro Chriſto ſolo, non pro aliis, debemus eſſe in triſtitia ſumma, &

ter-

Google

tertium ob dierum feſtivitatem. De Vigilia Nativitatis Domini nihil habet Rubrica, ſed ſcite nos monet Gavantus *ſect. 9. cap. 2. num. 14.*, quod ſi ab ea excluſum manet officium parvum B. M., etſi ea die agatur de proximo ejuſdem partu, multo magis cenſeri debet expulſum officium defunctorum, quod illius vigiliæ jucunditatem minuit. Hinc audiri haud debet Caſtaldus, qui *in Carem. lib. 3. cap. 1. num. 9.* in eadem vigilia ratione feriæ 2. officium defunctorum dici poſſe contendit, licet pridie veſperi recitari conſulat; etſi enim ea vigilia officium novem lectionum non fit, ad laudes tamen officium duplex habet, quare haud congruit poſt laudes, poſt quas juxta Rubricas dici deberet, officium defunctorum locum habere; impedito autem nocturno cum laudibus, quod eſt corpus officii, utique nec pridie dici debent veſperæ, ut alibi ex Rubricis arguebamus agentes de feſto ſimplici, cujus nocturnum impeditum eſt, non tamen veſperæ.

II. Ad quæ officia recitanda ſtatutis per Rubricas diebus Clerum Romanum Bulla Piana facit liberum: *Quod vero in Rubricis hujus noſtri officii præſcribitur, quibus diebus officium B. M. ſemper Virginis, & Defunctorum, item ſeptem pſalmos pœnitentiales, & graduales dici, ac pſalli oporteat, nos propter varia hujus vitæ negotia, multorum occupationibus indulgentes, peccati periculum ab ea præſcriptione removendum duximus*; & ſubinde duntaxat exhortatur ab ea dicenda, allicitque propoſitione indulgentiæ centum dierum pro qualibet vice, qua officium B. M., aut Defunctorum, & quinquaginta dierum, qua pſalmi pœnitentiales, aut graduales ad præſcriptum Rubricarum recitabuntur. *Hoc autem concedimus* (ſubdit eadem Bulla) *ſine præjudicio ſanctæ conſuetudinis illarum Eccleſiarum, in quibus officium parvum B. M. ſemper Virginis in choro dici conſueverat, ita ut in prædictis Eccleſiis ſervetur ipſa laudabilis, & ſancta conſuetudo celebrandi more ſolito prædictum officium*. Qua ex reſervatione *conſuetudinis* officii B. M. *in choro* ſequitur primo, quod *extra chorum* nulla ſit obligatio ejuſdem officii. 2. quod remotum fuerit onus aliorum officiorum tam in choro, quam extra chorum, ubi adhuc erat conſuetudo illa recitandi. 3. quod gratia, & remiſſione iſta ſolummodo perfruuntur Eccleſiæ Romano ritui addictæ, non vero, quæ jure proprii gaudent Breviarii; Pius enim ſolum aufert a Rubricis ſui Breviarii, *Quod vero in Rubricis hujus noſtri officii &c.*, vim obligandi, & in favorem eodem utentium obligationem revocat conſuetudinis, quare Eccleſiæ reliquæ, quæ Romani Breviarii onus non habent, nec indulgentiam debent ſentire, & ſi antiquum ſuum Breviarium, & ritus uſum ſervare volunt, merito & integram ſuam eorumdem officiorum conſuetudinem obſervare coguntur.

III. Hæc indubia cum ſint, iiſdem conciliari debet Decretum, ita ut dum extra chorum dictorum officiorum nullam obligationem agnoſcit, veritatem undequaque habeat relate ad Romanum clerum, ſecus ad reliquum, qui in obligatione ſuæ conſuetudinis perſtat. Dum vero eadem officia qualificat *onera ex præcepto implenda in choro*, id verum erit de officio Deiparæ pro iis Eccleſiis, in quibus conſuetudo aderat, ſecus de reliquis officiis, in quorum omiſſione, uti & officii B. Virginis relate ad Eccleſias, quæ ejuſdem conſuetudinem minime habebant, nonniſi conceſſas deperdunt indulgentias. Dicuntur autem adhuc *onera ex præcepto implenda in choro*, quatenus Rubricæ iiſdem præfixæ, diſertis verbis choro demandant eadem, ſecus extra chorum, ubi *poſſe dici pro temporis opportunitate* duntaxat aſſerunt.

IV. Majorem nec invehit obligationem conſuetudo eorumdem officiorum, quæ poſt Bullam inducta, & præſcripta foret, quia cum Bulla aboleat præcedentem ad vitandum peccati periculum, & ad dicta officia indulgentiarum propoſitione alliciat, conſuetudo ſubſequens præſumi non poteſt inducta animo ſe obligandi, ſicuti requiritur, ut obliget, ſed magis ex devotione, & cauſa adipiſcendi indulgentias; & hoc verum eſt, tametſi dubium foret de intentione eorum, qui conſuetudinem introduxerunt, quinimmo quantumvis conſuetudinis inductores credidiſſent ad dicta officia per Bullam adſtringi; ſuper enim dubia conſuetudine fundari non poteſt obligatio certa, nec conſuetudo, quæ fundatur in ignorantia, & errore, poteſt vim legis obligantis acquirere, quemadmodum late tradidimus in Decr. 3. cap. 8., ubi cum ea, quæ dedimus, ad rem admodum faciant, ſunt omnino recolenda.

V. Qua ex doctrina eruunt inſignes Auctores plurimi conſuetudinem, quam in favorem officii parvi B. M. Bulla ut ſupra reſervat, ſub peccato Eccleſias non obligare; cum enim non conſtet, quo animo ea conſuetudo inducta fuerit, fundare non poteſt obligationem certam, & ex devotione, non animo ſe obligandi præſumi debet invecta, adeoque pronuntiandum eſt in favorem libertatis; in dubiis quippe melior eſt conditio poſſidentis propriam libertatem, & obligatio, cum ſit res valde odioſa, præſumenda non eſt, niſi ubi neceſſitas cogit, nec ſtatuenda, niſi ſit moraliter certa. Probabilis utique eſt iſta opinio, ſed eidem noſmet credere, & acquieſcere minime poſſumus: communis enim ſententia antecedenter ad Bullam Pii V. Eccleſias ad recitationem officii B. M. facit adſtrictas, & præſertim ex univerſali Eccleſiæ conſuetudine vim legis habente, cui non credimus ullam ex conditionibus deeſſe, quas in Decr. 3. cap. 8. recenſuimus tamquam communiter aſſignatas ad dignoſcendum animum ſe obligandi, quo fuit inducta; quare ſicuti nonniſi vi ſimilis conſuetudinis Vigiliæ plurimæ, ſcilicet Pentecoſtes, S. Joannis Baptiſtæ, Laurentii, & omnium Sanctorum in rigoroſo præcepto jejunii communiter cenſentur conſtitutæ, ita ſimiliter ſentiendum eſt de officio parvo B. Virginis. Et præſertim quia cum a Rubricis ſui Breviarii conſonanter, licet reſtrictius, ad antiquam conſuetudinem præfinitis pro recitatione officiorum B. M. V. Defunctorum Pſalmorum Gradualium, & Pœnitentialium, Pius V. diſerte ſe exprimat *peccati periculum* removere, & hoc *ſine ullo præjudicio ſanctæ conſuetudinis illarum Eccleſiarum, in quibus officium parvum B. Mariæ in choro dici conſueverat, ita ut in prædictis Eccleſiis ſervetur ipſa laudabilis, & ſancta conſuetudo celebrandi more ſolito prædictum officium*, conſequens fit, quod peccati periculum agnoſcat in veteri conſuetudine eorumdem officiorum; quare cum conſuetudo officii parvi B. M. fuerit reſervata, excepta, more ſolito ſervari decreta, & ex ſua remiſſione, & conceſſione nullum præjudicium præſentiſe declarata, opus eſt, eadem conſuetudo peccati periculo fuerit, & adhuc reperiatur obnoxia.

Num per Bullam Pianam tollatur obligatio, quam Rubricæ faciunt officii Defunctorum pro die 2. Novembris, & Litaniarum pro diebus S. Marci, & Rogationum, ſuccedat quæſtio, quæ communiter negative reſolvitur; ut enim omittantur plurima, quæ ab Auctoribus adducuntur, profecto cauſa, ob quam exemit Pius V. ab onere officii Defunctorum, ſcilicet *Nos propter varia hujus vitæ negotia multorum occupationibus indulgentes &c.*, applicabilis non eſt officio Defunctorum pro die 2. Novembris, cum ad ſemel illud dicendum non obſtent negotia, & occupationes. Idipſum oſtendit univerſalis fidelium praxis, & communis Doctorum conſenſus ejuſdem officii obligationem agnoſcit, nec ad ejuſdem recitationem ullus unquam traxit indulgentias, quarum propoſitione ad officium Defunctorum Pius V. allexit. Hæc fere cuncta pari jure procedunt de Litaniis, quæ cum quater in anno ſolum fuerint indictæ, haud validæ ſunt præfata negotia, & occupationes impedire, licet & pro his fortior militet ratio alia, videlicet quod Pius ſuſtulit quidem onus pſalmorum pœnitentialium, ſed non Litaniarum, quatenus per ſe, & ſeparatim ſunt dici præſcriptæ, cum tamen indubie diſtinctim exprimi debuiſſent, uti diſtinctim ſunt demandatæ, ſi Piana relaxatio ſuper eaſdem item caderet. Dicendum itaque ſupereſt, quod Piana Conſtitutio, ac conſequenter etiam præſens Decretum, quod ad ejuſdem tramites noſcitur emanatum, duntaxat diſpoſitionem faciunt de officio B. Virginis, officio Defunctorum, Pſalmis Gradualibus, & Pœnitentialibus, qui per anni curſum diebus ut ſupra non impeditis per Rubricas ſunt ſæpe dici mandati.

DECRETUM V. CAPITIS, IN ORDINE CCCCII.

Pſalmi Graduales, & Pœnitentiales dicuntur licite, ubi eſt conſuetudo eos dicendi, pridie veſperi feriæ IV., & VI. poſt Completorium. S. R. C. 2. Aug. 1603. *in Lauden.* ex Merato in Indice Decret. Brev. num. 10.

I. DIſcimus ex Radulpho *prop. 21.* Pſalmos Graduales de more antiquo dici ante Matutinum diei, & ante officium parvum B. V., quod fit veluti unum cum officio majori, & Pœnitentiales dici ſolitos poſt Primam, in qua confeſſio fit peccatorum; in Breviario tamen 1550. Gavanto teſte *ſect. 9. cap. 3. num. 7., & cap. 4. n. 5.* hi poſt laudes diei, & illi ante matutinum aſſignati reperiuntur. Mos iſte a Romanis Rubricis rejectus fuit, ſed ubi pluries in anno præfati pſalmi dicebantur, nunc ex earumdem Rubricarum mandatis, ſingulis duntaxat feriis quartis Quadrageſimæ ante matutinum Graduales, & ſingulis feriis ſextis Quadrageſimæ poſt laudes diei Pœnitentiales dici debent.

II. Pſalmi hi, licet prædictis feriis ut ſupra addicti, indubie licite in præcedenti reſpective feria ſuo loco recitari valent, & debent ab iis, qui in dictis feriis matutinum cum laudibus anticipant, eadem enim conſuetudo, quæ officii majoris anticipationem licitam reddidit, & eorumdem pſalmorum, qui non ſunt, niſi ejuſdem acceſſoria quædam, & alias præſcripto loco non amplius dicerentur, anticipationem licitam facit. At hic ſenſus Decreti non eſt, quod Pſalmorum Gradualium, & Pœnitentialium recitationem, non in præcedenti feria ante, vel poſt matutinum, ſed *poſt Completorium* declarat licitam, quare favorabile cenſeri debet etiam iis, qui non anticipato matutino, poſt completorium eoſdem pſalmos dicerent. Quæ pſalmorum anticipatio ſi declaratur licita, utique & valida ad acquiſitionem indulgentiarum per Bullam Pianam conceſſarum, quæ licet diebus per Rubricas præfinitis reperiantur affixæ, utile adhuc earumdem ſpatium cenſeri debet protenſum ad omne tempus illud, quo iidem pſalmi licite, & valide dici queunt, præſertim quia ex dictis in capite de matutino, etſi pridie veſperi anticipentur, in ſequenti, & conſtituto die dici exiſtimantur; alias enim foret contra generalem regulam beneficium Principis in diminutionem velle interpretari.

III. *Ubi eſt conſuetudo eos dicendi*, ſubdit Decretum, quod conſuetudinem non expoſcit, ut præfata recitatio poſt completorium in adimplementum præcepti ſit valida, quem ad effectum ſufficit, quod peragatur infra tempus, quo matutinum diei valide dici poteſt, ſed ut ſit *licita*, ſeu ne peccet in Rubricas; quarum diſpoſitio per aſſertam in caſu conſuetudinem cenſetur abrogata. Id jam implicite de omnibus additis officiis ſtatuit Rubrica officio Defunctorum præfixa, dum licet Veſperæ Defunctorum poſt veſperas, & matutinum poſt laudes diei, quibus propterea adimitur verſus *Fidelium animæ*, ſint dici mandatæ, nihilominus ſubdit, *niſi alia ſit conſuetudo Eccleſiarum*;

tum ;

rum; quare nunc nonniſi explicite ſancitur, quod alias implicite ſancitum erat, ſeu ſi ita mavis, nonniſi declaratur, Rubricam officii Defunctorum de aliis æque addititiis procedere officiis.

IV. Idem itaque proculdubio habendum eſt judicium de officio parvo B. M., & officio Defunctorum, quinimmo omnia, quæ nunc de officiis addititiis dedimus, applicari poſſe cenſemus, quidquid aliqui Auctores ſcripſerint, officio Defunctorum die 2. Novembris recitari præſcripto, & Litaniis diebus S. Marci, & Rogationum affixis; cum enim matutino, ſeu laudibus diei non minus per Rubricas jungantur, & maneant addictæ, quomodo unquam anticipari non poterunt, valide, & licite pro toto eo tempore, quo valide, & licite eædem laudes anticipari valent? Verum quod attinet ad officium Defunctorum diei 2. Novembris, Agenda univerſim eorumdem Defunctorum, & Litanias Sanctorum, uberiorem noſtram in ſequenti Tomo conſiderationem expectet.

AD CAPUT XLIII.

De Officiis addititiis.

APPENDIX.

DECRETUM PRIMUM. Cap. in Ord. 465.

Officium parvum B. M. V. in diebus ſimplicibus, & ferialibus, non abrogata tamen conſuetudine, quæ in contrarium fortaſſe vigeret, tuto poteſt omitti, & in bona conſcientia. S. R. C. 4. Sept. 1745. *in Pernambucen.*

ALiqua nobis non ſuppetunt, quæ addamus iis, quæ hanc ſuper rem exaravimus tom. 1. cap. 46. Decret. 4.

AD CAPUT XXXIV.

De octavis Feſtorum.

APPENDIX.

DECRETUM PRIMUM. Cap. in Ord. 436.

Occurrente die octavo Sancti Michaelis cum feſto B. M. V. de Roſario, faciendum eſt officium de octava Sancti Michaelis, transferendo Officium, & Miſſam Roſarii ad primam diem non impeditam. S. R. C. 20. Junii 1744.

DECRETUM SECUNDUM Cap. in Ord. 437.

An feſtum S. Joachim, ſi occurrat Dominica in die octavæ Aſſumptionis, celebrandum ſit eadem die, vel potius ad aliam transferri? Reſp. ſervari Rubricam X. Breviarii Romani de Transl. feſtor. S. R. C. 22. Auguſti 1744. *in Romana.*

HÆC autem Rubrica docet, faciendum eſſe de die octava cum translatione feſti occurrentis, licet duplicis majoris; de hoc autem nihil frequentius a nobis dictum fuit in tom. 2. cap. 18., uti & ſuis reſpective locis de transferendo officio affixo Dominicæ, quoties impeditum remanet, dummodo ſit officium univerſalis Eccleſiæ; quod item ex his duobus Decretis ſequitur.

DECRETUM TERTIUM. Cap. in Ord. 438.

Pro gratia faciendi officium feſtivum Sanctæ Annæ die 26. Junii cum commemoratione diei octavæ Beati Joannis de Dukla ſimul occurrentis; quoad incidentiam vero diei octavæ Sancti Stanislai Koſtka cum feſto Sanctæ Catharinæ, quæ colitur celebriter a populo, ſervetur Rubrica de Transl. Feſt. S. R. C. 22. Auguſti 1744. *in Cracovien.*

PRimum indulgetur *pro gratia*, unde in exemplum trahi non poteſt pro caſibus ſimilibus, ſed ſervanda erit Rubrica de Transl. feſtorum, quæ jam ſervari præcipitur in occurſu S. Catharinæ, licet celebris in populo, cum die octava S. Stanislai.

DECRETUM QUARTUM. Cap. in Ord. 439.

In occurſu diei octavæ B. Joannis de Dukla Compatroni Regni Poloniæ cum feſto Sanctæ Annæ, officium habendum eſt de die octava, Sanctæ Annæ vero, licet ejuſdem dies magna cum devotione populi frequentetur, die prima non impedita. S. R. C. 15. Maji 1745. *Poloniæ in una Ord. Excalceator. SS. Trinit.*

LEX hæc eſt Rubricarum, nec officit præcedenti Decreto, quod pro Sancta Anna fuit ſpecialis gratia pro Civitate Cracoviæ, quare in hac quidem poterit fieri officium die S. Anna cum commemoratione octavæ, ſed extra eamdem agendum erit officium de die octava cum translatione S. Annæ.

AD CAPUT XXXV.

De Feſtis Sanctorum ad Libitum.

APPENDIX.

DECRETUM PRIMUM. Cap. in Ord. 440.

Officia Sanctorum ad libitum incidentia in die impedita in perpetuum, non poſſunt figi, ſeu locari perpetuo in alia die ab Ordinariis locorum deſignanda, Sacra Congregatione inconſulta: nec circa hoc verificatur Decretum de anno 1703. revocans in hoc aliud Decretum generale de anno 1682. S. R. C. 2. Sept. 1741. *in Aquen.*

COnformis eſt ſanctio iſta anterioribus quibuſvis Decretis, atque doctrinæ, quam nos in illorum expoſitione tradidimus in cap. 22. tom. 1., ſed modo res aliter ſe habet, ut dicetur infra.

DECRETUM SECUNDUM. Cap. in Ord. 441.

Cum SS. D. N. Benedict. XIV. univerſo Clero utriuſque Siciliæ indulſerit officium B. Camilli de Lellis ſub ritu duplici ad libitum pro die 15. Julii, in qua occurrit officium S. Henrici ſemiduplex de præcepto, quæritur quodnam ex duobus enunciatis officiis ſit transferendum? S. R. C. cenſuit reſcribendum ad D. Secretarium cum Sanctiſſimo, cui facta per Secretarium de prædictis relatione, Sanctitas Sua decrevit: ut fiat officium de S. Henrico die 15. Julii, officium vero B. Camilli non transferatur, ſed omittatur. Die 18. Apr. 1744. *in Barenſi.*

IN id item vergit ſanctio, ut officia ad libitum occurrentia in dies impeditas, transferri non poſſint, ſed omitti debeant; impræſentiarum vero quid fieri poſſit, te ſequens Decretum inſtruat.

DECRETUM TERTIUM. Cap. in Ord. 442.

Semel, & pro ſemper aſſignare poteſt Ordinarius diem non impeditam extra Dominicam, & octavas ſanctorum, feſtis ſanctorum ad libitum, non immutata tamen lege ſanctorum ad libitum. S. R. C. 7. Maji 1746. *in Varſavien.*

HIC Congregatio ab antiqua recedit methodo, & ubi prius feſta ſanctorum ad libitum incidentia in feſta de præcepto, omitti debebant, neque ab Ordinariis locorum in alteram diem immutari poterant, nunc iiſdem tribuitur facultas immutandi prædicta feſta perpetuo impedita in diem non impeditam extra Dominicam, & octavas ſanctorum. *Semel, & pro ſemper*, adeoque ſemel electa die non poſſunt amplius Ordinarii diem alteram eligere, ſed præfata feſta ſemper celebranda ſunt in die ſemel electa. At quid, ſi dies electa tractu temporis evadat perpetuo impedita? Poterit Ordinarius diem alteram ſemel, & pro ſemper eligere; tunc enim res redit in integrum, & perinde eſt, ac ſi dies numquam fuiſſet electa. *Ordinarium* ſimpliciter Decretum nominat, nec addit *loci*, quare Decreti favorem ad Prælatos Regulares, qui item Ordinarii ſunt, pro ſuis reſpective Eccleſiis extendi dubium eſſe non poteſt. *Non immutata lege ſanctorum ad libitum*, quare ſi dies electa quandoque impediatur, feſta ad libitum omiſſioni obnoxia erunt, non translationi, quemadmodum & evenit, quando eadem feſta in proprio die impediuntur.

Finis ſecundi Tomi.

INDEX

Digitized by Google

INDEX RERUM

Quæ in Primâ & Secunda Parte hujus voluminis continentur.

Numeri paginas notant. Ubi habetur &c., deſignat, etiam in ſequentibus paginis de re notata ſermonem haberi.

A

Abſolutio, Jube, & Benedictio.

ORatio, quæ lectionibus præmittitur, unde dicta *Abſolutio*. pag. 125
Jube onde profectum, & ad ſingulas lectiones repetitum. 124
Cur non præmittatur Capitulis. 125. 132
Cur bene ad ea Primæ, & Completorii. 135
Cur *Jube*, *Domne*, & non *Domine*. 124
Privatim recitans, dicat *Jube*, *Domne*. ibid.
In Miſſa *Jube*, *Domine*. ibid.
Præpoſitus per ſeipſam cur non benedicat. ibid.
In officiis votivis, vel Tranſlationum &c. octava benedictio *cujus feſtum*. 125
In feſtis SS. Gabrielis, & Raphaelis *cujus feſtum*. ibid.
Cur in feſtis S. Michaelis *quorum feſtum*. ibid.

A cunctis oratio.
Dicenda in Miſſa de ſemiduplici in vigilia omnium Sanctorum. 117
S. Joſeph in ea præponendus Apoſtolis. 110

Ægyptii.
Homini tres cuſtodes tradunt Angelos. 97
Eorum lex de non torquendis prægnantibus. 115

Alleluja.
Quæ vox, quid notet, & cur ad eam tanta veneratio. 114
Quando in officium invecta. ibid.
Cur, & quomodo in Septuageſima dimiſſa, & dimittenda. ibid.
Paſchali tempore valde uſurpata, & cur non in precibus, nec in verſibus reſponſoriorum. ibid.
Extra tempus paſchale ubi omittenda. ibid.
Cur adhuc nonnullis feſtis conceſſa. 77
Quando, & ubi in officio votivo SS. Sacramenti ſilenda. ibid.
Quando retinenda in ſuffragiis Sanctorum. 118
Precibus extra officium non addenda paſchali tempore, niſi ad *Panem de Cælo*. 77. 170
Neque antiphonis &c. in officio parvo B. M. 170

Amen.
Quæ vox, quid ſignet, & cur uſitata. 124
A populo olim dicta in fine publicarum precum. ibid.
Quomodo ob id admonerentur longius diſſiti. ibid.
Poſt Evangelium ab aliquibus magis dici probatur. ibid.

Angeli.
Eorum Cultus, Ordines, & probata nomina. 96
Urielis nomen non rejiciendum. 97
Deputantur ad noſtram cuſtodiam. ibid.
Quot ordinarie. ibid.
Quot perſonis publicis, & Sacerdotibus. ibid.
Quomodo & opitulentur ceteri. ibid.
Angelorum Cuſtodum feſtum quando, quo ritu, & pro qua die indictum. ibid.
Quando præceptum, & diei 2. Octobris traditum. ibid.
Angeli cuſtodis prius, & poſtea *Angelorum cuſtodum* inſcriptum. ib.
Cur. ibid.
An ſemper ejus idem ſubjectum. ibid.
Quodnam hoc ſit, & an mutationi obnoxium. ibid.
Angelis quæ dies in feſta decernantur. 134
Quibus præponendi in concurſu, & quibus eorum octava. 53. 99. &c.
Quibus in repoſitione. 91
An præferendi Joanni Baptiſtæ, & Apoſtolis. 100

Angeli Cuſtodis feſtum quoad loca Imperii.
Styriæ cum octava conceſſum, & ad ditiones Cæſari, & Hungariæ, & Bohemiæ Regi ſubjectas extenſum. 97. &c.
Pro Dominica prima Septembris, & quænam hæc ſit. 98
An alteri Dominicæ addici valeat. 99
An transferri ad diem 2. Octobris. ibid.
An hoc de item celebrari. ibid.
Quomodo inſcribendum. ibid.
Urbes imperiales participes ſunt indulti. 98
Feuda, & oppida allodialia Imperii. ibid.
Quæ ea terra de facto, aut de jure ad Hungaricum, vel Bohemicum Regnum ſpectantibus. ibid.
An Regulares eorumdem locorum. ibid.

Angelus Gabriel.
Cur menſe Martio ejus feſtum indictum. 97
Octava benedictio *Cujus feſtum*. 125

Angelus Michael.
Unde dies 8. Maii, & 29. Septembris eidem ſint ſacræ. 97
An in iis excolantur & alii Angeli, & cur dicatur *Quorum feſtum*. 125
An dies 29. nunc ubivis feſtiva. 8
An peccent laborantes in ea. ibid.

Angelus Raphael.
Prontum ejus nomen. 97
In eſto octava benedictio *Cujus feſtum*. 125
Qu ſervanda, ubi celebratur tempore Paſchali. 123. 130

S. Anna.
Ejuſdem nomen, cultus, officii, & feſti antiquitas. 8. 108
Num ejus feſtum nunc ubivis ſervandum. 8
An feriis adjiciendum. ibid.
Quo ritu officium celebrandum. 108

Annuntiatio B. Mariæ.
Nomina, & uſuum varietas celebrationis. 12
Privilegia, quibus fuit diſtincta. ibid. &c.
Incidens in Paraſceven, vel Sabbatum Sanctum, olim retenta quoad feſtivitatem, & quomodo celebrata. 11. &c.
Nunc transferenda quoad forum, & chorum, in quam diem, & quid, ſi ſit impedita feſto altioris ritus. 13. &c. 105
In ea celebranda, perinde ac in propria die. 13
Cum octava, ubi eam habet. ibid.
Genuflectendum ad *Incarnatus*, & abſtinendum a miſſis in oratoriis privatis. ibid.
Prænuntianda in Martyrologio. ibid.
Inter feſta mobilia evulganda. 25
Etiam cum transfertur quoad ſolum officium, prius reponitur feſto S. Joſeph. 105
Item prius aliis feſtis æqualis ritus. ibid.
An etiam, ſi ſint æqualis dignitatis, & feſtis Domini. ibid.
Num etiam feſtis 1. claſſis. ibid.
An his, ubi ſaltem eſt 1. claſſis. 91. 105
Feſtum Domini ſimul eſt, & Virginis. 105
Cur magis in honore Mariæ officium dirigatur. ibid.
Quando incidit in feriam v. Cœnæ Domini, quæ ſervanda. 10
Tranſlata, an, & quoties officiis ad libitum præferenda. 127
Quid relate ad Eccleſias diverſi ritus. ibid.

S. Anſelmus.
Doctorum characteribus quando honoratus. 126
An honorandus cum lectionibus *Sapientiam*. ibid.

Antiphonæ.
Quando, & quomodo variandæ. 112. 111. 113. 114
An *Gaudent in Cælis*, de qua 16. Septembris, pro ſimili in exemplum deſerviat. 112
An adhuc dicenda, dum non contingit identitas. ibid.
Quid de antiphona pro S. Mauro. ibid.
Antiphonæ *Euge* Confeſſoris Pontificis, & non Pontificis variæ. ibid.
Prudentes Virgines quibus adaptabiles. 114
Quibus *Iſtarum*. ibid.
Antiphonæ enuntiandæ, etſi conveniant cum initio pſalmi. 113
Abſurde nunquam proferendæ. ibid.
Tempore paſchali, ſi propriæ ſunt, quæ in nocturnis dicendis. ibid.
Quid, ſi ſint mixtæ. ibid.
Propriæ, cum impediantur, ſubſtituendæ loco communium. ibid.
Cur *Veni Sponſa* retenta in tertio nocturno pro non Martyre. 131

Antiphonæ finales B. V.
Pars officii non ſunt, earum auctor, & antiquitas. 142
Extra chorum, & in choro quando dicendæ. 143
Omittendæ, & ubi, quoties ſubſequitur officium Defunctorum &c. ibid.
An item, ſi ſubſequantur ex devotione. ibid.
Quid, ſi ſubſequantur alia. ibid.
An dicendæ in triduo mortis Chriſti. ibid.
Salve Regina mutationem paſſa, & qualem. ibid.
Ea verba *O clemens &c.* 192
Mater miſericordiæ &c. quo pacto aptentur Virgini. ibid.
Regina Cæli ab Angelis an inventa, & a S. Gregorio aucta. ibid.
Alma Redemptoris non protrahitur tranſlato Purificationis feſto. ibid.
Neque ubi hoc habet octavam. ibid.
Ave Regina ſemper inchoanda in completorio diei 2. Februarii. ibid.
Cur non magis in laudibus diei tertiæ. ibid.

Antiphonæ majores.
Exponuntur.
Quot olim. 132
Cur ſic dictæ, & quid habeant privilegii. 133
Ablegandi uſus aliqui. ibid.
Cur impediantur, pro quo, & quo pacto dicendæ. ibid.

Antiphonæ præparatoriæ ad majores.
Cur ſolum ſex, cum majores ſint ſeptem. 133
Transferendæ, quæ incidunt in feſtum D. Thomæ. ibid.
Non quæ per alia feſta impediuntur. ibid.
In feſto Expectationis non recitandæ, niſi apud quos. ibid.
Octavas ſupprimunt. ibid.
Cedunt feſtis quibuſvis, etiam tranſlatis. ibid.

Apoſtoli.
In repoſitione quibus Sanctis præferendi. 92
Quibus in concurſu. 94
Cedunt Angelis, & Joanni Baptiſtæ. 100
Etiam S. Joſepho. 110
In paritate ritus pellunt quæcumque alia feſta. ibid.
Pares ſunt Evangeliſtis. 91. &c.
Limita hæc omnia in feſtis, in quibus exprimitur Apoſtolica dignitas. ibid. &c.
An item præferendi, qui ſolum habent Apoſtolorum nomen. ibid. &c.
An qui & officium, & quibus. 92

Aſcen-

Aſcenſio Domini.

Feſti antiquitas, nomina, & inſtitutio. 60
Octava per Rubricas regitur. ibid.
Ultra ſolitum prorogatur. ibid.
Sequens feria vi. admittit ſemiduplex translatum. 61
In caſu an 2. ejuſdem veſperæ dividendæ. ibid. &c.
Nulli octavæ redit. ibid.
Quando ceteræ ceſſent octavæ. 62
Quale officium Dominicæ infra eandem, & cur dicatur Dominica *Roſarum*. 60
Dies octava cujus ſit ritus, & quibus cedat in concurſu. ibid.

Aſperſio Aquæ benedictæ.

Apud Monacos facta in Dormitorio. 141
Pro eadem oratio *Viſita* compoſita. ibid.
Poſt matutinum tenebrarum an, & quomodo facienda. 143

Aſteriſci.

Quid ſint, & quotuplex eorum uſus. 124
In officio an, & qui, & quando tollendi. ibid.
Quid ſignent, dum duo in reſponſoriis habentur. ibid.

Auguſtiniana Religio.

De quo officium, ſi infra octavam S. Auguſtini occurrat octava dignior. 42. 47
Quid ſi incidat vigilia. 34
Diem octavam S. Auguſtini ritu duplici majori perperam celebrat. 51
De ſuo Inſtitutore duplex officium votivum inſtituit. 70
Hebdomadarium regendum per Decreta generalia. ibid.
Quomodo licite peragat menſtruum. ibid.
Quibus menſibus ſit de præcepto. ibid.
Num menſe Septembri. ibid.
Quid de Februario. 73
Quid de Novembri. ibid.
An transferibile. ibid.
An in præcepto, ubi actum eſt de hebdomadario. ibid.
Non cedit feriis majoribus. ibid.
Faciendum prima die non impedita, alias vacat. ibid.
Poſponi poteſt officiis votivis. ibid.
Quando reapſe poſponendum. ibid.
Præferendum translatis, & quando. ibid.
Et quomodo. ibid.
Officia SS. Monicæ, & Nicolai locum habent in feriis majoribus. 73
Ordo ſervandus in officiis votivis. 75
Quid de officio votivo S. Thomæ a Villanova. 76
Num quid honoris præſtandum Sanctis eandem Regulam in vita profeſſis. 89

B

S. Bartholomæi Feſtum, & vigilia.

DEbent juxta regionis conſuetudinem celebrari, & cur cum difformitate celebrentur. 29. 59
Vigilia cur alicubi non jejunetur, & an ibi jejunanda. 29

Beati.

Alii formaliter, alii æquipollenter tales. 165
Horum cultus anno 1534. ſaltem debet eſſe coævus. ibid.
Poſtmodum auctus, in priſtinum reducendus. ibid.
Illorum reſtrictus ad expreſſa in indulto. ibid. & 168
Permiſſio eorumdem cultu, nec officium, nec miſſa permiſſa cenſentur. 169
Idipſum eſt permiſſa Altarium erectione. ibid.
Sunt ineligibiles in Patronos, aut Titulares, & electi debent caſſari, & qui. ibid.
Eorundem, & quorum natalitia poſſint cum officio, & octava celebrari. ibid.
Dies feſti in eorum memoriam nequeunt inſtitui. ibid.
Quid de iis, qui feſtivi erant ante Bullam Urbanam. ibid.
Ex devotione poſſunt haberi feſtivi. ibid.
Recitatio officii de iiſdem non eſt ſatisfactoria, niſi apud indultarios. ib.
Privatim officium de iiſdem dici valet. 168
Secus publice. ibid.
Quomodo in Kalendariis, & in quibus non ſunt apponendi. ibid.
Quid de Epiſcopis Regularibus relate ad Beatos ſuæ Religionis. 169
Sine ſpeciali indulto dies beatificationis cum officio recoli nequit. 168
Multo minus dies anniverſaria. ibid.
Quæ ſit dies, & anniverſaria beatificationis. ibid.
Sine officio utramque liberum eſt excolere. ibid.
Quæ conſuetudo requiratur, & ſufficiat ad tuendum eorum officium. 164. &c.
Annuntiari queunt in Martyrologio, non deſcribi. 136
Si deſcribantur, augetur eorum cultus, & quomodo. ibid.

Benedictini.

Quomodo, & quando Feſtum S. Benedicti in aliam diem tanquam propriam transferant. 14
Quam Miſſam debeant dicere, dum in Quadrageſima agunt de octava. 33. &c.
Quid circa officium, quando dies octava, vel infra octavam incidit in feriam iv. Cinerum, aut Dominicam Paſſionis. 56. &c.
Quid de officio S. Canuti, ubi dies 20. Februarii eſt impedita. 66
Quid de officio votivo S. Benedicti. 72
Quid de ſuffragio SS. Benedicti, & Scholaſticæ. 75. &c.
Quid de officiis votivis ſibi indultis. 75
Quid in occurſu S. Anſelmi, & Cunegundis. 90
Quid in concurſu S. Æmiliani cum feſto Sanctorum Ordinis. 115
Quæ 21. benedictio in officiis votivis. 125
Uſus celebrandi dies infra octavam, & quid ſi reponi inſtet initium Scripturæ. 128. 119
Si feſtum incidat in Dominicam, quid de ultimo reſponſorio, ſi eſt proprium. 132
Quid de annuntiatione in Martyrologio Sanctorum immutatorum. 135. &c.

S. Benedictus.

Quod officium *Matutinum* dixerit. 121
Quod tempus intellexerit per *medium noctis*. 122
Ad lectionem Evangelii probat reſpondere *Amen*. 124
An homiliæ invector in officium. 129
Quid de *Benedictus*, & hymnis. 132
Completorii auctor. 141
Præpoſitus quid permiſerit. 153
Officii parvi ſit auctor. 170
Ejuſdem feſtum, ubi adnexum habet forum, ſicuti & apud Monachos, immutationem ſubit, quando, qualiter, & in quam diem. 14. &c.

Beneficiarius.

Pluribus auctus beneficiis, ad plura non tenetur officia. 140
Bene vero ad Miſſas cujuſcumque beneficii. ibid.
Lege Breviarii tenetur etiam tenue habens beneficium. 157
Reſignatarios, etſi nullos fructus percipiat. ibid.
Canonicus primo anno, in quo reditus ſunt fabricæ deſtinati. ibid.
Filius familias, cujus parentes fructus percipiunt. ibid.
Uterque beneficiarius, ſi beneficium eſt litigioſum, & quando. ibid.
Spoliatio fructuum temporanea, licet violenta, non eximit ab onere officii. ibid.
Secus eſt, ſi ſit perpetua, vel quaſi perpetua. ibid.

Breviarium Romanum.

Unde ſit, & quid notet. 143
Reformatum. ibid.
Contractum adhuc, & qui eo uſi. ibid.
Quignonianum. 144
Piana reformatio. ibid.
Clementina, & Urbana. 153
Poſt Bullam Pii V. nihil addi poteſt, nec potuit. 144
Nec ei quid miſceri, mutari, vel detrahi. 151. &c.
Ex eo legi mandatum, apud quos, & ſub qua pœna. 160
A quibusvis poteſt recipi, & quid ad id requiratur. ibid.
Quid de Regularibus, & Monialibus, ut ad illud tranſeant. ibid.
Ejuſdem uſus ſemel receptus, non poteſt deſeri. ibid.
Alteri ritui addicti, nec privatim queunt ex eo legere. ibid.
Multo minus ii romani ritus ex aliis Breviariis. ibid.
Proprio carens Breviario non tenetur ex alio officium dicere. ibid.
Quid de Regularibus. ibid.

C

Canonici.

UNde ſic dicti. 122
Monachorum inſtar olim vivebant. ibid.
Olim nocturnos diſtinctim dicebant. 125
Per vices cœperunt officiis aſſiſtere. 122
Media nocte ſurgebant ad matutinum. ibid.
Diſpenſati, ut illud recitent *albeſcente die*. ibid.
Ultra diſpenſationem regulariter illud recitant. ibid.
Quæ cauſæ eſſe queant illud recitandi ſeriùs. ibid.
An, & quoties præcedenti die illud valeant anticipare. ibid.
Quæ hora debeat eſſe elapſa. ibid.
Conſenſus univerſi eorundem Capituli neceſſarius ad receptionem Breviarii Romani. 160
Ut diſtributiones lucrentur, debent alta voce cantare, nec ſufficit, quod ſint præſentes, aut ſubmiſſe recitent. ibid.
Nec choro per alios valent ſatisfacere. 161
Et hæc quavis conſuetudine non obſtante. ibid.
Qui eorundem gaudeant ſubſtituendi privilegio, & conditiones ad id exactæ. ibid.
Ab Epiſcopo poſſunt compelli ad canendum in choro, & ſibi celebranti aſſiſtere. ibid.

Canonici Regulares Lateranenſes.

Eorum indultum de officio S. Auguſtini ſemel in menſe expoſitum. 70
Quando expiret, & an in excluſionem translatorum etiam favorabile. ibid.

Canonicus Carnutenſis.

Teſtamentaria ejuſdem diſpoſitio de commemoratione S. Joſeph, & quomodo impleta. 105
Origo & feſti Deſponſationis, & diei, quo fuit addictum. ibid.

Canonizati.

Ut officio honorentur, novum exigitur Decretum. 167
Limita pro Eccleſiis, quarum ſunt Tituli, aut Patroni. ibid.
Exponuntur Canonizationum Bullæ. ibid.
Neque Canonizationis dies, aut ejuſdem anniverſaria cum officio ſine indulto celebranda. 168
Quale officium concedi ſoleat pro die beatificationis, aut canonizationis, & quæ hæc cenſeatur, uti & ejus anniverſaria. ibid.
Aliquorum anniverſaria Canonizationum exculta. ibid.
Eorum claſſi jungendi Sancti Cœmeteriorum urbis. 165
Quæ conſuetudo ſufficiat, & requiratur ad tuendum eorum officium. 164. 165. 166. 167
De quibuſvis publica officii decantatio haberi valet, quibus diebus, & quomodo. 150. 169
Sancti particulares an, & quo loco annuntiandi in Martyrologio. 135

Cantus.

Intercalaris qui, & quam antiquus. 129
Officii laſcivus, & profanus vetitus. 152

Capitula.

Cur iiſdem *Jube* non præmittatur. 132
Cur præmittatur illis Primæ: & Completorii. 134
Cur ad Primam capitulum Nonæ. 135
Cur ad Completorium ex Epiſtola S. Petri. 141
Unde omnia legantur ſine titulo. 132

Capituli officium.

Quale ſit, cur ſic dictum, unde mutuatum. 134
Unde in eo legatur Martyrologium, *Pretioſa*, & *Sancta Maria Dei*, & *actus noſtros*. 135
Quid de *Deus in adjutorium* ter repetito uſque ad *Dirigere*. ibid.
Cur ſucceſſerit Capitulum. ibid.
Primæ nunc eſt appendix, & quid de Necrologio. ibid.

Capit-

Capitulum.

Dictus locus, in quo congregabantur Monachi, & cur. 134
Canonicorum Conventus unde dictus *Capitulum*. ibid.
Cujus Capituli conſenſus exigatur ad recipiendum Breviarium Romanum. 160
Quando *univerſum* Capitulum cenſeatur conſentire. ibid.

Cappellani.

Neque primarii Monialium recitare valent de earumdem Sanctis. 156
Neque de Sanctis propriis Eccleſiæ, in qua celebrant. ibid.
Idipſum eſt de habentibus Capellaniam collativam, vel quamcumque aliam. ibid.
Cur nihilominus de Sanctis iiſdem Miſſam celebrare valeant. ibid.
Capellani Cardinalium, & Epiſcoporum, qui, & quando poſſint, aut debeant cum his ſe conformare in officio. 158
Quid de iis, qui ad unam, vel alteram dumtaxat horam in ſocios aſſumuntur. ibid.
Si tempore vacationis celebrent, pro Fundatore tenentur offerre. 161

Carmelitæ.

S. Joſephi cultum invexerunt in occidentem. 109
Auctores feſti S. Mariæ de Monte Carmelo, & quid de die, & Officio hujuſce feſti. 103
Eorum Rubrica de feſto Coronæ Spineæ. 82

S. Carolus Borromæus.

Cujus ritus fuerit, & ſit ejus feſtum. 162
Licet ad libitum, olim celebratum infra octavam. 64
Cum impeditur, in quam diem transferendum. 63
Qui verſus in eo adhibendi pro commemoratione SS. Vitalis, & Agricolæ. 112

Chorus.

Qui præſentes ſunt, & non cantant, aut ſubmiſſe recitant, eidem non ſatisfaciunt. 160
An qui ſubmiſſe recitat, & audit partem cantatam, impleat onus officii. 161
Qui teneantur ad officia chori. 154. 155. 156
A Choro quomodo confeſſio facienda. 134. 141
Quid de ſæculari, & regulari clero relate ad eundem chorum. 156. 161

Commemoratio S. Pauli.

Cur inſtituta. 111
Cur in ea veſperæ ſint communes S. Petro, & adhuc ritu duplici agantur. ibid.
Ejus commemoratio præferenda illi Dominicæ. ibid.
In Eccleſia propria de ſolo S. Paulo ſunt veſperæ. ibid.
Etiam extra propriam Eccleſiam, quando transfertur poſt octavam Apoſtolorum. ibid.
Num etiam translato infra eandem octavam, æger Auctoris conſenſus. ibid.
Poſt feſtum S. Petri ſtatim commemoratio octavæ debet eſſe communis S. Paulo, etſi hujus feſtum ad aliam diem transferatur. ib.

Commemorationes.

Communes aliæ, & ſunt ſuffragia, aliæ particulares, & quæ. 110
Hæ ſtant loco officii, vel veſperarum, & quæ apta ſint eas ſuſcipere. ibid.
De eodem, etiam ſub diverſa ratione, officium ſimul, & commemoratio haberi non poteſt. ibid.
Id fallit in feſtis, & myſteriis Chriſti, & cur. ibid.
Limita, ſi ſint de eodem myſterio. 40
Quid de Dominicis incidentibus in feſtis, vel infra octavas Domini. 40. 42. 110
Feſtum omnium Sanctorum Eccleſiæ, vel Religionum non excludit commemorationem Sanctorum particularium, nec e contra. 111
Aliæ intrinſecæ, aliæ extrinſecæ, quæ ſint, & quæ præferendæ. 101
Aliæ votivæ, & hæ reliquis poſtponendæ. 112
Quid de commemorationibus SS. Petri, & Pauli. 113

Commemorationes variandæ.

In caſu ſimplicis pro variatione in laudibus recurritur ad primas veſperas, & e contra. 115
In quocumque communi. 112
Limita, ſi aliter ſignetur in Breviario. ibid.
Et tunc ut in communi recitandum, ſi deſit variationis neceſſitas. ibid.
Num idem verſus, vel antiphona de eodem dici queat in laudibus, & veſperis. ibid.
Num varianda antiphona *Euge*, ſi ſimul occurrant Pontifices, & non Pontifices. 113
Verſus *Ora pro nobis* an, & quoties ſint varii. ibid.
Quid, ſi antiphona inſertum teneat *Ora pro nobis*. ibid.
Unde recurrendum pro caſu Virginum, & Martyrum. 114
Quid, ſi ſint ſolum Virgines. 115
Quid, ſi Martyres, & non Virgines. ibid.
Quid, ſi occurrant plura ſimplicia ejuſdem qualitatis. 113
Quid in caſu occurrentis ſimplicis per accidens. ibid.
Unde commemoratio octavæ in officio ejuſdem qualitatis. ibid.
Variandæ & collectæ, & quoties, & quid, ſi in communi aliæ deficiant, aut verſus. ibid.

Commenſales, & domeſtici.

Cardinalium, & Epiſcoporum cum his conformare ſe poſſunt in officio, etiam quando cum ipſis non recitant. 158
Qui ſe non conformant, & ad unam ſolam horam aſſumuntur, quomodo reliquum officii poſſint, aut debeant legere. ibid.
Quid de commenſalibus Regularium. 159

Communia Sanctorum.

Quomodo aptentur plura, quæ particularibus Sanctis non quadrare videntur. 138
Non mutanda, quæ in ſingulari, vel plurali numero ſunt concepta. ibid.
Oratio accommodanda, & quid de ſermonibus. ibid.
Quomodo, & quando loco communium ſubroganda propria, vel appropriata. 132
Cur in feſto SS. Innocentium mutetur *Tradiderunt*. 131

Communio Cleri.

Mos, diſciplina, & origo communionis in feria v. Cœnæ Domini. 10
Nunquam omittenda. ibid.
Quid, ſi in caſu occurrentis feſti Miſſarum proviſione facta nullus de clero, vel fere nullus ſuperſit. ibid.

Completorium.

Nomina, an officium nocturnum, & quodnam canonicum ejuſdem tempus. 141
Olim inter horas non erat, ſed Monachorum veſpertina oratio. ibid.
Olim quomodo abſolutum. ibid.
Quæ Completorium præcedunt, & oratio *Viſita* unde mutuata. ibid.

Conceptio Deiparæ.

Inſtitutio feſti. 48. 52
Indulgentiæ. 48
Præferentia diei octavæ. 52
Cur magis in honorem S. Annæ non inſtitutum. 105
Cur nihil in eo de præſervatione ab originali culpa. 152
Nam in verſu *Poſt partum* loco *Inviolata* dici queat *Immaculata*. ibid.

Concurrentia.

Quæ, quotuplex, quomodo fiat, & quæ feſta eam ſuſcipiant. 93
Ejuſdem effectus. ibid.
Cur Dominica cum præcedenti ſemiduplici ſecet veſperas, non cum ſequenti. ibid.
In diſpari ritu veſperæ ſunt de majori, licet alterum ſolemniter celebretur. ibid.
In pari ritu de digniori, & qua dignitate. 95
Vel de ſolemniori, ſed poſt dignitatem, & quam. 94
Nedum in propriis Eccleſiis, ſed etiam extra. ibid.
Quæ ſolemnitas ſufficiat, & requiratur. ibid.
An dignitas attendenda etiam in feſtis ſecundariis. 95
Num primaria præferenda ſecundariis, licet dignioribus. ibid.
In paritate ritus ſecundæ alias ſemper ſunt veſperæ. ibid.
Habenda non eſt ratio dignitatis accidentalis. ibid.
Neque antiquitatis. ibid. &c.
Neque feſtivationis. 96
Quid, quando concurſus eſt inter feſta ejuſdem Sancti. 95

Confeſſio.

Quæ ſit ad Primam, & Completorium, a Monachis mutuata, & ab his quomodo facta. 134. 141
Ad quem facienda, & cur taceat. 134
Cur ab aliquibus poſt Completorium reſervata. 141
Ab eo, qui ſolus recitat, quomodo facienda. 134
Quomodo a recitante cum ſocio. ibid.
Quomodo a choro. ibid.
Chorus univerſus num reſpondere debeat. 141
A Monialibus an ſubrogari queat *Matris*, & *Sororum*. 134
Nullius Sancti nomen addi poteſt. ibid.
Limitationes. ibid.

Conſuetudo.

Immemorabilis duplex, & quæ. 164
Late talis, ſeu centenaria non ſufficit ad tuendum officium beatorum, niſi anno 1534. ſaltem coæva. 165
Preſſe immemorabilis ſufficit. ibid.
Preſſe immemorabilis ſufficit & pro canonizatis. ibid.
Non centenaria. 167
Niſi ſit antiquior Bulla Piana. 164. 166 &c.
Idem eſt de Sanctis Cœmeteriorum Urbis. 165. &c.
Conſuetudo ſolemnis quotupliciter accipi valet. ibid.
Etiam non ſolemnis ſufficit ad tuenda officia. ibid.
Qualis eſſe debeat præcedenter ad dictam Bullam. 166
Quid, ſi poſt Bullam fuerit intermiſſa. ibid.
Quid, ſi poſt Bullam præſcripta contraria conſuetudo ſucceſſerit. ib.
Quid in dubio antiquitatis conſuetudinis. 167
Conſuetudo celebrandi de Sanctis non approbatis, aut qui non ſunt, tollenda. 165
De iiſdem ut Martyribus, cum ſint Confeſſores, corrigenda. ibid.
Quid juris eidem circa tuitionem octavarum, & ritus. 45
Quid circa octavas in quadrageſima. 55
Quæ potis eſt tollere jejunium vigiliæ, non hujus officium. 32
Quæ laudabilis ad tuenda officia votiva. 72
A Romanis, quæ locorum conſuetudines ſequi non valeant. 151 &c.
Conſuetudo ſolum aſſiſtendi Choro, aut ſubmiſſe recitandi, non ſuffragatur ad diſtributiones lucrandas. 162
Conſuetudo officii parvi B. M. a Romanis ſervanda juxta veterem obſervantiam, & quomodo. 170
Non circa cetera officia addititia. 172
A non Romanis circa omnia officia addititia. ibid.
Officia addititia pridie dicendi, quæ, conſuetudo ſuffragetur. ibid.
Quid de conſuetudine Sanctis addendi cognomina in collectis. 138
Quid de conſuetudine protrahendi *Alma Redemptoris*. 142

D

Decreta S. R. C.

Decretum in ordine 120. etſi mendum ſupponatur in textu, vix vindicabile. 20
Cum, & ſine appoſitione mendi vindicatur facile. 20. 24
138. quomodo in ſua diſpoſitione ſtet. 47
141. quodnam Decretum alleget. 49
100. derogatum. 59
166. derogat Sanctioni alteri. 63
179. 180. & 181. ad concordiam revocata. 67
188. defectuoſe relatum, & indulta interpretatur, non limitat. 72. &c.
Lectio 203. deferenda. 79
Quæ officiorum Dominicæ affixorum modo tranſlationem, modo omiſſionem mandant, quomodo conciliandæ. 80
Idipſum præſtatur de Decretis feſtum Dolorum tangentibus. 83. &c.
Quæ circa occurrentiam contraria prodierunt, quomodo ad Rubricas ſteterint, & modo ſtent. 86. *ad* 90

Dubium ad Decretum 220. lepidum, & inſipiens. 88
Quæ tranſlata præponunt in die immediate ſequenti, ubi inaixa, & an derogata. 92. 93
In textu 237. menda ſtrepſere. 95
243. quod Angelorum dividit veſperas, rationes, ſed derogatum. 99
An 248. mancum cenſeri debeat. 100
Cur 261. ſimilem officio non expoſcat Miſſam. 103
Clauſula 265. *quocumque in contrarium non abſtante* quomodo intelligenda. 104
Decreta 267. & 268. mendoſa, & juxta alias ſtatuta accipienda. 106
269. juxta alias tradita limitandum. *ibid.*
341. defectuoſe relatum. 144
273. quomodo ad poſteriora contraria regat. 110
299. non in uſum romani cleri. 123
Vis 328. communiter non percepta. 135
313. ritui romano quomodo adaptabile. 129
316. omnino particulare. 130
321. latum pro rito Monaſtico, & quid commodi ſciat romano. 131
344. & 345. quomodo non derogata. 146
359. & 360. cum diverſitate relata, & quomodo legenda. 154. 155
362. quæ Gavantos addat. 157
Num. 378. alias firmatis contrarium. 163
382. limitative non accipiendum. 165
386. quomodo regat ad Canonizationum Bullas. 167. *&c.*
388. ex duobus compactum, & quibus. 168
393. & 395. aliis non derogant. 169
An Decretum 382. authenticum. 165
De 387. quid ſentiendum. 168
Decretum pro Clero Regienſi editum, in exemplum minime trahendum. 49
Diſcalceatorum aliod derogatum. 142
Decreta non authentica. 42. 66. 125. 134

Deſponſatio B. Mariæ.

In ſolis non ſtetit ſponſalibus, & quo tempore in conjugium tranſierit. 101
Quando feſtum inſtitutum, & cur *Deſponſationis* dictum. *ibid.*
Cur Diei 23. Januarii addictum. *ibid.*
Refugit commemorationem S. Joſeph, & cur hæc adhuc permiſſa, & a quibus facienda. *ibid.*
An ante alias commemorationes. *ibid.*
Quibus cum antiphonis, & verſibus. *ibid.*

Dies.

Naturalis, & artificialis. 225
Artificialis in 12. horas diſtributus, & quales. *ibid.*
Hæ in quatuor partes, & quales. 137
Quomodo horis canonicis nomen dederint. *ibid.*

Dignitas.

Claſſis una, altera perſonæ, & ſuper hanc ſemper illa prævalet. 50. 86
Perſonæ inſignis alia, altera exilis. 86
Inſignis in quibus reperiatur feſtis. 92. *&c.* 94. *&c.*
Præferentiam præſtat in occurſu. 86. *&c.*
In repoſitione. 104
Et in concurſu. 94. *&c.*
Et quidem etiam relate ad feſta ſolemniora. *ibid.*
Exilis non attenditur in concurſu. *ibid.*
Neque in repoſitione. 90. *&c.*
Neque in occurſu, niſi in defectu cujuſque alterius rationis. 86. *&c.*
In Rubricarum ſenſu dignitas, & ſolemnitas ſæpe ſe exprimunt. 90. *&c.*
Dignitas attendenda etiam in feſtis ſecundariis, & quando. 94

Dolorum B. Mariæ Feſtum.

Dolores in morte Filii Maria quidem paſſa, non ſpaſmum, nec dubitationem. 82
In eorum memoriam quando primum feſtum inſtitutum, pro qua feria, & tempore. *ibid.*
Ad alia loca extenſum, & cur pro feria vi. Dominicæ Paſſionis. *ibid.*
Transferebatur, quibus ſolum in caſibus, & nunquam in paſchale tempus. 83
Ad Eccleſiam univerſalem propagatum. *ibid.*
Intranſferibile ad tempus Paſchale. *ibid.*
Reponendum in ſequenti Sabbato, licet impedito. 84
Quid ſi incidat officium ejuſdem dignitatis, vel dies octava. *ibid.*
Quid, ſi concurrat cum feſto Annuntiationis. 82
Vindicatur ſequentia *Stabat Mater*, & quid, quando ejus initium impeditur. 83. 142

Dominica.

Prærogativæ ejuſdem. 26
Succeſſit in locum Sabbati. 18
Non jure divino, ſed humano. *ibid.*
Quomodo adhuc immutabilis. *ibid.*
In quorum cultu inſtituta. 18. 41
An a veſpera ad veſperam celebranda. 18
Vigilia præveniebatur. 30
Non jejunanda, & vigilia incidens anticipanda. 32
An dici queat *feria prima*. 19
In Rubricarum ſenſu an, & quando *feſtum* ſit. *ibid.*
Aliæ *majores*, aliæ *minores*, & quæ. *ibid.*
Aliæ *vacantes*, aliæ *non vacantes*, & quæ, & quot ſint. 26
Quomodo vacantium officium reſumatur. *ibid.* *&c.*
Cur Trinitatis feſtum non reſpuat commemorationem Dominicæ. 43
Quæ ſit prima, vel ſecunda menſis quoad officiorum celebrationem. 79. 98
In concurſu cum ſemiduplici cur dimidias primas habeat veſperas, ſecundas integras. 93
Ritus Dominicarum privilegiatarum in ſolo ſuffragatur occurſu, non concurſu. 40. 48. 51. *&c.*

Dominica 1. poſt Epiphaniam.

Occurrens in Septuageſima, anticipanda in Sabbato. 23
Hoc impedito etiam per ſemiduplex, in prima die poſt octavam Epiphaniæ, tranſlato ſemiduplici occurrente. 24
Si occurrat duplex, transfertur primum ſequens ſemiduplex. *ibid.*
Nunquam duplex, ſed tunc ſit ſola commemoratio Dominicæ. *ibid.*
Qua die. *ibid.*
Quid impedito Sabbato per infra octavam, & prima die per ſemiduplex, & infra octavam. 25
Quid impedito Sabbato per infra octavam, & afferta die per ſemiduplex. *ibid.*
Quid in pari impedimento per infra octavam. *ibid.*
Quid impedito Sabbato per feſtum ad libitum. *ibid.*
Quid, ſi impedito Sabbato adſit dies libera. *ibid.*
Quid, ſi in die libera poni inſtet duplex tranſlatum. *ibid.*
Quid impedita dicta prima die per feſtum, & infra octavam, & die 16. ſolum per infra octavam. *ibid.*
Quid, quoties eadem Dominica anticipatur infra octavam. 24. *&c.*
Ejuſdem reſponſoria omiſſioni obnoxia. *ibid.*

Dominicæ reliquæ poſt Epiphaniam.

Quot olim, & nunc. 19
Quæ ſupereſt, ponitur poſt Pentecoſten. *ibid.*
Alioquin in Sabbato, & hoc impedito, in præcedenti feria, & quo ordine. 20
In caſo quomodo explendum officium. 21
De quo veſperæ, ſi ſimplex ſimul occurrat. *ibid.*
Supprimit officium S. Mariæ in Sabbato. 20
Præfertur vigiliæ. 22
Etiam feſtis ad libitum, & quando neceſſario. 26. *&c.*
Tota hebdomada impedita explendum in Sabbato, & quomodo. 20
Tametſi occurrat duplex 1. vel 2. claſſis. 21
Quid ſi occurrat dies infra octavam. *ibid.*
Earum Miſſa quæ exigat. *ibid.*
Quem colorem. *ibid.*

Dominicæ poſt Epiphaniam quoad libros Scripturæ.

Quæ lectiones Scripturæ in feſto, in quo anticipatur Dominica. 21
Initium Dominicæ ſolum poni poteſt poſt feriam, in qua illa anticipatur. 22
Etſi alias omitti deberet. *ibid.*
Initium feriæ, in qua anticipatur Dominica, anticipandum, ſi in ea non ponatur. *ibid.*
Initia, quæ poſt eandem feriam occurrunt, omittenda. *ibid.*
Poſito initio Dominicæ, quæ lectiones legendæ in ſequentibus feriis. *ib.*
Quid ſi incidant plura initia. *ibid.*

Dominicæ infra octavas.

Talis cenſetur etiam, quæ in die octava recurrit. 39
Quale officium olim in eis. 40
Cur in aliquibus, & in quibus officium fiat ut infra octavam. *ibid.*
Officium tamen octavæ non eſt, nec gaudet privilegiis octavæ. *ibid.*
Aliquibus gaudet, & quibus. 61 *&c.*
In quibus locum non habeat ſymbolum S. Athanaſii. 43
Quæ ſpectant ad Dominicam infra octavam Nativitatis, exponuntur. 26. *&c.*
Item quæ ad Dominicam infra octavam Corporis Chriſti. 40
Quæ ad ſemiduplex incidens infra octavam non privilegiatam. 57. *ad* 60
Quæ ad Dominicam infra octavam Aſcenſionis. 60
Quæ ad Dominicam infra octavam Epiphaniæ. 62

Dominicani.

Octavarum habent ritus varios. 45
Tranſlato feſto, octavam transferunt. *ibid.*
Cur Franciſcanos tanquam fratres agnoſcant. 112
Quo in officio commemorationem S. Franciſci peragant. *ibid.*

S. Dominicus.

Quæ eidem contigerint in viſione. 112. *&c.*
Quomodo S. Franciſcum in fratrem delegerit. 112
Ejuſdem commemoratio a Franciſcanis facienda, & quando. *ibid.*

E

Epiphania Domini.

INcidens in feria ſexta, immunis olim ab abſtinentia carnium. 31
Cur jejunio non præveniatur. 30
In ea recolitur adoratio Magorum, & an hæc eo die ſit facta. 62
Converſio aquæ in vinum, & quo die hæc evenerit. *ibid.*
Chriſti baptiſmus, & an eo die contingerit. *ibid.*
Cur ommittatur invitatorium in feſto, & dicatur per octavam. *ibid.*
In feſto cur pſalmus invitatorius, & cum repetitione antiphonæ in tertio nocturno, & non infra octavam. *ibid.*
Cur reſponſorium *Hodie in Jordane* in feſto, Dominica, die octava, & non infra octavam. *ibid.*
Infra octavam fit ſolum de duplici 1. claſſis occurrente. 61
Non de tranſlato. *ibid.*
Cur Dominica, & quoties anticipetur Sabbato. *ibid.*
Octava nunquam commemorationem deperdit, ſecus Dominica. *ibid.*
Dies octava cujus ſit ſitus, & quibus cedat in concurſu. 60
Quid, ſi infra octavam occurrat dies octava alia. 65

Epiſcopi.

Occurrente feſto de præcepto in feria v. Cœnæ Domini, quomodo de Miſſis privatis provideant. 9. 10
Ratione carniſprivii nec anticipare, nec poſtponere valent vigiliam S. Mathiæ. 36. *&c.*
Nec diſpenſare ſuper jejunium. 37
Ob occurſum magnæ ſolemnitatis vigiliam licite anticipant. *ibid.*
Quando participent indulgentias, etſi non adſiſtant officiis Corporis Chriſti. 39
Quomodo iiſdem publice orantibus populus reſponderet *Amen*. 124
Compellere poſſunt Canonicos ad canendum in choro, & ſibi celebranti ad aſſiſtendum. 162
Cur in Diœceſim aſſignata habeant loca aliqua extra territorium. 159

Epiſcopi quoad feſta de præcepto.

Vi juris communis indicere queunt feſta de præcepto. 6
Num ſolum dependenter a conſenſu Populi, & Cleri. *ibid.*
Num etiam ad ea tollenda. *ibid.*
An per Bullam Urbanam dicta facultate ſpoliati. *ibid.*

Quan-

Quando cenſeantur conſentire feſti ex voto. 3
In Beatorum memoriam dies feſtos inſtituere nequeat. 169
Secus eſt de Beatis, qui ante Urbanum VIII. erant feſtivi. *ibid.*

Epiſcopi quoad ea, quæ ad officium attinent.

Poſt Bullam Pii V. nec potuere, nec poſſunt invehere Sanctorum officia. 144
Nec jam conceſſa extendere de loco ad locum. 145
Nec de Civitate ad Diœceſim. 144
Nec eorum mutare ritum. *ibid.*
Et hæc neque pro una vice. 144. 146
Redarguti nonnulli Galliæ Epiſcopi, qui ſecus tentarunt. 145
Quid hac in re de Epiſcopis non romani ritus. *ibid.*
Nec quidquam poſſunt circa officia Sanctorum propriorum. *ibid.*
Olim nec poterant Sanctis perpetuo tranſlatis diem fixum aſſignare. 146
Nunc univerſim id poſſunt ſine Apoſtolica facultate. 103
Non tamen iiſdem aſſignare diem Dominicam. 81. 99
Defunctorum legata de officio in alium pium uſum poſſunt convertere. 149
Legenda in officiis nec poſſunt approbare, nec in iiſdem quidquam mutare. 153
Officiorum imprimendorum facultatem quando, & quomodo concedant. *ibid.*
Neceſſarius eorum conſenſus, ut Breviarium Romanum recipiatur. 160
Eorum aſt officia de non præcepto acceptare. 68
Acceptata an poſſint renuntiari. 67. 68
An conceſſa ad eorum inſtantiam ſint transferibilia dum diei mobili ſunt affixa. 80. *&c.*
Eorum privative eſt aſſignare diem Dominicam Patrocinii B. V. Hiſpaniis. 100. *&c.*
An, & quoties diſpenſare valeant ſuper matutini tempore. 122
Quando Cathedralis eſt Regularis, ſeparare non poſſunt Clericos a Monachis. 155

Epiſcopi quoad officium recitandum.
Tenentur ſe conformare Breviario, & Kalendario ſuæ Diœceſis. 157
Epiſcopi titulares id poſſunt, ſed non tenentur. *ibid.*
An hi teneantur ad feſta principaliora propriæ Eccleſiæ. *ibid.*
Quid de Epiſcopis a ſua Diœceſi expulſis. *ibid.*
Quid de Epiſcopis tempore abſentiæ, diſpenſatis ſuper reſidentiam, vel habentibus coadjutorem. *ibid.*
Quid de iis, qui Epiſcopatum dimiſerunt. *ibid.*
Quid ſi penſionem obtinuerint. *ibid.*
Eorum Cappellani, Commenſales, & Domeſtici quomodo poſſint, aut debeant iiſdem ſe conformare quoad officium. 158
An quemlibet etiam alium pro libito in ſocium queant aſſumere. *ibid.*
An favor iſte etiam competat Epiſcopis titularibus. *ibid.*
Quid de eorum commenſalibus, & domeſticis. *ibid.*
Ad lectiones dicunt *Jube, Domine*, & non *Domne*. 125

Epiſcopi Regulares quoad propria.
Quoad divinum officium debent ſe conformare Breviario, & Kalendario Diœceſis, non Ordinis. 157
Ad obſervantiam Regulæ, & Conſtitutionum quando, & quomodo teneantur. 158
Etſi gaudeant privilegiis Ordinis, officium nequeunt dicere de Beatis ſuæ Religionis. 69
Nec Miſſam extra Eccleſias Ordinis, bene vero in Eccleſiis Ordinis. *ib.*
Iiſdem Beatis erigere nec valent Altare in ſuis Cathedralibus. *ibid.*

Evangeliſtæ.
Pares ſunt Apoſtolis. 91
In concurſu veſperas dividunt, cedunt in occurſu. 92
In repoſitione prioritas tranſlationis præferentiam præſtat. *ibid.*
Quid de iiſdem relate ad Apoſtolos ſolius nominis, vel etiam officii, non dignitatis. *ibid.*
Quibus præferendæ eorum octavæ. 53

Evangelium vigiliæ in fine Miſſæ.
Legendum in vigilia Epiphaniæ per feſtum Impedita. 35
In vigiliis, quæ a jejunio exciderunt. 32
In Vigiliis Adventus. 35
In Vigiliis incidentibus in feſtum ſecundæ non primæ claſſis. 32
Nec in quadrageſima, aut quatuor tempora. 35
Nec quando anticipatur jejunium, non officium vigiliæ. 32. *&c.*
Nec ſi vigilia cadat in die, in qua anticipatur Dominica. 25
Nec quando idem eſt Evangelium feſti, & vigiliæ. 35
Quid, ſi duplex occurrat vigilia. 40

Expectatio Partus B. M. V.
Reliquia Annuntiationis ea die olim celebratæ. 102
Ubi originem habuit, & quomodo tranſiit ad univerſam Hiſpaniam. *ib.*
Soli Hiſpaniæ favorabile eſt indultum Gregorii XIII. non locis ceteris Hiſpaniæ ſubjectis. *ibid.*
De præcepto in Statu Eccleſiaſtico, etiam apud Regulares. 100
Quo ritu ibi celebrandum. *ibid.*
Cur hymni ſine *Jeſu tibi &c.* cum *Virtus, honor*, & ad Primam non *Qui natus*, ſed *qui venturus*. 102
Jeſu, & *qui natus* incongrui non ſunt feſto, & in quo ſenſu. *ibid.*
Num in laudibus ſubſtituendæ antiphonæ feriæ. 133

F

Fatuorum Feſtum.
Quomodo, quando, & a quibus celebratum, nunc proſcriptum. 28

Feria v. in Cœna Domini.
Olim feſtiva, adhuc a ſtrepitu forenſi libera. 10
Cur Miſſa celebretur cum lætitiæ ſignis. 10. 38
Incongruitatem non habet ad Miſſas privatas. 13
Sunt tamen inhibitæ. 10. 11
Quare. 13
Permittendæ occurrente feſto de præcepto, quot, a quibus, & in quibus Eccleſiis. 10. 11
Et quidem nedum occurrente feſto Annuntiationis, aut S. Joſeph, ſed etiam quolibet alio. 15
Celebrandæ ante Miſſam Conventualem. 10
An, & quomodo, & quando licitæ tempore ejuſdem Miſſæ. 15
Quid de Eccleſiis, in quibus non denudantur Altaria. *ibid.*
Conventualis Miſſa paulo differri poteſt. *ibid.*
In Oratoriis privatis nunquam dicendæ Miſſæ. *ibid.*
Vide *Communio Cleri*.
Cavalieri Tom. II.

Feſta de præcepto quoad forum.

De jure naturali, & qualiter. 18
Eccleſiæ coæva, & apud gentes etiam ſervata. 5. 18
Non ſic quandoque a Chriſtianis, & cur. 5
Ab his cum ſacrificio celebrata. *ibid.*
Opera ſervilia in eiſdem quando permiſſa. *ibid.*
Qualis communis, & particularis finis. *ibid.*
Alia integra, alia dimidia. *ibid.*
Unde *in honorem Sanctorum* dicantur. 2
Per laicos non valent indici. 3. 5
Quot modis cenſeri queant de præcepto, & qui probentur. 5. *&c.*
An quæ ſervabantur, caſſata ſint per Bullam Urbanam, ubi hæc recepta non fuit. 8
An quæ non ſervabantur, poſt Bullam obligent. *ibid.*
An per Bullam induſta, feriis adjungenda. *ibid.*
In quibus liceat opus ſervile. *ibid.*
Elevatiorem non adipiſcuntur ritum. 7. 96
In occurſu præferenda. 7
Secus in concurſu. 7. 95
Non continuo ſecum ferunt officium, nec lectiones 2. nocturni proprias. 8
Impedita, quoad ſolum officium transferantur. 22

Feſta devotionis.

Ad ea revocantur feſta votorum Communitatum. 2. 6
Præferenda in occurſu. 7
Non in concurſu. 7. 96
Non ferunt officium, nec elevatiorem ritum. 8. 96
Etiam de Beatis poſſunt inſtitui. 169

Feſta de non præcepto.

An nobis excogitata, a Congregatione prius agnita. 68
Nunquam rejecta. *ibid.*
Natura, & conditio. 68
Nullum ex officiis Eccleſiæ univerſalis. *ibid. &c.*
Tertia officiorum ſpecies, Decretorum invehens concordiam. *ibid.*
Poſt acceptationem in quo ſenſu *tanquam de præcepto* declarentur. *ibid.*
Quorum ſit ea acceptare. 67
Expoſitio altera. 68
Juxta hanc privatis ſunt de præcepto per accidens. *ibid.*
Alter exponendi modus, & ſubditis, & ſuperioribus officia facit neceſſaria, & irrenuntiabilia. 67
Alteratio, quæ producitur, ſubditis non ſuperioribus, ea ſolum facit irrenuntiabilia, non neceſſariæ recitationis. 68
Quid in veriori Decretorum ſenſu. *ibid.*

Feſta ad libitum.

Eorum antiquitas. 63
Eſſentia, & diviſio. *ibid.*
Olim impedita, transferebantur. *ibid.*
Nunc omittuntur, cum incidunt in Dominicas, vel feſta mobilia. *ibid.*
In natalia Sanctorum, & quæcumque alia officia de præcepto. *ibid.*
In octavas. *ibid.*
Tam privilegiatas, quam non, & tam in diem octavam, quam infra octavam. 64
Etiam particulares, & per *fieri poſſe* conceſſas. *ibid.*
Et licet infra has ſemper recurrant. *ibid. &c.*
Et ipſa duplicia forent. 63
Pari jure omittenda, ut fiat locus Dominicis anticipandis. 28
Fallit id in duobus caſibus. *ibid.*
Neceſſaria non cedunt vigiliis, nec feriis majoribus. *ibid.*
Nec feſto ſimplici. 63
Cur, cum cedant officio feriali Dominicæ. 28
Neque tranſlatis. 64
Limita, ſi hæc alias in ritu deprimenda forent. *ibid.*
Neque officiis votivis. *ibid.*
Neque alteri officio ad libitum, & quid in his caſibus. *ibid. &c.*
Eadem feſta nec in ſequentem diem transferri queunt. 65
Neque immutari ſine facultate Apoſtolica. 66
Immutata, ut prius, omiſſioni ſunt obnoxia. *ibid.*
Officia particularia transferri non poſſunt cauſa faciendi occurrens aliud ad libitum. *ibid.*
Quando, & quæ ex officiis ad libitum locorum a Regularibus celebranda. *ibid.*
In caſu omiſſionis ritu ſimplici celebranda, quæ talem ritum in præcepto prius habebant. *ibid.*
Horum celebratio in caſu quomodo regulanda. *ibid.*
Exempla feſtorum ad libitum olim in Breviario Romano infra octavam. 64. 65
Nunc nullum, & quare & memoria recentis S. Eliſabeth expuncta. 65
Exemplum feſti ad libitum celebrati cum tranſlatione alterius de præcepto. *ibid.*
Adhuc, ut prius celebrari queunt, ubi ſpeciales habentur conceſſiones. 65. 66
Limita, ſi in proprio die *ſecundum Rubricas* impediantur. 65
Quo pacto id ſit intelligendum. *ibid.*
Quandoque per accidens neceſſariæ recitationis. 155
Ex indultorum terminis quando ad libitum. 67. 68

Feſta conſuetudinis.

Canonizatorum legitima, ſi antiquiora Bulla Piana. 166
Item, ſi innixa conſuetudini immemorabili. 164
Moderniora dicta Bulla ruunt, licet conſuetudini centenariæ ſuffulta. 164. 165. 166. 167
Stant in dubio de antiquitate conſuetudinis. 166. *&c.*
A rubricis approbata. *ibid.*
Supprimi nequeunt. *ibid.*
Intermiſſa reſtituenda. *ibid.*
Et quidem, etſi omiſſa per ſpatium 40. annorum. *ibid.*
Quid, ſi conſuetudo ſolemnis non ſit. 165
Celebranda cum officio de communi, & cur. 166
Si ſint beatorum, legitima, ſi innixa conſuetudini immemorabili. 165
Item ſi anno 1534. coæva. 164

Feſta ſecundaria.

In iiſdem non minus attenditur dignitas, & quoties. 95
Quid in concurſu feſti primarii, & ſecundarii diverſorum Sanctorum. ib.
Quid, ſi ſint ejuſdem Sancti. ibid.
Quid, ſi alterutrum in particularem rationem ſit inſtitutum. 92. 95

Feſta affixa diebus mobilibus.

Quæ ſint. 77
Quæ ſunt Eccleſiæ univerſalis, transferendæ in caſu impedimenti. 78. 80
Itidem quæ provinciarum aut Ditionum. 80
Etiam alterius Eccleſiæ particularis. 79
Quando. 80
An quæ Regularium Ordinum. 81
Quæ probentur ex translationis cauſis. ibid.

Feſtum SS. Trinitatis.

Quælibet dies Dominica eſt feſtum Trinitatis. 41
Immo & Sanctorum feſta. ibid.
Cur ſpeciale Trinitatis feſtum ſero inſtitutum. ibid.
Quo tempore, & auctore invectum. 42
Cur Dominicæ primæ poſt Pentecoſten additum. ibid.
Cur ſolum duplex 2. claſſis, & ſine octava. ibid.
Cur admittat commemorationem Dominicæ. ibid.
Cur dictum feſtum, & Dominica Trinitatis. 43
In eo, & die octava, non infra octavam dicitur ſymbolum S. Athanaſii. ibid.
Ejus octava præferebatur olim octavæ Corporis Chriſti, nunc rite poſtponitur. 44

Feſtum Corporis Chriſti.

Cur in Eccleſia non antiquum, a quo, & quando inſtitutum, & receptum. 38
Inſtitutionis cauſa. ibid.
Cur feriæ v. poſt octavam Pentecoſtes addictum. ibid.
Cur jejunio non præventum. 30
Non jejunandum, ſi occurrat vigilia. 30. 31
Alicubi jejunio præcenitur. 31
Ubi primum inſtitutum. 38
Cujus opus ſit officium. ibid.
Quæ a Pio V. immutata. ibid.
Indulgentiæ pro intereſſentibus. 39
Ejus octava præferenda illis SS. Trinitatis. 42
Reſpuit ſemiduplex occorrens, & duplex translatum. 40
Admittit duplicia occurentia. ibid.
Etiam translata 1. vel 2. claſſis. ibid.
Patitur 9. lectionem vigiliæ. 39
An in caſu jungendæ octava, & nona lectiones. ibid.
Recuſat 9. lectionem ſimplicis. ibid.
Non tamen, ſi agitur de Sancto. ibid.
Neque de Dominica infra octavam. 40
Dies octava ſolum cedit duplicibus primæ claſſis. 41
Cujus ſit ritus, & quibus cedat in concurſu. 60
Si in hac, vel infra octavam incidat vigilia, de quo ſit Miſſa, & an cantandæ duæ Miſſæ. 33

Feſtum Inventionis S. Crucis.

An poſt Urbanam Conſtitutionem ubivis ſit de præcepto. 8
Ad ſertir adjungendom. 9
An peccent ſervilibus operibus in eo incumbentes. ibid.

Feſtum SS. Redemptoris.

Cur apud Venetos inſtitutus, quomodo propagatum, & quando elevatum. 79
Gaudet translatione, & non ex gratia. 80
Quæ eſſe queant translationis cauſa. ibid.
Quæ probentur. ibid.

Feſtum SS. Roſarii.

Qua occaſione, & quo tempore tum Eccleſiæ particulari, tum univerſali indultum. 79
Cur addictum Dominicæ primæ Octobris, & quæ ſit iſta Dominica. ibid.
Impeditum, nunc transferendum. ibid.
Secus, quando erat officium particularium locorum. ibid.
Et quando in hoc caſu. 81

Feſtum B. Mariæ de Monte Carmelo.

Etiam a præcedentibus indultariis nunc die 16. Julii celebrandum. 103
Cur dicta dies ſelecta fuerit. ibid.
Antiquum ejuſdem officium pluribus laborabat labibus. ibid.
Novum fuit demandatum, quale, & a dictis indultariis etiam recitandum. ibid.
In ritu iidem indultarii ſe tueri queunt, ſi altior, ſecus, ſi depreſſior. 104
Miſſa eſt *Gaudeamus* juxta antiquam conceſſionem, & cur. ibid.

Feſtum S. Stephani Protom.

Cujus ſit claſſis. 27
Cur S. Joanni non cedat veſperas, priorem locum ejuſdem commemorationis infra octavam, & in die octava veſperas dimidiet. ib. &c.
Cur ſtatim poſt Nativitatem celebretur. 28
Cur die tertia Auguſti celebretur inventio ejuſdem, etſi tunc non evenerit. ibid.

Feſtum S. Joan. Evang.

Qua die actum a Græcis, & olim cum S. Jacobo excultum. 28
Qua occaſione ſolum remanſit. ibid.
Quid in concurrentia ejuſdem com feſto, & octava S. Stephani. 27. 53
Cur cum jejunio non præveniatur. 29

Feſtum SS. Innocentium.

Quando olim celebratum, & cur nunc poſt Nativitatem indictum. 28
Celebrandum in colore violaceo, & ſine *Te Deum*, ſecus ſi cadat in Dominicam, & in die octava. 27
Quid ubi Patroni, vel Titulares ſunt; aut aſſervantur Reliquiæ. 18
Cur in eo omittatur antiphona *Tradiderunt*. ibid. &c. 131
An ſit de præcepto, ubi prius non ſervabatur. 8
An peccent in eo laborantes. ibid.

Feſtum S. Silveſtri.

An de præcepto, ubi ante Urbanum VIII. non ſervabatur. 8
Num peccent in eo laborantes. ibid.

In concurſu cum feſto Circumciſionis cur commemorationem deperdat. 27

Feſtum SS. Philippi, & Jacobi.

Cur jejunio non præveniatur. 29
Quando transfertur ad non paſchale tempus, quæ *Alleluja* omittantur. 124
Qui aſteriſci tollantur. ibid.
Cum celebratur intra Dominicam 4. poſt Paſcha, lectiones 1. nocturni erunt de feria currenti. 127
Limita, ſi initium Epiſtolæ S. Jacobi ſit poſitum, alias hoc legitur. ibid.
Quando occurrit in Sabbato præcedenti eandem Dominicam, quæ lectiones in eo, & in Dominica ſint legendæ. ibid.
Idipſum eſt de feſto S. Joannis ante portam latinam relata ad Apocalypſim, vel ejus Epiſtolam. ibid.
Cum S. Philippus dividitur a S. Jacobo, quæ lectiones legendæ in officio utriuſque. ibid.
Pro quibus militet Decretum præſcribens ultimum reſponſorium dicendum eſſe loco penultimi, dum idem feſtum incidit in Dominicam. 132
Quid commodi ferat tale Decretum Clero Romano. ibid.

Feſtum per accidens ſimplex.

Gaudet activa, & paſſiva concurrentia. 93
Etſi duplex, intransferibile ad annum ſequentem, ſecus ſi ſit duplex 1. vel 2. claſſis. 169
An, & quoties item intransferibile, dum eſt perpetuo translatum. ibid.

Franciſcanus Ordo.

Cur Dominicanos in fratres recognoſcat. 112
In officio votivo S. Franciſci agit commemorationem S. Dominici. ibid.
Cur poſt commemorationes ceteras. ibid.
An primus uſus ſit officio breviato. 143
Quem ordinem ſervare debeat in recitandis ſuis officiis votivis. 75
An, & quomodo feſtum Nominis Jeſu ab iiſdem noſcat originem. 78
Apud eundem antiquitas Deſponſationis feſti. 101
In eo quomodo commemoratio facienda de S. Joſeph. ibid.
Quid de ejus Tertiariis. 155. 158
Quid de Stigmatum feſto. 162
Et particulari indulto ſimplicia perpetuo impedita alio die celebrat. 85

S. Franciſcus.

Qua de cauſa a S. Dominico in fratrem aſſumptus. 112
Ejus commemoratio ſit in officio votivo S. Dominici. ibid.
Cujus ſit ritus feſtum Stigmatum. 162
Cum hoc feſtum transfertur, quæ varianda in hymno. 140
Ejus feſtum de præcepto indictum, ſed non receptum. 8
Per Bullam Urbanam ſublatum, & an ad hunc in præcepto, ubi illud receptum fuit, non iſta. ibid.

G

Gallia.

NUM Annuntiationem die 18. Decembris excoluerit. 12
Fere tota quatuor vigilias non jejunat, & quas. 30
Quid de vigilia Pentecoſtes. ibid.
Quid de Trinitatis feſto. 42
Uſus octavarum varii. 45
An Lanceam Chriſti poſſideat. 82
Redarguit ejuſdem nonnulli Epiſcopi. 145
Num a Romanis ſequi valeant particulares ejuſdem conſuetudines circa officium. 150

Gavantus.

Rejicitur. 8. 21. 24. 27. 36. 38. 51. 53. 56. 60. 88. 112. 113. 115. 124. 127. 131. 133. 136. 140. 142. 157. 165. 170.
A Merato ipſo deſeritur. 24. 31. 35. 60. 88
Vindicatur. 26. 46. 93. 114. 161
Fallitur. 108. 170
Aliter legit Decreta. 154. 155. 157
Non probatur ejuſdem ratio. 12. 24. 27. 33. 124
Reformatur ejus opinio. 15. 53. 56. 144
Cur non anticipet initia impedita Scripturæ poſt Epiphaniam. 22

Gentiles.

Habuerunt dies ſervilibus, & foreaſibus operibus liberos. 1
Immo ſacris rebus obeundis deſtinatos. 18
Eorum mos templorum, & precum verſus Orientem, quomodo ad Chriſtianos tranſierit. 134

SS. Gervaſius, & Prothaſius.

In gratiam eorundem Miſſæ S. Romualdus alteri diei traditur. 163
Eorum Miſſa, licet modo impedita, adhuc non expungenda. ibid.
Cur ejus initium *Loquetur Dominus pacem*. ibid.

Græci.

Die 25. Martii Annuntiationem ſemper celebrarunt. 12
Quæ ea die fieri permiſerint. ibid.
Eorundem cultus erga Sanctos veteris legis. 107. &c.
Apud eoſdem olim feſta ſine 2. Veſperis, & Completorium ſero inductum. 139

Guyetus.

Refellitur. 15. 21. 24. 25. 27. 33. 35. 45. 46. 57. 61. 86. 93. 107. 115. 116. 131. 133. 136. 139. 148. 157. 162
Propugnatur. 23. 35
Gavantum perperam oppugnat. 24. &c. 45
Futilis ejuſdem ratio. 27. 54
Reformatur ejus opinio. 56
Quæ eidem ſatius opponi queant. 23

H

Hebræi.

APud ipſos obſervantia Sabbati, & quando hæc a Deo indicta. 18
Octavarum uſus ab ipſis profectus. 44
Angeli ab ipſis etiam exculti. 96
Quinam ex Sanctis ad veterem legem ſpectare cenſeantur. 107

Quo-

Quomodo Judæorum opera Machabæorum cultus in occidentalem Eccleſiam, & plurium aliorum Sanctorum veteris legis in orientalem devenerit. 108
Quando apud eos nomen imponi ſolitum. 78

Hieroſolymitanus Ordo.

Reprobata ejuſdem conſuetudo celebrandi officium ad libitum in die ſequenti. 66
Favorabile admodum Decretum pro ſatisfactione cujuſdam legati. 149

Hiſpania.

Annuntiationem Deiparæ die 18. Decembris olim celebrabat. 12. 102
Subſtituit Expectationem. 102
Ad hæc celebranda in ſola Hiſpania. ibid.
Num officia conceſſa Hiſpaniarum Regno, extendantur ad loca omnia Hiſpano Regi ſubjecta. 122
Privilegium particulare eſt, quod anticipet antiphonas feriæ in Expectatione incidentes. 133
Cur die 22. Septembris feſtum Nominis B. V. celebraret. 78
Rite transfert, aut immutat, & in quam diem, patrocinium S. Joſeph impeditum. 80
Patrocinio B. V. qui diem Dominicam aſſignare valeant. 100
Quo ritu celebrare valeat de S. Ildefonſo. 154
Quo pacto de S. Narciſſo. 163

Horæ Canonicæ.

Unde ſic dictæ, & varia earum nomina. 143
An ſeptem, vel octo. 111
Quænam nocturnæ, & quænam diurnæ. 111. 134. 137. 139. 141. &c.
Canonicum earum tempus. 134. 137. 139. 141. &c.
Quænam pridie anticipentur licite. 112
Quid de eo, qui recitata una, vel altera hora, ſe erraſſe detegit. 147
Ab indultariis aſſumptus in ſocium ad horam aliquam, quomodo ſe gerere poſſit, & debeat in reliquo officio. 158
Privatim de Beatis dici queunt, non publice. 168
Nunquam in ſatisfactionem præcepti, niſi apud indultarios. ib. &c.
Ultra currentes privatim, & publice de canonizatis, & quibus diebus. 168
Quæ additio, mixtio, interpoſitio alienorum inter horas inhibita. 152
Penſionarius eas licite ſubrogat officio parvo Deiparæ. 157
Qui beneficiarii ad eas teneantur. ibid.

Hymni.

Sub Urbano VIII. emendatis, & quid de hac emendatione. 139
In feſtis Confeſſorum, quæ non ſunt de die obitus, in hymno *Iſte Confeſſor* dicitur *Meruit ſupremos*. ibid.
Etiam in iis de die obitus, dum extra diem obitus celebrantur. ib.
Secus eſt, ſi transferantur in diem proxime ſequentem, & primas integras, vel dimidias habeant veſperas. 142
Itidem ſi transferantur infra octavam, & quando. ibid.
In hymno laudum variari non debet verſus *quo Sanctus hic de corpore &c.* ibid.
Idem eſt de hoc verſu in Stigmatum feſto, in quo retinendus *Chriſti recepit Stigmata*. ibid.
In eo veſperarum ſubſtitue *Meruit ſupremos*, dum ad aliam diem transfertur. ibid.
Natalem diem quo computandi ratio ſit ſequenda ad effectum dicendi *Meruit beatas*. ibid.
Hymni juxta hiſtoriæ ordinem efformati, ſemper & recitandi. 141
Si in dicto ordine impediantur, transponendi, vel uniendi, & quando. ibid.
Impeditis primis veſperis, quid de hymnis S. Hermenegildi. ibid.
Quid de iis SS. Martinæ, & Venantii. ibid.
Quid de iis S. Joſeph. 109
Quid de hymno *Stabat Mater*. 142
Quid de hymnis SS. Thereſiæ, & Mariæ Magdalenæ. ibid.
Quid de *Ave maris ſtella*. ibid.

I

Jejunium.

QUadrageſimale olim protractum uſque ad veſperam, non quadrageſimale uſque ad nonam. 137. &c.
Quomodo, & quando utriuſque ſolutio tracta ad meridiem. ib. &c.
Incidens in ſolemniora feſta, olim una cum abſtinentia ab eſu carnium diſpenſatum. 12. 31. 37
Nunc ſolum ſuper dicta abſtinentia diſpenſatur in Dominica Nativitatis. 30. 37
In incidentia cum feſto Corporis Chriſti anticipatur jejunium, & abſtinentia. 30
Non tamen apud voto adſtrictos. ib. &c.
Si incidat in magnam aliam ſolemnitatem, Epiſcopus jejunium vigiliæ poteſt anticipare, non ſanctiorum feriarum. 37
Non tamen ob excarnalia, aut ſimili de cauſa. 36
Conſuetudo potis eſt eximere ab onere jejunii. 32
An ceſſet jejunium feſtorum, quæ a feſtivatione exciderunt. ibid.
Quid de jejuniis relate ad conſtitutos intra Diœceſim, & extra Dominium. 159

Immutatio Sanctorum.

Adducitur Decretum perpetuam fieri permittens. 103
Ob rationem congruam differri valet ultra primam diem non impeditam. ibid.
Recedendum a perperam facta. ibid.
Dies 3. Februarii impediri nequit, & quid, ubi eſt impedita. ibid.
Immutationem accidentariam quæ feſta ſubeant, quando, qualiter, & in quam diem. 11. &c. 14. 15. &c. 103. &c.
An, & quoties immutata feſta ſecum trahant octavam. 105
Quid de indulgentiis. 16. 105
An, & qualiter in Martyrologio prænuntianda. 135. &c.
Aſſignari non poteſt dies Dominica. 80
Feſta ad libitum ſine ſpeciali indulto non immutanda. 66

Indulgentiæ.

Ad quorum feſtorum tranſlationem transferantur. 16
Feſta immutata an, & quæ ſecum trahant indulgentias. 105
Feſtum Lanceæ Germaniis cum indulgentiis conceſſum. 81
Conceſſæ pro feſtis SS. Nominum Jeſus, & Mariæ. 150
Quæ olim, & quæ nunc ſint conceſſæ pro feſto, & octava Corporis Chriſti, & quando, & a quibus acquiri queant. 39
Quæ, & quales conceſſæ pro feſto, & octava Conceptionis, & an nunc vigeant. 48
Conceſſæ pro feſto Præſentationis, ignorantur. 49
Indulgentiæ pro officiis additiis. 171
Acquiruntur, etiam quando pridie poſt Completorium recitantur. 150. 171
Ritum officii non alterant. 150
Nec ob eas quid in officio omitti valet, licet poſtmodum ſupplendum. 149
Contentæ in Bullis Benedicti XIII. revocatis, revocatæ non ſunt. 159
Tertiarii indulgentiarum adhuc participes. ibid.

Initia Sacræ Scripturæ.

In proprio die impedita, in ſequentem transferuntur, & hac impedita, in præcedentem. 128
In paritate impedimenti dies ſequens ſemper eſt præferenda, & quomodo. 129
In præcedentem hebdomadam numquam transferuntur, in ſequentem, quando. ibid.
Initium aliud occurrens quomodo, & quando impediat præcedentis poſitionem. 128
Dum plura initia ſimul ponuntur, dicitur una tantum lectio, & quomodo. ibid.
Si ſolum duo initia ponantur, unius duæ legantur, & cujus. ibid.
Plura tribus initiis eadem die poni nequeunt. ibid.
Si omnia initia poni nequeunt, ponuntur in feſtis, etſi habeant lectiones proprias. ibid. &c.
Quæ feſta ſint excipienda. ibid.
Singulæ Epiſtolæ S. Pauli diverſos conſtituunt libros. ibid.
Earum initia quælibet in caſu impedimenti transferenda. ibid.
Idipſum eſt de Epiſtolis S. Petri, & S. Joannis. ibid.
Eſtheris initium anticipandum in feria quinta, dum propria Dominica impeditur. 127
In caſu quæ lectiones in ſequenti feria ſexta, & Sabbato. ibid.
Quid de initiis Epiſtolæ B. Jacobi, aut S. Joannis, vel Apocalypſis ob occurrentiam SS. Philippi, & Jacobi, aut Joannis ante Portam latinam. ibid.
Vide V. *Dominicæ poſt Epiphaniam quoad libros Scripturæ*. V. *Machabæi &c.*

Inſtitutor Religionis.

Ejus de præcepto non eſt apud reſpectivum Ordinem. 14. &c.
Sibi vindicat ſuffragium, & quibus in officiis. 75
Tacendum tamen eſt in officiis de eodem. 76
Nec illius loco aliud poteſt ſubſtitui. ibid.
Ejus nomen in Litaniis addi non poteſt, nec in Confiteor, niſi a quibus. 134
Nec *Patris* agnomen tribui poteſt in orationibus. 137
Limitationes. 134

Invitatorium.

A Monachis trahit originem. 123
Nullum olim in officio. ibid.
Diebus tantum Dominicis dici cœptum, & cur. ibid.
Paſſionis tempore quoties dicendum. ibid.
Quid de invitatorio Epiphaniæ, & ejus octava. 62

S. Joachim.

Verum ejus nomen. 108
Antiquitas cultus. ibid.
Quinam author officii. ibid.
Nunc ſub duplici majori celebrandum. ibid.
Quænam lectiones in primo nocturno. ibid.
Nunc Dominicæ, & cui, & cur addictum. ibid.
Transferendum in caſu impedimenti. ibid.
Num nona lectio octavæ jungi debeat. ibid.
Quæ ſint ſervanda in ejuſdem officio, & Miſſa. ibid.
Ejuſdem feſtum nonne in præcepto, & quomodo. ibid.
Populo non annuntiandum inter feſta mobilia. ibid.

Joannes Baptiſta.

Angelis poſtponendus, Apoſtolis præferendus. 100
In omnibus & præferendus S. Joſepho. 110
Limita pro Decollationis feſto, & cur. 54. 91. 92
Vide *Nativitas S. Joannis Baptiſtæ*.

S. Joſeph.

Ejuſdem indubiæ laudes. 9
Pridem in Eccleſia vix excultus, & cur. 108
Cultus ejuſdem a quibus traductus in occidentalem Eccleſiam, & quomodo auctus. 109
Quo in ſenſu dici queat *Patriarcha*, & *Propheta*. 110
In Litaniis ubi olim invocatus, & nunc invocandus. 109. &c.
Ex litaniis haud eruitur ejus præferentia ſuper Apoſtolos. ibid.
De confeſſorum claſſe ſemper eſt agnitus. ibid.
De jure poſtponendus Apoſtolis. 110
Ex privilegio nunc præponendus. ibid.
In occurſu, & concurſu. ibid.
In oratione *A cunctis*, & ſuffragiis. ibid.
Et verum id eſt etiam de feſtis ſecundariis. ibid.
In omnibus tamen cedit S. Joanni Baptiſtæ. ibid.
Quando, & a quo fuit in Kalendarium invectus. 109
Quale olim, & nunc ejus officium. ibid.
Quid circa antiphonam, & hymnos præſtari debeat, dum ejus impediuntur veſperæ. ibid.
Ejuſdem Patrocinium olim in paritate ritus cedebat Apoſtolis. ibid.
Nunc præferendum. 110
Quando transferri, vel omitti debeat. 80. 109
Primarium ejus feſtum quando, & a quo in præcepto conſtitutum. 9
Num poſt Urbanum VIII. ſit in præcepto, ubi non fuit receptum. 8
Incidens in Cœnam Domini, transfertur quoad ſolum officium, & in quam diem. 9
Quid in caſu ſit ſervandum. Vide *Feria V. in Cœna Domini*.
Poſtponendum Annuntiationi in repoſitione. 9. 104
Etiam quando hæc quoad ſolum transfertur officium. 104
Privilegium nullum prioris repoſitionis eidem fuit factum. 105

K

Kalendarium.

ALiud plebejum, aliud pro directione officii. 168

In hoc apponi non poſſunt Beatorum nomina, quorum, & in quo ſenſu 168
In illo nil vetat apponi, & quem ad effectum. *ibid.*
Inſtituto pro officio poſt Bullam Pii V. addi non poſſunt officia, nec conceſſorum mutari ritus. 144
Aut in eo fieri variatio aliqua. 146. *&c.*
Et id neque pro una vice. 145. 147
Limita pro Romano ritui addictis, 145
Quid de adſtrictis ritui alteri. *ibid.*
Officia perpetuo translata olim immutari in eo non poterant. 146. *&c.*
Nunc poſſunt immutari inconſulta Sede Apoſtolica. 104
An officia in eo induci, vel ritus alterari queant ob legata, indulgentias, ſolemnitatem &c. 148. 149. 150
Bullæ Pianæ tempore plura ſacta ab eo expuncta. 166

Kalendarium ſequendum.

Qui ſunt de gremio alicujus Eccleſiæ, hujus Kalendarium ſequi non valent. 154. 155. 156. *&c.*
Bene, ſi & ejuſdem choro ſint obligati. 158. *&c.* 155. 156
Et hi, etſi choro non interſint. 155. *&c.*
Et quocumque modo ſint obligati. *ibid.*
Et ſive Sæcolares ſint, vel Regulares. *ibid.*
Quid de iis, qui pro una, vel altera vice tantum choro tenentur, vel interſunt. 156
Quid de Regolaribus ob occupationes non intereſſentibus. 155
Quod Kalendarium ſequi debeat choro non adſtrictus. 156
Solum ſervitio Eccleſiæ addictue. 155
Ordinatus ad titulum patrimonii. 156
Abſens a propria Diœceſi. *ibid.*
Peregrinationem ſuſcipiens. *ibid.*
Prælatus Regularis Religionem viſitans. *ibid.*
Supplens vices adſtricti choro. *ibid.*
Huic præſentem voluntaria ſe conſtituens. *ibid.*
In diœceſi conſtitutus, ſed extra Dominium poſitus. 159
Vide V. *Epiſcopi*, *Cappellani*, *Commenſales*, *Tertiarii*, *Regulares &c.*

L.

Lancea Chriſti.

UBI aſſervetur. 81
Ejuſdem hiſtoria. *ibid.*
Feſtum de eadem apud Germanos inſtitutum. *ibid.*
Cur feriæ ſextæ, & paſchali tempori addictum. *ibid.*
Non alicui ſtatæ, ſed primæ non impeditæ poſt Dominicam in Albis. *ib.*
Intransferibile extra paſchale tempus. *ibid.*
Quæ feriæ ſextæ repoſitioni ejuſdem utiles. 81
Præferendum translatis. *ibid.*
Quid, ſi omnes feriæ ſextæ ſint impeditæ. *ibid.*
Rubrica de ſpinea corona eidem accommodata. *ibid.*

Laudes.

Cur, & unde ſic dictæ. 532
Hora diſtincta a Matutino. 158
Qua hora olim recitatæ, & quomodo junctæ cum illo. *ibid. &c.*
Canonicum earum tempus. 122
Sero præcedenti dici queunt, a quibus, & quibus de cauſis. 138
Ao ſeparatim a Matutino, & quid in caſu. 522. *&c.*
Quomodo olim recitatæ, & nunc recitandæ. 132
Quid de precibus. *ibid.*
Cur dictæ *Matutinæ Laudes.* 555

Lauretana Domus.

Unde ſic dicta, & quoties translata. 100
Translationis officium quando primum conceſſum, & extenſum. *ibid.*
Diei 10. Decembris cur addictum. *ibid.*
Cur plura in eo ex Dedicatione Eccleſiæ deprompta. *ibid.*
Cur refugiat commemorationem octavæ Conceptionis. *ibid.*
De præcepto, etiam apud Regulares, in Dominio Eccleſiaſtico. *ibid.*
Sub ritu duplici majori recitandum. *ibid.*

Laus tibi, Domine.

Dicitur loco *Alleluja* in principio horarum a Septuageſima ad Paſcha. 124

Lectio nona ſimplicis.

In quibus, & quando legenda. 530
Locum habet in Dominica in Albis, & vigilia Pentecoſtes. *ibid.*
Item in Adventu in feſto 9. lectionum. *ibid.*
Et quidem licet ſimul occurrat aliqua vigilia. *ibid.*
Item in Dominicis vacantibus, & in vigilia S. Joannis, quando anticipatur quoad ſolum jejunium. *ibid.*
Quando ſimplex duas habet lectiones, ad modum unius legendæ. *ibid.*
An, & quoties octava, & nona lectiones officii jungendæ. *ibid.*

Lectiones.

A Monachis invectæ, officio non coævæ, quando, & quomodo Romæ legi cœptæ. 524. 155
Olim Miſſæ reſervatæ, poſtea interjectæ ſingulis pſalmis. 155
Petebantur ex Scriptura, legebantur ex codice uſque ad libri finem, & ſine titulo ſemel eo enuntiato. *ibid.*
Poſcebatur legendi venia, hinc origo *Jube*, & cur ad lectiones ſingulas. 154. 125
Earum finis Præpoſiti arbitrio erat commiſſus, & hinc origo *Tu autem*. 125
Lectionaria inde inducta, & cur. *ibid.*

Lectiones 1. nocturni.

Erant olim ex veteri teſtamento. 129
Nunc libri utriuſque teſtamenti per annum diſtributi, & continentes, ut olim, cur non legantur. 125
Hi locum non habent in duplicibus majoribus, 1. vel 2. claſſis, ſed lectiones propriæ leguntur, vel de communi. *ibid.*
Pro Sanctorum communia aliæ ſunt diſtributæ, & legendæ, quando deficit Scriptura. *ibid.*
Non cenſetur Scriptura deficere, quoties initium alicujus libri eſt ponendum. 127
In defectu propriarum ex communi item legendæ in duplici majori, 1. vel 2. claſſis. *ibid.*
Id limita, ſi alias initium libri vacaret, & quibus ſolum in caſibus. 127. 128

Lectiones *Sapientiam* officiis duplicibus Doctorum latinorum ſemper tribuendæ, ſecus græcorum. 156
Græcorum in defectu Scripturæ. *ibid.*
In hujus defectu etiam officiis omnium, in quibus legitur *In medio*, & *O Doctor*, ſecus, ſi ſolum *In medio*. *ibid.*
Pro quibus Confeſſoribus uſurpandæ *Juſtus ſi morte*, aut *Beatus vir*. *ibid.*
Pro quibus lectiones *De Virginibus*, & *Confitebor*. *ibid.*
Ex titulo feſtivationis non debentur feſto lectiones de communi. 8

Lectiones 2. nocturni.

Sermones SS. Patrum ſuper Scripturam 1. nocturni olim legebantur. 129
Acta Sanctorum ad Miſſam ſolum recenſebantur. *ibid.*
Quo tempore in 2. nocturnum invectæ. *ibid.*
Quæ verba ſint expungenda a lectionibus S. Margaritæ. *ibid.*
Quæ ſint de communi variandæ, quando Martyres transferuntur ad non paſchale, vel paſchale tempus. *ibid. &c.*
Quando plures ſit de eodem Sancto, an, quoties, & quomodo variandæ. 77

Lectiones 3. nocturni.

Ex novo Teſtamento legebantur olim, ſed non ex Evangelio, quando ex hoc legi cœptum, & cur quoad ſolum initium. 129
Mutantur in iis temporis paſchalis, quando martyres ad tempus paſchale transferuntur, & a contra. *ibid.*
Limita, ſi habeant lectiones proprias, vel appropriatas. 130
Si diverſæ de eodem feſto aſſignentur, Regulares ſequantur proprium Breviarium, non Kalendarium diœceſis. *ibid.*
Limita, ſi feſtum ſit pure Diœceſanum. *ibid.*
Quando plures ſit de eodem Sancto, an, quoties, & quomodo variandæ. 77

Lectiones Dominicarum privilegiatarum.

Quoties impediuntur per feſtum primæ claſſis, reponendæ in feriis, vel in feſtis, & in quibus. 157. *&c.*
Fallit hoc in Dominicis Adventus, & cur. *ibid.*

Lectores.

Subdiaconi, aliique inferiores Clerici muneri lectiones legendi addicti. 115
Vel initiati ſola tonſura. *ibid.*
E ſuggeſtu illas legebant, & cur. *ibid.*
Suggeſtus *Jube* cur dictus. *ibid.*
Prius veniam petebant, & cur ad ſingulas lectiones. 514
Legebant ex codice ad Præpoſiti arbitrium, nunc cur ſex Lectionariis. 155

Legata Defunctorum.

Haud valida invehere officium, vel jam conceſſum alterare. 148
Quomodo in caſu iiſdem ſatisfaciendum. *ibid.*
An præſcriptum, dici queat ultra occurrens. 549. *&c.*
An item publice decantari. *ibid. &c.*
Iiſdem ſatisfit per officium alias debitum, & quando. *ibid. &c.*
Secus vero per Miſſas aliunde debitas. *ibid.*
Quid, ſi officio delegerint diem alteram ab ea Breviarii. *ibid.*
Quid, ſi officium poſtmodum inducatur in Breviarium altera die. 150
Num ſi officium in Breviario tradatur diei alteri, ſecum trahat legatum. *ibid.*
Num feſtum perpetuo impeditum, immotari queat in diem legati. *ibid.*
Quæ mutari queant in legatorum ſatisfactionem. 148. *&c.*
Nec quid minimum officio propterea addi valet. 152

Legendæ Sanctorum.

Quo tempore in officium inductæ. 159
Quæ in iiſdem vitanda. 153
Quæ de novo conceduntur, non imprimendæ ſine licentia, & quorum. *ibid.*
Cum deficiunt approbatæ, ex communi ſupplendæ. *ibid.*
In valido nec ſunt ſtatu præviæ ad Bullam Pianam. *ibid.*
Cum extenduntur, cur reviderl ſoleant. 154
In officiis votivis, quæ repetuntur, quando variandæ, & quomodo. 77

Litaniæ Sanctorum.

De præcepto recitandæ, & quibus diebus. 175
Pridie poſt Completorium anticipantur licite. *ibid.*
Nec publica de cauſa iiſdem quid addi poteſt. 146
In iiſdem S. Joſeph ante Apoſtolos olim recenſitus, & nunc recenſendus. 109
Sancti Evangelici, & veteris legis prius iis novæ legis recenſentur. *ib.*
An, & ex quorum priori recenſione eruatur præferentiæ titulus. *ibid.*
Litaniæ pro commendatione animæ invocant SS. Abel, & Abraham ante Apoſtolos. *ibid.*

M

Machabæi.

CUR ſoli in occidentali Eccleſia cum officio exculti. 107
Eorum acta anticipanda, & in quibus diebus, quando locum non habent. 126
Si aſſignati dies ſint impediti, omittenda & quæ. 127
Ex libito quomodo uniri, & recitari queant. *ibid.*
Impedita in propria hebdomada, quomodo reponenda. 126

Magi.

Unde profecti, & quot dierum ſpatio iter perfecerint. 62
Eorum adoratio commemoratur in die Epiphaniæ, & an in ea evenerit. *ibid.*
Eorum promptitudinem deſignat omiſſio invitatorii die Epiphaniæ. *ib.*
Quomodo eorum nomina dicatur infra octavam. *ibid.*
Cur Herodes occiderit infantes a bimatu, & infra. *ibid.*

B. Maria.

Sub Cruce non dubitavit de Filii divinitate. 82
Nullum ſpaſmum paſſa, & quo pacto nonnunquam dicatur *de Spaſmo*. *ib.*
A Concilio Conſtantienſi in memoriam anguſtiæ, & dolorum ejus feſtum inſtitutum. *ibid.*
Pro feria VI. poſt Dominicam *Jubilate*, & quænam hæc ſit, & cur. *ibid.*
Allegorice figurata in muliere, quæ dum parit, triſtitiam habet, & cum peperit, non meminit preſſuræ. *ibid.*

An

An ſub cruce fleverit. 83
Validiſſima ejuſdem interceſſio. 100
An ſolum ſponſa, vel etiam, & quando uxor Joſeph. 101
Qua in ſenſu in nonnullis ejuſdem feſtis retineatur in hymnis, & ad Primam verſus *Qui natus*. 102
Etſi non teneretur, implet purificationis legem. *ibid.*
Cur Sabbatum eidem dicatum. 104
Inter antiphonas majores olim etiam antiphona de eadem. 133
Mariæ nomen olim fœminis non conſuetum imponi. 138
Sanctæ, quibus Mariæ nomen, etiam in orationibus cum addito nominandæ. *ibid.*
Ave maris ſtella dum impeditur, omiſſioni obnoxius. 141
Quo pacto dicatur *Mater miſericordiæ, vita dulcedo, & ſpes noſtra*. 142
Officia Deiparæ, ſub ritu duplici abſolute conceſſa, ſunt duplicia minora. 161
In ejuſdem honorem olim pauca feſta inſtituta, nunc plura, 100
Cur fiat ſuffragium de eadem. 215
Cur ſola ejuſdem Aſſumptio cum jejunio præveniatur. 31
Hac in feſtivitate incidente in feria VI. olim permiſſus carnium eſus. *ib.*
Cur verſui *Et benedictus fructus ventris tui* in ſalutatione angelica, non in officio addatur *Jeſus*. 152
Cur in antiphona *Poſt partum*, etiam in officio votivo Conceptionis, dicatur *inviolata*, non *Immaculata*. *ibid.*
Cur eadem antiphona in aliam mutetur in Adventu, & Annuntiatione, ac Conceptione. 102
Quo in ſenſu retineatur in feſto Nativitatis. *ibid.*
Ejus feſta in paritate ritus vi Rubricarum ceteris præter Domini præferenda in repoſitione, & concurſu. 91. 94. 105
Iidem dies octavæ ejuſdem in concurſu. 52. 53. *&c.*
Cetera vide ſub reſpectivis feſtivitatibus & verbis.

Maria Magdalena.

Cur cum cognomine Patriæ etiam in orationibus exprimatur. 138
Hymnus *Pater ſuperni*, cum impeditur, ſubſtituendus ad matutinum. *ibid.*

Martyrologium.

Ejuſdem uſus apud antiquos Monachos, & quid de verſu *Pretioſa*, &c. 135
Romanum legendum, & cur illud ſequentis diei. *ibid.*
Prænuntiandi Sancti, qui in ſequenti die habent officium. *ibid.*
Nedum occurrentes, ſed etiam fixe eidem aſſignati. *ibid.*
Hi annuntiandi cum brevi elogio, & quali. *ibid.*
Non varianda diſpoſitio Martyrologii Romani pro Sanctis apud Eccleſias particulares fixis, & quomodo adhuc quadret. *ibid.*
Etiam tranſlati, nuntiari queunt, & quo elogio. *ibid.*
Quid de tranſlatis a die aſſignata. *ibid.*
Quando nuntianda feſta, quæ juxta locorum uſum alia die celebrantur. *ibid. &c.*
Annuntiandæ vigiliæ. 136
Etiam quæ a jejunio, vel officio excidere. *ibid.*
Et cum præferentia ad feſta. *ibid.*
Dum vigilia S. Matthiæ incidit in feriam 4. cinerum, quænam prius annuntianda. *ibid.*
Non anticipatur annuntiatio vigiliæ, dum incidit in Dominicam. *ib.*
Cur officium Dominicale, vel feriale non annuntietur. *ibid.*
An dies octavæ, quæ, & an præcedenter ad feſta, de quibus officium fit, annuntiandæ. *ibid.*
Quid de octavis, & vigiliis mobilibus. *ibid.*
Feſta particularium locorum, etiam ſecundaria recenſeri queunt, quo ordine, & loco. *ibid.*
Etiam Beatorum, licet non in Martyrologii textu deſcribi, ſed ſolum ſeparatim. *ibid.*
Deſcriptio cultum importat, & qualem. *ibid.*
Quæ primo loco recenſentur, omittenda in corpore, ſi adſint. 137
Quo elogio particularia feſta recenſenda. *ibid.*

Matutinum.

Nomina ejuſdem varia. 121
An, & quomodo hora diſtincta a laudibus. *ibid.*
In tribus noctis vigiliis olim celebratum, & quando. *ibid.*
Cœptum recitari ſe mutantibus clericis. *ibid.*
Junctim cum laudibus, cur, & qua hora. *ibid. &c.*
Quale nunc canonicum ejuſdem tempus. 122
Extra debitum tempus apud Cathedrales regulariter recitatum. *ibid.*
A Sæculari Clero *albeſcente die* poteſt recitari. *ibid.*
Adhuc tardius, & quibus de cauſis. *ibid.*
Num ex Epiſcopi diſpenſatione ſero præcedenti. *ibid.*
Num in publica pſalmodia ſeparari queat a laudibus. *ibid.*
Num nocturni ſeparatim dici. *ibid.*
Te Deum an ad matutinum, vel ad laudes ſpectet. 123
Cum ſeparantur, quæ præmittenda, & quæ ſubdenda. *ibid.*
Sero præcedenti recitari poteſt cum laudibus. 122
Hora tamen tertia poſt meridiem elapſa. *ibid.*
Quomodo id ſit intelligendum. *ibid.*
Quæ cauſa ſufficiat, & requiratur ad hanc anticipationem. *ibid.*
Cur veſperæ potuerunt ulterius anticipari. *ibid.*
Cur horæ reliquæ ſero præcedenti dici nequeant. *ibid.*
Privatim ſejungi poteſt a laudibus. *ibid.*
Etiam nocturni, & qua mora. *ibid.*

Meratus.

Refellitur. 16. 20. 21. 23. 24. 26. 27. 31. 33. 34. 35. 40. 59. 84. 90. 93. 94. 110. 113. 133. 136. 144. 145. 147. 166. 168
Sibi contrarius. 20. 21. 23. 26. 35. 90. 93. 110. 133. 168
Gavantum deſerit. 24. 35. 66. 88. 161
Reprehenditur in ſuis Tabulis. 20. 21. 22. 26. 133
Nimius zelus erga Gavantum. 21. 113
Miratur de Gavanto. 142
Scribit evenire impoſſibilia. 22
Injuſte Guyetum carpit. 23. 35
Iniuſtitiam ſuam incaute fatetur. 34. 35
Trunce producit Decretum. 25. 34. 72. 144
Ejus reſponſio non plene ſatisfacit. 33. 83
Sententia ſeipſo indigna. 94. 95
Decreti mentem non eſt aſſecutus. 135
Deficit in data Decreti. 31. 105
Elegantius Decreti expoſitio, & deferenda ea Indicis. 79

Meſſias.

Per antiphonas O adjuratur, ut ad nos redimendos venire feſtinet. 132
Eædem antiphonæ quæ de Meſſia efferant. *ibid.*

Minimorum Ordo.

An nomini ſui Inſtitutoris in orationibus addere queat *De Paula*. 138
Ejuſdem Canonizationis feſtum recolit die 4. Maji. 268

Miſerere pſalmus.

Olim dictus in fine laudum. 132
In Chrodogandi regula ad Primam ante confeſſionem dici præſcriptus. 134
Cur ex eodem plures verſus precibus inſerti. *ibid.*

Miſſæ ſacrificium.

Antiquitus non prætermiſſum in Sanctorum feſtivitatibus. 2
Soli Deo offertur, & cur adhuc *in honorem Sanctorum* celebrari dicatur. 2
Cur nullum offeratur in Paraſceve. 11
Miſſa, quæ dicitur, an Miſſa ſicca, vel præſanctificatorum, & earum diſcrimen. *ibid.*
A Græcis Annuntiationis feſtum adhuc in quadrageſima cum perfecto Miſſæ ſacrificio diſtinctum. 12

Miſſæ audiendæ præceptum.

Unde origo eius, & qualiter obliget. 2
Non obligat incidente feſto de præcepto in Paraſceve, & quidem nec ad audiendam Miſſam, aut intereſſe officio illius diei. 12
Quid, ſi feſtum incidat in Sabbatum Sanctum. 14
Quando feſta immutantur quoad forum, una dictum transfertur præceptum. 13
Secus, quando ſolum immutantur quoad chorum. 15
Idipſum eſt, quando transferuntur. 9

Miſſæ duæ cantandæ.

In vigilia, aut feriis Quadrageſimæ, vel quatuor Temporum per feſtum novem lectionum impeditis. 32. 35
Item iiſdem impeditis per diem infra octavam privilegiatam. 34
Item in vigiliis Adventus ut ſupra impeditis. 35
Pariter in iiſdem omnibus occurrentibus in feſto, licet idem Evangelium habente. *ibid.*
Item in vigilia occurrente cum Dominica anticipata. 36
Item in vigiliis incidentibus infra octavas privilegiatas, ſecus non privilegiatas. 33. *&c.*

Miſſæ duæ non cantandæ.

In Dominicis per feſtum impeditis, aut in feſto anticipatis. 21. 35
Neque in vigilia incidente in aliam vigiliam, aut Quadrageſimam, vel quatuor Tempora. 33
Neque in vigilia infra octavam non privilegiatam. 33. *&c.*
Neque in vigilia cadente in duplici 1. claſſis. 32
Neque in vigilia Epiphaniæ per feſtum impedita. 35

Monachi.

Per invitatorium mane expergefacti. 123
Ab ipſis *Jube* profectum. 124
Lectiones in officium inductæ. *ibid.*
Inſtituta Hora Prima. 134
Hujus mutuatæ preces, atque Confeſſio, quæ fit inter ipſas. *ibid.*
Quomodo ad Primam, & Completorium Confeſſio apud ipſos fieret. 135. 142
Officium Capituli ab iiſdem mutuatum. 134
Quomodo ad Capitulum procederent, & cur verſus orientem conſiderent. *ibid.*
Quæ in eo agerent. *ibid. &c.*
Manuum operibus admodum olim dediti. 135
Cur ea intermiſerint, & quæ ſubrogaverint. *ibid.*
Necrologium nunc ab ipſis poſt Capituli officium legendum. *ibid.*
Quæ Completorium præcedunt, eorundem conſuetudinum reliquia. 142
Quæ veſpere iidem præſtarent Monachi. *ibid. &c.*
Completorium ab iiſdem inſtitutum. *ibid.*
In Dormitorio aſpergebantur. *ibid.*
Orientis Monachi quando horas minores decantarent. 138
Separatim nocturni ab iiſdem dicti. 121
Apud eoſdem veſtigium priſcæ conſuetudinis. 122
Propriis regulis relicti. *ibid.*
Quid ab iiſdem decerptum circa laudes. 132
Quid de precibus. *ibid.*

Moniales.

Ut ad Romanum tranſeant Breviarium, cujus conſenſus requiratur. 160
Pianum indultum favorabile non eſt iis, quæ Breviarium Romanum habent cum ſola additione Sanctorum indigenarum. *ibid.*

N

S. Narciſſus.

Gerundenſis an diſtinctus ab Auguſtano, & Hieroſolymitano. 163
Gerundæ cur die 18. Martii, & 29. Octobris excultus. *ibid.*
Quo ritu in Hiſpaniis celebrandus. *ibid.*

Natale Sanctorum.

Triplex illud computandi ratio. 140
Quæcumque tenta fuerit, in hymno Confeſſorum dicitur *Meruit beatus*. *ibid.*

Nativitas Domini.

Incidens in feriam VI. immunis eſt ab abſtinentia carnium. 30
Limita pro voto adſtrictis. *ibid.*
Quale olim ejus pervigilium. *ibid.*
Infra octavam ſemper antiphonæ *Tecum principium*, & quo ritu. 27
An die 31. Decembris item dicendæ, ſi occurrat feſtum 1. claſſis. *ibid.*

Cur Feſtum S. Silveſtri, vel aliud duplex minus, aut majus occurrens, in veſperis commemoratione careat. *ibid.*
Quid de commemoratione octavarum, ſi occurrat feſtum 2. claſſis. *ib.*
Quid de veſperis, ſi ſit 1. claſſis. *ibid.*
An octava, & quoties reſpuat duplex translatum. 68
Quid de feſto S. Thomæ incidente in Dominica, ubi duplex eſt, & in caſu die 30. Decembris de quo officium. 27
Quid, ubi eſt ſemiduplex. *ibid.*
Dominica infra octavam quando ſit ex vacantibus. *ibid.*

Nativitas S. Joannis Baptiſtæ.

Occurrens in feſto Corporis-Chriſti, transfertur in ſequentem diem, licet impeditam. 15
Idem eſt, ſi occurrat feſtum majoris dignitatis. 16
Immutationis cauſæ. *ibid.*
Quibus in ea præferatur. *ibid.*
An ſecum ferat forum. *ibid.*
Quid de ejus octava, & prænuntiatione in Martyrologio. *ibid.*
Præferenda Apoſtolis, & S. Joſeph. 110
Qualis homilia in ejus die octava. 77
Vide *Vigilia S. Joannis Baptiſtæ.*

Necrologium.

Quid ſit, & ubi olim lectum, & nunc legendum. 135

Nomen.

Maſculis ab Hebræis quando imponi ſolitum. 78
Quando fœminis. *ibid.*
Quid ſit, & quomodo diſtinguatur ab agnomine, prænomine, ſupranomine, & cognomine. 138
Sanctorum in orationibus exprimendum, & quando, & quomodo. 139

SS. Nomen Jeſus.

In officio non addendum verſui & *benedictus.* 152
Chriſto quando, & a quo impoſitum. 78
Cur feſtum ſero inſtitutum. *ibid.*
Quis ejuſdem auctor. *ibid.*
Cur primum diei 14. Januarii, & poſtea Dominicæ 2. poſt Epiphaniam additum. *ibid.*
Anticipata Dominica non anticipandum, in quam diem transferendum & an ut in ſedem propriam. *ibid.*
A præcedentibus indultariis qua die celebrandum. *ibid.*
Si ſimul occurrat feſtum 2. claſſis, in quam diem hoc transferendum. *ib.*
Indulgentiæ. 150

SS. Nomen Mariæ.

Conchæ feſtum primo inſtitutum, quomodo ſublatum, & reſtitutum. 79
Ad Hiſpaniam extenſum, & cur pro die 22. Septembris. *ibid.*
Qua occaſione, quando, & pro qua die ad Eccleſiam univerſalem. *ib.*
Oblocutiones contra feſti inſtitutionem. *ibid.*
Transferibile. *ibid.*
Cedit diei octava. 50. 79
Non tamen diei octavæ Nativitatis. 50
Hujus nec commemorationem patitur. 51
Quid ſi occurrat dies octava alterius feſti B. Mariæ. *ibid.*
Quo ritu in Dominiis Auſtriacis celebrandum. 150
Indulgentiæ. *ibid.*

Nox artificialis.

In 12. horas diſtributa, & quales. 121
Hæ in quatuor partes, ſeu vigilias. *ibid.*
Harum duratio, & nomina. *ibid.*
Quomodo a veteribus orationi deſtinatæ. *ibid.*
Noctis medium. 122

O

Occurrentia.

Quid ſit, & quomodo efficiatur. 85
In quo diſtinguatur a translatione. *ibid.*
Quæ officia occurrentiam patiantur, non translationem, & quæ utramque. *ibid. &c.*
In occurſu prima ratio præferre faciens eſt ritus altior. *ibid.*
Succedit dignitas, quæ, & juxta ordinem Rubricæ *Inter feſta.* 86. &c.
Poſtea ſolemnitas, quæ, & qua ordine. *ibid. &c.*
Sequitur feſtivatio. 7
Deinde celebritas connaturalis, ſeu particularitas feſti. 86. 87. 88. 89
Et hæc, quo ordine. 89
Quid, ſi feſta habeant plurium claſſiam celebritatem. *ibid. &c.*
Succedit dignitas accidentalis. 87. 89
Noviſſimum tenet locum feſti antiquitas. 87
Privilegium Dominicarum, & dierum octavarum ſolum ſuffragatur in occurſu, non concurſu. 51

Octava.

Quid ſit, & præſtet, & unde origo ejus. 44
Antiquitas aliquarum. *ibid.*
Diſtributio in majores, & minores, diſcrimen, & celebrationis ratio. *ib.*
Minores a Pio V. expunctæ, & ſi quæ retentæ, ſupprimendæ. *ibid.*
Majores approbatæ, ſed reformatæ, & reformandæ, ubi antiquo more celebrarentur. *ibid.*
Uſus celebrandi ritu ſolemni duos dies poſt feſtum, aut diem octavam. *ib.*
Diebus infra octavam tres tantum legendi lectiones. 45
Anticipandi diem octavam, quando impeditur. *ibid.*
Transferendi octavam ad feſti translationem. *ibid.*
Terminandi primam ante feſtum alterius. *ibid.*
Nihil hujuſmodi a Romanis attentari valet. *ibid.*
Ceſſandum non eſt ab octavis, etſi de iis nulla die agi queat. 54
Ex octavis particularibus quæ probentur. 45
Quot ex univerſalibus. *ibid.*
Quæ privilegiatæ, necne, & quos eas privilegiandi modi. *ibid.*
Quænam dictæ ſint *vivæ*, & quæ *mortuæ.* *ibid.*
Inter mortuas rejiciendæ octavæ Aſſumptionis, Dedicationis, & Patroni. *ibid.*
Octavæ privilegia duplicis claſſis, & quæ competant feſtis intra eas occurrentibus. 39
Quæ Dominicis infra eaſdem, in quibus officium eſt veluti de octava. 40. 59

Octava dies in occurſu.

Etſi duplex minus ſit, præferenda etiam duplici majori cujuſcumque dignitatis. 48
Quid, ſi duplex ſimul occurrens, ſit intransferibile. 49. &c.
Quid, ſi dies octava ſit de eodem, de quo eſt feſtum. 50
Octava feſti dignioris ſecundum claſſem, præfertur octavæ feſti dignioris ſecundum perſonam. *ibid. &c.*
Quævis octava præferenda illi, cujus feſtum feſto illius cedit. *ibid.*
Fallit id ſolum, quoties feſtum præfertur ratione privilegii. 51

Octava dies in concurſu.

Quæ non eſt privilegiata, veſperas ſecat cum duplici minori. 51
Et quidem, licet ejus feſtum ſolemniter celebraretur. *ibid.*
Quid, ſi & ipſa ſolemniter celebrata veniret. *ibid.*
Solemnitas, aut ritus altior feſti in occurſu ſuffragatur octavæ, non in concurſu. *ibid.*
Dignitas & in concurſu. *ibid.*
Cur in occurſu præferatur, non in concurſu. *ibid.*
Æque hæc currunt de octavis Patroni, Titularis, & Dedicationis. *ib.*
Immo & de octavis privilegiatis. *ibid.*
Octavæ privilegiatæ cujus ſint ritus. *ibid.*
Ex cujus parte ſit teneat vis privilegii. *ibid. &c.*

Octava dies per feſtum impedita.

Impeditur ſolum per feſtum 1. vel 2. claſſis. 48
Nunquam tamen commemorationem deperdit. *ibid.*
Ejus commemoratio præferenda illi Dominicæ per annum ſimul occurrentis. 47
Immo & præcedentis, & ſequentis ſemiduplicis. *ibid.*
Si concurſus ſit cum duplici, præfertur commemoratio illius, quod remoto impedimento veſperas haberet, vel capitulum. *ibid.*
Si ſimul occurrat Dominica privilegiata, hujus commemoratio ſemper præcedit. 46. &c.
Si concurrat, præcedit commemoratio octavæ. 48

Octavæ quoad dies infra eaſdem.

Dies infra octavam ſuſcipiunt paſſivam, & activam concurrentiam. 61
Secundus ſolam activam, & ſeptimus ſolam paſſivam. 57. 61
Et ſeptimus, etſi depereat dies octavus. 57. 61
De feria in caſu debent eſſe veſperæ. 56
Cum qua die ſemiduplex occurrens infra octavam primas, & ſecundas dimidiet veſperas. 61
Ex ſemiduplicibus ſuſcipiunt ſolum a præcedenti die translata. 58. &c.
Ex duplicibus translata a quocumque die. 62
Semiduplex incidens in Dominica infra octavam, reponendum in feria immediate ſequenti non impedita. 58
In excluſionem aliorum ſemiduplicium prius translatorum. *ibid.*
Etiam duplicium 1. claſſis prius, vel ſimul translatorum. 58. 59
Cur id privilegii factum ſit, & competat ſemiduplici, & non duplici. 58. 59
Idem juris habet ſemiduplex occurrens in feſto habente octavam. 59. 64
Vel in quocumque feſto alio infra octavam. 59. 66
Idipſum eſt de ſemiduplici infra octavam immutata. 60

Octava dies incidens in Dominica privilegiata.

Primæ veſperæ ſunt de Sabbato a capitulo Dominicæ cum commemoratione diei octavæ, ſi actum eſt præcedenti die de octava. 45. &c.
Si actum ſit de feſto, hoc dimidias habet veſperas, ſi ſemiduplex; integras, ſi duplex. 46
Si de feſto agatur in ſequenti feria, & duplex ſit, integras habet veſperas, ſi ſemiduplex, ſolam commemorationem. *ibid.*
In utroque caſu ſit commemoratio diei octavæ. *ibid.*
In caſu præcedentis duplicis commemoratio octavæ primas cedit illi de Dominica. *ibid.*
Item in caſu ſequentis duplicis. *ibid.*
Si ſemiduplex præcedat, ſit hujus commemoratio ante eam octavæ. *ib.*
Si ſequatur, poſt eam octavæ. *ibid.*
Si Dominica ſit impedita per feſtum 1. claſſis, adhuc Dominicæ commemoratio ante eam octavæ. *ibid.*
Secus eſt in concurſu, in quo dies octava aut veſperas, aut priorem habet commemorationem. 48
Et hanc, licet dies octava impedita foret. *ibid.*
De quo ſint, aut quomodo regulandæ veſperæ, ſi die octava per Dominicam impedita, in præcedenti Sabbato actum ſit de ejus feſto. 54

Octavæ in diebus inhibitis.

Quibus temporibus ſint vetitæ. 54
Cur a die 17. Decembris ad Nativitatem, & quomodo ea die ceſſandum ab inceptis. *ibid.*
Cur a Nativitate ad Epiphaniam. *ibid.*
Ab octava Epiphaniæ non repelluntur. *ibid.*
Cur a vigilia Pentecoſtes ad Trinitatem. 55
Num repellantur a vigilia Pentecoſtes. *ibid.*
Quando, & quomodo ceſſent in præcedenti feria. *ibid.*
Cur in Quadrageſima fuerint vetitæ. *ibid.*
Admittuntur in hac octava ex conſuetudine, & quæ. *ibid.*
Etiam ex privilegio. 56
In feria IV. Cinerum nihil prorſus de die infra octavam. *ibid.*
Neque de die octava. *ibid.*
Idipſum eſt in Dominica Paſſionis. 57
In feria IV. Cinerum locum habent preces flexis genibus, ſuffragia, officium B. Virginis, & Pſalmi Graduales. 56
Idem eſt in Dominica Paſſionis quoad preces Dominicales. 58
Si dies infra octavam dictis diebus occurrat, de quo primæ ſint veſperæ. 56. &c.
De quo, ſi dies octava. 57
De quo ſecundæ, ſi occurrat in iis dies infra octavam. *ibid. &c.*
An, & quando in iiſdem veſperis, & completorio locum habeant ſuffragia, & preces. *ibid.*
Quid quoad ſuffragia, & preces, ſi occurrat dies octava, & præcedenti die actum ſit de feſto ſemiduplici. *ibid.*

In

In hebdomada Paſſionis locum habent octavæ. 57
Secus in Dominica Palmarum, & ſequentibus feriis. 58

Octavæ dies Domini.

Dies octavæ Epiphaniæ, Paſchatis, Aſcenſionis & Corporis Chriſti ſunt ritus duplicis minoris. 60
Cur nihilominus in Directoriis notentur duplices majores. *ibid.*
Quibus in concurſu præferendæ. *ibid.*
Quid ſentiendum de aliis Domini diebus octavis. *ibid.*

Octavæ dies B. Mariæ.

In concurſu cum duplici minori integras habent veſperas. 52. 53
Non vi privilegii, ſed Rubricarum. 52
Cur non item dies infra octavam in concurſu cum ſemiduplici. *ibid.*
Quid, ſi concurſus ſit cum duplici majori. 53
Aut cum duplici minori, ſed majoris dignitatis. *ibid.*
Quid, ſi cum feſto, aut altera die octava Deiparæ. *ibid.*

Octavæ dies Angelorum, & Apoſtolorum.

Uti eorum feſta, ita dies octavæ vi Rubricarum duplici minori in concurſu præferenda. 52. 53
Limita, ſi concurſus ſit cum duplici majori, vel majoris dignitatis. 53
Quid, ſi concurſus ſit cum feſto, vel die octava de eodem ſubjecto. *ibid.*

Octavæ quoad translationem.

Uſus transferendi octavam ad feſti translationem. 45
A Romanis quid ſimile attentari non valet. 45. 85
Limita, ſi habeant privilegium, non conſuetudinem. 45
Si feſtum transferatur poſt octavam, nil penitus de octava, ſi infra octavam, cum reſiduo octavæ. *ibid.*
Quid in 2. veſperis, ſi feſtum transferatur in diem præcedentem diem octavam. 54
Ex feſtis alteri diei affixis, quæ ſecum ferent octavam. 54. 55. 17. 205

Officia votiva.

Quæ ſint. 69
An commendabilia, & quoties fiant legitime. *ibid.*
Ad quam officiorum claſſem attineant. *ibid.*
Quomodo *votivorum* appellatio iiſdem competat. *ibid.*
Omitti queunt cauſa faciendi de officiis ad libitum. *ibid.*
An, & quæ hac de cauſa omiſſa, poſſint, vel non poſſint amplius recitari. *ibid.*
Quæ ſunt ſemel, vel pluries in ſingulis hebdomadis, vel menſibus conceſſa, locum non habent in Adventu, & Quadrageſima. 73
Nec in feriis quatuor temporum. *ibid.*
Nec in vigiliis, etiam non jejunatis. *ibid.*
Nec in feria 2. Rogationum. *ibid.*
Nec in qua anticipatur officium Dominicæ. *ibid.*
Et quidem, licet Indulta horum temporum exceptionem non faciant, vel ſolum aliquorum. 60. 74.
Quinimo ſive dicta officia ſint pro die non impedita vage conceſſa, ſiva ſtatæ feriæ adſcripta. 74
Et quibuſcumque fuerint indulta. 72
Limita in officiis, de quibus aliter deciſum, vel declaratum foret. *ibid.*
In innixis conſuetudini antiquiori Bulla Piana. *ibid. &c.*
Item moderniori, dummodo induſta ante annum 1682., & indultum alicujus ex dictis feriis mentionem non agat. 74
In officiis, quæ vi conceſſionis præferentur translatis, & quando. 73
Aut de præcepto. *ibid.*
In aliquoties in anno, vel cum menſium exceptione conceſſis. 73
Secus in conceſſis cum exceptione alicujus hebdomadæ, vel Adventus, aut Quadrageſimæ. *ibid.*
Quæ inhibitio in integrum claudit & officia cum nulla temporum, vel ſolum aliquorum exceptione poſterius conceſſa. 76
Vel expreſſa cum defectuoſa relatione ejuſdem inhibitionis. 75
Eadem officia cedunt translatis. 71. 74
Fallentiæ. 74
Cedunt etiam diebus octavis, & infra octavam, licet omitti deberent, aut duplicia forent. 70. 74
Quæ ſint libera, & quæ neceſſaria quoad diem. 74
Libera pro arbitrio reſervari, aut poni queunt, quando de feſto ſimplici, aut de B. Maria in Sabbato foret agendum. *ibid.*
Idipſum eſt, quando dici deberet Defunctorum officium. *ibid.*
Quinimmo & in feriis longioribus. 75
Iis in caſibus quomodo ſit procedendum. *ibid.*
In iiſdem officiis ponendis neceſſario ſervandus non eſt ordo dignitatis, aut ritus. *ibid. &c.*
Œconomia, quæ in eorum recitatione rite ſervatur. *ibid.*
In iis, quæ duplici ritu ſunt conceſſa, locum non habent Sanctorum ſuffragia. *ibid.*
Quale officium in iiſdem recitandum. *ibid.*
Quæ lectiones, dum pluries de iiſdem agitur. *ibid.*

Officia Dominiorum.

Ad quam officiorum claſſem attineant. 67. &c.
Acceptata, quomodo ſint de præcepto, & transferibilia. *ibid. &c.*
An, & quæ transferibilia ex iiſdem dici mobili affixis. 80
Conceſſa ad Principum inſtantiam, non continuo ab omnibus ſubditis recitanda, ſed ſolum ad tenorem indulti. 97. &c. 102. &c.
Quando, & quomodo poſſint, aut debeant celebrari in die Kalendarii Romani. 99
Ceſſant in hac, quando alia die celebrantur. *ibid.*
Recitanda extra Dominium, & a quibus. 155
Non recitanda intra Dominium ab iis, qui in ſpiritualibus non parent Epiſcopo Dominii. 159
Recitanda ab iis, qui parent Epiſcopo Dominii, licet ipſi ſint extra Dominium. *ibid.*

Officia recenter conceſſa.

Celebrari queunt, ſi conceſſionis notitia opportune perveniat, ſecus, ſi inopportune. 163
Opportune pervenit, ſi ante diem, cui ſunt affixa. *ibid.*
Item ſi ante diem, in quam eo anno deberent transferri. *ibid.*
Inopportuna, ſi poſt eaſdem dies. *ibid.*
Si perveniat Directorio jam impreſſo, eorum celebratio non in præcepto, ſed in cleri arbitrio. 136

Officia addititia.

Quæ officia veniant eorum nomine. 170
Vide *Officium parvum B. Mariæ*, *officium Defunctorum*, *Litaniæ Sanctorum*, *& Pſalmi Graduales*, *& Pœnitentiales*,

Officiorum Indulta.

Alia terminis præceptivis conſtant, & invehunt officia de præcepto. 67
Alia terminis præceptivis, & facultativis, & itidem ſignant officia de præcepto. *ibid.*
Alia terminis facultativis cum notula *ad libitum*, & inducunt officia ad libitum. *ibid.*
Alia terminis facultativis, & hæc ſi Eccleſiæ univerſali ſint facta, notant officia ad libitum. 68
Si Dominiis, vel Eccleſiis particularibus, officia de non præcepto. 67
Vide *Feſta de non præcepto*.

Officiorum approbatio.

Quem virum expoſcat. 153
Ejuſdem neceſſitas, & quæ cavenda. *ibid.*
Reſpectivis Prælatis olim commiſſa. *ibid.*
Apoſtolicæ Sedi nunc reſervata. *ibid.*
Si approbata deſint, ut in communi recitandum. *ibid.*
Nec conſuetudo antiquior Bulla Pii V. potis eſt tueri non approbata. *ibid.*
Nec ſufficit, digna ſint approbari. *ibid.*
Officia non approbata ſunt damnata, & in quo ſenſu. *ibid.*
Etiam quæ in particularibus locis leguntur, debent eſſe ut ſupra approbata. 154
Approbata pro uno loco, pro altero non ſunt approbata, & cur. *ib.*
Conſuetudo laudabilis iterum examinandi officia, quoties extenduntur. *ibid.*

Officium divinum.

Antiquitas, & varia ejuſdem nomina. 143
Quale olim fuerit, & quomodo reformatum. *ibid.*
A Pio V. quid præſtitum. 144
Quid a Clemente, & Urbano. 153
Poſt Bullam Pii V. nullum induci poteſt, & inductum ruit. 144
Nec de loco ad locum extendi. *ibid.*
Epiſcopi Romani ritus omni facultate circa officia ſpoliati. 144. 145
An etiam non Romani ritus. 144
De Sanctis propriis, & de quibus inſtitui non poſſit. *ibid.*
Celebrandum eo die, quo cadit, & quid, ſi in eo impediatur. 146
Quacumque de cauſa, licet publica, loco officii currentis aliud recitari non valet. *ibid.*
Et hoc tam in choro, quam extra. *ibid.*
Quinimmo nec Epiſcopi diſpenſare valent, etiam pro una vice. *ibid.*
Officium aliud ſubrogare an peccatum ſit, ſententiæ variæ. 147
Approbatur, quæ ſubrogantem reum facit lethalis culpæ. *ibid.*
Ad quid teneatur ſponte, vel ex errore officium mutans. *ibid.*
Quid, ſi error detegatur recitato matutino. *ibid.*
Officium in ſuo die omiſſum, in alia reſumi nequit. *ibid. &c.*
Anticipatum, adhuc in ſuo die repetendum. 148
Vi legatorum officium invehi nequit, nec jam conceſſum, alterari. 148
Quomodo in caſu ſatisfaciendum legatis. *ibid.*
An in caſu dici queat oltra occurrens. 149
Ob indulgentias alterationem ritus non patitur. 150
Nec mutationem in populorum gratiam. 124
Nec ut teneatur uſus loci ritus diverſi. 150. &c.
Nihil quavis de cauſa eidem addi valet. 152
Nec miſceri. *ibid.*
Nec variari. *ibid.*
Licet minimum foret. 152. &c.
An, & quale peccatum additio, vel mixtio. *ibid.*
Quæ licita. *ibid.*
Mutans dici mandata, an, & quoties peccet. *ibid.*
Num etiam, & quoties mutatio ſit in alia jam approbata. *ibid.*
Additio, & mixtio ſolum intra, non autem ante, vel poſt horas inhibitæ. 152
Quæ intra horas fieri cenſeantur. *ibid.*
Submiſſe recitans partem ſuam, & partem ſocii audiens, præceptum recitationis implet. *ibid.*
Non tamen ſocius, niſi alterius partem audiat. *ibid.*
Debet voce proferri, ſed ſufficit ſibi ſenſibili, non aliis. *ibid.*

Officium votivum SS. Sacramenti.

Ut in die feſti recitandum. 76
Quibus cum exceptionibus. *ibid. &c.*
Cur lectiones *Convenit* in eodem officio non fuerint diſtributæ. *ibid.*
Quæ lectiones, dum pluries in menſe de eodem agitur. 77
An legenda nona lectio ſimplicis. *ibid.*
Quid de reſponſorio *Immolabis*. *ibid.*
Omittenda vox *Alleluja*, ubi, & quando. *ibid.*
Quænam Miſſa dicenda, & quæ in ea ſervanda. *ibid.*
Cedit translatis. 264
Item vigiliis &c. ut ſub V. *Officia votiva*.

Officium S. Mariæ in Sabbato.

Votivum preſſe non eſt, ſed præceptivum. 104
Ejuſdem antiquitas. *ibid.*
Cedit officiis votivis. 202. 104
Quid conſultius præſtetur, cum eadem officia adhuc locum haberent. 74
Cur Sabbatum Deiparæ dicatum fuerit. 104
Quoties in primis veſperis pro ea dictus eſt *Benedicta tu*, in laudibus ſubſtituendus verſus *Diffuſa*. 212

Officium parvum B. Virginis.

Antiquitas, & inſtitutio. 170
Quotidianum olim Cleri onus, & quale. *ibid.*
Poſt Bullam Pii V. extra chorum obligatio nulla, in choro quidem, & pro quibus diebus. *ibid. &c.*
De præcepto in choro, etiam in feſtis, ubi conſuetudo aderat. *ibid.*
Et quidem ſub peccati periculo. 175
Secus eſt de conſuetudine poſt Bullam induſta. *ibid.*
Lex hæc eſt Romani cleri. *ibid.*

Etiam

Etiam Eccleſiarum, quæ poſtea ad ritum romanum convolarunt. 170
Ceteræ tam in choro, quam extra io integra ſua perſtant obligatione. 171
Pridie poſt completorium recitatur licite, & cum acquiſitione indulgentiarum. *ibid.*
Mutandum, etſi Purificatio transferatur. 170
Paſchali tempore antiphonis &c. non additur *Alleluja*, & quid de Paſſionis tempore. *ibid.*
Quibus, nec ne in Eccleſiis ſuffragium S. Mariæ ceſſare faciat. 116

Officium Defonctorum.

Quoties olim recitaretur, & nunc ſit recitandum. 170
An in vigilia Nativitatis, quando incidit in feriam ſecundam. 171
Extra chorum nunc nulla obligatio, in choro qualis. *ibid.*
Pridie recitatur licite poſt completorium, & cum acquiſitione indulgentiarum. *ibid.*
Pro 2. die Novembris eſt in præcepto. *ibid.*
Etiam hoc pridie recitari valet. 172
Eccleſiæ non romani ritus Piana non fruuntur gratia. 171

Oratio.

An oratio *Da quæſumus* S. Liborii cenſenda ſit diverſa ab ea vigiliæ S. Jacobi. 113
Varianda, & quomodo, quando contingit identitas. 114
Unde dicta *collecta*. 138
Ejus uſus non erat in officio, ſed in Miſſa. *ibid.*
Sanctæ Patria in ea non exprimenda. *ibid.*
Neque cognomina qualibet. *ibid.*
Quæ excipi debeant. *ibid.*
Exprimenda qualitas. 139
Cur viduis, SS. Laurentio, & Gregorio nihil addatur. *ibid.*
Exprimendum nomen, & quomodo, & quando. *ibid.*
Cur aliquorum non exprimatur. *ibid.*
An Inſtitutori a Regularibus addi liceat *Patris noſtri*. 134. 139
Quid de collecta S. Pauli in Sexageſima. 117
Quid de illa SS. Coſmæ, & Damiani in feria quinta Dominicæ tertiæ Quadrageſimæ. *ibid.*
Quid de iis feriæ IV. Cinerum, & feriæ V. poſt Dominicam primam Quadrageſimæ. 138
Quid pro ſuffragiis de ea, in qua habetur *feſtivitas*, vel *natalitia*. 117
Quomodo ad finem orationum populus diceret *Amen*. 124
Oratio *Viſita* quem ad olum inſtituta. 141
Cur non varietur oratio poſt antiphonam finalem, quando dicta eſt in officio. 142

P

Paraſceves.

QUæ vox, & quid ſignet. 51
Apud Evangeliſtas pro feria ſexta majoris hebdomadæ uſurpata. *ibid.*
Cur in hac nulla dicatur Miſſa. *ibid.*
Quæ dicitur, vere Miſſa non eſt, nec Miſſa ſicca, ſed Miſſa præſanctificatorum. *ibid.*
Ad eam audiendam non tenentur fideles, ſi incidat dies feſtiva. 52
Bene ad abſtinentiam ab operibus ſervilibus. *ibid.*
Si occurrat feſtum de præcepto, non transferendum. *ibid.*
Limita pro feſto Annuntiationis. 53
Aut ubi habeatur ſpeciale privilegium. 54

Parochi.

Inter feſta mobilia debent evulgare feſta, quæ transferuntur quoad chorum, & forum. 15
Ultra ſuffragium Titularis ſuæ Eccleſiæ debent facere ſuffragium de Patrono principali, & quo. 76
Tenentur ad feſta de præcepto, Patronorum cultum, jejunia, & officia Dominiorum, etſi eorum Parochia ſit extra, dummodo Cathedralis ſit intra Dominiorum limites. 159

Patroni Locorum.

Duorum dumtaxat, & quorum dies ſit feſtiva. 4
Quid, ubi plures principales habentur. *ibid.*
An & eorum, qui ante Urbanum VIII. non colebantur feſtive. *ib.*
Num eorum feſta jungenda diebus feriatis. 8
Quid de votis feſtive celebrandi Patronorum feſta. 3. *&c.*
An, & a quibus anticipari queat vigilia incidens in eorum feſta. 37

Patrocinium B. Mariæ.

Feſtum cui innitatur, & quando inſtitutum. 100
De præcepto in Statu Eccleſiaſtico, & apud quos. *ibid.*
Sub quo ritu *ibid.*
Dominicæ regulariter affixum, & numerus Dominicæ unde petendus. *ibid. &c.*
Quando, & apud quos ſit transferibile. 79. 80. 100.
Quid in Hiſpaniarum Regnis. 100. *&c.*

Penſionarius.

Laicalis tituli nihil tenetur legere. 157
Clericalis officium minus Deiparæ. *ibid.*
Si tamen recitat officium Divinum, ſatisfacit obligationi Penſionis. *ib.*
Immo & beneficii, & ſacrorum Ordinum, quibus inſignitus foret. *ib.*
Divinum officium recitans inſtar beneficiarii, tenetur ad officia principaliora Eccleſiæ penſionis. *ibid.*
Immo & ad ſufragium Titularis. *ibid.*
Quid, ſi ſimul beneficium habeat, aut Altare in Titulum. *ibid. &c.*

SS. Petrus, & Paulus.

Angelis poſtponendi. 100
Itidem S. Joſepho. 110
Eorum feſtum pellit omnia feſta occurrentia. *ibid.*
In incidentia feriæ VI. eſus carnium olim permiſſus. 35
Translato Commemorationis S. Pauli feſto in ſequentibus diebus adhuc commemoratio octavæ communis S. Paulo. 111
Dum feſtum aliquod S. Petri, aut Pauli habet octavam, commemoratio utriuſque facienda eſt per diſtinctam antiphonam, & non per utrique communem. *ibid.*
Cur in veſperis Commemorationis S. Pauli fiat per communem antiphonam. *ibid.*

Præfatio.

In Miſſis de feria, vel vigilia infra octavam ſit de octava, ſi hæc propriam habeat. 34
Quando adhuc tempus propriam haberet. *ibid &c.*
Si duæ occurrant octavæ, ſit de digniori. *ibid.*
In feſto infra octavam dicitur præfatio octavæ, niſi ipſum propriam habeat. *ibid.*
In feſto occurrente in die octava S. Joannis Evangeliſtæ ſit illa Apoſtolorum, non Nativitatis. 35
Cur in octava S. Stephani, vel feſto, quod occurreret, dicenda ſit illa Nativitatis. *ibid.*
In Miſſis de Dominicis non dicitur ea temporis, etſi propriam habeat, ſed octavæ. *ibid.*
Præfatio Trinitatis in Dominicis olim dicta. 28. 41

Prælati Regulares.

Incidente feſto præceptivo in feria V. Cœnæ Domini de Miſſis privatis ſuas Eccleſias provident. 10
An ob occurſum magnæ ſolemnitatis anticipare queant vigiliam. 37
Eorum eſt officia de non præcepto acceptare. 67. *&c.*
Acceptata, an, & quæ poſſint renuntiari. 68. *&c.*
Neque pro ſuis Eccleſiis in Hiſpaniis aſſignare queunt diem Dominicam Patrocinii B. V. 100. *&c.*
Ad lectiones dicunt *Jube*, *Domne*, & non *Domine*. 125
Quomodo olim lectiones legendi, & terminandi ſignum ederent. 124. *&c.*
Cur Lectorem per ſeipſos non benedicant. *ibid.*
De confeſſione erga ipſos olim ad Primam, & Completorium facta, & an adhuc facienda. 134. 145
Quæ olim agerent ad officium capituli. 134. *&c.*
Quæ ante & poſt completorium. 141
Poſt Bullam Pianam invehere nequeunt officia, nec eorum mutare ritum. 144
Neque pro una vice. 146
Olim nec poterant ſtatam diem aſſignare feſtis perpetuo translatis. *ibid.*
Nunc ſine ſpeciali licentia id queunt agere. 103
Nunquam tamen diem Dominicam. 99
Approbabant olim legenda in officio, nunc id eis vetitum. 153
Præfecti Eccleſiæ Sæculari, vel Regulari alterius Ordinis, hujus ſervant Kalendarium, & Breviarium. 157
Loco Epiſcopi pro receptione Breviarii Romani ipſi conſenſum præſtant pro Eccleſiis Ordinis. 160
Etiam Monialium ſibi ſubjectarum. *ibid.*
Indicere valent dies feſtivos. 14
Quo Kalendario uti debeant, dum Religionem viſitant. 156

Præſentatio B. Mariæ.

In cujus memoriam inſtituta. 40
Quo tempore, & auctore. *ibid.*
Sublata, & reſtituta. *ibid.*
Transferenda, ſi incidat in diem octavam. *ibid.*

Preces.

Dicendæ in feria IV. quatuor Temporum, & Dominica Paſſionis, etſi infra octavam recurrant, & quibus in horis. 56. 57
An in completorio feſti ſemiduplicis incidentis in diem 7. infra octavam, quando ceſſat dies octava. 56
Quid, quando in caſu veſperæ ſunt de feria. *ibid.*
An, & quæ in officio Dominicæ anticipatæ. 22. *&c.*
An quando Dominica 1. poſt Epiphaniam anticipatur infra octavam. 24
An in vigiliis, quæ a jejunio exciderunt. 32
Cur dicantur ad Laudes, & ad Primam, & plures earum verſus ex pſalmo *Miſerere*. 132. 134
Paſchali tempore cur ſine *Alleluja*. 124

Prima.

Ejuſdem antiquitas, & inſtitutio. 134
Canonicum tempus. *ibid.*
An officium nocturnum. *ibid.*
Cur in feriali officio Sabbati non addatur alter pſalmus. *ibid.*
A quo inſertæ preces, & unde mutuatæ. *ibid.*
Cur plures verſiculi ex pſalmo *Miſerere*. *ibid.*
Ubi abſolvatur. *ibid.*
An inter ipſam, & capituli officium inſeri quid poſſit. 141

Principes laici.

Indicere nequeunt feſta de præcepto. 3. 5
Bene vero vacationem a foro, & opere ſervili. 6
An ſubditi contravenientes peccent. *ibid.*

Pſalmi.

Quoties antiphona convenit cum pſalmo, non repetendum initium pſalmi, & quando. 123
Pſalmus *Venite* in invitatorium quomodo traductus. *ibid.*
Cur ſileatur in die Epiphaniæ, & dicatur per octavam. 60
Cur officium feriale Sabbati ſine 4. Pſalmo. 134
Miſerere ad laudes, & ad Primam olim dictus, & unde ex eo plures verſiculi in precibus. 132. 134

Pſalmi Graduales, & Pœnitentiales.

Quoties olim recitati, & nunc recitandi. 170
Extra chorum nunc nulla obligatio, in choro qualis. *ibid.*
Pridie poſt completorium recitantur licite, & quomodo. 171

Purificatio B. Mariæ.

Primogenitorum, & Genitricum leges. 102
A Chriſto, & Maria ſervatæ. *ibid.*
Quæ in hoc feſto recolantur. *ibid.*
Nomina ejuſdem varia. *ibid.*
An Mariæ, vel Chriſti feſtum. *ib. &c.*
Cedit Dominicis privilegiatis, & quando. *ibid. &c.* 151
Uſus illud retinendi. 150
Ab iis romani ritus etiam ibi transferendum. *ibid.*

Et

Et transferendum in diem ſequentem. 103
Limita, ſi ſit impedita. *ibid.*
Dies 5. Februarii relinquendæ vacua. *ibid.*
Recedendum ab aſſignatione, licet pridem facta. *ibid.*
Num, & quando in ea duplicibus 1. claſſis tranſlatis præferendum. *ibid.*
Ob incongruitatem eidem tale privilegium factum, & quale. *ibid.*
Quid, ſi feſta tranſlata parem habeant incongruitatem. *ibid.*
Quouſque extendatur dicta incongruitas. *ibid.*
Quid ubi ſequens dies eſt impedita. *ibid.*
Unde ejuſdem Miſſa dicta *Miſſa ad collectam*. 138

Q

Quadrageſimale tempus.

AN in Romana Eccleſia olim nulla in eo celebrata feſta. 12. *&c.*
Si incidat vigilia, cur in officio nihil de ea, bene in Miſſa. 33
Cur in caſu duæ Miſſæ non cantandæ. 35
Si incidat dies infra octavam, Miſſæ qualibet ſunt de feria, nec duæ cantandæ ſunt Miſſæ. 33. *&c.*
Secus eſt incidente die octava, vel die infra octavam privilegiatam. *ibid. &c.*
Quæ orationes, & præfatio in Miſſa de Quadrageſima infra octavam. 34. *&c.*
In Quadrageſima octavæ vetitæ, & cur. 54. 55
Quæ permiſſæ. 55. 56
Quid de die octava infra octavam incidente in feria IV. Cinerum, aut Dominica Paſſionis. 56. *ad* 58
Quid de iiſdem ad adventum Dominicæ Palmarum. 57
An omittendum feſtum ad libitum incidens in Quadrageſimam. 26
Locum non habent officia votiva, & quæ. 71. *&c.*
Incongruitas, quam ad diſtinm habet tempus Purificatio, & quo uſque extendatur. 103
Quid de hiſtoriis Dominicarum ejus, quando legi impediuntur. 116. *&c.*
An feria IV. Cinerum in Martyrologio annuntianda ante vigiliam. 136
Jejunium quadrageſimale uſque ad veſperam olim protractum, & quomodo ejuſdem ſolutio tracta ad meridiem. 137
Veſperæ olim intra Miſſam dictæ, & qua hora hæc calebraretur. *ib.*
Cur modo veſperæ in Quadrageſima ante meridiem recitentur. *ibid.*
Cur non ita a feria IV. cinerum, ſed a ſabbato ſequenti. *ibid.*
Pſalmorum Gradualium, & Pœnitentialium obligatio. 170
Quoties repetendum invitatorium Paſſionis tempore. 153

R

Regulares.

TEnentur ad feſta de præcepto per Epiſcopos indicta, vel approbata. 6. *&c.*
Item ad officia feſtorum de præcepto, non ad eorum octavam. 7
Quid, ſi apud eoſdem occurrat feſtum aliud. *ibid.*
An in præcepto teneantur excolere ſuum Inſtitutorem. 15
An, & quomodo adſtringantur ad officia Dominiorum. 67. *&c.*
Quomodo ſe gerere queant, & debeant circa eorum officia votiva. 69. ad 97
Facere debent ſuffragium ſui Inſtitutoris, & quibus in officiis. 75. 76
Dum ſilent illud ſui Inſtitutoris in officiis ejuſdem, aliud non debent ſubrogare. 75
Faciant item ſuffragium de Titulari Eccleſiæ. 76
Ordo, quem ſervare debent in officiorum occurſu. 89. 90
Feſtum Sanctorum Ordinis non excludit commemorationem Sancti particularis ejuſdem Ordinis. 112
In officiis eorum votivis octava benedictio *Cujus feſtum*. 155
Sine ſpeciali privilegio addere non poſſunt in Litaniis, & Confiteor nomen ſui Inſtitutoris, & quid poſſint agere. 134
Num, & qui *Patris* agnomen eidem tribuere valeant. 134. 139
Quo loco Necrologium debeant legere. 135
An, & quando accomodare ſe queant locorum conſuetudinibus. 150. *&c.*
Pro ſuis Sanctis uti non valent officiis non approbatis. 153. *&c.*
In feſtis locorum, ad quæ tenentur, vel ex ſuppoſitione, quod de iiſdem recitent, debent recitare officia pro locis approbata. 154
Limita, ſi aliud officium de iiſdem Sanctis in proprio Breviario habeatur. 130
Uti tamen debent Evangelio, aut Epiſtolis Cleri Sæcularis pro concionibus habendis ad populum, & an ſemper. *ibid.*
Futilis nonnullorum praxis circa locorum officia. 154
Qui, & quo pacto convolare queant ad Breviarium Romanum. 169
Cujus Eccleſiæ Kalendarium ſequi debeant. 155. *ad* 157
Quod ob occupationes choro non intereſſentes. 155
Quod peregrinantes. 156
Quid de privilegio Innocentii IV. 156. 160
Quid de adjuvantibus ſuos Prælatos, vel Epiſcopos. 155. 158
An privatim recitare valeant ex Breviario romano vel alieno. 160
Non convenit eoſdem continuo in choro cum Clero Sæculari horas decantare. 161
Separari tamen non valent, quatenus choro communi eſſent obſtricti. 156
Præfecti Eccleſiæ Sæculari, vel alterius Ordinis, hujus Kalendarium ſequantur. 157
Utentes ea conſuetudine Kalendario Diœceſano, non tenentur ad octavam Patroni loci, vel Titularis Cathedralis. 164
De Patrono Parochiæ officium nequeunt agere. 167

Repoſitio feſtorum.

Eſt tranſlatio quoad terminum ad quem. 90
Terminus ad quem non eſt idem pro omnibus. *ibid.*
Feſtis altioris ritus prior repoſitio debetur. *ibid. &c.*
In pari ritu feſtis prius tranſlatis. *ibid.*
Limita, ſi inter feſta aliquod ſit dignius, vel ſolemnius. 91
Quæ ſint feſta digniora, quæ ſunt præferenda. 90
Quæ ſolemniora. *ibid.*
In ſemiduplicibus dignitas non attenditur. 91
Dignitas prævalet ſolemnitati. *ibid. &c.*
Apoſtoli Evangeliſtis non præferendi. *ibid.*
Neque reliquis Sanctis illi, qui Apoſtolorum vocabulo inſigniuntur. 95
Limita, ſi Apoſtolorum officium aſſequantur. *ibid.*
Quid in caſu relate ad veros Apoſtolos. *ibid.*
Quid de feſtis, in quibus dignitas non attenditur. *ibid.*
Quæ præferentiam dant in concurſu, eam & dant in repoſitione. 88
Secus, quæ eam ſolum dant in occurſu. 91. *&c.*
Accidentalis dignitas, & connaturalis ſolemnitas negliguntur. 91. 92. 94

Repoſitio in diem ſequentem.

In die immediate ſequenti donabatur olim priori repoſitione feſtum in paritate ritus. 92
Secus in diſpari ritu, vel dignitate. *ibid.*
Diei ſequentis nunc nulla habenda eſt ratio, ſed ſunt reponenda feſta juxta tranſlationis prioritatem. 93
Fallit hoc in ſemiduplici incidente in feſto habente octavam, vel in feſto, aut Dominica infra octavam, & quidem in excluſionem etiam duplicis 1. claſſis prius aut ſimul tranſlati. 58. ad 60
Cur id juris non competat etiam duplici. 59

Reſignatarius.

Ad officium adſtrictus, licet fructus omnes beneficii reſignanti conſignet. 157
Item ad feſta principaliora beneficii. *ibid.*

Reſponſoria brevia Horarum.

Paſchali tempore, & etiam extra in nonnullis feſtis duo iiſdem adduntur *Alleluja*, & cur. 77
Sunt tamen tacenda extra paſchale tempus in officiis votivis eorundem, & ſignanter SS. Sacramenti. *ibid.*
Et quidem etiam ad eorundem verſiculos. *ibid.*
Ad Primam non verſus proprius temporis, ſed octavæ dicendus in Dominicis infra octavas, & cur. 35
In Expectationis feſto cur verſus *Qui venturus*. 102
Verſus *Qui natus* quo in ſenſu in quibuſdam feſtis Deiparæ. *ibid.*

Reſponſoria lectionum.

In cujus locum ſucceſſerint, quid habeant commodi, & qualia eſſe debeant. 131
Reſponſorium *Domine prævenisti* proprium Martyrum non effuſi ſanguinis, & cur. *ibid.*
In quocumque eorum officio ſemper dicendum. *ibid.*
Limita pro tempore paſchali, aut ſi plures ſimul colantur. *ibid.*
Reſponſorium *Hæc eſt vera fraternitas* quibus, quoties, & quando concedendum. *ibid.*
Reſponſorium *In medio Eccleſiæ* quibus tribuendum, uti & Antiphona *O Doctor*. *ibid.*
Reſponſorium *Veni electa* cur ſubrogatum pro virgine non martyre. *ibid.*
Quomodo quadret fœminis veteris Teſtamenti illud reſponſorii *Propter amorem Domini mei Jeſu Chriſti*. *ibid.*
Reſponſoria hæc omnia appropriata, & quæcumque alia propria quomodo aliis de communi præferenda, in caſu impedimenti. 132
Cur reſponſorium *Duo Seraphim* in Dominicis a Pentecoſte ad Trinitatem. 41
Cur reſponſorium verſiculis tempore paſchali non addatur *Alleluja*. 114
Quid, ubi in reſponſoriis duo habentur aſteriſci. *ibid.*
Reſponſoria Dominicæ 1. poſt Epiphaniam omiſſioni obnoxia. 24
Quid de reſponſorio *Immolabit hœdum* in officio votivo SS. Sacramenti. 77

Ritus officii.

Quotuplex. 161
Quis duplex major ſimpliciter. *ibid.*
An, & quo pacto duplex major per annum diſtinguatur a duplici minori. *ibid.*
Diſcrimen horum duplicium. *ibid. &c.*
Quæ integris gaudent veſperis, non continuo duplicia majora. 162
Conceſſa ſub ritu duplici abſolute, ſub duplici minori intelliguntur conceſſa. *ibid.*
Quid, dum officia extenduntur. *ibid.*
Ritus feſti quando in octavam derivet. 50
Poſt Bullam Pii V. per Epiſcopos immutabilis. 144
Quid de Epiſcopis non Romani ritus. 145
Inalterabilis per defunctorum legata. 147
Etiam per ſolemnitatem officio adhibitam. 148
Etiam per indulgentias. 150
Ritus antiquior Bulla Piana, ſed depreſſior conceſſo, nequit cuſtodiri. 144

Rubricarum ſenſus.

Adaperitur. 25. 19. 20. 21. 27. 32. 33. 34. 46. 48. 53. 54. 55. 56. 57. 60. 61. 62. 86. 87. 90. 94. 95. 111. 114. 116. 123. 124. 125. 126. 127. 128. 130. 133. 136. 141. 142. 143. 154. 166. 170. 172.

S

Sabbatum.

OBſervatum in lege veteri ex juſſione Dei. 18
Non ante legem Moyſis, nec in lege naturæ. *ibid.*
Quando, & quo pacto ceſſaverit. *ibid.*
In ejus locum ſucceſſit Dominica. *ibid.*
Celebrabatur a veſpera ad veſperam. *ibid.*
Deiparæ cur potiſſimum dicatum. 104
Sabbati nomen retentum, ceteri hebdomadæ dies præter Dominicam cur *feriæ* dicti, & in quo ſenſa. 19
Unde in feriali officio Sabbati ad Primam alter non addatur pſalmus. 134

Sabbatum ſanctum.

Excludit privatas Miſſas, etiam occurrente feſto de præcepto. 13
Etiam poſt Miſſam Conventualem dicendas. *ibid.*
Quid agendum, ſi in eo incidat feſtum de præcepto. 14

Sacroſancta oratio.

Ad quæ delenda inſtituta. 143
Quomodo, & quando dicenda. *ibid.*
An recitanda in triduo mortis Chriſti. *ibid.*

Sancti.

Extracti e Cœmeteriis Urbis, Canonizatorum claſſi jungendi. 165
Quæ conſuetudo potis ſit eorum tueri officium *ibid. &c.*
Locorum proprii in *indigenas*, *advenas*, & *advectitios* diſtributi. 145
Eorum vera partitio. *ibid.*
A Radulpho *locales* dicti. *ibid.*
Connaturali gaudent ſolemnitate. 88

Vi

Vi eiuſdem præferuntur in occurſu, ibid.
Ordo hujuſca præferentiæ. ibid.
Hujus ordinis, & ſolemnitatis nulla ratio in repoſitione, & concurſu. 92
Ante Pium V. cum officio communiter exculti. 166
Tempore Bullæ Pianæ plures e Kalendario expuncti. ibid.
Ex retentis quorum officium, & quomodo continuari queat. 164. &c. 166
Poſt eandem Bullam ſine ſpeciali indulto cum officio non colendi. 144 145. &c.

Sancti veteris Teſtamenti.

Quinam olim cenſebantur, & qui nunc. 107
Eorundem cultui non officit deſcenſus ad limbum, nec viſio beatifica dilata. ibid.
Partes omnes cultus publici eiſdem delatæ. ibid.
Et quidem tam in orientali, quam occidentali Eccleſia. ibid.
Parce tamen in occidentali, & ubertim in orientali. ibid.
Cur. ibid. &c.
Eorundem feſta non expedit paſſim inſtitui. ibid.
Cur occidentalis Eccleſia ſolos Machabæos officii cultu honoret. ib. &c.
Omnes ita honorari queunt, ubi ſunt Titulares, vel Patroni, aut eorum aſſervatur inſignis Reliquia. ibid.
Unde in caſu officium ſit depromendum. ibid.
In Litaniis prius invocantur. 109
Non tamen propterea poſterius invocatis præferendi in officio. ibid.

Servorum Religio.

Officiis ſemiduplicibus tranſlatis rite præſtart officia votiva SS. Sacramenti, & B. Virginis. 69
Et quidem non obſtantibus poſterioribus Decretis. 70
An id etiam præſtare valeat, ſi tranſlata ſint duplicia. ibid.
Secus eſt de aliis officiis votivis, licet certæ diei affixis. ibid.

Solemnitas.

Alia intrinſeca, & ſtat pro ritu, alia extrinſeca, & dicit pompam extrinſecam. 94
Extrinſeca quotuplex ſit. 86
Quæ in occurſu præferre faciat. ibid. ad 90
Quæ in repoſitione. 90. ad 92
Quæ in concurſu. 94. ad 97
Quæ ſita in pompa extrinſeca. 94
Quomodo hæc relativa, & attendenda. ibid.
Quid de Decreto exponenta to *ſolemniter* Rubricæ primæ. 165
In Rubricarum ſenſu nonnunquam venit per dignitatem, & e contra. 90. &c.
Dignitati inſigni nunquam prævalet. 90. 91. &c. 94. &c.
Ritum non alterat. 148
Nec propter eam mutilari valet officium, bene vero integræ invehi veſperæ, & quando. 149
Legatum de altiori ritu in quod commutandum. 148. &c.
De quocumque canonizatu ultra occurrens, licitum reddit cantare officium. 149. 150
Nunquam tamen officium ſatisfactorium præcepti. 148. 149. &c.
Feſti ſolemnitas ad effectum præferentiæ in concurſu non derivat in octavam. 50
Bene in occurſu. 51
Officium ſemiduplex in quo ſenſu *ſolemne* non ſit. 47
An ſola conſuetudo ſolemnis potis ſit tueri Sanctorum officia. 165

Suffragia Sanctorum.

Cur ſic dicta, & cur nonnullis temporibus interdicta. 115
De quibus fieri debeant. ibid.
Cur ultimo loco fiat de Pace. ibid.
Cur excluſis ceteris paſchali tempore fiat de Cruce. ibid.
Repelluntur ab officiis votivis, quoties ſunt duplicia. 75
A Regularibus addendum ſuffragium proprii Inſtitutoris. 76
Illud Patroni principalis a Clero Sæculari. ibid.
Secus de Titulari Parochiæ. ibid.
Limita pro Clero Parochiali. ibid.
Num qui de nullius Eccleſiæ gremio eſt, agere debeat ſuffragium de Titulari Cathedralis. ibid.
In officio feriali additur ſuffragium Crucis. 115
Cur ante quodcumque aliud, licet dignius. ibid.
In Eccleſiis S. Crucis non additur aliud ratione Tituli. ibid.
In ſemiduplicibus tamen erit agendum, ſed non cum præferentia ad dignius. ibid.
In utroque caſu fiet per antiphonam ordinariam. ibid.
Ordinarium de Cruce non ſufficit pro Titulis SS. Salvatoris, vel Redemptoris. ibid.
Pro quibus Titulis ſufficiat. ibid.
Tacetur ſuffragium S. Mariæ, dum in choro dicitur ejuſdem officium parvum. 116
Idipſum eſt de privatim illud dicente. ibid.
Et hoc, tametſi illud non dicat ratione Chori, vel Rubricarum, ſed ex mera devotione. ibid.
An omitti queat ab adſcripto alicui Choro, in quo dicitur officium parvum. ibid.
In Eccleſiis Titularibus S. Mariæ, etſi dicatur officium parvum, non ceſſat ejuſdem ſuffragium. ibid.
Et hoc, ſub quocumque titulo eidem extent dicatæ. ibid.
In Eccleſiis tamen iiſdem ſufficit ordinarium S. Mariæ ſuffragium. ib.
Idipſum eſt de ſuffragio SS. Petri, & Pauli pro Eccleſiis in eorundem vel alterutrius honorem ſub quocumque titulo dicatis. ibid.
Ad recolendum particularem titulum, aut cum deficit commune, ex feſto ſuffragium peti debet, & unde. ibid.
In ceteris ex communi, & quomodo. ibid.
Quæ cavenda, quando ſumitur ex feſto. 117
Suffragia locum habent in vigilia omnium Sanctorum, ſive fiat de ea, ſive de feſto ſemiduplici. ibid.
Suffragium omnium Sanctorum, quod fit ratione Tituli, non excludit ſuffragia ceterorum. ibid.
In Sexageſima tacendum non eſt ſuffragium S. Pauli, & cur. ibid.
Neque in Eccleſiis SS. Coſmæ, & Damiani in feria 5. poſt Dominicam 3. Quadrageſimæ eorundem ſuffragium, & cur. ibid.
Quoties in collectis fit mentio, licet latens, Sancti, ceſſat ejuſdem ſuffragium. ibid.
Limita, ſi fiat cauſa ſtationis. ibid.
In vigilia omnium Sanctorum omittendum eorundem ſuffragium in Eccleſia iis dicata. ibid.
In vigiliis, & officiis quibuſcumque Sanctorum, licet votivis, ceſſat eorundem ſuffragium. 76. 117
In antiphonis an ſtenda vox *Alleluja*. 117
Qualis præferentia debeatur ſuffragio S. Joſeph. 110
Variari debent antiphonæ, aut verſus, quando dicti ſunt. 113. 114
An variandus verſus B. V., quando jam dictus eſt verſus *Ora pro nobis*. 113

Symbolum S. Athanaſii.

Quotidie olim recitatum, nunc ſolum in Dominicis. 43
Non in omnibus, ſed ſolum, in quibus recitatur ut in Pſalterio. ib.
Dicendum & in feſto, & die octava Trinitatis, non infra octavam. ibid.

T

Tertia, Sexta, & Nona.

Unde ſic dictæ, & quod olim earum tempus canonicum. 137
Paſſæ ſunt variationem plurimam, quomodo, cur, & an licite. ibid.
Ab Apoſtolis uſque orationi deſtinatæ. 138
Ab Orientis Monachis quando decantatæ. ibid.

Tertiarii.

In quatuor ſecernuntur claſſes, & quæ eorum privilegia ſublata. 158
Indulgentiis integre perfruuntur. 159
Etiam qui in ſæculo degunt, poſſunt Kalendario ſui Ordinis conformari. ibid.
Uti & poſſunt Kalendario Diœceſis. ibid.
Si choro alicujus Eccleſiæ ſint adſtricti, tenentur ad hujus Kalendarium, ſecus, ſi ſolum de illius gremio ſint. 156

Titularis Eccleſiæ.

Num ejus feſtum ſit de præcepto. 14. &c.
Ejuſdem ſuffragium faciendum, & a quibus. ibid. &c.
Quid de ſuffragio Titularis Parochiæ. 76
Quid de ſuffragio Titularis Cathedralis. ibid.
Ejuſdem feſtum quibus cedat. 110
In vigiliis Titularis, aut Patroni, aliiſque eorum officiis tacendum eorum ſuffragium. 117
In Titulares Beati aſſumi non poſſunt, & aſſumpti ſupprimendi. 169

Tranſlatio Feſtorum.

Quid ſit, quomodo fiat, & quid importet. 85
Quæ officia eam ſuſcipiant, & quæ non. ibid. &c.
Tranſferenda, quæ ſunt inferioris ritus, licet majoris dignitatis, vel ſolemnitatis. 86
In paritate ritus quæ dignitas, & ſolemnitas præferri faciat. 86. 87. &c.
Officium particulare præferendum univerſali, & quando. 86. 87. 88. &c.
Quinam ordo ſervandus in præferendis officiis. ibid.
Quid, cum ſpectant ad plures claſſes. 90
Antiquitas conceſſionis quando dumtaxat attendenda. 87. 88. &c.
Sanctis in die Natalitia jus potius, quam in aſſignata. 89

Triduum mortis Chriſti.

Reliquia eſt olim ſervati moris in officio. 143
Quas orationes excludat in fine officii. ibid.
An dici queat oratio *Sacroſanctæ*. ibid.

Tu autem.

Poſt lectiones quomodo invectus, & olim dictus. 125
Quomodo poſt Capitulum Completorii, & officii Capituli. 141

V

Venetiarum Status.

Debet recolere S. Marcum ritu duplici 2. claſſis, & octava. 5
Cur non ita præcedenter eum coluerit. ibid.
An in toto Dominio ejuſdem dies ſit feſtiva ex præcepto. ibid.
An feſtum SS. Redemptoris transferre queat. 80

Verſiculi.

Quinam dicendi in feſto S. Caroli pro commemoratione SS. Vitalis, & Agricolæ. 112
Quando, necne variandi. 112. 113. 114. &c.
An verſus *Ora pro nobis* per Sancti nominationem diverſificentur. 113

Veſperæ.

Varia earum nomina. 139
Quando olim dicerentur. ibid.
Quomodo, & cur anticipatæ fuerint. 137. &c.
Cur in Quadrageſima dicantur ante meridiem. ibid.
Cur non in jejuniis per annum. ibid.
Cur non in Dominicis, nec primis tribus diebus Quadrageſimæ. ibid.
Intra veſperas olim celebratæ, & quando. ibid.
Ex veſperis primæ, & ſecundæ, & his illæ ſolemniores. 139
Quomodo ſecundæ olim celebratæ. ibid.

Vigilia Aſcenſionis.

Alicubi jejunata, ſed non jejunanda. 30. &c.
Antiquior Rogationibus. ibid.
Quid Pius V. circa eam innovarit. ibid.
Regitur communibus Rubricarum legibus. ibid.
Colorem album expoſcit. ibid.

Vigilia Epiphaniæ.

Cum jejunio, officio lugubri, & Miſſa poſt Nonam alicubi ſervata, ſed non ſervanda. 30
Habet rationem Dominicæ, & Privilegia. ibid.
Quibus cedat, & præferatur. ibid.

Digitized by Google